R.P. RICHARDI ARSDEKIN ... THEOLOGIA TRIPARTITA VNIVERSA...

Richard Archdekin

Digitized by Google

PRÆFATIO.

VT in hoc Opere nihil omninò deſit ad Curſum integrum Tgeologiæ Vniuerſæ, tàm ſpeculatiuæ, quàm practicæ, eivſque materiam, ordinem, ac diſpoſitionem commodiſſimam, hanc methodum in proximè ſequentibus inſtituo.

Primò, Tota Xheologiæ Materia, ac Diſpoſitio, ad pauciores, clarioreſque Titulos diſtincte reducitur, ſeruato tamen communi Curſus Scholaſtici ordine, ac materiarum cohærentia.

Secundo, Vt conſulatur commodæ Breuitati, inſtituitur inter hanc, aliaſque Operis huius Partes mutuus Recurſus. Sic nempe, vt vbi hic occurrit Materia, vel Quæſtio in alia Parte ſuo loco fuſius tractata, ad illum locum tanquam huius ***Supplementum***, Remiſſio accuratè annotetur: & contra.

Tertiò, Aſſertiones ſingulæ optimo ordine inter ſe connexæ, Ratione, & Authoritate breuiter ſtabiliuntur, ac Fundamenta oppoſita, vbi opus, reijciuntur. Atque ita Theologus principijs ſpeculatiuis primo inſtructus ac Reſolutiones practicas hic poſtea ſequentes ſolidè accedit.

Quartò, hæreſes ad ſingulas Theologiæ Partes propriè pertinente, cum ſua refutatione ſeorſim indicantur, quod ad breuitatem arbitror commodiſſimum.

Qua Methodo hoc primò commodum aſſequimur, vt idem pluribus locis non tractetur, quo multorum Librorum moleſta prolixitas euitatur. 2. Quod & Controuerſiæ, & Theologia Scholaſtica, & Moralis, inter ſe adæquatè ſeparentur, cum maximo Lectoris commodo.

Denique ac maximè , quod huius Methodi beneficio , vbi Scholæ aliqua Theologica temporis compendium requirit , poſſit Theologia omninò Vniuerſa , facile biennij ſpatio ſic breuiter dictari , & à Dictante cum ſua induſtria explicari , vt complectatur , & Theologiam omnem , tàm Speculatiuam quàm Practicam , & Controuerſias omnes , etiam modernas , tam cum Hæreticis , quam cum Scholis Catholicis : Denique Praxim omnimodam ſingularum Functionum Curatoris animarum , qnæ vix ex pluribus Voluminibus adeò commodè comparatur : vti huius operis Lectores , per ſeptem iam Editiones , communi conſenſu vltrò profitentur.

INDEX BREVIS

Partium, & Capitum tantùm.

PARS PRIMA

De Deo Vno, & Trino, & Angelis.

Cap. I. DE *Exiſtentia Dei, Attributis, Viſione, Lumine gloriæ.*
Cap. II. *De Voluntate Dei, eiuſque Libertato, Decretis, Prouidentia, Prædeſtinatione, & Reprobatione.*
Cap. III. *De Sanctiſſima Trinitate, Proceſſione Perſonarum, & Perſonis ſingulis in particulari.*
Cap. IV. *De Angelis, eorumque Natura, Specie, Scientia, Locutione, Lapſu, Supplicio.*
Hæreſes contra hanc primam Theol. partem.

PRIMA SECVNDÆ PARTIS

De Beatitudine, actibus humanis, Legibus, Gratia, & Merito.

Cap. I. DE *Beatitudinis eſſentia: de Volnutario, & Libero.*
Cap. II. *De Actuum humanorum Bonitate, & Malitia.*
Cap. III. *De Conſcientia Erronea, Dubia. Practicè Certa, Probabili, &c.*
Cap. IV. *De Peccato Actuali, Omiſſionis, Commiſſionis, eiuſque Malitia, Delectatione Moroſa, & Ignorantia Legis naturæ.*
Cap. V. *De Peccato habituali, Originali, Immunitate Deiparæ ab illo, & Paruuloram à pœna ignis æterna.*
Cap. VI. *De Legibus, & earum Natura, Diuiſione, Effectibus, Pincipijs, Materia, Subiecto, & Modo definendi.*
Cap. VII. *De Gratia, Iuſtificatione, Merito.*
Hæreſes contra hanc Theol. partem.

SECVNDA SECVNDÆ

De Fide, Spe, Charitate, Iuſtitia, & Iure, & de Religione.

Cap. I. DE *Fidei Regulis, certitudine; ſupernaturalitate, & libertate.*

De Spe Theologica.

Cap. Vnic. DE *Spei Natura, obiecto, peccatis oppoſitis, illius præcepto, habitu, neceſſitate.*

De Charitate Theologica.

Cap. I. DE *Charitatis natura, obiecto formali in via, & Patria, incremento, decremento, & amiſſione.*
Cap. II. *De Præcepto Charitatis Dei, Proximi, correctione Fraterna, bello, duello, & ſcandalo.*

De Iure, & Iuſtitia.

Cap. I. DE *Iuris, & Iuſtitiæ uatura; diuiſione, obiecto, ſubiecto, dominio, præſcriptione.*
Cap II. *De Contractu in genere, requiſitis ad valorem illius, Promiſſione, Donatione Depoſito, Commodato.*
Cap. III. *De Mutuo, Vſura, Simonia, & Montibus Pietatis.*
Cap. IV. *De Emptione, Venditione, Monopolio, Locatione, Emphiteuſi, & Feudo.*
Cap. V. *De Cenſu, Cambio, Contractu Societatis, & Teſtamento.*
Cap. VI. *De Reſtitutione eiuſque Radice, & Cauſis eam excuſantibus.*
Cap. VII. *De Iniuria in Corpus, & Famam & de Furto, Iudice, Teſte, Reo, Aduocato.*

De Religione, & Actibus Illius.

Cap. I. DE *Religionis virtute, Oratione, Horis Canonicis, votis, & religioſo ſtatu.*

Cap. II. *De Beneficij Eccleſiaſtici natura, acquiſitione, amiſſione, dominio, &c.*

Hæreſes contra hanc ſecundam Theol. partem.

TERTIÆ PARTIS

PARS PRIMA.

De Incarnatione Verbi Diuini.

I. I*Ncarnationis conuenientia, neceſſitas, effectus, proprietates, &c.*

II. *Incarnationis ſubſtantia, vnio, meritum, motiuum, &c.*

III. *Communicatio Idiomatum.*

Hæreſes, & Errores circa Incarnationem.

TERTIÆ PARTIS

PARS SECVNDA.

De Sacramentis.

Cap. I. D*E Sacramentis in genere.*

Cap. II. *De Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia.*

Cap. III. *De Pœnitentia, Extrema vnctione, Ordine, Matrimonio.*

Hæreſes, contra hanc tertiam Theol. *partem.*

THEO-

THEOLOGIÆ SPECVLATIVÆ PARS PRIMA.

DE DEO VNO, ET TRINO, ET ANGELIS.

CAPVT I.

[D]e Exiſtentia Dei, Attributis, Viſione, Lumine gloriæ, & Scientia.

§. I.

Demonſtratio Dei, eiuſque Vnitas, & Attributa.

OMnia quæ pertinent ad demonſtrandam Dei exiſtentiam, ad credendi neceſſitatem, & fundamenta, ad Attributa diuina præcipua &c. tradita ſunt fusè ſuprà in Tom. I. Part. I. Tract. I. à pag. 1. *Quæ in hac Theologiæ parte reliqua [su]nt, hìc cum ſuis fundamentis breuiter, ac lucidè ſuppeditantur.*

Dei Vnitas demonſtratur. I. Quia Deus eſt [e]ns ſummè bonum, ſiue, quo nullum melius [e]ſſe poteſt. Atqui melius eſſe poteſt. Atqui [m]elius eſt præſtare omnibus, quàm parem [a]dmittere: Ergo admiſſa Deorum pluralita[t]e hæc præſtantia nulli Deo conueniet: Ergo [q]ui ſupponit plures eſſe Deos, ſupponit pari[t]er nullum eſſe.

II. Illuſtrius demonſtratur Dei vnitas hoc [m]odo: Statuamus duos eſſe Deos, competet [v]trique ſupremus rerum principatus, erit [v]terque in agendo, perfectè liber, erit vterque omnipotens, hæc enim diuinæ perfectioni neceſſariò conueniunt: Atqui ſuppoſita pluralitate Deorum, neuter erit perfectè liber, aut omnipotens: quia vnus non poſſet independenter ab altero efficaciter velle eſſe illud, quod alter pro eodem inſtanti efficaciter vellet non eſſe: Alioquin poſſet v. g. mundus vno volente exiſtere, & altero nolente ſimul non exiſtere, quod apertè repugnat.

Ergo & illa repugnat plurium Deorum *Theomachia*, ſiue voluntatum diſcordia, vnde illa contradictio conſequitur.

Hinc obiter ſit morale documentum; quàm neceſſaria ſit, & nobis vnitas, & concordia vt ſimus *Dei formes*.

Dices I. poſſe ſubeſſe cauſam cur illi plures Dij malint eſſe prorſus per omnia concordes. Reſpondeo, per hoc nullum dari effugio locum: vel enim naſcetur illa voluntatum concordia ex pacto libero, vel ex neceſſitate naturæ: ſi primùm, poterat vterque in contractum illum non conſentire, aliàs, contra hypotheſim, liber non foret: ſi ex neceſſitate naturę, multo euidentiùs patet diuinam libertatem exterminarij.

Dices II. In Deo reperitur pluralitas perſonarum: ergo etiam diuinæ naturæ multiplicitas. Reſpondeo, negando conſequentiam: Quia etſi pluralitas perſonarum realiter ab inuicem diſtinctarum admittit debeat in perfectionibus *Relatiuis*, quales ſunt tres Perſonæ, in quibus neceſſario inuenitur oppoſitio

producentis ad productum, participantem eandem cum producente voluntatem, & naturam, ratione cuius tam producens, quàm productus debet eſſe ens à ſe: diſpar tamen ratio eſt in perfectionibus *Abſolutis*, quales eſſent plures Naturæ diuinæ, cum inter illas eſſe nequeat iſtiuſmodi oppoſitio, quæ diſtinctionem realem fundare poſſit. Adde, quod argumentum illud à pluralitate perſonarum, æquè probaret poſſe dari plura indiuidua Deitatis quorum vnum eſſet productum, & alterum improductum; hoc ipſo illud productum non eſſet Deus, quia non eſſet ens à ſe, ſed ab alio producente.

Hæc demonſtratio aperte conuincit erroris plurimos etiam Philoſophos naturales qui Politheiſmum admiſerunt, & militat contra *Occamum*, *Baſſolum*, *alioſque*, qui, contra communem ſententiam docuerunt Dei vnitatem non poſſe demonſtrari.

Attributa diuina, ſunt perfectiones quæ non ſunt de primo conceptu Dei, ſed quaſi illius proprietates. Talia attributa ſunt, Immenſitas, Simplicitas, Infinitudo, Æternitas, Immutabilitas, Potentia, Sapientia, Prouidentia falli neſcia, &c.

Immenſitas Dei, eſt diffuſio, ſiue expanſio intimæ Dei præſentiæ ad omnia ſpatia poſſibilia, ac imprimis ad omnem creaturam actu exiſtentem: quod intelligendum eſt non tantum ſecundum operationem à Deo ipſis inditam, & communicatam (vti perperam reſtrinxit *Vorſtius* in Hollandia hæreticus) ſed etiam ſecundum ipſam Dei ſubſtantiam cuiuis creaturæ, etiam minimæ, vbique inexiſtentem. Quod probatur ex illo Ieremiæ cap. 3. *Numquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus*. Idemque ratio demonſtrat. Cum enim Deus ſit prefectionis infinitæ adeòque illimitatæ, non poteſt in extenſione ad locum quemlibet limites recipere.

Neque dicas, poſſe de loco in locum omnem ſucceſſiuè ſe extendere. Hoc enim eſſet Deum vagum, & mutabilem conſtituere.

Quæritur, An diuina vbicatio, ſiue præſentia, porrigatur extra hunc mundum, & cœlos, & *vniuerſam* rerum conditarum compagem? Hoc ſalua fide *Vaſquez*, & varij negant, quia videtur dedecere Deum eſſe in ſpatio imaginario, nihilo &c.

Sed nos cum *Suarez*, *Leſſio*, & pluribus, vt multò probabilius affirmamus; & aſſerimus Deum vi ſuæ immenſitatis etiam extra cœlos in infinitum protendi, quamuis non per vbicationem extrinſecam ad aliquem locum, cum ibi nullus actu ſit locus, ſed per vbicationem ſibi merè intrinſecam. Probari id ſatis videtur ex Scripturis *Iobi* II. Excelſior cœlo eſt, quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? Et 3. *Reg. cap.* 8. Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt &c. Subſcribunt perſpicuè Patres illi qui cum S. Anthanaſio, & S Auguſtin. aiunt Deum *eſſe vbique, & extra omnia*, & vt loquitur Damaſcen. *de fide*, *cap* 16. *Deum eſſe totum in omnibus, & totum ſuper omnia*.

Idem ratione confirmatur: Si Deus extra hunc, alium mundum conderet, deberet certè illi nouo mundo præſens eſſe, idque ita per nouam ſui mutationem, ſiue per translationem ad ſpatium in quo antea non fuit, quod diuinæ immutabilitati repugnat.

Neque cum *Carteſio* admittimus, extra hoc vniuerſum ſpatia realia indefinitè extenſa, in quo ille idæis ſuis non ſat claris nimium confidit; *Reflecte*, hæc in omnibus etiam minimis diuina vbiquitas, quanto debeat eſſe pijs, ac probis ſolatio, improbis terrori.

Æternitas Dei, eſt duratio carens principio fine, & omni ſucceſſione. Siue vt *Boet. l. 5. de conſol. Phil. proſa* 6. Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Hanc Deo attribuit paſſim Scriptura, vt *Pſal.* 101. Tu autem in æternum permanes, &c. Conſonat cum alijs PP. S. Aug *lib.* 2 *Conf.* c. 13. Præcedis, Domine, omnia tempora præterita celſitudine ſemper præſentis æternitatis & futura &c. Ratio etiam demonſtrat. Quia cum admittatur in Deo potentia entia producendi omni tempore poſſibili, ita & exiſtēdi duratio interminabilis cum producere non poſſit niſi exiſtens. De alijs Dei Attributis infra in fine huius §. indicab.

De diſtinctione Attributorum diuinorum dicendum, Attributa diuina non diſtingui ab eſſentia, aut inter ſe phyſicè, aut modaliter neque diſtinctione illa formali ex natura rei, quam Scotiſticam aliquis vocant: Sufficit inter illa Attributa ſola diſtinctio rationis ratiocinatæ.

Prima Pars aſſertionis, de fide colligitur eſſe ex Concilio Lateranenſi cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate, vbi definitur quod in Deo ſint tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino. Atqui non ſubſiſteret illa ſimplicitas ſi Attributa illa diſtinguerentur ab eſſentia, aut inter ſe phyſicè, aut modaliter, quæ important rem vnam ab altera diuerſam.

Secunda Pars ſatis deducitur ex Concilio Rhemenſi contra *Gilbertum* definiente, quod in Deo non ſit ratio aliqua quæ inter natu-

ram,

ram, & perſonas diuidat. Vnde à fortiori ſequitur, idem dicendum eſſe de Attributis.

Ex his Pars tertia ſequitur, Sufficere ſcil. ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatę; quæ conſiſtit in diuerſis conceptibus rem eandem ſimplicem diuerſo modo repræſentantibus cum fundamento in re, ſcil. ob perfectiones ſummas ac varias diuinę naturę quamtumuis ſimpliciſſimæ competentes. Ita communius Theologi, quia maior diſtinctio non requiritur, nec in ente ſimpliciſſimo admitti poteſt: & per illam diuerſitas Attributorum diuinorum facilè explicatur.

Fundatur hæc diſtinctio, primò in eminentiſſima perfectione diuinæ entitatis realiter ſimplicis, ſed virtualiter multiplicis. 2. In limitatione noſtri intellectus non valentis vno actu adæquate repræſentare totam diuinæ eſſentiæ prefectionem. 3. In medio quo diuina cognoſcimus, ſcilicet, per annalogiam ſiue ſimilitudinem ad perfectiones variarum creaturarum, à quibus ſpecies haurimus quibus ad diuinas perfectiones ſiue Attributa repræſentanda connitimur.

Dices, Per illam diſtinctionem Rationis nequeunt ſaluari contradictoria quæ de diuerſis Attributis affirmantur, & negantur, vt in his aliiſque Propoſitionibus: *Iuſtitia* Dei punit, Miſericordia Dei non punit, Ergo debet admitti alia, ſaltem ex natura rei, in Deo ante conceptum.

Reſp. neg. ant. Sufficit enim ad illa ſaluanda diuerſitas conceptuum, quibus res in ſe indiuiſibiliter eadem, diuerſimodè, ſiue cum diuerſis connotatis repræſentatur: atque ita in prædictis, *punit*, *& non punit*, prædicantur quidem de eodem, ſed non de eodem adæquatè; quia Iuſtitia formaliter qua talis, eſt entitas Dei vt repræſentata conceptu iuſtitiæ, præſcindendo à miſericordia: & vt connotat actus putendi quos iuſtitia, ſiue, Deus vt iuſtus cauſat. Miſericordia verò, eſt eadem Dei entitas vt repræſentata conceptu miſericordiæ, præſcindendo à iuſtitia, & vt connotans actus miſerendi: ac proinde ratione illius conceptus, & connotati quod importat, dicitur iuſtitia punire, non autem miſericordia, quæ alium conceptum, & ordinem ad alios actus miſerendi tamquam ad ſua connotata inuoluit. Quo modo in hoc genere & alia in ſpeciem contradictoria ſaluantur, plura exponuntur infra *de Trinitate*, & de *Communicatione idiomatum* infra in materia *de Incarnatione*.

Quomodo autem ex Ente à ſe *profluant alia Dei Attributa, vti ſumma, & illimitata perfectio, Sapientia, Omnipotentia, Bonitas, & inde Veracitas in reuelandis myſterijs fidei, traditur in huius Operis* Tomo I. Cap. I. art. 3. pag. 15.

Errores varij Caluiniſtarum in Hollandia &c. circa varia Dei Attributa, refutantur ſupra *Part.* III. *pag.* 88.

§. II.

De Viſione Dei, eiuſque principio, & obiecto.

De fide eſt, *Viſionem Dei claram* communicabilem eſſe, & de facto communicari intellectui creato Angelico, & Humano. Eſt contra *Armenos*, & quoſdam *Græcos* docentes Deum non videri immediatè in ſe, ſed in quadam ſimilitudine, ſiue luce, quam vocant, Theophaniam. Quod damnat Concilium *Viennenſe*, & *Florentinum Seſſ. vltima*, definiens, animas diſcendentes an gratia, & plenè purgantes intueri ipſum Deum vnum, & trinum ſicut in ſe eſt.

Opponunt igitur male, non eſſe proportionem inter Deum, & intellectum creatum. Quod vt verum ſit in ratione entis increati, eſt tamen proportio in ratione potentiæ cognitiuæ, & obiecti cognoſcibilis: cum conſtet intellectum noſtrum habere vim naturalem ad cognitionem Dei abſtractiuam, & per Deum eleuabilem ad intuitiuam illius cognitionem, quamuis ea ſit ſupra vires naturæ per ſe ſumptæ.

Videri non poteſt Deus, per ſimilitudinem obiectiuam, ſiue, per medium quod priùs cognitum ducat in cognitionem Dei.

Ita D. Thomas *hic q.* 12. *art.* 2. Quia tale medium non poteſt repræſentare obiectum vt in ſe eſt ſecundùm perfectionem quam de eo repræſentat: vti patet in imagine Cæſaris, ipſius quantitatem, calorem, & figuram repræſentante, vt in Cæſare exiſtunt: nulla autem ſimilitudo poteſt continere Dei eſſentiam & perfectionem prout in ſe exiſtit.

De facto videtur Deus per ſimilitudinem formalem, id eſt, per ſpeciem *Expreſſam*, quæ eſt qualitas, ſiue conceptus vitalis ſuum obiectum formaliter pepræſentans, & dici ſolet, Verbum mentis.

Ita *Suarez*, *Vaſquez*, *cum D. Bonauentura*, *Durando*, *Ricardo*, *Peſantio* &c. Contra *Caietanum*, *Banez*, *Syluium*, *&* P. *Amicum*, *ac pleroſque Thomiſtas*, qui docent operationem mentis, in qua conſiſtit viſio, non habere terminũ à ſe productum, qui ſit verbũ mentis, ſed *immediate* ſine illo ad diuinam eſſentiam terminari.

Sed

Sed his contrarium patet ex S. Auguſtino lib. 14. de Trinitate cap. 17. *In hac quippe imagine* (ſcilicet anima) *tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando perfecta erit viſio* Et ex S. Damaſceno lib. 1. de Fide ca 18. Et ex S. Anſelmo in Monologio cap. 31. Ac denique ex S. Thoma hic quæſt. 27. art. 1. *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, & dicitur verbum cordis ſignificatum verbo oris.*

Hinc apud *Faſolum* fatetur Capreolus Ferrarienſis, & Sotus Thomiſtæ, hanc ſcententiam noſtram etiam in Doctrina D. Thomæ poſſe ſuſtineri.

Dices, ſequitur inde, Beatos non videre Deum *immediate*, ſed mediante illa ſpecie expreſſa, ſiue ſimilitudine Dei Formali conſiſtente in conceptu Dei ab intellectu in ſe expreſſo.

Reſp. neg. ſequelam. Quia ſpecies illa expreſſa non eſt medium, *in quo* Deus ab intellectu videtur, ſed tantùm ratio formalis *qua* videtur: ac proindè inter intellectum videntem, & Deum viſum nihil omninò mediat quod per modum obiecti priùs cogniti ad Dei cognitionem perducat, neque debet intellectus ſuam de Deo cognitionem reflexè cognoſcere.

Neque contra hanc aſſertionem noſtram vim habet argumentum ab actu intelligendi *in diuinis*, ad actum intelligendi *increatu*: Diſparitas enim magna eſt, quod intelligere in creatis ſit aliquid accidẽtale diſtinctum ab intelligente, ſiue, quod poſſint ab illo abeſſe, non ita in intellectione diuina, cui nulla de nouo poteſt perfectio accedere.

Poſſet abſolute Deus videri per ſpeciem *Impreſſam*, id eſt, per qualitatem quæ ſit repræſentatiua Dei in actu primo, & virtus vicaria obiecti, illa quidem non indigentis, ſed ad ſui viſionem exibendam ea liberè vtentis. Ita docet *Suarez*, *Valentia*, *Ariaga*, *Vekenus*, Contra noſtrum *Tanuerum*, *Granadum*, *Amicum*, *Recupitum*, *cum Caietano*, *Banez*, *aliiſque Thomiſtis*.

Et probatur: Quia talis ſpecies nullam arguit in Deo imperfectionem, ſed potiùs amplitudinem perfectionis.

Quod nempe cauſa libera per aliquid ſui vicarium poſſit efficere, quod æquè, vel etiam naturalius per ſe præſtare poſſit. Sic Deus poſſit reddi extrinſecè Creatiuus, per aliquam creaturam ab eo eleuabilem ad creandum.

Nec obſtat quod opponunt talem ſpeciem fore Deo ſimilem. Reſpondetur enim, non fore Deo ſimilem entitatiuè, ſed ſolùm repræſentatiuè, in quo non apparet repugnantia.

De facto tamen Deus à Beatis non videtur per talem ſpeciem impreſſam. Ita *Caietanus*, *& Suarez* cum communi, Contra *Guil. Pariſienſem*, *& Aegydium Luſitanum*. Quia de facto nullo modo eſt neceſſaria ad Dei viſionem, cum ab intelectu eleuato poſſit per ſe videri: ſicut in Angelo ad ſui viſionem talis ſpecies non requiritur.

Quod *obijcitur* de Improportione intelligibilitatis intellectus creati, non vrget, quia ea improportio tollitur per eleuationem intellectus ad Dei viſionem, lumine ſcilicet gloriæ illuſtrati.

Viſionem Dei effici in beato per ipſam viſionem diuinam, qua Deus ſe videt, intellectui creato vnitam, aut communicatam (vti docet P. *Bona Spei*: vir doctus Ordinis Carmelitarum) repugnare videtur communi Doctorum ſententiæ, & rationi actus vitalis, qui debet ab intrinſeco procedere, Alioqui poſſit ex eadem ratione Lapis videre Deum, viſione ſcilicet diuina ipſi cummunicata, quod ſuſtineri nequit.

Oculo corporeo repugnat Deum videre. Id affirmat *Suarez* eſſe fidei proximum, & hodiè omnium ferè Catholicorum ſententiam: pro qua adducuntur ab eo alijſque Patrum ſententiæ. Ratio fauet. Quia viſus non poteſt eleuari vt tendat vitaliter vltra ſuum obiectum, quod eſt lumen, & color: non magis quam guſtus Deum guſtare: nam non minùs eſt viſus reſtrictus ad colorem, quam guſtus ad ſaporem. Scripturæ quæ apparent contrariæ agunt de viſione Dei incarnati; nempè Chriſti, vel de experientia quaſi intuitiua, quam de diuina prouidentia in creaturis ſpectamus.

In hac vita mortali nemo hactenus intuitiuè vidit Deum; nec videre poteſt ex lege Dei ordinaria. Prima ſaltem pars eſt communis contra varios Thomiſtas. Probatur præcipuè ex Scripturis Ioannis 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit.* Et ad Timotheum 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Quod videtur etiam ſecundum aſſertionis partem ſatis probare, cum dicat Apoſtulus Deum in hac vita videri non poſſe.

Quæ verò opponuntur de S. Paulo, 2. ad Corinth. 12. *Raptus eſt ad Paradiſum vbi audiuit arcana verba.* Et de Moyſe Exodi 33. *Ego oſten-*

oſtendam omne bonum tibi. Reſpondeo, tantùm ibi ſignificati, illos eximiam myſteriorum diuinorum accepiſſe reuelationem, quæ verbis humanis explicari non poſſit, non verò habuiſſe ipſam immediatam naturæ diuinæ viſionem. Alias quomodo exponens allata ipſius Apoſtoli Pauli verba; quem nullus hominum vidit, ſed nec videre *poteſt*, quod tantum de ſtatu præſentis vitæ intelligi poteſt.

Quæritur, An priuilegium viſionis diuinæ in hac vita habuerit ſaltem Virgo Deipara? Reſp. 1. id incertum eſſe. Reſp. 2. Si viſio tallis vlli vmquam puræ creaturæ conceſſa ſit, non dubitandum Dei matri ſaltem aliquando communicatam: vti nos piè ratiocinari docet Doctor Angelicus 3. *Part. Quæſt.* 26. *art.* 1. Rationabiliter, inquit, creditur vt illa quæ genuit vnigenitum à Patre, præ omnibus alijs maiora Priuilegia acceperit gratiæ.

§. III.

De Lumine Gloriæ, & Viſionis Dei ſupernaturalitate, inæqualitate, & viſione creaturarum in Verbò diuino.

Neceſſarium eſt Lumen gloriæ ad videndum Deum. Eſt de fide ex Concilio Viennenſi, Scripturis, & Partibus. Ratio etiam eſt, improportio intellectus creati ad viſionem tam perfectam entis increati per ſe eliciendam.

Quoad *entitatem Luminis gloriæ*, multo probabilius eſt illud non eſſe aliquod auxilium tranſiens, ſed habitualiter permanens, & intellectui inhærens. Suadet hoc ipſa conditio viſionis beatificæ, quæ cum ſit ſtabilis ac perpetuò duratura, magis conuenit ſtabile eſſe principium quod ad illius durationem ordinatur.

Intellectus etiam *immediatè* cum lumine gloriæ attingit viſionem Dei. Quia cum viſio intellectualis ſit actus vitalis, debet procedere à principio intrinſeco, & connaturali; vti actus fidei, ſpei, charitatis procedunt immediatè à potentijs habitu ſupernaturali eleuatis. Ita *Suarez*, *Vaſquez*, *Molina*, Contra *Sotum*, *Bannez*, & plures Thomiſtas.

Viſio diuinæ eſſentiæ non poteſt eſſe *connaturalis* vlli ſubſtantiæ creatæ. Eſt communiſſima cum *D. Thomæ*, *Scoto*, *Suarez*, *& recentioribus*: oppoſita tamen ſententia non eſt temeraria, nec caret aliqua probabilitate, & in eam inclinat *Ioan. Maior*, *Ariaga hic Diſp.* 5. *Sect.* 7. *Ripalda de ente ſupern. lib.* 1. *Diſput.* 3. *Sect.* 3.

Ratio eſt I. quod nulli creaturæ etiam poſſibili conuenire poſſit modus eſſendi actus puri, Deo proprius; adeoque nec modus cognoſcendi connaturaliter viſiuus eſſentiæ diuinæ ſoli Deo proprius.

II. Quia ex S. Auguſtino alijſque Patribus repugnat creatura naturaliter impeccabilis, ſancta, beata, qualis eſſet naturaliter videns Deum.

III. Quia viſio Dei eſt ſimpliciter ſupernaturalis: ergo non poteſt ab vlla ſubſtantia creata connaturaliter elici.

Dices, Poſſit abſolutè dari aliquis intellectus creatus qui ſua perfectione adæquaret ſimul perfectionem noſtri intellectus, & luminis gloriæ. Ergo talis connaturaliter videret Deum.

Reſp. neg. ant. ſcil. qui poſſit per ſolam ſuam eſſentiam illis æquiualere; ſicut nequit dari creatura quæ æquiualeat effectui formali albedinis, per ſe conſtituens album: cauſa enim formalis ſuppleri non poteſt, aliàs poſſet eſſe creatura cognoſcens per ſolam ſuam eſſentiam, quod admitti nequit.

Beati *inæqualiter* vident Deum. Eſt de fide ex Scripturis, CC. & PP. Nec contrarium colligitur ex eo quod dicit Chriſtus in parabola de operarijs, recipientibus mercedem æqualem, ſed ſolum vult, ſubinde feruorem charitatis compenſare maiorem diuturnitatem operis.

Intellectus perfectior cum æquali lumine non cauſat viſionem Dei formaliter perfectiorem: Quia vis intellectus creati non proportionatur viſioni Dei, niſi præciſè in quantum ſubeſt eleuationi.

Alioqui contra Tridentinum, vis naturæ per ſe poſſet aliquid in ordine ad ſalutem, nempè aliquod incrementum Fidei, Spei &c. quod repugnare videtur Florentino de Purgat. definienti, perfectionem viſionis eſſe ex meritis. Ita cum D. Thoma *Sotus*, *Suarez*, *Vaſquez*, *Valentia*, Contra *Scotum cum ſuis Durandum*, *Leſſium alioſque*.

Dices, Poteſt oculus corporeus perfectior, cum æquali lumine, obiectum ſuum perfectius repræſentare, quam poſſit oculus imperfectior: Ergo etiam intellectus perfectior, cum æquali lumine gloriæ, poterit Deum Perfectius intueri.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quod oculus perfectior habeat maiorem virtutem pro-

Proportionatam, & eiuſdem ordinis ſcil. naturalis cum viſione producenda: ſecus eſt in intellectu perfectiori in ordine ad viſionem diuinam quæ eſt alterius ordinis, ſcilicet ſupernaturalis.

Viſio Dei *Comprehenſiua* eſt, quę adæquatur extenſiuè, & intenſiuè eius intelligibilitati intrinſecæ, ſic vt nihil eius lateat videntē, inquit Auguſtinus cui conſentit *S. Thomas*, cum alijs PP. Et patet exemplo comprehenſionis corporalis: verb. gratia qua aliquid comprhenditur manu, ſic vt nihil illius ſit quod intra manum non contineatur.

Deus non poteſt *Comprehendi ab intellectu creato*, etiam de potentia abſoluta. Eſt definitum à Conſilio *Lateranenſi* traditum à PP. *Auguſtino*, *Beda*, &c. Quia cognitio creaturæ non poteſt adæquari diuinæ cognioſcibilitati, niſi adæquetur diuinæ cognitioni, quod repugnat.

Poteſt videri Eſſentia ſine perſonis intuitiuè cognitis non tamen ſine illis abſtractiuè cognitis, ſi repreſentetur vt illas exigens. Nam, & vnio hypoſtatica de facto terminatur ad perſonalitatem Verbi, & non ad eſſentiam, ergo ſic poſt etiam Viſio. Quod magis probatur ex admiſſa in diuinis, cum Thomiſtis, & pluribus, diſtinctione virtuali.

Similirer videri poteſt *vna perſona*, alia non viſa etiam directè oppoſita, ſed ſolum abſtractiuè cognita. Quod ex ratione iam aſſignata deduci poteſt.

Beati de facto vident Deum trinum, eiuſque attributa ſtrictè dicta. Eſt de fide ex Concilio *Florentino*, & *Script.* Hoc enim eſt connaturale Viſioni beatificæ claræ, quam beati de facto habent.

Non tamen vident omnia *Attributa* latè; vt ſunt ſpeciales habitudines diuinæ omnipotentiæ aut ſcientiæ ad quæuis poſſibilia in particulari. Cum Beatorum viſio non ſit comprehenſiua, ſed inadæquata, & aliquo modo præciſiua.

Beati Vident in Verbo *Poſſibilia* ſecundum eſſe proprium. Eſt *S. Thomas* ex *S. Dionyſio*, & *S. Auguſtino*, qui dicit creaturas cognoſci in Verbo cognitione matutina, id eſt, Clara, & in ſe ipſis cognitione veſpertina, id eſt, minus clara, contra Occamum, Vaſq. &c.

Et ratio eſt, quia Dei *potentia* dicit habitudinem tranſcendentalem ad omnes creaturas poſſibiles: adeoque diuina *potentia* eſt eſſentialiter connexa cum poſſibilius in particulari, & ideo eſt *medium* (vti idea, & ſcientia Dei) in quo, ratione iſtius connexionis videntur, ſicut videntur facienda in mente Artificis.

Deus poteſt videri *inadæquatè* abſque vllis *creaturis*: de facto tamen non videtur ſine illis. Beati enim vident Attributa cum creaturis connexa, eaque ſatis penetrant ad percipienda in ijs quædam etiam merè poſſibilia in particulari.

Determinatio viſionis ad repræſentationem horum poſſibilium, potius quam aliorum, eſt vel à lumine gloriæ, ab eſſentia vt ſpecie, vel à concurſu Dei particulari.

Cognitio *omnium poſſibilium* in Deo eſſet *infinita* categorematicè, licet ipſa ſolum ſint infinita ſyncategromaticè. Quia contineret virtutem eorum repræſentatiuam totam ſimul, & ſine termino: ideoque crẹaturæ non poteſt competere, præſertim in ſententia negante poſſibile eſſe infinitum actu, quæ eſt oommunior.

Creaturæ *vt exiſtentes* non poſſunt videri *formaliter* in Verbo. Quia Verbum cum earum exiſtentia nullam habet connexionem neceſſariam, vti nec decreta Dei libera extrinſecè completa, ſecundum id quod dicunt Deo intrinſecum. Nihil enim Deo intrinſecum poteſt eſſe neceſſariò connexum cum contingente, adeoque nec mouere intellectum, ẹtiam diuinum, ad eius cognitionem. Ita *Occamus Durandus*, *Recupitus*, *Vekenus*, Contra *Thomiſtas*, *& aliquos Scotiſtas*, *Suarem*, *Granadum*, *&c.*

Dices, S. Auguſtinus & S. Bernardus aiunt, *Angelos videre in Verbo facta per Verbum*: Ergo creaturæ vt exiſtentes poſſunt &c.

Reſp. intelligendos eſſe de viſione in Verbo *cauſaliter*, iuxta aſſert. ſeq.

Creaturæ *vt exiſtentes* videntur in verbo *Cauſaliter*. Hoc ſolum volunt *Auguſtinus* alijque Pp. Dei eſſentiam appellantes, ſpeculum voluntarium, hoc eſt, Beatis repræſentas, quæ vult ſiue exiſtentiæ, ſiue poſſibilia.

Beati vident in verbo cauſaliter 1. *myſteria fidei* 2. res *naturales*, vt cœlum, elementa &c. 3. omnia ad ipſos *ſpecialiter pertinentia*, vt preces ad eos fuſas. Horum enim notitia, eſt ipſas connaturaliter debita, tam, quam complementum perfectè beatitudinis.

Habetur autem hæc notitia partim per viſionem, partim per ſcientiam infuſam. Se extendit etiam ad aliqua *futura contingentia*, quorum reſpectu eſt intuitiua latè; non tamen

men ad diem *Iudicij*, Quia, teſte Chriſto *Matthæi* 24. *De die illa nemo ſcit*. Dixi intuitiua latè, hoc eſt, prout in ſe futura ſunt pro certa temporis differentia, non verò prout intuitio dicit præſentem obiecti coexiſtentiam.

Quæres inſuper 1. An repugnet lumen gloriæ in intellectus ab aliqua creatura produci?

Reſp. Repugnare, quia alioquin producens lumen illud virtute in ſua eſſentia contineret, ſicut cauſa effectum, eſſetque illo lumine ſupernaturali longe perfectior, quod admitti nequit.

Quæres ergo 2. An viſio beatifica dici poſſit aut debeat eſſe infinita?

Reſp. neg. quia repugnat creatura categorematicè infinita, ex ſententia communi: tantùm igitur poſſit viſio illa dici infinita quoad durationem.

Quæres 3. An Deus, etiam in creaturis, diſtinctè & clare à Beatis videatur?

Reſp. non poſſe ſic videri, niſi quatenus Deus continet perfectionem iſtius creaturæ, ſub hac enim tantummodò creatura Deum reſpicit, & eſſentialem cum illo habet connexionem.

Quæres 4. An naturalibus viribus ac meritis ad viſionem ſaltem aliquam Dei peruenire poſſit?

Reſp. neg. quia medij naturalis ad finem illum ſupernaturalem nulla eſt proportio, quod contendebat hæreſis Pelagij.

§. IV.

De ſcientia Dei Varia, eiuſque obiecto, effectu, idæa.

DE varia in Deo ſcientia, ac Præſcientia futurorum: De ſcientia ſimplicis intelligentiæ, viſionis, ac ſingulatiter de ſcientia Media &c. traditur ſupra in Tomo I. Parte II. Controuerſia 1. pag. 258. vſque ad pag. 270. & de Prędeterminatione Phyſica, ibidem. Reſtant pauca hic annectenda.

Scientia Dei alia eſt viſionis, alia ſimplicis intelligentiæ: hæc eſt rerum vt poſſibilium, illa vt exiſtentium in quauis temporis differentia, pręterita, præſenti, aut futura.

Scientia Dei neceſſaria eſt de obiecto neceſſario, libera de contingenti, *practica* eſt operabilium, ſpeculatiua pure ſcibilum, ſiue quæ poſſint ſciri, ſiſtendo in ſola eorum contemplatione.

Cognoſcit Deus creaturas vt exiſtentes cognitione propria ad illas immediatè, & formaliter terminata. Quia vt ſic habent intelligibilitatem Propriam, vti & eſſe proprium, ſecundum quod terminant Dei actionem, & complacentiam.

Deus etiam cognoſcit creaturas vt poſſibiles immediatè ſecundum eſſe proprium, *quod haberent*, ſi producerentur. Quia, & illa habent ſuam eſſentiam, & entitatem produci poſſibilem, adeòque à Deo cognoſcibilem.

Deus cognoſcit *poſſibilia* in ſe ipſe, & in ſe ipſis: exiſtentia verò ſolum in re ipſis cognoſcit. Scientia illius circa illa non eſt formaliter, aut virtualiter *diſcurſiua*, ex noto ignotum deducendo: Quia hoc aliquid inuoluit minoris perfectionis intellectiuæ, quam ſit res in ſe ipſis, ſine diſcurſu, immediatè cognoſcere.

Simplex intelligentia, eſt cauſa rerum, non viſio. Ita Authores Societatis contra pleroſque Thomiſtas, volentes viſionem ſub ratione imperij eſſe cauſam rerum proximam. Sed contra illam doctrinam ſtant PP. Auguſt. Hier. Damaſc. & Iuſtinus, docentes præſcientiam futurorum, non eſſe eorum, cauſam, ſed contra. Quia alioqui noceret libertati, eſſet enim aliquid antecedens neceſſariò connexum cum exiſtentia futurorum.

Deus futura contingentia cognoſcit infallibiliter non in eſſentia, & idea eſt communis. Quis hæc nullam habeat connexionem cum eorum futuritione, cum ſtante Dei eſſentia, & idæa poſſunt illa nunquam exiſtere. Illa autem infallibiliter cognoſcit in *decreto incurrendi* in actu primo, ſuppoſita præuiſione conditionata determinationis creaturæ ex hypotheſi iſtius concurſus. De hoc in Operis huius *Tom. I. loco ſupra citato de ſcient. media pag*. 270.

Deus non videt futura contingentia, in ſuis cauſis, etiam ſuper comprehenſis; vtpote ad illa indifferentibus, ſic vt poſſit exiſtere, & cognoſci cauſa ſufficiens, ſic vt numquam exiſtat effectus liber, & poſſibilis.

Futura contingentia non videntur in reali coexiſtentia in æternitate. Cum enim non exiſtant ab æterno, non poſſunt Deo ab æterno coexiſtere. Illa quidem coexiſtunt æternitati toti realiter, ſed non toti virtualiter, adeòque ei non coexiſtunt omni tempore, ſicut res quæ hic eſt præſens Dei immenſitatis, non eſt ei vbique pręſens.

Intellectio Diuina eſt *inſtar Oculi* ſemper aperti reſpectu omnium cognoſcibilium, quorum eſt præſcientia, ſcientia, & memoria,

co-

cognoſcens per idem ex parte ſua, ſed per ordinem ad diuerſa tempora, præterita, præſentia, aut futura.

Præſentia abſoluta Deì non nocet *libertati creaturæ*. Cum ex mente PP. ſit natuta poſterior determinatione creaturæ, nec tam ſit præſentia futurorum, quam ſcientia præſentium in qualibet temporis differentia. Hinc non eſt abſolutè neceſſaria, ſed indirectè ad libertatem creaturæ, quæ nunc poteſt facere, vt ab æterno non fuerit præſcientia de ſuo actu libero: Sicut iam poteſt facere vt nullus eam videat agentem id quod nunc agere poſſit, ſi nempe illud non agat. Hinc errauit *Cicero* dum Deo negauit futurorum præſentiam, vt ſcilicet homini ſeruaret libertatem.

Deus cognoſcit *determinatè* veritatem aut falſitatem propoſitionum de futuro contingenti abſoluto, vt Antichriſtum peccatorum: cum veritas illa perfectiſſimæ Dei intelligentiæ coexiſtat. Non tamen antecedenter ad omne Dei Decretum prębendi ſuum concurſum; cum pro eo ſigno earum propoſitionum obiectum ſit indifferens vt actu ſit, vel non ſit.

Deus certam habet Scientiam contingentium conditionatè futurorum: non (vt olim voluerunt quidam Thomiſtæ) probabilem tantum, probabilitate ſcil. tenente ſe ex parte ſolius obiecti, non etiam ex parte actus Diuini, cùi repugnat alicuius incertitudinis ìmperfectio. Deus namque 2. *Reg*. 23. de Ceilitis, & *Matth*. 11. de Thyrijs eiuſmodi conditionata reuelauit vt infalibiliter futura. Cum enim Deus eſſentialiter cognoſcat omne cognoſcibile, iſtiuſmodi conditionata habeant cognoſcibilitatem obiectiuam, non poteſt iuxta S. Auguſt. Deo negari eorum cognitio ſine diuinitatis iniuria.

Hæc ſcientia non fundatur in *Dei decreto*, nec vllum præſupponit niſi conditionatum ex parte actus, quo cauſa ſupponitur in actu primo completa; ita cum Schola Societatis alij pluſquam ducenti apud Henao in ſcientia media hiſtoricè propugnata. Nam Scientia conditionalium fundatur in conditionata futurorum exiſtentia, & eius infallibilitas in infinita perfectione intelligendi ipſi eſſentiali.

Dices, Nullam ſic datur determinatiuum infalibilitatis iſtius Scientiæ.

Reſp. Fruſtra hic quęri determinatiuum infallibilitatis extrinſecum, cum ex ſuis intrinſecis eam habeat intellectio diuina quæ eſſentialiter veritati eſt conformis.

Scientia etiam *conditionata* in Deo non officit libertati creaturæ. Cum enim ſit poſterior eius determinatione in ſtatu conditionato, eſt in eius poteſtate, vt fuerit, vel non fuerit. Vti deducimus loco ſupra citato de Scientia Media.

Scientia Dei eſt *inuariabilis*: potuit tamen, vt eſt viſio, plura cognoſcere intuitiuè, quam de facto cognoſcat. Si nempe Deus plura actu produceret quàm produxit, aut producturus eſt: cum viſio tantum verſetur circa res actu exiſtentes in aliqua temporis differentia.

Dices, Quomodo ergo Deus eſt *immutabilis*, cum poſſit habere ſcientiam viſionis, quam actu non habet, circa creaturas quæ actus nunquam exiſtent, poſſint tamen nunc actu exiſtere, & Deus circa illas nuuc habere ſcientiam viſionis, ſiue intuitam, quæ de ſolis aliquando exiſtentibus, non de merè poſſibilibus, habetur.

Reſp. Dum eſſe *immutabilem*, hoc ſenſu, quod Deo nullam poſſit accedere prædicatum, actu perfectio, aut accidens intrinſecum: non autem quod non poſſit illi accedere aliqua Relatio *extrinſeca*. Hæc autem ſcientia viſionis vt talis conſtituitur per relationem extrinſecam creaturæ vt coexiſtentis cognitioni Dei, quam de illa habet: hæc autem relatio extrinſeca nullam inducit veram mutationem. Sicut relatio vnius albi ad aliud album mutari poteſt per ſecundi albi deſtructionem, ſine vlla prioris mutatione intrinſeca, ſed ſola deſitione, vel acceſſione termini extrinſeci.

Et notandum, per hanc diſtinctionem circa Deum, eiuſque Attributa, multas difficultates diſſolui.

Datur in Deo idea, iuxta quam operatur ad extra: Omnia enim facit ex præuia cognitione, & intentione ſuum opus aſſimilandi alicui ex ſuis perfectionibus. Quod confirmat S. Auguſt. lib. 83. quæſtionum q. 46. *Non enim extra ſe poſitum aliquid intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret quod conſtituebat, hoc enim opinari ſacrilegum eſt.*

Idea diuina formalis, eſt cognitio modi quo res facienda eſt: obiectiua, iuxta Dionyſ. Auguſt. & alios PP. eſt ipſa Dei eſſentia, quatenùs à creaturis eſt variè participabilis. Quia illa vt ſic, eſt Deo ratio cognoſcendi omnes creaturas vt à ſe producibiles. Cum enim Deus ſit ſupremus Artifex, debet vti perfectiſſimo exemplari, adeòque ſibi intrinſeco.

Quæres, an Deus habeat tot cognitiones ſaltem virtualiter diſtinctas, quot ſunt obiecta poſſibilia?

Reſp.

Reſp. 1. Iſta prædicata, *tot*, *quot*; tantum, uantum, æquale, inæquale, & ſimilia, debere excludi, ſiue, locum non habere in ente potentia in finito: quia illa tantum toti quantitatiuo & actuali competunt.

Reſp. 2. Cognitiones diuinas non diſtingui ſtrictè virtualiter, ſed eſt entitatiuè vna tantum in Deo cognitio, per quam attingit omne poſſibile diſtributiuè, ſine, hoc, illud &c. nullum tamen vt totum, aut vltimum, quia in infinito nullum verè totum, aut vltimum dari poteſt, vt recepta docet Philoſophia.

CAPV II.

De voluntate Dei, eiuſque libertate, decretis, prouidentia, prædeſtinatione, reprobatione.

§. I.

De volitionibus Dei neceſſarijs, & liberis.

D*Eus amat ſe neceſſariò*, etiam quoad exercitium. Quia Deum, infinitè amare ſuam infinitam bonitatem, eſt perfectio ſimpliciter, quæ Deo debet competere. Neceſſitatur verò ad hunc amorem, quia bonitas infinita perfectiſſimè cognita ad ſui amorem infinitè rapit, ideòque ab eo ceſſare non poteſt.

Iſte Dei amor non ſolam habet rationem gaudij, ſed etiam *Beneuolentiæ* propriæ amori, vt à ſimplici gaudio; aut complacentia diſtinguitur.

Alia à ſe diſtincta Deus non amat neceſſariò ſecundùm eſſe exiſtentiæ à ſe ponendæ, in ijs tamen vt poſſibilibus neceſſariam habet complacentiam: Vtpotè in obiecto verè bono & cum ipſius eſſentia connexo ratione producibilitatis.

Datur in Deo volitio libera. Eſt de fide, ex Scripturis & PP. contra *Porphyrium*, & quoſdam veteres cum *Abailardo*, & *V. vicleſo*. Et demonſtratur Ratione. 1. Quia Deus operatur ad extra modo perfectiſſimo qualis eſt in agendo libertas 2. Quia eſt ſibi ſufficientiſſimum. 3. Quia libertas eſt perfectio ſimpliciter, cum ea ſit melior carentia libertatis.

Dices 1. Omnia volitio Dei eſt æterna, ergo conſequenter neceſſaria.

Reſp. neg. conſeq. Non enim omne æternum eſt ideo neceſſarium *abſolutè*, ſed tantum ex *ſuppoſitione*, & quoad ſolam exiſtentiam.

Dices 2. Actus quo Deus vult creaturam eſt idem cum actu, in quo vult ſeipſum: atqui hic actus eſt neceſſarius: ergo & ille quo vult creaturam.

Reſp. diſt. maiorem. Eſt idem quoad intrinſeca, Conc. quoad extrinſeca nego, ſiue reſpectum ad terminum, iuxta prædicta.

Deus eſt determinatus *ad optimum* quoad *modum* operandi ex perfectiſſima cognitione, & intentione; non quoad *ſubſtantiam operis*, ne quidem mortaliter. Quia etiam hæc determinatio repugnat libertati diuinę infinitè perfectæ. Hinc potuit Deus facere perfectiora quam fecit quoad ſubſtantiam, quamuis non quoad ſapientiam, & intentionem perfectiorem.

Poteſtas quidem ad *Bonum*, & *Malum*, importat imperfectionem peccabilitatis Deo repugnantem; nullam tamen importat poteſtas ab bonum, & *minus bonum*, quæ proinde Deo conuenit: quia nullam habet maioris boni *indigentiam*, ergo nec ponendi neceſſitatem.

Dices, Ergo libertas creaturæ eſt maior libertate Dei, cum illa contineat etiam libertatem ad malum ſiue ad peccatum, non ita libertas diuina.

Reſpond. Libertas *Creaturæ* eſt quidem *extenſiue maior* libertate Dei ſecundum quid, nempè quatenus ſe extendit ad peccata: non tamen *abſolute*, cum libertas diuina ad plura alia, & excellentiora decreta, & opera ſe extendat, quæ non ſunt in poteſtate creaturę.

Maior conuenientia non eſt ratio, ſed mera congruentia actorum Dei: adeòque non plenè ſatisfacit illa quæſtioni, cur Deus ita egerit, v. g. potius aſſumpſerit naturam humanam, quam angelicam: adeòque ſæpè in his maior conuenientia apud Patres, non rationem, ſed congruentiam importat, quod Deus potiùs hoc quàm aliud fecerit.

Volitio libera *non ſuperaddit* Deo aliquid ab eo realiter diſtinctum. Hoc enim repugnat eius ſimplicitati, & immutabilitati: contra *Vorſtium* Caluiniſtam. Nec ſolam indifferentiam *Indicij*, vt vult *Bannez*. Quia hæc nec in creatis ad libertatem ſufficit, vt diximus in *Tomo I. de prædet.* phyſica.

Neque addit merum *reſpectum rationis*, vt vult cum varij *Thomiſtis* etiam *Molina*. Quia Deus eſt liber independenter ab illo conceptu noſtri intellectus.

Neque ſuperaddit perfectionem *extenſiuam* Deo intrinſecam, quæ potuerit non eſſe: Quia repugnat aliquid Deo indentificatum po-

potuiſſe non eſſe: contra *Caiet. Peres*, *&c.* Alioqui enim Deus eſſet mutabilis, & ſecundum aliquid ſibi identificatum poſſet eſſe, & non eſſe.

Dei volitio conſtituitur *formaliter libera* per terminum extrinſecum, vi illius exiſtentem in aliqua temporis differentia. Ita *Alenſis*, *Peſantius*, *Nauaretus*, *Antiſiodorenſis*, & ex Societat. *Vaſquez*, *Arubal*, *Granadus*, *Amicus*, *Vekenus*, *Dekennis*, &c.

Quia volitio vt libera poteſt non eſſe: Atqui non ſecundum aliquid Deo intrinſecum, cum non poſſit intrinſecè mutari. Ergo ſecundum aliquid Deo extrinſecum, quo illa eſt formaliter libera, non vt volitio, ſed vt eſt aliundè libera, ſiue contingens ad talem terminum extrinſecum.

Dices, Talis Dei volitio manet in ſe & intrinſecè neceſſaria. Ergo ſic non ſaluatur eius libertas.

Reſp. diſt. antec. Manet neceſſaria in *eſſendo* Concil. in *terminando*, ſiue efficiendo, nego: talis enim terminatio, & efficientia eſt illi contingens.

Volitio igitur Dei libera, vt ſic, non eſt aliquid *ſimplex*, ſed aliquid *complexe* ſignificabile, dicens in *recto* actum Diuinæ voluntatis neceſſarium in eſſendo, & liberum in terminando, ſeu efficiendo; *in obliquo* autem dicit ipſum terminum extrinſecum.

Non eſt *adæquatè vitalis*, quod rem, ſed ſolum ſecundum id, quod dicit principaliter, & in recto; quod ſufficit vt dicatur vitalis ſimpliciter.

Deus habet ſe *negatiuè* circa varia volibilia ſub conditione, circa quæ, ſolum habet volitiones conditionatas ex parte actus, cum tamen poſſit habere abſolutas: & ſic etiam circa illa exercet libertatem contradictionis. Neque enim vllum volibile finitum abſolutè neceſſitat voluntatem creatam ad eius proſecutionem. Ergo a fortiori, nec voluntatem increatam.

Sed nec eſt perfectio voluntatis ſed imperfectio libertatis *neceſſitati diſiunctiuè* ad contingentia volenda, vel poſitiuè nolenda. Perfectius enim eſt ad neutrum determinari, ſed retinere perfectum ęquilibrium ſuę libertatis.

Deus habet ſe *negatiuè* circa peccata abſolutè futura, *hoc ſenſu*, quod illa neque velit eſſe, cùm ei repugnet velle peccatum, neque efficaciter nolit eſſe: alioqui non eſſent futura: Non tamen habet ſe *merè negatiuè*: Quia vult illa *permittere* libertati creatæ.

Deo quidem repugnat *ſuſpenſio intellectus* ab omni actu circa contingentia: quia ei repugnat ignorantia. Non tamen repugnat *ſuſpenſio voluntatis*: Quia hæc eſt libera, & expers potentialitatis quoad intrinſeca tantum. Eſt igitur *perfectio ſimpliciter*, actu intelligere omne intelligibile, ſecus velle efficaciter omne volibile, vnde illud neceſſariò conuenit Deo, non verò omnia quæ poſſit velle.

Datur in Deo voluntas, *antecedens inefficax*: Pater, quia vult Deus 1. *Tim.* 2. omnes ſaluos fieri, non efficaciter & abſolutè, cum multi non ſaluentur, ergo datur in eo voluntas antecedens inefficax. Hoc videtur nunc certum ex Decreto Innocent. X. de morte Chriſti pro omnium ſalute ſeriò oblata. *De quo diximus plura ſuprà Tom. I. ad prop.* 4. *&* 5. *Ianſenij pag.* 65.

Hinc nulla eius volitio liberè eſt *purè inefficax*, ſic vt nullum effectum vel medium inferat, quamuis maneat conditionata ex parte obiecti principalis. Nam eo ipſo quo eſt abſoluta ex parte actus, debet inferre abſolutam exiſtentiam alicuius ſui termini, quo compleatur, & conſtituatur formaliter libera. Ratio eſt, quod abſolutum diuinæ libertati exercitium debeat compleri per aliquid vt illius abſolutè exiſtens.

Datur *decretum concurrendi* in actu primo quo Deus cauſas ſecundas, complet in actu primo, eis exhibendo ſuam potentiam paratam, & cauſis liberis quidem ad vtrumlibet; ſic vt non noceat libertati. Quia ſine hoc decreto, non eſſent completæ in actu primo ad ſuam operationem.

Dices, Hoc decretum officit libertati creatæ.

Reſp. negatiuè, quia non prædeterminat actionem creaturæ immediatè vt exiſtat, ſed tantum Dei potentiam ad concurrendum indifferenter, relinquendo creaturę poteſtatem ad vtrumlibet ſe determinandi.

Non eſt decretum illud formaliter *conditionatum*, ſic vt faciat hunc ſenſum, Concurram cum cauſa ſecunda, ſi agat. Alioqui enim cum actio creaturæ, & Dei concurſus ſint idem realiter (eſſet nugatorium, & faceret hunc ſenſum, concurram ſi concurram. Sed eſt *abſolutum*) cum determinatione ad indiuiduum ſub diſiunctione, adeoque, in ordine ad libertatem non lædendam æquiualenter conditionatum.

Completur in eſſe liberi per ſpecialem voluntatis creatæ productionem extrinſecam, vt ſupra diximus.

Quæres, An in Deo, aut voluntate diuina admittendæ ſint *Paſſiones*, v. gr. iræ, doloris in-

indignationis &c. quales ipſi Scriptura ſæpius attribuit.

Reſp. Deum non eſſe capacem talium paſſionum, niſi tantum metaphoricè, ſiue per ſimilitudinem cum modo agendi humano. Paſſio enim propriè ſonat, & annexam habet aliquam animi turbationem, aut alterationem qualis non cadit in perfectiſſimam Dei immutabilitatem, & beatitudinem.

Dum igitur in Scripturis Deus dicitur iraſci, pœnitere, tactus dolere &c. hoc tantum ſonat, Deum, dum punit, id præſtare quod ſolent homines irati: item dolere, aut pœnitere, quia ponit aliquos effectus externo quales procedunt à paſſione interna hominis dolentis, aut pœnitentis. Chriſtus quidem paſſiones habuit propriè dictas, ſed tantum qua homo, & illius voluntati deſpoticè ſubiectas.

Poſſunt tamen inde Deo admitti affectus amoris, odij, gaudij, quatenus tantum voluntatis actum denotant: non tamen propriè affectus Deſiderij, quatenus cum importat affectum ad bonum quo caremus, Deus nullo bono careat, aut indigeat.

§. II.

De Prædifinitione, Prædeſtinatione, reprobatione.

PRædefinitio eſt volitio efficax actus boni à creatura ponendi antecedens abſolutam eius præuiſionem. Si illa inferat prædeterminationem phyſicam actus creaturæ euertit libertatem, in noſtra ſententia. Quia in poteſtate creaturæ actum non relinquit. Si verò immediatè ſolum inferat medium de ſe indifferens, cum quo per ſcientiam mediam præuiſus eſt actus infallibiliter obtinendus non nocet liberati.

Ratio eſt. 1. Quia non eſt abſolutè antecedens, ſed poſterior actu in ſtatu conditionato, & conſequenter eſt aliquo modo in poteſtate voluntatis creatæ. 2. Quia non influit in actum per ſe, ſed per medium ex ſe indifferens.

Et ideò non immutat modum operandi voluntatis ex ſua determinatione propria, cum media influentia in determinationem voluntatis, non aliter influant, quam ſi abeſſet prædefinitio.

Dices, Repugnat Dei voluntatem efficacem fruſtrari. Ergo actus prædefinitus abſolutè debet neceſſariò poni.

Reſp. diſt. conſeq. Debet neceſſariò ſic poni ſiue non poteſt non boni ex ſuppoſitione conſequente, Conc. ex ſuppoſitione ſimpliciter antecedente, Nego, nam in ſtatu abſoluto exercitium actus manet in poteſtate agentis.

Actus itaque prædefinitus fit infallibiliter, non tamen neceſſariò, & ineuitabiliter, quantum eſt ex parte antecedentium influentium in actum, quæ omnia in ſtatu abſoluto poſſint ſtare cum non actu, cum fuerit præuiſus, & prædefinitus dependenter ab exercitio libertatis conditionatè futuro.

Deus ſic prædefiniens dat gratiam dependenter *à ſcientia media*, vt dirigente ſeu vt proponente modum infallibiliter obtinendi conſenſum, non vt mouente, ſeu exhibente meritum gratiæ ad conſenſum. Prædefinitionem hactenus explicatum admittit ex Societate *Suarez*, *Granadus*, *Ruiz*, *Amicus*, *Ariaga*, *&c.* Contra *Vaſquez*, *Herice*, *Alarcon*, *&c.*

Omnes actus boni ſunt *virtualiter* prædefiniti in datione gratiæ præuiſæ effectum habituræ. Imò probabilius multi docent, etiam *formaliter*, 1. Quia hoc eſt conformius S. Auguſtino. 2. Quia ſic melius intelligitur quomodo prima, & radicalis diſcretio electorum à reprobis ſit ex gratuito Deo beneplacito, & differentia gratiæ efficacius à ſufficienti non ſolum in actu ſecũdò, ſed etiam in actu primò: & quomodo illa ſit ſemper moraliter maior in ratione beneficij, ex voluntate Dei abſoluta illam concedendi, & actum obtinendi.

Prędeſtinatio eſt pręſcientia, & volitio gratiæ, & gloriæ per media conuenientia quibuſdam conferendæ.

Principalius dicit actum voluntatis determinatis dationem gratiæ ad gloriam perducentis; prærequirit ſcientiam præcipuè conditionatam.

Sumpta *completè*, eſt volitio gratiæ, & gloriæ: *incompletè* verò ſolius gratiæ, vel vt communius, ſolius gloriæ.

Deus omnibus quouis tempore, & loco idoneo ad moraliter agendum prouidet *auxilia ſufficientia* ad vitanda peccata. De iuſtis quidem illud eſt de fide ex Trid. & ex Conſtitut. *Innocntius X*. de alijs etiam eſt ſaltem indubitatum. Quia ad demerendum requiritur libertas à neceſſitate, quæ libertas non adeſſet, ſi abeſſet omnis gratia ſaltem ſufficiens.

Deus *adultis omnibus*, etiam infidelibus, prouidet auxilia ſaltem remotè ſufficientia ad conuerſionem quamdiu ſunt in ſtatu moraliter operandi. Quia ex *Scrip. & PP.* vult omnes ſaluos fieri, & omnes ad ſe inuitat. Alioqui enim impœnitentes quibus deeſſent illa

auxilia, eſſent excuſabile. Eſt apertè *Sancti Thomæ* docentis, quod, ſi quis in ſyluis ſequeretur ductum luminis naturalis, Deus, vel per internam inſpirationem ei reuelaret ea, quæ ſunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret. De quo vide hic ipſa Sancti Thomæ verba, *Tom.* I. *Par.* II. *pag.* 24.

Deus etiam *infantibus* prouidet media ad ſalutem aliquo modo ſufficientia in voluntate aliena. Patet 1. Quia ex *Auguſtino* etiam ad paruulos pertinet illud *Apoſtoli*, vult Deus omnes ſaluos fieri. 2. Quia Chriſtus pro omnibus eſt mortuus, & inſtituit Baptiſmum quo ſaluarentur omnes paruuli, niſi impedimento eſſent cauſæ ſecundæ quas Deus vt prouiſor generalis, pro ſua libertate agere permittit. 3. Quia Deus omnibus dat Angelum tutelarem, & ad omnes gentes mittit prædicatores Euangelij, & Baptiſmi. 4. Quia inſpirat Sanctis vt orent pro omnibus, & parentibus cogitationes ad paruulorum ſalutem ſufficientes, ſi illis reſponderent, vt etiam rectè *Proſper* docet, S. Auguſt. diſcipulus.

Dum *obijcitur* S. Auguſtinus in contrarium. Reſp. eum tantum loqui de impoſſibilitate & nolitione conſequente, cum dicit, quoſdam paruulos non potuiſſe baptizari, quia Deus noluit.

De his quoad GRATIAM SVFFICIENTEM &c. tractatur fuſius ſuprà Part. II. Controu. 5. pag. 123.

Effectus prædeſtinationis eſt omne id, quod vult Deus ex intentione ſalutis prædeſtinari, & ad eam de facto producit.

Peccatum, cum ſit per ſe malum, non poteſt eſſe *volitum* à Deo, ac proinde nec effectus prædeſtinationis, ſecus eius *permiſſio*, cum hæc peccatum non cauſet. Hanc permiſſionem peccati Deus poteſt velle propter pœnitentiam ſecuturam, & alia peccatum eſſentialiter præſupponentia. Hoc enim apertè docet *Ambroſ. Auguſt. alijque Patres.*

Ratione probatur, quia permiſsio peccati eſt bona, cum ſit à Deo, & poſsit alicui, per accidens, eſſe occaſio ſalutis, ac proinde poſſit Deus eo fine illam velle non volendo peccatum, ſicut potuit prædefinire mortem Chriſti, & Martyrum, non volendo peccatum iniquè occidentium.

Deus *efficaciter* volens *pænitentiam Petri*, vult omnia ex parte ſua ad illam requiſita, inter quæ eſt permiſſio peccati, non verò ea omnia, quæ requiruntur ex parte *Petri*. Cum velle non poſſit eius conſenſum in peccatum, qui tamen pœnitentiæ neceſſariò præſupponitur, hunc enim Deus non debet velle, ſed ſolum permittere, ad obtinendam Petri pœnitentiam efficaciter intentam.

Dices, Deus vult peccatum non eſſe, ergo repugnat aſſertio.

Reſp. Deum prædefiniendo pœnitentiam non velle peccatum eſſe, ſed ſolum illud *non impedire*, adeoque non vult repugnantia.

Datur ex parte Prædeſtinati *cauſa prædeſtinationis* quoad aliquos eius effectus, v. g. quoad iuſtificationem propter eius pœnitentiam: non quoad omnes effectus: non enim quoad primam gratiam efficacem, cum ea non cadat ſub meritum. Eſt de fide ex Script. CC. & Patribus.

Formalem electionem ad gloriam factam eſse *Ante præuiſa merita*, tenent ex Societate *Suarez*, *Bellarminus*, *Toletus*, cum *Thomiſtis* varijs *Scotiſtis*, & alijs, ſed non omnes eodem modo. Negant *Alenſis*, *Albertus*, *Bonauentura*, & ex *Societ. Vaſquez*, *Leſſius*, *Becanus*, *Lugo*, *Palauicinus*. *Petauius*.

Reprobatio ſtrictè, eſt præſcientia iniuſtitiæ finalis quorundam, & volitio pœnæ æternæ illi infligendæ. *Latè* inſuper dicit volitionem permittendi peccatum, quę dicitur reprobatio negatiua, cum deſtinatione ad pœnam poſitiuam ex peccato prouenientem.

De Prædeſtinatione abſoluta ad gloriam, & Reprobatione, Quomodo facta non ſit à Deo ante præuiſa hominum merita & demerita &c. Traditur hic ſupra in Tom. I. Par. II. *Controuerſia III. pag.* 117. *Et de prædeſtinatione Caluiniſtica pag.* 118.

CAPVT III.

De Sanctiſſima Trinitate, Proceſſione Perſonarum, & perſonis ſingulis in particulari.

§. I.

Trinitatis myſterium, Proceſſiones, &c.

DE hoc Trinitatis myſterio pronunciat conſenſus communis: Non poſſe illud cognoſci aut deduci ex ſolis principii naturalibus, ſed ex principijs reuelatis. Hinc de eo exponenda ſunt recepta fidei dogmata, & in quibus ſiue in Chatedra, ſiue ad populum proponendis aberrare, pro maxima haberetur inſcitia; vti & in ipſis Terminis, & modo loquendi, in quibus labi admodum pronum eſt, niſi quæ facili delectu hic deducemus

mus ſingulari relectione noſcantur, & vbi dubitatur ad manum habeantur.

Errarunt circa Myſterium Trinitatis variè *Hæretici* docentes, 1. Vnicam eſſe in Deo perſonam. 2. Primam ſolam eſſe Deum. 3. Spiritum Sanctum non eſſe Deum. 4. Illum non procedere à Filio. 5. Tres Deos dicendos eſſe. Contra quos *Conc. Later.* definit eſſentiam vna eſſe, & tres perſonas, & has inter ſe realiter eſſe diſtinctas.

Hoc Myſterium eſt *ſupra* non tamen *contra* rationem naturalem: cum verum vero non poſſit eſſe contrarium.

Obijci præcipue poteſt illud Philoſophicum, principium; Quæcunque ſunt eadem vni tertio ſunt etiam eadem inter ſe.

Reſp. In eo myſterio tres quidem perſonæ realiter diſtinctæ, ſunt eædem vni tertio, ſed infinito, ac pluribus *communicabili*, & quidem ſolum inadæquatè: quod proindè non repugnat. Pater enim indentificatur Deo, ſed non omni ei quod eſt realiter Deus, cum non identificetur Filio, qui eſt Deus.

Hinc *Deus* eſt terminus capax *diſtribntionis* non exprimibilis his terminis, *omnis Deus*, ſed his, *quidquid eſt Deus*, cujus diſtributionis defectu varij ſyllogiſmi in hac materia ſunt vitioſi. Quia nempè in antecedente non dicitur, quidquid eſt Deus, nam longè differunt illi duo termini, omnis Deus, & quidquid eſt Deus: quia omnes tres perſonæ ſunt, quidquid eſt Deus, non tamen omnis Deus, cum hoc naturæ diuinæ pluralitatem importet.

Dices, Rectè concludit hic ſyllogiſmus: Filius non eſt Pater; eſſentia diuina eſt Pater; ergo eſſentia diuina non eſt Filius; hoc autem conſequens fidei repugnat:

Reſp. maiorem non eſſe veram, ſi vti debet reſoluatur hoc modo: Filius non eſt idem cum Patre, nec cum vllo prędicato quod eſt idem cum Patre: hoc autem ſecundum falſum eſt, cum Filius indentificetur eſſentiæ, cui etiam Pater identificatur; & hoc ſenſu etiam falſum eſt conſequens.

Eodē modo reſoluenda eſt hęc altera argumentatio; Hæc eſſentia diuina non generatur; Filius eſt hæc Eſſentia diuina, Ergo Filius non generatur. Nam etſi eſſentia vt talis non generetur, identificatur tamen Filio qui generatur.

Dantur in Deo *Proceſſiones ad intra.* Eſt de fide ex *C. Later Script. & PP.* Hoc exigit vera ratio Patris in prima perſona, & Filij in ſecūda, & S. Spiritus in tertia perſona: Proceſſio enim eſt progreſſus vnius perſonæ ab alia, quæ non poſſunt per aliquid extrinſecum compleri, aut explicari.

Pater producit *verbum*, non vt intelligat, ſed quia intelligit, vt ipſi Verbo ſuam notitiam communicet.

Filius eſt ab alio *perſonaliter*, à ſe *eſſentialiter*, adeòque Ens à ſe ſimpliciter. Quia nempè ſibi identificat naturam eſſentialiter, præſupponentem eſſe à ſe, & improductam.

Ens à ſe, latius patet quam *ens improductum* ſimpliciter, cum perſonæ productæ ſint, etiam ens à ſe, non tamen ens improductum.

Perſona producta non cauſatur, nec pendet à principio producente. Quia ab eo non accipit eſſe contingens, & defectibile, ac proindè eo non indiget, nam à ſe neceſſariò exiſtit procedendo, ſicut principium producendo. Vnde ſicut productum non poteſt eſſe ſine producente; ita nec producens ſine producto.

Neceſſariò datur vna perſona *improducta*, vt Pater; Alioqui enim daretur proceſſus in infinitum, vel idem produceretur à ſeipſo.

Proceſſiones diuinæ ſunt per *intellectum*, *& voluntatem*. Alioqui enim cur præcisè eſſent duę? Adde quod ideò Scripturę & PP. Filium appellant Verbum, & Spiritum Sanctum, Amorem, ſeu Charitatem: quia Verbum per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem procedit:

Notionale prædicatum eſt, quod conuenit non præcisè ratione eſſentię, adeoque non eſt commune tribus perſonis, ſed vni, aut duabus proprium.

Verbum eſt terminus productus à dicente, non ſibi, ſed alteri loquente, nempe ipſi Verbo, quod proindè eſt ſimilius verbo noſtro vocali, quam mentali, eſtque per ſe ſubſiſtens, & id quod, cui, & quo Pater loquitur.

Vnde, ut patet, in multis differunt intellectio, & Verbum in Deo, & in nobis; ac pręcipuè in eo, quod creatura producat verbum noſtrum mentis, vt intelligat, Deus verò quia intelligit.

Productiones. Actiuè ſunt in perſona producente, paſſiuè in producta, Ita *Athan. alijque PP.* docentes perſonam producentem conſtitui origine actiua, & productam paſſiua.

Ratio eſt, quod ſicut Filio eſſentiale eſt produci ab hoc patre, ita Patri eſſentiali eſt producere hunc Filium.

Solæ *proprietates relatiuæ* ſunt principium formale proximum ſeu immediatè productiuū ad intra: Hęc enim ſolę diſtinguntur realiter à

 ter-

termino producto ad intra. Ergo hæ ſolæ poſſunt illum realiter producere. Cum enim immediatum producens, immediatè opponatur termino formali producto, debet ab eo realiter diſtingui.

Principium quod diuinarum proceſſionum eſt perſona; *radicale* natura, *formale remotum* intellectus &c. *proximum* relatio vt tranſcendentalis.

Terminus totalis productus, eſt perſona producta; *formalis* productus eſt perſonalitas, formalis *communicatus* eſt ipſa eſſentia diuina.

Duæ ſunt in Deo *Proceſſiones*, Filij nempè, quæ eſt generatio; & Spiritus Sancti, quæ à PP. ſimpliciter dicitur Proceſſio: Ideo autem ſunt duæ, & non plures, quia duæ ſunt in Deo actiones immanentes, non plures. Hæc quamuis ex terminis non clara, certa ſunt ex CC. & Symbolis Eccleſiæ.

Radicalis ratio cur proceſſio Verbi ſit generatio, non Spiritus Sancti eſt, quod ilia ſit per intellectum, hæc per voluntatem.

Formalis autem *ratio*, iuxta PP. aſſignantur difficilima: eſt illa ex *S. Thoma*, quod proceſſio Verbi, ex ſua ratione ſpecifica operationis intellectus, ſit per ſe formaliter *aſſimulatiua* termini producti cum ſuo principio. Proceſſio verò Spiritus Sancti, ex ſua ratione ſpecifica operationis voluntatis, non ſit formaliter aſſimilatiua, ſed *impulſiua* in obiectum. Vnde cum per ſe ordinari in ſimilitudinem naturalem ſit eſſentiale conſtitutiuum generationis viuentis à viuente, illa, non alia, eſt generatio.

Colligitur etiam idem ex *Scrip. &* PP. Filio tribuentibus rationem Imaginis, figuræ, ſimilitudinis &c. tamquam aliquid ipſi proprium, eiuſque conſtitutiuum in eſſe Filij, ſeu propriè geniti à Patre. S. Bonauentura aliam adfert rationem, quod nempè proceſſio Verbi ſit in ſimilitudinem naturæ vt formaliter fœcundæ, ſecus proceſſio Spiritus Sancti.

Paternitas & Filiatio *identificantur* Spirationi actiuæ realiter inadequatè, quo non obſtante opponuntur, adeòque *diſtinguuntur* realiter inter ſe.

Dices, Trinitatis iſta perſonarum in Deo, non videtur conſiſtere cum prædicato ſimplicitatis diuinæ, ergo &c.

Reſp. neg. ant. Quia nihil entis ſuperaddit ab ipſa Dei eſſentia condiſtinctum, quod ſolum repugnat ſimplicitati diuinæ.

§. II.

Perſonæ Diuinæ in particulari.

Paternitas in diuinis *variè ſumitur* prout variè reſpicit filium. 1. Pro relatione *ſummè determinati* ad habendum filium in fieri. 2. Pro relatione *habentis* filium in fieri. 3. Pro relatione habentis filium in *facto eſſe*, præſuppoſita eius generatione.

Pater etiam conſtituitur *innaſcibilitate*, ſumpta poſitiuè & fundamentaliter.

Datur in Deo *tres ſubſiſtentiæ relatiuæ*: patet ex PP. & CC. infra, agnoſcentibus in Deo tres perſonas, & tres ſubſiſtentias. Ex tribus enim perſonis rectè inferuntur tres perſonalitates, quæ cum natura conſtituunt tres ſubſiſtentias completas, & incommunicabiles. Ita *Suarez*, *Vaſquez*, *Ruiz*, cum Concilio Nicæno, Conſtant. ac Florentino.

Non datur in Deo *ſubſiſtentia abſoluta*, & communis. Hanc enim non agnoſcunt CC. & PP. ſed ſolum tres ſubſiſtentias relatiuas, quas licet plerumque PP. ſumant concretè, conſtat tamen eos non admittere ſuſiſtentiam abſolutam ex qua exurgeret ſubſiſtens abſolutum, imò, & perſona abſoluta. Ita rem hanc tractat *Bonauentura*, *Vaſquez*, *Valentia*; aliter *Scotus*, *Caiet. Granadus*, &c.

Notio eſt ratio perſonam notificans ac diſtinguens. Sunt *quinque notiones*, Innaſcibilitas, Paternitas, Spiratio actiua, filatio, & proceſſio. Non conſtituitur ſpecialis notio Spiritus Sancti, per hoc quod nullus ab eo procedat: quia hoc non importat in eo ſpecialem excellentiam, prout in Patre importat innaſcibilitas.

Pater eſt principium *ſine principio*, & impropriè fons Deitatis: quia producit alias perſonas, eiſque naturam communicat. Ita Symbolum Athanaſij Nicænum &c.

Filius eſt à principio, ſed non principiatus ex vſu loquendi Latinorum, ne videatur dici minor Patre. Neque ſimpliciter dicendus eſt habere principium, nec intelligatur *durationis* ad mentem Arianorum.

Verbum ſolum vſurpatur notionaliter à Scrip. & PP. Dicitur propriè Verbum: Quia eſt terminus productus locutione, qua ſolus Pater loquitur ſoli Filio, vnde loquitur Verbum ipſi Verbo, & per Verbum, ſcilicet per Verbum inadæquatè ſumptum pro ipſa generatione paſſiua tamquam per locutionem paſſiuam, & pro eſſentia communicata, tamquam manifeſtatiuo formali.

Ter-

Verbum procedit ex cognitione eſſentiæ & omnium perſonarum. Cum ex PP. illud ſit adæquatum diuinæ ſcientiæ expreſſiuum, & procedat ex cognitione comprehenſiua Patris, quæ haberi nequit ſine aliarum perſonarum cognitione.

Procedit etiam ex cognitione *poſſibilium*. Hæc enim includitur in comprehenſione Dei, ex qua procedit, vt ars omnium rerum quæ fieri poſſunt.

Non procedit ex cognitione creaturarum vt exiſtentium. Cum enim productio Verbi ſit neceſſaria, debet procedere ex cognitione neceſſaria, quæ eſt prior viſione rerum vt exiſtentium.

Certum eſt definita eſſe contra Arium & Sabellium in Nicæno I. &c. 4. ſequentia.

I. Verbum ſiue Filium eſſe Patri *coæternum* quod ex illo Ioannis I. *In principio erat Verbum*, probat S. Auguſtinus aliique Patres contra Arium.

II. Verbum eſſe Patris *conſubſtantiale*, id eſt eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ, ex illo Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*: quo loco nos liberari ab erroribus Arii, & Sabelli, tamquam à Scylla, & Charybdi, docet S. Auguſtinus *Tract. 16. in Ioannem*.

III. Eſſe Patri *coequalem* per omnia: contra Arium qui dicebat Filium Patre minorem, probatur ex Apoſtolo ad Philippenſes cap. 2. Qui cum forma Dei eſſet; non rapinam arbitratus eſt, *eſſe ſe æqualem Deo*. De quo loco S. Auguſt. in Pſalmum 126. cap. 14. *Quare non eſt rapina? quia eſt natura*.

IV. Quod Verbum ſit *verus* & *naturalis* Dei filius, & vnus cum Patre Deus: ex illo Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, *vt filium ſuum vnigenitum daret*: Quod ſi non eſſet naturalis, ſed adoptiuus, cum Ario, vnigenitus dici non poſſit, cum plurimi alii ſint Filii per adoptionem.

Dices, cum Arianis; Quando Filius genitus eſt, vel erat, vel non erat. Si erat, quare genitus eſt? Si non erat, ergo aliquando non fuit; ergo non Patri coæternus.

Reſp. cum S. Baſilio, & S. Auguſtino: Non erat antea quam gigneretur, Sed erat cum gigneretur: ſemper autem genitus, ſemper igitur fuit. Et S. Auguſtin. Epiſtol. 174. ad Paſcentium: *Semper gignit Pater & ſemper naſcitur Filius*. Quamuis idem Auguſtinus annotet *lib. 83. q. q. 73.* aptius dici ſemper genitũ eſſe, qua ſemper gigni, quia genitus eſt in Dei æternitate quæ in ſe eſt immutabilis & indiuiſibilis, quamuis coexiſtat omnibus partibus noſtri temporis, quod eſt diuiſibile, & ſucceſſiuum.

Ex Scripturis, & PP. Filio proprium eſt eſſe *Imaginem ſolius Patris*: Quia ſolus filius à ſolo Patre procedit vt eius Similitudo, formaliter quidem vi ſuæ proceſſionis, quod ex *Auguſtino* ad rationem Imaginis requiritur & ſufficit.

Ratio eſt, quod Pater priùs quam ſpiret communicet Filio potentiam ſpiratiuam: cũ ei omnia communicet, excepta (inquit Nazian. cauſaliter, id eſt, potentia generandi ipſum Filium in diuinis.

In Symbolo Nicæno additum eſt *Filioque* ab Eccleſia Romana, ita exigente noua hæreſi Græcorum, antequam iſta particula Patribus viſa non fuerat neceſſaria.

Similiter à PP. in Concilio Coſtantienſi, additum eſt, *qui ex Patre procedit*, occaſione hæreſis Macedonii, cujus ſectatores dicebant Spiritum Sanctum eſſe facturam ſolius Filij.

Spiritus Sanctus non diſtingueretur realiter à Filio ſi ab eo non procederet: Illi enim non opponeretur: in diuinis autem ſola oppoſitio realiter diſtinguit, vt paſſim docent, *CC. & PP.* Vnde in ea hypotheſi Spiritus Sanctus non magis diſtingueretur à Filio, quàm nunc ſpiratio actiua à Patre, & Filio, inter quas defectu oppoſitionis, nulla eſt diſtinctio realis.

Pater & Filius, ex *CC. Lugdunenſi & Florentinus* ſunt *vnum principium Spiritus Sancti*, ſicut ſunt vnus Deus. Quia perſonis in iis eſt vnica virtus ſpiratiua, ſicut in tribus vnica diuinitas. Sunt tamen duo ſpirantes *adiectiuè*; Quia adiectiua multiplicantur pro multiplicitate ſuppoſitorum.

Spiritus Sanctus procedit, à Patre immediatè, & mediatè à Filio; non prius tamen à Patre, quam à Filio. Quia actus ſpirandi præcisè vt eſt in Patre, non eſt completus: non enim infert proceſſionem Spiritus Sancti, niſi prius intelligatur eſſe in Filio.

Donum propriiſſimè conuenit *Spiritui Sancto*. Quia procedit ex Amore, qui eſt principium Doni gratuiti. Quamuis & de Patre & Filio Donum propriè dici poſſit, quatenus ſe dat nobis per gratiam, gloriam &c. juxta illud *Iſaiæ 9*. Filius datus eſt nobis.

Dices porrò, contra æqualitatem Perſonarũ diuinarum. Relationes diuinæ ab inuicem diſtinguuntur ſpecie, vel quaſi ſpecie, cum non poſſint ad plura indiuidua ſingulæ multiplicari. Atqui ea quę ſunt ſpecie diſtincta ſunt inęqualia: Ergo & Perſonæ ſunt inæquales.

Reſp. breuiter, neg. minorem: nam & idẽ eſt in vbicationibus eiuſdem locati ad diuerſa ſpatia, & in ſimilibus omninò æqualis perfectionis, quas tamen vbicationes, & ſimiles, ſpecie differre paſſim Philoſophi, & Theologi agnoſcunt, præſertim qui ſtatuunt modos illos diſtinctos.

CAPVT IV.

De Angelis, eorumque Natura, Specie, Scientia, Actiuitate, Locutione, Lapſus, Supplicio.

§. I.

Angeli natura, ſpecies, ordines.

ANgelus eſt ſubſtantia creata, ſpiritualis, completa, & intellectualis, homine ſuperior. De fide eſt dari Angelos: & probatur ex Scripturis, nominatim ex Pſalmo 8. qui de hominibus loquens dicit, *minuiſti eos paulo minus ab Angelis.*

Diuiditur autem ordo Angelorum in tres Hierarchias, & nouem Choros.

Prima, ſiue ad ſuprema Hierarchia, id eſt, facer principatus, continet Seraphim, Cherubim, & Thronos.

Secunda, continet Dominationes, Virtutes & Poteſtates.

Tertia, ſiue infima, complectitur Principatus, Archangelos, & Angelos.

Hæc Hierarchiarũ, & Ordinum diſtinctio; fundatur inchoatiuè in ipſorum Angelorum natura excellentiori: completè autem in diuerſis gratiæ miniſterii à Deo àttributis.

Hos Ordines Angelorum cum cœteris Patribus agnoſcit antiquiſſimus *Dionyſius Areopagita* lib. de cœleſti Hierarchia, vbi aſſerit ſe illos accepiſſe à præceptore ſuo D. Paulo, vel certè ab Herotheo, de quibus fuſiùs hic *Suarez* lib. 1. cap. 13.

Angelos Cuſtodes hominibus deputari, eſt de fide ex Scripturis *Pſalmo* 90 *v.* 11. *Geneſis cap.* 48. *Matthæi* 18. Angeli eorum ſemper *vident faciem Patris mei*. Singulis hominibus ſingulos dari Angelos cuſtodes, & non tantum pluribus aliquando vnum, quamuis non ſit de fide, vt communius agnoſcunt Doctores: oppoſitum tamen cenſent temerarium, eo quod non videatur variis locis Scripturæ ſatis conforme. Docet *Magiſter & H. Victorinus* vnum aliquando Angelum plurium hominũ curam gerere. *Teſtatus* tradit probabiliter Perſonas publicas v. g. Reges, & Pontifices, duos habere Angelos cuſtodes. *S. Iuſtinus Martir.* q. 430. aſſerit eundem Angelum non deputari cuſtodiæ alterius hominis mortuo priori ſuo cliente. *Granadus* cum pluribus, ex Scripturis probabiliter colligit, ad cuſtodiam Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, & Communitatum aliquos eſſe Angelos in particulari deputatos.

Officia cuſtodiæ Angelicæ præcipua ſunt, clientem ad bonum excitare, à malo auertere immutando phantaſiam, paſſiones &c. pericula, & eorum cauſas amoliri, dæmonis impetus, & tentationes nimia redundere, pro cliente orare, & illius preces Deo, offerre, vt *Tobiæ* 12. *Apocal.* 8. Illius animam in Purgatorio ſolari, & demum ad cœlum deducere, vti de Lazaro Lucæ 26.

Sunt Angeli omnino *incorporei*. Eſt communis Catholicorum contra Caietanum &c. Idque docet Concilium Lateranenſe, non definit, vt quidam volunt. Non poteſt tamen ſine temeritate negari, cum nullum ſit fundamentum illis affingendi corpus aliquod ſubtile.

Nec refert quod Synodus VI. approbet Angelos poſſe pingi, quia per hoc non approbat rationem adiectam, ſcil. quia ſunt corporei.

§. II.

Actiuitas Angeli.

ORdinariè Angeli *Aſſumunt corpora* ex aere, & vaporibus ab ipſis formata, & ſubinde ita ſolida, vt ſint palpabilia, vt cum Abraham lauit eorum pedes *Gen.* 18. Et Iacob cum Angelo luctatus, eſt *Gen.* 32. Vnde illud Chriſti, *palpate quia Spiritus carnem non habet*, conuincit quidem ſuppoſitis Chriſti prædictionibus, & miraculis, de ſua corporali reſurrectione, ſed non abſolutè ex ſola corporis aſſumpti ſenſibili palpatione.

Poſſunt etiam aſſumere *corpora viua*, in iis operationes aliquo modo ſpiritibus proprias ita exercendo, vt iis repræſententur Angeli in perſona propria. Dæmon tamen non rectè dicitur aſſumere corpus Energumeni, ſiue poſſeſſi: nam nil loquitur adhuc ibi in perſona propria.

Angelus non poteſt *viuificare* per ſe corpus aſſumptum, ſeu cum eo, vt cum ſua comparte, conſtituere vnum viuens Cum enim ipſe Angelus ſit actus completus, non poteſt venire in compoſitionem entis per ſe ex partibus incompletis, vt eſt materia, & forma vnita.

Vnde

Vnde non poteſt corpus aſſumptum exercere operationes intrinſecè *vitales*, vt ſunt ſenſationes &c. quæ neceſſariò procedunt à principio intrinſeco vitali.

Neque poteſt Angelus in Corpore aſſumpto *baptizare*; Quia non poteſt proferre verba locutione vitali. Neque Dæmon poteſt *generare propriè*, ſed ſolum impropriè, ſemine ab animali deciſo ad generationem concurrendo: non verò, vt vult Raynaudus, maſſam terream ita diſponendo, vt exigat infuſionem animæ.

Poſſunt Angeli, applicando actiua paſſiuis, mira patrare, & producere *animalia imperfecta*. Non tamen perfecta ſine ſemine aliunde accepto. Hinc plurima poteſt Dæmon, quæ, quia cederent in nimis graue damnum, prçſertim publicum ordinis naturæ, Deus illa non ſolet permittere.

Poſſunt itaque Angeli vi naturæ ſuæ illa præſtare, quæ per impetum, ſiue impreſſum *motum localem* efficiuntur, dum Deus permittit. Hinc poſſint fluminum curſum ſiſtere: Mare altius attolero: Terram commouere: Cœleſtium ſphærarum, & corporum motum interturbare. Poſſunt etiam hominum ſenſibus illudere, imprimendo organis ſenſuum affectiones ſimiles illis quas obiecta ſenſibilia ſolent imprimere, v. gr. vt album appareat nigrum, ut nigrum appareat album, vel lucidum: & hinc etiam intelligitur, quo modo Dęmon poſſit ſeipſum transformare in Angelum lucis.

Ex principio etiam de *Motu* iam poſito, Angelus bonus, aut malus facilè format, & excitat in hominis mente ſiue cerebro phantaſmata plurima, & illis mediantibus, varij generis cogitationes: & his mediantibus varij generis motus appetitus ſenſitiui, quorum tamen liber vſus vel abuſus remanet in hominis poteſtate.

Cum etiam Angelus, pro ingenita ſui intellectus ſubtilitate, cognoſcat primogenita rerum *ſemina*, horumque *mixturas* multiformes, vt auri, argenti &c. non apparet nobis cur non poſſit formare varia metalla, aurum, argentum, &c. vbi id Deus permitteret. Quin etiam, quod excellentius eſt, theſaurum variarum Scientiarum humano cerebro imprimere. Cum illæ conſtitutæ ſint primariò in phantaſmatum certo ordine, ac diſpoſitione.

Hinc facilius concludes, Angelos bonos, & malos, poſſe tempeſtates excitare in aere, aut in mari. Poſſe grandinem aut niuem ſubito formare: Poſſe tonitrua, & fulmina ciere: ſummum æſtum, aut frigus efficere. Hæc enim ex ijſdem principijs *motus*, & rerum varijs ſeminibus perſpectis poſſunt prouenire.

Ex his vlterius patet, quam multa ſint quæ præſtare poſſint Magi Arioli, Præſtigiatores, qui Dæmonis opera vtuntur, ſi vel Deus illa fieri permittere, vel ipſe Dæmon, nolens hominibus prodeſſe, illa à ſe fieri non ſæpe recurſaret.

Quæres, Quomodo fiat, vt Angeli alicuius mali opera, Corpus humanum ferro reſiſtere poſſit ne vulneretur, uti conſtat ſæpius factum geſtando ſchedulas, quas vocant induratorias.

Reſp. Angelum qui habet vim reſiſtendi, ſine impediendi impetum ferri, poſſe ſeipſum per eam reſiſtentiam reddere impenetrabilem & hoc poſito, per modum ſuperficiei alterum circumquaque inuoluendo, poſſe illum reddere à vulnere immunem.

§. III.

Vbicatio, ſcientia Angelica.

Non poſſunt Angeli naturaliter eſſe in locis diſſitis, & non in medio, etiam intra ſphæram ſuæ extenſionis. Quia ſic velut à ſe ipſo diuidi, naturaliter repugnat limitationi entis creati, quamuis non ſupernaturaliter.

Poſſunt Angeli eſſe ſimul, ac plures *in eodem puncto*: quia carent quantitate, qua ab eodem loco excludantur.

Conſtituuntur *formaliter in loco* per vbi modale, quo eorum indifferentia tollitur, & determinantur ad exiſtendum hic potius quam alibi.

Vbi Angelicum eſt ſpirituale, & indiuiſibile ex parte ſui ſubiecti, diuiſibile tamen ex parte ſpatij, cuius ſingulis partibus illud vti totam Angeli ſubſtantiam intimè ſiſtit.

Non poteſt Angelus *tranſire* ad locum diſtantem, non tranſeundo per medium. Quia hoc illius limitationi repugnat, non minus quam exiſtere in locis diſitis, & non in medio.

Angeli non poſſunt moueri *in inſtanti* vltra ſpatium ſibi contiguum ſuæ ſphæræ adæquatum. Quia non poſſunt, etiam inſtantaneè, occupare locum maiorem maximo ſibi adæquato. Quod enim repugnat in tempore, etiam repugnat in inſtanti.

Agere *in diſtans* ſine medio, repugnat limitationi entis creati, adeoque etiam Angelis repugnat mouere corpus quod à ſua ſphæra loco diſtat.

Egent Angeli *ſpeciebus* ad cognitionem directam obiectorum non exiſtentium, & exiſtentium extra ſphæram ſuæ viſibilitatis. Repugnat enim limitationi creaturę naturaliter intueri quantumlibet diſtans.

Angelis ſphæram viſibilitatis *limitatam* tribuunt, *Scotus*, *Bonau. & Alij*, quam etiam Scripturæ indicant *Iobi* 1. *v.* 7. *Matth.* 12. *v.* 43. Significantes eos accedere ad diſtantia vt illa videant.

Hæc autem ſphæra eo maior eſt, quo perfectiores ſunt Angeli: quanta verò ſit, à nobis determinari non poteſt.

Non cognoſcunt *diſtinctè* omnia, quorum habent ſpecies: Hoc enim excedit vim intelligendi creatam, & limitatam: habent tamen ſemper ſuarum ſpecierum cognitionē ſaltem confuſam, qua liberè poſſunt, ſicut nos, ſe applicare ad hæc aut illa attentius conſideranda: vnde poſſunt ſpeciebus vniuerſalibus pro libitu vti adæquatè vel inadæquatè.

Non poſſunt naturaliter *certò* cognoſcere *futura ſtrictè contingentia*, id eſt, à libero alterius arbitrio dependentia. Quia iſtorum certa cognitio ac prædictio ex Script. & PP. eſt infallibile diuinitatis argumentum, ac proinde propria ſoli Deo, cui eſſentiale eſt cognoſcere omne cognoſcibile, ſecus Angelo quia indiget determinatiuo ex parte obiecti, quale nullum datur reſpectu futuri ſtrictè contingentis.

Poſſunt tamen ſubinde illa *probabiliter* cognoſcere, ex indicijs, & circumſtantijs externis, ex quibus colligunt futuram agentis liberi determinationem.

Contingentia late, id eſt, independentiam ab agente libero, poſſunt cognoſcere certò *certitudine phyſica* in complexione ſuarum cauſarum, vt pluuias, tonitrua, &c. Non tamen certò certitudine *metaphyſica*, id eſt, infallibili, quod incidant *Scripturæ Sapien.* 8. *& PP. Athan. Auguſt. & alij*.

Non poſſunt naturaliter certò cognoſcere *ſecreta cordium*: Eſt hoc iuxta varios, de fide, ex Scrip. & PP. iſtorum notitiam, vt ſignum diuinitatis, ſoli Deo tribuentibus.

Ratio eſt, quod creatura libera habeat ius ſecreti ſuorum actuum internorum, nealioqui impediatur ab ijs liberè eliciendis, ac proinde vt Deus non det concurſum ad iſtorum notitiam ſine elicientis conſenſu.

§. IV.

Locutio Angelorum.

POſſunt Angeli inter ſe *loqui liberè*, ſecretò & excitatiuè ad audientiam: Id enim ad Societatem moralem eis debetur, & à Scripturis varijs locis illud ipſis attribuitur.

Loquuntur Angeli non per ſigna *ſenſibilia*, aut *ſpiritualia*, ſed per *ordinationem* ſuorum actuum ad alterum, volendo vt ipſi innoteſcat, quo ſit vt Deus præbeat concurſum ſpecialem ei, ad quem diriguntur, ad eorum notitiam, & quidem ſecretam, quæ non niſi difficulter habuerunt per ſigna. Hanc Ordinationem admittit *S. Thomas*, & vocat virtutem excitatiuam, qua, inquit, loquens nihil facit in audiente, excipe, niſi ſit ita alijs abſorptus, vt debeat excitari impulſu ad intellectum applicandum.

Mentiri non poſſunt Angeli ſibi inuicem loquentes: quia non poſſunt oſtendere judicium quod non habent, nec iudicare eſſe id, quod ſciunt non eſſe. Poſſunt ſimul loqui pluribus; dicuntur *clamare* ad inuicem, quando rem magnam aut magno affectu ſignificant.

Poſſunt *diſcurrere* circa illa, quæ non cognoſcunt euidenter, v. g. ex indiciis externis probabiliter inferendo ſecreta cordium; non circa illa, quæ cognoſcunt euidenter vnico ſimplici intuitu, ſine compoſitione extremorum, prædicati ſcil. & ſubiecti prius apprehenſorum, qua vtuntur circa ineuidentia: circa euidentia autem falli nequeunt.

§. V.

Peccatum, Supplicium, &c.

OMnes, etiam reprobi, fuerunt primo inſtanti ſuæ creationis *Sanctificati*. Ita contra Hugonem, Alenſem, Bonauenturam, docent S. Thom. Suar. Vaſq. ex Script. Ezech. 28. & PP. Hier. Aug. & Ioan. 8. vbi Diabolus dicitur in veritate non ſtetiſſe.

Dicas, Ioannis 8. dicitur Diabolus eſſe homicida *ab initio*. Ergo non fuit à primo iſtanti iuſtificatus.

Reſp. Diabolus dicitur homicida ab initio, moraliter, id eſt paulo poſt ſuam creationem quando lapſus fuit. Cum PP. dicunt Angelos malos nuſquam habuiſſe charitatem, loquuntur de charitate conſtanti, & conſummata. Ex S. Auguſtino fuerunt quidem prius in tenebris, intelligendo præciſiuè prout habuerunt

runt ſe indifferenter ad gratiam primæ creationis.

Gratiam ſanctificantem primo inſtanti ſuæ creationis acceperunt: *non gratis*, ſed vt naturæ liberæ conuenientius eſt, proprijs meritis, non de condigno, quia principium meriti non cadit ſub meritum: ſed de congruo, per actum amoris Dei, auxilio tranſeunte, illo primo inſtanti elicitum. Illis enim, vtpote perſpicaciſſimis, mora fuit non neceſſaria ad deliberandum. Patres ſolum excludunt meritum de condigno, quando meritum illis negare videntur.

Creati ſunt iuxta S. Auguſt. in *Beatitudine naturali*, ipſis connaturaliter debita, non in ſupernaturali; alioqui non potuiſſent peccare. Hanc ergo meruerunt de condigno proprijs actibus illa prioribus etiam duratione, & ipſis facilibus, ideò enim PP. dicunt eos ſine labore accepiſſe beatitudinem.

Angelorum *Via* fuit pluſquam inſtantanea, Quia ex Auguſt. Beatitudinem acceperunt in præmium perſeuerantiæ, quæ dicit aliquam moram: fuit tamen, ex communi PP. ad DD. ſenſu, admodum breuis; quanta preciſè fuerit, determinari non poteſt.

Impeccabilitas non poteſt eſſe naturalis vlli creaturæ, adeòque nec Angelis. Hæc Aſſertio nititur ſola auctoritate S. Auguſtini, aliórumque PP. ex Script. id colligentium: Nulla enim ratio per ſe conuincit creaturam aliquam non poſse per ſua intrinſeca determinari ad bonum honeſtum tantum, ſicut poteſt per extrinſeca Dei auxilia ſemper efficacia.

Primum peccatum Angelorum non fuit luxuriæ corporalis vt voluit Orig. neque luxuriæ ſpiritualis ſitæ in nimio ſui amore, ſed (vt ex Tobiæ 4. colligunt Athan. Auguſt. & Ambroſ.) *ſuperbiæ*, ſitæ, non in efficaci appetentia æqualitatis cum Deo, quam ſciebant eſſe impoſſibilem; neque in ambitione vnionis hypoſtaticæ, cum hæc fuerit decreta poſt eorum peccatum: ſed in nimia ſui æſtimatione, & dilectione, qua ampierunt dominatum in cęteras creaturas, & nulli voluerunt ſubeſſe, nequidem Deo per actuale imperium ipſos gubernanti.

Quia hac ratione Lucifer, *Iſai. 14. Ezech. 28.* voluit eſſe ſimilis Altiſſimo, hoc eſt, ſibi ad beatitudinem ſufficiens, & nullius imperio ſubiectus. Vnde & videtur peccaſſe ex multiplici ſuperbiæ motiuo, & affectu, adeòque grauiſſimè.

Parum ſerius videtur conceptus P. Iacobi à S. Dominico, dum ſcribit in ſua *Caſſiopeia l. 1. c. 2.* ſuperbiam Luciferi ſitam fuiſſe in eo, quo voluerit aſſimilari Deo, non in eſſendo, ſed in agendo, ſcilicet abſque phyſicæ prædeterminationis auxilio, contra quem Michael pro prædeterminatione illa decertans triumphauit, dicens? Quis vt Deus? Verum hoc neque apud D. Thomam, neque apud alios vſpiam commemoratum reperimus.

Dæmones ſunt *obſtinati in malo*, vt quamuis phyſicè poſſint non peccare, cùm ex *Dionyſio*, naturalia retineant integra, moraliter tamen non poſſint: Quia ſunt gratia deſtituti, & ſuis pœnis ad Dei odium vehementiſſimè impulſi. Auguſtinus eis ſolum negat potentiam moralem ad bonum morale, non verò Phyſicam: ideòque dicendi non ſunt habere phyſicam arbitrij inflexibilitatem.

Patiuntur à vero igne. Eſt hodiè Catholica Doctrina, ex Script. & PP. ac præcipuè ex S. Auguſt. Non patiuntur ab igne eumdem dolorem, quem anima corpori vnita, illius enim doloris obiectum eſt malum perceptum ſenſu, quo illi carent. Nec patiuntur per ſolam alligationem ad locum, quæ non poteſt cauſare tantos cruciatus, quantos deſcribunt Sancti Patres. Neque per vehementiſſimam apprehenſionem ſuæ damnationis ab igne excitatam; ſic enim in eis non differet pœna ſenſus à pœna damni. Sed verè patiuntur per qualitatem ſpiritualem dolòriferam ab igne vt Dei inſtrumento, ijs impreſſam qua vtuntur, non quidem proprie, quod Spiritui repugnat: minus tamen impropriè, quàm in alijs ſententiis ſupra expreſſis.

Iſta *qualitas dolorifera*, eſt ſupernaturalis hoc ſenſu, quod ſuperet omnem naturæ exigentiam, non quod ſit ordinis diuini. Diſconuenit illa qualitas Angelis ſeipſa, vt fœtor odoratui. Dæmones habent complacentiam de malis hominum, non tamen *gaudium formale*, cuius ſunt æque incapaces, ac Beati veræ triſtitiæ, cum gaudium illud meritò cenſeri poſſit aliquod pœnæ leuamen, quod in damnatis non admittitur.

Infernus, locus eſt pœnalis damnatorum horrore plenus, & à Beatorum ſede remotiſſimus, in ipſo terræ centro. Hoc indicat paſſim *Scriptura*. In eo *ſemper aliqui* dæmonum fuerunt poſt eorum peccatum: *Omnes* in illum detrudentur poſt diem iudicij. Modò aliqui eo iis verſantur in aere, vbi puniuntur pœna eſſentiali, licet non accidentali detentionis in carcere infernali, de qua pœna intelligi debent Scrip. & PP. dum indicant dęmones necdum eſſe abſolutè damnatos, ſcil. per ſententiam illos ad carcerem infernalem

per-

perpetuò alligatam, quæ proferetur in die extremi iudicij. De his fusè *Eſtius in 2. diſt 6. §. 14. Cornelius à Lapide in 2. Petri 2. v. 4. alijque.*

Inferni capacitas pro innumera multitudine damnatorum (ſunt enim multo plures damnandi quam ſaluandi) eſt valde anguſta. Quidam dicunt continere ſpatium ſex Leucarum horariarum cum dimidia, ſecundum omnem dimenſionem. Iidem cenſent diſtare à ſuperficie terræ n.237. leucis horarijs. De hoc puncto latiùs tractat noſter *Derkenis de Angelis diſp. 7. cap. 7.*

Hæreſes.

COntra hanc primam Theologiæ Partem recenſentur hæreſes ſingulæ, cum ſuis Auctoribus, & refutantur, in fine *Tomi primi* huius Operis *pag.* 143. ſub hoc Titulo; *Notitia generalis*. Dogmatum ab Eccleſia damnatorum, & ſequuntur ordine Alphabetico ſub his Titulis in particulari, pag. 149. *Deus*, *Beatitudo* pag. 147. *&c. Creatura*, *Angelus*, *Mundus*, *Præſcientia*, *Prædeſtinatio*, *Diabolus*, *Infernus*.

PRIMA SECVNDÆ

De Beatitudine, Actibus Humanis, Legibus, Gratia, & Merito.

CAPVT PRIMVM.

De Beatitudinis eſſentia: de Voluntario & libero arbitrio.

§. I.

Beatitudo.

BEatitudo ſupernaturalis, *&* formalis non conſiſtit in aliqua *Vnione Phyſica* ſubſtantiæ diuinæ cum ſubſtantia animæ, vti docuit Henricus à Gandauo, *Quod lib. 6. quæſt. 6. & quodlib. 13. quæſt.* 12. Non etiam in vera, & reali *Transformatione* animæ in Deum vt ſuum principium, vt docuerunt aliqui Contemplatiui, quos redarguit Leſſius, *de ſummo bono* Cap. 2. Dum igitur aliqui etiam *Patres* dicunt beatos in Deum *transformari*, intelligendi ſunt de transformatione morali, qua Beati abſorbentur in amorem Dei, & perfectam cum illius voluntate conformitatem.

Probabilius videtur Beatitudinis formalis eſſentiam non conſiſtere in *ſolo actu intellectus*, per viſionem, vt vult *D. Thomas*: nec in *ſolo actu voluntatis* per amorem, vt docet *Scotus*: ſed in *vtroque ſimul*, ſcilicet clara Dei viſione, & perfecto eius amore amicitiæ, *Ita D. Bonauentura, & plures alij*. Ratio eſt, quia per hos duos actus habetur *perfecta poſſeſſio* ſumi Boni, in qua conſiſtit perfecta beatitudo, & felicitas.

Confirmatur ſummoperè per extrauagantem Benedicti XII. quæ incipit, *Benedictus Deus*. Et per Decretum Conc. Viennenſis, in Clementina *Dudum*, vbi dicitur, *Beatitudo conſiſtere in viſione, & fruitione Dei*. Ex his exiſtimare videtur *Vega, & Cordubenſiis*, aſſertionem hanc eſſe definitam, quod tamen verius negat hic *Suarez*, & plures alij, ideoque ſententia hæc non niſi probabilior æſtimanda eſt.

Obiectiones pro ſententijs oppoſitis poſſunt conciliari hac diſtintione: Si beatitudo ſpectetur in genere *moris*, principaliter in *Amore* conſiſtit, ſecùs ſi in genere *Naturæ*, ſiue aſſecutionis obiecti perfectè ſatiatiui omnis deſiderij. Nam ex Viſione Dei illius Amor neceſſariò profluere debet, & ſic vtrumque ſaltem conſecutiuè neceſſariò connecti debet.

Viſio *Eſſentiæ diuinæ*, ſiue viſione Perſonarum, ſimpliciter bearet. Quia eſſet boni ſimpliciter infiniti poſſeſſio.

Viſio beatifica eſt *neceſſaria, ac perpetua*. Quia ſiue perpetuitate, & quidem cognita, non eſſet perfectè ſatiatiua deſiderij.

Beati *Viſio reflexa* ſuæ durationis perpetuæ in decreto Dei, eſſet eſſentialiter indeſtruibilis, ideoque videtur repugnare. Quia deberet eſſe eſſentialiter vera, ſuppoſito quod à Deo ſemel producta fuerit, ideòque à parte

poſt

poſt ratione obiecti, ſui ſcill. iſtius decreti, eſſet intrinſecè, & eſſentialiter æterna: ens autem intrinſecè, & ex eſſentia ſua ęternum, & indeſtruibile repugnaret perfecto Dei Dominio illud pro libitu deſtruendi: ideòque tale ens poſſe dari, *Suarez*, & *Vaſquez*, erroneum iudicant.

Neque dicas, cum *Eſparſa*, hoc poſſe intelligi tantum de ente quod ratione ſuæ Perfectionis eſſet indeſtruibile, non ratione talis obiecti.

Reſp. rationem iam aſſignatam, vtrumque euincere, repugnat enim ens ex ſua intrinſeca eſſentia repugnans Dominio Dei, ex quocumque prædicatio illa repugnantia proueniat.

Beati ſunt ſimpliciter *impeccabiles*. Eſt de fide, in quo errauit *Origenes*. Et patet ex 1. Petr. cap. 1. vbi beatititudo dicitur, *hæreditas incorruptibilis*.

Potentia peccandi in ſenſu diuiſo, non ſtat cum viſione prout de facto datur, ſtaret, ſi data fuiſſet vt in ſui conſeruatione eſſet dependens ab aliquo actu libero Beatis imperato ſub peccato. Quia tunc viſio ſemper eſſet poſterior iſtu actu, cuius proindè libertati nihil poſſet officere.

Non poteſt etiam ſtare viſio cum vllo *Mortali*, etiam *habituali*, imò nec cum vllo *veniali*. Quia eſt participatio diuinitatis perfectiſſima, adeòque terminus diuinæ dilectionis ad perfectiſſimam Dei amicitiam eleuantis. Cum qua amoris vnione perfectiſſima, Dei offenſa in nullo gradu coſiſtit.

Vide plura de Viſione Beatifica, Lumine gloriæ, &c. ſupra Part. I. Cap. I. §. de Viſione Dei.

§. II.

Voluntarium.

Voluntarium ſiue ſpontaneum ſtrictè, eſt quod procedit à voluntate cum cognitione. Latiùs patet voluntarium quàm liberum; quia omne liberum eſt voluntarium, non contra, vti patet in voluntatis actibus primo primis, in amore beatifico, &c. quæ ſunt voluntaria, non tamen libera.

Voluntarium *directum* dicitur, quod eſt à voluntate poſitiuè agente: *indirectum* quod eſt à voluntate vt non agent cum agere poſſit, aut debeat, vti & omiſſio actus liberi, & effectus ex ea ſecutus, v. g. dum nauarchus caret voluntate dirigendi nauem, quam tenetur habere.

De his, & ſequentibus, his quæſtiones tantum ſpeculatiuæ, infra Part. II. practica traduntur.

Ad *voluntarium* indirectum *negatiuum* non requiritur actus voluntatis; vnde phyſicè loquendo dari poteſt *pura omiſſio libera*, ad quam ſufficit actum non poni à voluntate potente illum ponere.

Nec plus requiritur vt ſuppoſita obligatione, actus omiſſis ſit peccaminoſa. Ita cum pluribus docere videtur D. Thomas quęſt. 2. de malo artic. 1. *Aliquid*, inquit, *dicitur eſſe voluntarium non ſolum quia cadit ſub voluntatis actu, ſed quia cadit ſub poteſtate voluntatis.*

Moraliter tamen non poteſt dari pura omiſſio libera ſine aliquo actu eam cauſante, vel occaſionante. Quia ſine hoc vix procedit more humano.

Voluntas *purè omittens* habet negationem actus, à qua *præſcindit* in ſtatu indifferentiæ, in quo eſt non volens præciſiuè non negatiuè. Ad eam tamen prærequiritur *cognitio motiui auocantis ab actu*, ſine qua haberi nequit indifferentia judicij, adeòque nec æquilibrium voluntatis.

Porrò ad omiſſionem liberam etiam requiritur *poteſtas ſufficiens ad actum*. Sine hac enim non eſſet à voluntate non agente cum poſſit agere: vnde omnis omiſſio voluntaria eſt libera, & ad eam requiritur aliquis actus intellectus obiectum proponens ſub indifferentia, licèt non actus aliquis à voluntate elicitus.

Hinc *omiſſio peccaminoſa* ex ignorantia vincibili ſupponit cognitionem confuſam obligationis agendi, quæ tamen obligatio non eſt neceſſaria ad omiſſionem voluntariam; ſed ſolum ad peccaminoſam, de qua S.S. Thomas, alijque.

Effectus ex omiſſione ſecutus vt ſit voluntarius, requiritur aliqua eius cognitio, non obligatio eum impediendi ſi ſequatur per ſe, ſecùs ſi per accidens, vt rectè S. Thomas alijque. Quia alioqui talis effectus non eſſet moraliter connexus cum omiſſione, & omittente vt eius cauſa.

Hinc peccata non ſunt voluntaria Deo omittenti illa impedire, ne quidem indirectè, & permiſſiuè.

Impediendi effectus obligatio, in eo cauſat rationem voluntarij indirectè, faciendo vt habeat connexionem moralem cum non impediente, à quo debebat, & velut exigebat impediri, ratione cuius connexionis prudenti iudicio effectus tribui poteſt non impedienti vt eius cauſæ. Id autem ex quo aliud ſequitur per

per accidens, non eſt eius cauſa, quia cauſæ eſſentiale eſt per ſe influere.

Dices, contra puram voluntatis omiſſionem: Concipi non poteſt, quomodo per illam poſſit voluntas ex indifferenti circa aliquod obiectum fieri determinata, quod mutationem aliquam nouam requirit. Ergo numquam datur illa omiſſio per ſe ſine aliquo actu poſitiuo voluntatis.

Reſp. Satis id concipi poſſe, & ad illam determinationem, & mutationem ſufficere, ipſum exercitium libertatis per ſolam applicationem potentiæ liberæ ad certum obiectum abſque illius actu, præſuppoſita intellectus cognitione, motiuis indefferentibus, &c. & ſic tollendo indifferentiam actus primi, & conſtituendo ſe in illo ſtatu, vt ipſa omiſſio ſit ipſi moraliter imputabilis. Atque ita in hac ſententia faciliùs intelligitur exercitium libertatis diuinę ſine nouo actu, vti & reſiſtentia voluntatis noſtrę gratię diuinę, per ſolam non cooperationem noſtram cum gratia: quamuis ſententia negans dari in voluntate noſtra puram omiſſionem liberam, ſit etiam probabilis.

Violentum eſt ab extrinſeco, reſiſtente paſſo, dicitur etiam reſpectu appetitus innati, *coactum* verò reſpectu ſolius eliciti.

In voluntatem *violentia* propriè cadere non poteſt quoad actus à ſe elicitos. Sunt enim voluntarij eo ipſo, quo ſunt à voluntate eliciti: Poteſt *impropriè*, imò, & propriè quoad ceſſationem ab actu, ſed à ſolo Deo. Item quoad actus imperatos materialiter, id eſt, actus potentiarum, quibus voluntas ſolet imperare: non tamen quoad motum vitalem potentiæ motiuæ, niſi à Deo violentia illa inferatur.

Ex metu quod procedit, eſt voluntarium abſolutè, & ordinariè inuoluntarium ſecundum quid, vt iactura mercium metu naufragij, non ſemper, vt patet in efficaci fuga peccati ex metu gehennæ: vnde metus minuit quidem peccatum, non tollit. *De quo infra in Tomo II. par. III. Tract. I. quæſt. 21. de Attritione ex Metu gehennæ.*

Concupiſcentiæ per ſe loquendo cauſat voluntarium ſimpliciter, non inuoluntarium ſecundùm quid, niſi per accidens, vt quando reluctatur conſcientia. Ratio eſt, quod non mouet ad minus malum ſtudium vitandi maioris, ſicut metus, ſed ad bonum delectabile, ad quod voluntas de ſe habet propenſionem.

Hinc concupiſcentia auget voluntarium, licet minuat liberum, quatenus augendo eius voluntatis inclinationem, minuit indifferentiam, vt rectè *S. Thomas*.

Ignorantia quæ dicitur antecedens non cauſatur à voluntate, & cauſat opus; *concomitans* neque cauſatur à voluntate: neque cauſat opus; *conſequens* cauſatur à voluntate: ſi cauſet opus, eſt antecedens ſecundum quid, ſi non cauſet, concomitans ſecundum quid dici debet.

Ignorantia *affectata*, eſt ſtudioſè quæſita; *Craſſa*; eſt orta ex graui negligentia, *non craſſa*, ex leui, *inuincibilis*, & iuſta eſt, quæ moraliter vitari nequit, *vincibilis* contra, quæ per voluntatem vinci poteſt.

Si ignorantia ſit *abſolutè antecedens* cauſat inuoluntarium ſimpliciter quoad circumſtantias ignoratas: *concomitans* non cauſat voluntarium nec inuoluntarium poſitiuè, ſed inuoluntarium priuatiuè, ſeu non voluntarium in ſubiecto capaci; *conſequens* cauſat voluntarium ſimpliciter, & ſubinde inuoluntarium ſecundum quid, quando nempè eſt cauſa operis.

De ignorantia *inuincibili ac vincibili* deducuntur reſolutiones infra in *Tom. II. Tract. I. pag. &c.*

Repugnat *volitio* obiecti ſine præuia eius *cognitione*: Eſt S Auguſt. & Bernardi, contra Gerſonem, & Bonauent. Vnde S. Dionyſius ad vnionem cum Deo non excludit omnem cognitionem, ſed ſolum rerum creaturarum Experientia Extaricorum abſque vlla, vt aiunt, cognitionem Deo affectiuè vnitorum, eſt mentis deceptio, qua facilitate piorum effectuum putant ſe nihil cogitare, & ſine cogitatione amare, &c.

Mouet voluntas potentias inferiores, non phyſicè, ſed imperio efficaci ratione ſubordinationis, & radicationis in eiusdem animę potentia.

Voluntati ſubijciuntur *ſenſus externis* mediatè: *ſenſus internus*, appetitus ſenſitiuus, & intellectus immediatè, ſed ſolum ciuiliter: potentia motiua deſpoticè, id eſt, ſic vt reſiſtere non poſſit.

§. III.

Liberum.

L*iberum* variè accipitur, nempè pro immuni à ſeruitute hominis, à peccato, à concupiſcentia, à coactione, & à neceſſitate antecedente. Libertas à *peccato* eſt libertas procedens à gratia eam conferente; libertas à *coactione* eſt libertas naturę tali per ſe competens liber-

libertas à *neceſſitate* eſt libertas indifferentiæ, ſiue, potentiæ ſe ad vtrumuis determinandi.

Liberum arbitrium conuenit homini in ſtatu *naturæ lapſæ*, etiam in iis quæ ſunt virtutis, & vitij. Eſt de fide contra Lutherum, Caluinum &c. Patet ex Scrip. Concil. PP. ac præſertim ex Auguſtino, qui ſolum vult peccato primi hominis perditam eſſe libertatem à *ſeruitute* peccati, diaboli, & concupiſcentiæ. Conſiſtit vera libertas in libertate indifferentiæ, non in ſola eſſentiali, ſive à coactione, vti latius de 5. prop. Ianſenij *Tomo I. Tract. II. c. II. pag.* 117. & *pag.* 114.

Actus liber non eſt aliquid *ſimplex*, ſe *complexè* ſignificabile, plura diverſimodè importans ex parte cognitionis, principiorum &c.

Quod in actu libero directè Deo placet, vel diſplicet, eſt ipſe actus, non ſecundum ſe ſed vt ſubſtans variis connotatis, poſitiuis, negatiuis, &c. ex quibus varia ſunt ad bonum & malum indifferentia, vti & ipſa libertas illis innixa

Voluntas poteſt ex *mediis æqualibus* eligere alterutrum, imò & *minus bonum*. Quia hoc eſt vtile, & vtilius ad vnum talem medium non eſſe neceſſitatum. Ratio vlterior eſt, quod vtrumque requiratur ad libertatem. Cum enim motiua in vtramque partem ſemper proponantur vt æqualia, vel vt inæqualia ſemper eſſet voluntas ſuſpenſa in caſu æqualitatis, vel neceſſitata ad vnum in caſu inæqualitatis, quod ſalua vera libertate indifferentiæ admitti non poteſt.

Hinc homo volens ſaluari non neceſſariò eligit medium ſecurius: alioqui ejus electio eſſet libera, & conſequenter meritoria non foret.

Voluntas ſiue creata ſiue increata *neceſſitata ad melius* non eſſet libera: vnde certum eſt voluntatem diuinam poſſe ex bonis creatis æqualibus eligere vtrumlibet, & ex inæqualibus minus bonum præligere.

Eligere poteſt voluntas *minus bonum*, *ſpecificatiue* non *reduplicatiue*, ſic nempe vt minoritas boni ſit morale motiuum electionis. Sic enim ferretur voluntas in malum qua tale: nam electio minoris boni, præcisè qua talis, eſt inordinata nullo alio motiuo concurrente.

Iſta *electio minoris boni* ſit propter rationem tenentem ex parte potentiæ, v.g. ratione exercitij libertatis, ſeu, quia ita placet. Vnde per hoc non præfertur minus bonum maiori ſignatè, ſed ſolum exercitè, quia ſcilicet hoc magis fauet libertati electionem indifferentem boni à Deo hominibus conceſſæ.

Efficax intentio finis determinat ad electionem *vnici medij* propoſiti vt hic, & nunc neceſſarii, quo non obſtante electio remanet libera, tum denominatiuè, tum quoad circumſtantias non neceſſarias ad finem, non quoad ſubſtantiam actus. Quia vt ſi eſt neceſſaria ex ſuppoſitione antecedente, & non procedit è voluntate immediatè ante indifferenti, quia ſupponitur intentio finis fuiſſe abſolutè efficax.

Non ſolet intentio *abſolutè efficax* ante medij cognitionem, ſed habet hanc tacitam conditionem, ſi in medio non reperiatur nimia difficultas, aut aliqua inhoneſtas.

Quæres 1. An ad actum voluntatis liberum requiratur imperium rationis, ſiue judicium practicum determinans, cum quo non poſſit componi non actus?

Reſpondeo negatiuè, cum *Suare*, *Vaſque*, *Oviedo*, contra noſtrum *Valentiam*, & *Bellarminum*, *cum variis Thomiſtis*. 1. Quia poſito tali imperio voluntas non eſſe libera ad non agendum. 2. Quia intellectus, à quo procederet iſtud imperium ſiue iudicium practicum, non eſt potentia formaliter libera. 3. Quia ſi illud ipſum imperium rationis debeat dependere à libertatis voluntatis, vel dabitur progreſſum in infinitum, vel deveniendum erit ad aliquem actum voluntatis, liberum, qui ab iſto imperio ſiue judicio practico non dependet, vt facilè patet conſideranti.

Quæres 2. An aliqua potentia naturaliter non libera, v.g alicujus animalis, poſſit eleuari à Deo ad liberè agendum?

Reſpondeo negatiuè, quia ſolus intellectus poteſt rem proponere cum indifferentia obiectiua: & ſola voluntas eſt potentia libera, ſiue capax libertatis, cum etiam ex libertate voluntas humanæ probetur animæ immortalitas, ex communi Theologorum conſenſu.

CAPVT II.

De actum humanorum Bonitate & Malitia.

Bonitas *morali* eſt conuenientia cùm recta ratione; *Malitia* eſt diſconuenientia. Alia *obiectiua* ab obiecto; alia *formalis* ab intrinſeco actui conueniens: hæc ſumpta incompletè eſt ipſa actus tendentia completè inſuper dicis libertatem &c.

Actus

Actus internus accipit bonitatem ab obiecto vt *conuenienter* amabili, vel odibili; malitiam ab obiecto vt *diſconuenienter* amabili, vel odibili. Obiecta actum internorum, quæ ſecundum ſe ſunt actus externi virtutis aut vitij, vt datio eleemoſynæ, habent formaliter bonitatem, & malitiam moralem, alia non cauſaliter.

Actus verſantes circa obiecta de ſe *indifferentia* bonitatem aut malitiam accipiunt ex obiecto formali, & circumſtantijs. Bonitas ex obiecto eſt prima, & ſpecifica, cum actus ſpecificentur ab obiecto, etiam in eſſe morali: ſimiliter malitia actus ſic ſpecificatur.

Vt *bonus* cenſeatur actus, debet ferri in honeſtatem obiecti ſaltem confusè, cum ab ea debeat ſpecificari, & conſtitui in eſſe actus honeſti: at verò vt ſit *malus* ſufficit quòd obiecti malitia ſit cognita, & interpretatiuè volita: Malum enim eſt ex quolibet defectu.

Circumſtantia eſt affectio accidentalis actui ſpectato in genere moris, aliquid tamen ad bonitatem, aut malitiam conſerens eſt ſeptuplex, ſcil. *Quis, quid, vbi quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*. Conuenit etiam actui interno, vt duratio, intenſio, modus quo fit cum maiori, aut minori libertate, cognitione, reſiſtentia, aut inclinatione paſſionis aut habitus, & ſimiles circumſtantiæ, quæ ſe tenent ex parte actus aut potentiæ agentis. Quædam ex illis mutant ſpeciem moralem actus, quædam non mutant. Sic duplicem ſpeciem peccati habet volitio occidenti hominem in loco ſacro, ſcil. homicidij, & ſacrilegij.

Bonitas, & malitia ſunt eſſentiales actui in eſſe *moris*, non in eſſe *naturæ*, cum quilibet actus entitatiuè inuariatus fieri poſſit ex bono non bonus, per ſublationem libertatis.

Quando eſt *Electio mali medij* ad Finem malum, habet *duplicem malitiam*, & quidem ſpecie diuerſam quando finis, & medium habent malitias ſpecie diuerſas, vt cum quis vult furari ad fornicandum. Secùs eſt in electione boni præcisè vt medij ad bonum finem. Quia tunc electio honeſtatem medij ſecundum non attingit.

Actus minus perfectus poteſt imperare actum ſe perfectiorem, quia actus imperans non eſt principium eius productiuum, ſed applicatiuum virtutis productiuæ actus perfectioris. Hinc attritio hic, & nunc imperans efficaciter contritionem non tollit eius meritum, imò nec libertatem: Quia eo caſu, actus imperans, & imperatus ſunt ex eadem determinatione voluntatis.

Actus imperatus, ab imperante accipit bonitatem extrinſecè, & denominatiuè, eodem ferè modo, quo actus externus ab interno; ſecùs imperans ab imperato: Quia ille ab hoc non dependet, ſicut hic ab illo, vtpotè ab ordinante in finem determinatum.

Aliquis actus *venialiter malus* poteſt pro inſtanti quo eſt, imperare actum v. g. amoris Dei deſtructiuum peccati mortalis. Quia amor ille per ſe mortali opponitur, neque per actum imperantem intrinſecè vitiatur.

Actus externus per ſe nihil addit bonitatis aut malitiæ actui interno in ordine ad meritum aut demeritum coram Deo, qui ex Script. & PP. voluntatem pro facto accipit: Ratio eſt, quod per ſe nihil addat libertatis. Plerumque tamen auget eius bonitatem aut malitiam, *per accidens*, ratione maioris durationis, intenſionis, & numericæ multiplicationis, quæ in actus externi exercitio interuenire ſolet.

Dices, Perceptio externa Sacramenti, & paſſio Martyrij addit peculiarem bonitatem actui interno quo illa deſiderantur.

Reſp. Illam addi ex opere operato, non ex opere operantis, de quo hic agimus.

Dantur aliqui actus *Indifferentes ſecundum ſpeciem*, non poſitiuè, id eſt, quibus ex ſua eſſentia conueniat indifferentia ad bonum, & malum, ſed præciſiuè, id eſt, de ſe abſtrahentes à bono, & malo, vt volitio abſtracta calefactionis, ambulationis &c. & hoc ſæpiùs Patres indicare, & velle videtur. Ratio, quia in hoc nulla oſtenditur deordinatio. Maior eſt difficultas, an dentur actus in indiuiduo indifferentes, pro qua ordine ſic procedo.

Conſtat dari actus *in indiuiduo indifferentes* ad meritum, & demeritum, quales ſunt actus moraliter boni merè naturales, præſertim infidelium, quod ſatis conſtat: *non tamen* ita dari indifferentes ad ſolam bonitatem, aut malitiam *moralem*: Quia vel referuntur ad finem honeſtum, & boni ſunt, vel non, & ſic ſunt otioſi, & conſequenter mali, ſiquidem otioſum eſt, quod caret honeſtate rectitudinis, vel iuſtæ vtilitatis.

Sententia tamen, cum Scoto, Vaſquez, alijſque, etiam Patribus, *admittens* actus indifferentes in indiuiduo, etiam quoad bonitatem, & malitiam moralem, eſt omnino probabilis, & ad vitandum ſcrupulos, & multiplicationem venialium, magis videtur in praxi exponenda, ex hac conſideratione: Quia conſtat dari ſaltem per accidens actus indifferentes in indiuiduo, in ijs ſcil. qui Sententiæ hoc affirmanti ſe conformant: cum rationes in oppoſitum

ſitum non euincant tantam obligationem ſub præcepto toti naturæ impoſitam eſſe pro ſingulis actionibus etiam leuiſſimis, vt mouere deliberatè manum, pedem, vel digitum, ſiſtendo in moderata, commoditate naturæ ſenſitiuæ, in qua non facilè oſtenditur inordinatio ad peccatum ſufficiens.

CAPVT III.

De conſcientia Erronea, Dubia, Practicè certa, Probabili, &c.

D*E his ſingulis, & de controuerſijs modernis quæ circa ea agitantur, tractatur in hoc Opere infra* Tom.2.Tract. 1. *& alijs latè ſequentibus. Hic tantum pauca, & ferè ſpeculatiua adijci poſſunt.*

Rectè definitur *Conſcientia* dictamen rationis ſiue actus intellectus quo iudicatur aliquid hic & nunc agendum, vel omitttendum eſſe, vel fuiſſe tamquam bonum, vel malum. Differt Conſcientia ab actu qui dicitur *Syntherèſis*, ſiue moralis ſapientiæ, quod hic verſetur circa principia honeſtatis; & in honeſtatis in genere; *Conſcientia* verò ſpecialiter dictet hoc vel illud, hic & nunc licere, aut non licere dictamine particulari.

Conſcientia diuiditur in veram, erroneam, laxam, phariſaicam, certam, tutam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam. Conſcientia *vera* dictat licere quod verè licet: *erronea* non licere quod licèt, vel licere quod non licet. Operans contra Conſcientiam erroneam peccat: 1. Quia, quod non eſt ex fide (ſeu perſuaſione quod liceat) peccatum eſt, *ad Romanos* 14.2. Quia, faciens bonum putans eſſe malum interpretatiuè vult malitiam.

Numquam licitum eſt, etiam per *diuinam diſpenſationem*, agere contra conſcientiam, quamuis errantem: Quia eſt intrinſecè malum facere id, quod iudicatur malum: ſic agere pertinet ad ſpeciem, & grauitatem peccati, quod erronee apprehenditur ſubeſſe.

Poteſt aliquando fundari Conſcientia *tuta* in opinione *probabili etiam aliena*, propriæ contraria. Quia prudenter agit, qui ſuum iudicium, forte falſum, ſubmittit aliorum peritorum iudicio fortè veriori, in eoque fundat dictamen prudens conſcientiæ practicæ, ita *Sanchez, Layman, Ouiedus, & plures alij*. Vnde ſic operari contra opinionem propriam non eſt operari contra ſuam conſcientiam ſeu dictamen, quod hic & nunc non liceat ita operari; ſed potiùs eſt dictamen illud ſuum per aliud prudenter, & practicè deponere.

Confeſſarius debet abſoluere pœnitentem de cœtero bene diſpoſitum; qui tenet ſententiam, vere probabilem, v.g. de reſtitutione, ſuæ ſententiæ contrariam. Quia in eo caſu pœnitens de cœtero rite diſpoſitus ius habet vt iuxta ſententiam verè probabilem abſoluatur, quæ præualet ſententiæ vnius particularis confeſſarij.

Conſultus poteſt dare conſilium iuxta ſententiam verè probabilem ſuæ contrariam, & tenetur, dum agitur de obligatione reſtituendi illam indicare conſulenti, quem poteſt remittere ad alios viros doctos, & probos, quamuis ſe laxiores, in re tamen verè probabili. Quia ſimul verè poteſt exiſtimare, forte alios de illa re melius iudicare, quod facile poteſt à parte rei ſubeſſe.

Scrupulus eſt actualis aut habitualis apprehenſo anxia peccati ex leuibus fundamentis, vbi reuera non ſubeſt. Conſiſtit primariò in intellectu, ſecundariò, ſcil. quoad anxietatem, in voluntate.

Qui ex proprio, aut confeſſarii iudicio, ſufficienter ſcit ſe eſſe ſcrupuloſum, *prudenter agit contra ſcrupulum*. Quia ſcrupulus non eſt Conſcientia, ſed eius vmbra ex falſa, vel imprudenti perſuaſione mentis nimis timidę, nimis ſimplicis, aut nimis perturbatæ, quæ etiam in doctos, & pios cadere poſſunt.

Scrupuli *remedium præcipuum*, & efficaciſſimum eſt humiliter obedire Confeſſario, cui ſe ex ſincero Deum non offendendi deſiderio ſubmittens, non poteſt errare, nec peccare.

De Conſcientia ſcrupuloſa pluqa deducuntur infra Tom.2.Tract.1.Princ.2.

Timoratus, qui in mortalia externa nulla labitur, & interim angitur de internis cogitationibus, moribus, &c. ſecurè poteſt, & ex prudentis Confeſſarij conſilio, debet iudicare, ſe iis non conſenſiſſe. Quia non eſt morale, ut qui ex amore Dei numquam labitur in externa ipſi libera, qualia ſunt aſpectus, tactus, aliique actus impudici circa proprium, vel alienum corpus, quos ſine vlla infamia in promptu habet conſentiat illa cogitationibus, aut moribus internis quæ multò minùs afficiunt, & alliciunt.

CA-

CAPVT IV.

De Peccatis, Actuali, Omiſſionis, Commiſſionis, eorumque Malitia, Delectatione moroſa, & Ignorantia Legis Naturæ.

DE *his agitur in huius operis infra* Tom. 2. Tract. 5. de Peccatis, & Præceptis. *Hic pauca principia ferè ſpeculatiua reſtant addenda.*

Peccatum eſt exercitium libertatis poſitiuum aut negatiuum contra legem Dei.

Aliud eſt *commiſſionis*, aliud *omiſſionis*; hoc Phyſicè poteſt eſſe ſine omni actu, qui ſit eius cauſa vel occaſio. Cum ad id ſufficiat voluntatem non velle, quod poteſt, & tenetur velle.

Talis omiſſio eſt voluntaria interpretatiuè, per eam quidem voluntas ſuſpendit exercitium libertatis poſitiuum; quod eſt proprietas actus humani, non tamen negatiuum, & interpretatiuum, proprium puræ omiſſioni, quæ poteſt eſſe demeritoria, non meritoria. Quia meritum debet procedere ex motiuo ſupernaturali, quod per ſe conuenire nequit puræ omiſſioni.

Omiſſionis grauitas petitur ex præſtantia actus omiſſi, ex facilitate præcepti, & ex fine ipſius omiſſionis.

Volens *incompoſſibile* cum opere præcepto, vult eius omiſſionem, ſi hæc non ſit determinata prius natura, ſecùs ſi præſupponatur determinata.

Suadens malum alteri ad illud antecedenter *determinato*, peccat; Quia afficitur ad malum & in eius volitione alterum confirmat, quod eſt per ſe inordinatum.

Quoties ponitur liberè *cauſa* futuræ omiſſionis peccaminoſę, tunc peccat peccato omiſſionis incompletæ, ſeu præcisè vt in cauſa volitæ. Quia tunc homo vult interpretatiuè iſtam omiſſionem: Ita Theologi omnes, contra Marſilium.

Quando, vrgente præcepto, eſt in hominis poteſtate deſiſtere ab *opere omiſſionem cauſante*, & præceptum implere, tunc ipſa omiſſio eſt formaliter peccatum: Cum illa ſit libera intrinſecè, eo ſcilicet modo quolibet eſſe poteſt actus externus: vt ſi liberè inſiſtens colloquio, inde cauſet omiſſionem Sacri die feſtiuo.

Si *cauſa omiſſionis* non eſt ampliùs in poteſtate hominis, dum ſit omiſſio, tunc non eſt vllo modo libera dum exercetur, adeòque nec peccatum formaliter: Alioqui Iuſtus, imò & Beatus, poſſet peccare per effectum conſecutum ex eius mala voluntate, etſi illa pridem retractata fuerit.

Peccata commiſſionis malitia, non conſiſtit in priuatione rectitudinis *in actu*. Patet, quia iſtius priuationis eſt incapax odium Dei, ſaltem ſecundum ſuam rationem ſpecificam, ſecundum quam tamen eſt malum. Illi quidem ſpectato ſecundum rationem genericam odij non repugnat rectitudo, ſed hoc non ſufficit vt tale odium dicatur illius rectitudinis capax: alioqui brutum dici poſſet capax rationis, eaque propriè priuatum. Quia rationi genericæ animalis rationalitas non repugnat.

Non conſiſtit etiam in priuatione rectitudinis *in potentia*, ſeu voluntate: Alioqui peccatum ommiſſionis, & commiſſionis v.g. odium Dei, & omiſſio amoris Dei, vrgente præcepto, non different malitia formali, cum in vtroque in voluntate agentis, aut omittentis, ſit priuatio eiuſdem rectitudinis, cuius eſt capax, id autem admitti non poteſt.

Illa itaque malitia conſiſtit in *poſitiua, ac libera tendentia* actus in obiectum modo diſconuenienti: Illa enim precisè poſita habetur formalis malitia odij Dei, &c. Fauent huic doctrinæ Chryſoſt. Auguſt. a lijque PP. docentes peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed actum poſitiuum, ſicut claudicatio eſt actus, non ſola priuatio, &c.

Neque refert, quod aliquando Patres peccatum dicant eſſe *nihil*, *non ens*, *&c.* loquuntur enim de malo vt abſoluto, id eſt, quod in ſe caret debita perfectione; non de reſpectiuo quod eſt aliquid per ſe alteri diſconueniens; vt calor aquæ; vel de natura quæ ſit per ſe mala, quam dari negant; vel de peccato habituali, quod nihil eſt quaſi phyſicè inexiſtens animæ, niſi priuatio juſtitiæ; vel de actuali, quod ſit priuatio gratiæ, non formaliter, ſed cauſaliter, & conſecutiuè, ſicut eſt mors animæ; vel de malitia formali completè ſumpta, quæ vt ſic non eſt aliquid actui ſuperadditum per ſe cauſabile in genere cauſæ efficientis, ſed ſolum in genere cauſæ formalis, per denominationem extrinſecam à voluntate moraliter deficiente, ſiue liberè diſcedente à dictamine rectæ rationis de peccato non ponendo.

Specie differunt peccata, per repugnantiam cum præceptis ſpecie diuerſis, ut furtum à ſacrilegio, quia hoc præcepto religionis, illud iuſtitiæ repugnat.

Non omnia ſunt *æqualia*, vt aliqui perperam docuerunt. Quia non repugnant æqualiter

ter rationi & legi, à qua poteſt ſecundum malus & minus recedi, nulla tamē ſunt contemnenda vt parua, cum ſingula Deo diſpliceant.

Damnum ſiue *nocumentum* ex peccato, ſaltem confusè præuiſum, illud aggrauat, grauitate ea quam cauſare poteſt effectus per modum obiecti, & ſi ſit volitum vt malum alteri ex eius diſplicentia, accedit alia grauitas odij peccatum conſtituit.

Quando actio *merè per accidens* dat alteri occaſionem nocumenti, ſiue temporalis, ſiue ſpiritualis, non participat illam malitiam effectus inde ſecuti.

Inductio alterius ad veniale, *vt eſt peccatum*, continet malitiam mortalem: Quia hoc eſt velle proximo malum ſpirituale grauius quouis malo corporali, & formaliter velle vt ſic offenſam Dei, quod eſt per ſe grauiter inordinatum.

Pœna quæ eſt debita *venialibus*, quoad culpam in hac vita non remiſſis, non fit *æterna in damnatis*: ſed abſque vlla redemptione ſeu remiſſione per *ſatiſpaſſionem* extinguitur eius dignitas, ſiue reatus formalis ſita in eo, quod eſt peccaſſe & pænam non eſſe remiſſam, nec perſolutam; non tamen extinguitur reatus radicalis ſitus in culpa, quæ in damnatis ſemper perſeuerat.

Peccant quidem *damnati* ſibi complacendo in ſuis peccatis, ſed fit hoc ſine *demerito*. Quia ſunt in termino extrinſeco viæ conſtitutæ à Deo ad merendum vel demerendum.

Verius eſt Deum etiam de potentia abſoluta, non poſſe *innocentem flammis æternis addicere* vti rectè contra aliquos, docet *Scotus, Marſilius & S. Auguſt.* lib. 3. contra Iulianum cap. 18. *Poteſt*, inquit, *Deus aliquem ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt*.

Peccatum rationi grauiter repugnans, cum *inuincibilis ignorantia Dei*, non eſt contra Deum mortale, cum nullum Dei, vtpote non cogniti, contemptum includat: eſt tamen graue grauitate *Philoſophica*, non Theologica; quia opponitur tantum rationi, non Deo, vtpote non cognito inuincibiliter.

Peccati mortalis Malitia eſt infinita ſecundum quid. Quia eſt ſupremi ordinis in ratione malitiæ, adeoque omnes alias malitias poſſibiles ſiue culpæ, ſiue pœnæ etiam in infinitum creſcentes excedit, & eminenter continet.

Non eſt tamen *infinita ſimpliciter*. Quia quolibet peccato poteſt dari aliud grauius; infinito autem aliud maius dari non poteſt.

Nec refert, quod perſona Dei peccato offenſi, ſit dignitatis ſimpliciter infinitæ: Quia illa dignitas non cognoſcitur à peccante cognitione perfecta, & Deo offenſo adęquata.

Pœna æterna non eſt ſimpliciter *infinita*. Quia poteſt dari maior, nempè quoad intenſionem non quoad durationem. Hinc etiam beatitudo Sanctorum non eſt infinita, licet ſit ęterna. *Pœna damni* eſt quidem priuatio boni infiniti, ſed ſolum finitè poſſidendi, adeoque finita cenſeri debet.

Dici nequit *Deus peccati author* aut *prædefinitor*. Eſt de fide ex ſcriptura, quæ in Deo circa peccata ſolum agnoſcit decreta permiſſiua, aut conſequentia de aliquo bono ex eis eliciendo: vnde rectè dixit Damaſcenus *lib.* 4. *De Fide cap.* 20. moris eſſe diuinæ Scripturæ permiſſionem Dei actionem eius vocare, & quædam, quæ ſecundum euentum debent intelligi, cauſaliter aliquando exponere, rigorem noſtrum Philoſophicum non ſpectando.

Deus *non prædefinit* nec phyſice *prædeterminat* actum etiam *materialem* peccati ponendum eo modo, iiſque circumſtantijs, quibus non poteſt non eſſe peccatum, vt volunt varij prædeterminationis fautores. Quia illum actum etiam directe prohibet: Repugnat etiam diuinæ bonitati & iuſtitię velle motione efficaci impellere vt fiat, quod prohibet fieri; ergo &c.

De hoc fuſius tractatur ſupra Tomo 1. Controuerſ. 2. pag. 114. &c.

Delectatio moroſa ſeu deliberata de obiecto illicito, eſt illicita, & quidem grauiter (etiam ſecluſo conſenſu in opus) ſi obiectum ſit grauiter illicitum. Ratio eſt quod voluntarie affici ad malum, etiam ſolo affectu ſimplicis complacentiæ, ſit inordinatum & conſequenter graue peccatum, ſi obiectum iſtius, affectus grauem malitiam intrinſece vel extrinſece adiunctam habeat.

Vt delectatio ſit mortalis, requiritur cum grauitate materiæ etiam aduertentia perfecta: Imperfecta enim, qualis eſt in ſemiſopitis aut ſemiebris, ſolum ſufficit ad veniale. Item, requiritur conſenſus ſalutem interpretatiuus ſitus in poſitione cauſæ ſine ſufficienti ratione, vel in negatione reſiſtentiæ poſitiuæ, ſaltem per actum internum, abſque iuſta cauſa.

De his agitur infra ex profeſſo Tom. 2. part. 3. Cap. 6. *de ſexto Præcepto Decalogi*.

Ignorantia inuincibilis non datur primorum principiorum puris naturæ, quale eſt, quod tibi

tibi non vis fieri allert ne fereris: neque *concluſionum* ex illis euidentiſſimè deductarum, cujuſmodi ſunt, juxta *Vaſquez*, contenta in Decalogo: quod de iure prohibente ſimplicem fornicationem negant *Tannerus*, *&* *plures alii*.

Datur tamen, etiam in fidelibus, ignorantia inuincibilis de variis *obſcurioribus iuris naturæ præceptis*. Ita *Albertus*, *S. Thomas*, *&* *Scolaſtici communiſſimè*. Quia ſunt multa iuri naturæ contraria, quorum inordinatio naturalis ægrè probatur, etiam à viris doctis, & conſequenter facilè ignoratur, vt à *Caſſiano*, *Marulo*, *&* *aliis*, ignorata fuit ordinatio mendacii officioſi, & ab aliis malitia fornicationis ſimplicis, quando adhibita diligenti cautione de honeſta educatione prolis ſatis proſpicitur. Et hæc multò facilius ignorantur ab infidelibus, qui nihil audierunt de Deo, nec de Virtutibus, & vitiis inſtructi fuerunt.

Ius naturæ violantes ex *ignorantia inuincibili*, non peccant formaliter: alioqui omnes qui poſt adhibitam moralem diligentiam errant circa ius naturæ, errarent vincibiliter, & contra illud peccarent formaliter: vnde communiter peccarent Doctores, Conſiliarii, & quorumuis ferè bonorum poſſeſſores. Quia illi exponerent ſe periculo per ignorantiam culpabilem violandis ius naturæ, ſi fortè in re bona illa ſint iuris alieni.

De hac ignorantia fuſius infra Tom. 2. Tract. 1. Princip. 1. &c.

Obiiciunt aliqui loca quædam ex S. Auguſtinus Hirron. & D. Thoma, quæ videntur indicare ignorantiam inuincibilem non excuſare ab omni peccato.

Sed Reſp. intelligenda eſſe loca illa de ignorantia *vincibili* quæ non excuſat, vel de ea quæ culpabilis eſt in ſua cauſa, vel quod non excuſet à peccato materiali, aliquando etiam loquuntur de ſola præſumptione *fori externi*, non verò quod illa ignorantia ad peccatum imputetur à Deo, qui omnia habet perſpecta: quæ omnia maximè comprobantur ex eo, quod loca illa indifferenter loquantur de ignorantia etiam facti, & legis poſitiuæ, quàm tamen à peccato excuſare omnes omnino admittunt.

Quæres porrò, 1. An rectè dicatur in omni peccato ignorantiam interuenire, cum Scriptura ſæpè peccata ignorantias appellet.

Reſp. non interuenire ignorantiam propriè ſumptam, ſed tantum impropriè pro *inconſideratione*, quod ſcil. totalis peccati malitia non penetratur, & omnia damna peccatum comitantia, & conſequentia.

Quæres 2. Quomodo peccatum in Spiritum Sanctum dicatur non remitti in hoc aut futuro ſeculo, vt *Matthæi cap.* 12.

Reſp. Id tantum dici ex eo quod illud *difficillime* remittatur, & quod ex illius peccati natura, & enormitate non habeat excuſationem infirmitatis humanæ, cum committatur ex ſola malitia: quamuis ſit *abſolutè* remiſſibile per retractationem, & pœnitentiam conſequentem.

CAPVT V.

De Peccato Habituali, Originali, & Immunitate D. V. ab illo, & Paruulorum à pœna ignis.

PEccatum *habituale* eſt quod actu tranſacto permanenter conſtituit peccatorem, de hoc *Ioan.* 8. dicitur, *in peccato veſtro moriemini*. *Habituale non conſiſtit* in peccato præcisè vt *præterito*, *&* *non retractato*, neque in reatu *pœnæ* ſaltem formali, neque in *priuatione gratiæ*: Quia poſſet iſtis manentibus tolli peccatum habituale per hoc quod Deus remitteret ius quod habet ratione peccati ad auerſionem à peccatore.

Conſiſtit igitur peccatum habituale *præcisè* in peccato vt non condonato, atque ita moraliter perſeuerante, in ordine ad tribuendum Deo ius ad iſtius auerſionem: & ſic iuxta S. Auguſt conſiſtit in peccato præterito in oculis Dei adhuc remanente.

Macula peccati poſitiua, eſt ipſum peccatum habituale, *priuatiua* eſt gratiæ priuatio, quæ tamen ad illud non concurrit vt eius pars, ſed vt remouens prohibens, ex hypotheſi, quod illius condonatio non fiat ſine gratiæ ſanctificantis infuſione.

Peccatum originale, qua tale eſt, quod ipſa origine ex Adamo contrahitur, omneſque eius poſteros conſtituit vere peccatores. Eſt omnium Catholicorum, contra Pelagium, & iuxta S. Auguſt. fundamentalis fidei veritas à Scripturis clare tradita. Originale iuxtà Script. PP. & Tridentinum eſt verè peccatum, & propriè conſtituens hominem Deo odibilem, quamuis non vt eſt actuale Adami, quia ſic non eſt à poſterorum voluntate propria.

Omnes (excepta V. Deipara) peccauerunt in Adamo, iuxtà illud ad Romanos 5. *in quo omnes peccauerunt*. Quia omnes via ordinaria ab ipſo deſcendentes continebantur in eo, non ſolum vt in capite phyſico, ſed etiam vt in capite

pite

pite morali, virtute decreti quo Deus in voluntate Adami conſtituit voluntates omnium eius poſterorum, in ordine ad actum à quo voluit dependere transfuſionem iuſtitiæ, aut iniuſtitiæ originalis. Hoc decretum *pactum* appellat S. Auguſtinus ſcilicet virtuale, ad quod requiſitus non eſt conſenſus Adami, cum ad eius effectum ſufficiat voluntas Dei ſupremi omnium Domini: fuit tamen declaratum Adami Gen. 2. *in quacumque die comederis*, &c. *Transfunditur* autem in poſteros per hoc quod via ordinaria, & gratia deſtituti ex Adamo deſcendant, vt patet ex Trid. ſeſſ. 6. Can. 3. additur, via ordinaria, &c. propter Chriſtum, & Deiparam.

Originale non conſiſtit in ſubſtantiali corruptione imaginis Dei, ut errauit Illiricus. Neque in concupiſcentia, cum hæc remaneat in renatis in quibus ex Apoſtolo, & Trid. nihil remanet damnationis.

Non etiam conſiſtit in *qualitate* quadam morbida, aut entitate morali, alijſque ex cogitatis à Gabriele, & alijs. Nec in reatu pœnæ, qui eſt effectus peccati, non peccatum. Nec vt voluit Pighius, in peccato Adami vt extrinſecè eius poſteris imputato, ſic vt non inſit vnicuique proprium, cuius contrarium expreſsè declarat *Trid.* ſupra.

Nec denique conſiſtit *in priuatione gratiæ* propter peccatum ab Adamo commiſſum. 1. Quia iſta priuatio eſt effectus peccati. 2. Quia poſſet tolli originale, remanente iſta priuatione gratiæ. Ergo in ea non conſiſtit nequidem partialiter, ſed in ſolo peccato ab omnibus commiſſo in Adamo vt moraliter perſeuerante per non condonationem illius à Deo factam. Ad illud tamen aliquo modo concurrit iſta priuatio, per modum conditionis ſine qua non perſeueraret, quantum eſt ex vi præſentis prouidentiæ, in quo Deus decreuit mortale ſine infuſione gratiæ non remittere.

Dices, S. Anſelmus aſſerit peccatum originale eſſe ipſam iuſtitiæ *nuditatem* quod videtur ſolam priuationem indicare.

Reſp. Solum velle priuationem gratiæ, modo iam explicato, concurrere ad peccatum originale, eamque ſolam eſſe paruulis intrinſecam, & quaſi phyſicè inexiſtere, cum per ſe nihil aliud phyſicum, ſed tantum morale in paruulis conſtituat, cuius ſubiectum immediatum cenſetur ipſa voluntas.

Solius Adami peccatum tranſit ad poſteros, & quidem illud dumtaxat, quo violauit præceptum de non edendo pomo, non autem tranſit peccatum Euæ: Quia ſolus Adamus conſtitutus eſt caput morale poſterorum, & ſolùm in ordine ab obſeruationem iſtius præcepti primi de fructu vetito. Hinc etiam poſteri ſolum contrahunt peccatum Adæ, ſecundum malitia *inobedientiæ*, & *gulæ*. Quia ſub hac ſolum ratione Adam illud commiſit, vt erat poſterorum caput morale conſtitutus.

Si Adamo fuiſſent filij *ante eius peccatum ſuſcepti*, non contraxiſſent peccatum Originale; quòd certiùs eſt, ſi ante iſtud peccatum habuiſſent vſum rationis. Quia tunc fuiſſent ſui iuris: Contraxiſſent tamen horum filij, quia *pro tunc* fuiſſent contenti in Adamo peccante vt in capite morali, per ſuam ſcil. generationem ab illo iam mediatè profectam.

Beata Virgo Maria fuit concepta ſine macula Originali. Hæc ſententia Pontificum iudicio Pia eſt: iuxta varios ex communiſſimo Eccleſiæ ſenſu quaſi pro certa habetur. 1. Quia Eccleſia hanc ſolum permittit publicè ſuſtineri. 2. Iuxta illam præcipit feſtum Conceptionis Immaculatæ celebrari. Quod conſtat ex *Sixto IV.* & irrefragabiliter ex *Alexandro VII.* declarante Feſtum hoc celebrari iuxta piam Sententiam, id eſt, de Sanctificatione animæ B. V. primo inſtanti ſuæ creationis, & infuſionis in corpus: & ſub grauiſſimis pœnis vetãte omnem in contrarium interpretationem, qua negetur Pontifices fauere præ ſententiæ, vel vt illa quouis excogitabili modo in diſputationem reuocetur, ac prohibente omnes Libros in quibus pia ſententia, & cultus ſecundum illam exhibites in dubium reuocatur.

Hinc maximè piæ ſententiæ fauent Scripturæ, Gen. 1. *ipſa conteret caput tuum*, & expreſſius PP Petrus Damianus, Laur. Iuſtinianus, Ildephonſus, &c. Item, licet minùs expreſsè, S. Hieron. Chryſoſtomus, & in varijs locis Auguſtinus, qui de *Natura*, & *gratia c.* 36 ait, dum agitur de peccatis, B. V. Mariam eſſe excipiendam.

Alibi S Auguſtinus ſolum vult, eius carnem eſſe carnem peccati, ſcil. parentum per concupiſcentiam, & ipſius B. Virginis quoad debitũ peccatum illud incurrendi, de quo S. Auguſtinum ipſe Caietanus intelligit.

Videtur probabilius B. Virginem in Adamo contraxiſſe *Debitum* peccati Originalis, etiam proximum, ſitum in eo quod eius voluntas fuerit contenta in voluntate Adami peccantis, quamuis ipſa præſeruata fuerit. Hoc indicant vniuerſales Scripturæ, & Patrum locutiones: Nec eſt ratio ab ijs excipiendi B. V. quæ hoc Suppoſito melius intelligitur indiguiſſe, & gauiſa fuiſſe Chriſti Redemptione

præſeruatiua. Scripturæ, & PP. ſolum Chriſtum ab Originali excipientes, loquuntur de dicto Debito, non de Macula actuali peccati originalis.

B. Virgo non fuit obnoxia *Mori*, vt pœnæ peccati à ſe contracti, ſed vt defectui communi ex pugna naturali contrariorum ſecundum ordinem naturæ, & ex congrua cum morte Chriſti conformitate.

Paruuli ſine Baptiſmo mortui patiuntur pęnam *Damni*. Eſt de fide ex Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Non tamen patiuntur pœnam *Senſus*, ſiue ignis. Ita PP. & DD. communius, quibus varijs locis conſentire videtur S. Auguſtinus cum ait, in damnatione leuiſſima futuros, non eſſe tanta pœna plectendos, vt eis non naſci expediret: quę vera non eſſent cum pœna ignis æterni.

Obijcies 1. Scripturas oppoſitum declarantes, de locandis ad ſolam dexteram, & ſiniſtram, &c.

Reſp. *Scripturas* quę contrarium in ſpeciem ſonant, loqui de ſolis iudicandis ex operibus, adeoque de ſolis Adultis, non de Paruulis aliquid in oppoſitum prouinciare.

Obijcies 2. S. Auguſtinum vt contrarium ſentientem, vt aliqui volunt.

Reſp S. Auguſtinum, dum ſubinde videtur fauere contrariæ ſententiæ, ſolum velle, contra Pelagianos, non futuros paruulos in loco voluptatis medio inter Paradiſum, & infernum, ſed futuros in inferiori quodam carcere, non tamen ignis ſupplicium paſſuros.

Dolor ſenſibilis paruulorum *in hac vita* non eſt propriè pœna in vltionem peccati, ſed pęnalitas reſultans ex ſubſtratione donorum ſtatus innocentiæ, quę ſunt deperdita per peccatum originale.

Paruuli exiguam ſi quam patientur *triſtitiam* ex priuatione beatitudinis: Quia eam non magis apprehendent quam viatores in hac vita exiguam certè beatitudinis originalis amiſſæ notitiam habentes. Ita *Bellarminus*, cum pluribus qui triſtitiam inde nullam habituros aſſerunt.

Quæres, Quænam ſint porrò *Pœnalitates temporales* ex peccato Originali prouenientes.

Reſp. quod ſint variæ, ac primò, mors corporalis, quia in pęnam iſtius peccati excidit homo priuilegio immortalitatis à Deo deſtinato. Deinde, vitæ huius labores, & dolores, ac animalium brutorum rebelio, quæ alias Adamo, & poſteris deſpoticè ſubiecta fuiſſent. Item, priuatio quietis, pacis, & peculiaris doni quo immoderatas appetitus paſſiones facilè refrenaſsent. Denique, carentia Prouidentiæ diuinæ ſingularis aduerſus Dæmonum inſidias, quibus in hoc ſtatu naturæ lapſæ homines multum ſunt expoſiti.

CAPVT VI.

De Legibus, & earum Natura, Diuiſione, Effectibus, Principijs, Materia, Subiecto, & modo deſinendi.

De *legibus, earumque Principijs practicis tractatur infra accuratè in huius Operis* Tom. II. Tract. I. *poſt initium, & in decurſu: Ac de Præceptis Tractatu 5. ab initio. Quæ poſſunt etiam ſpeculatiuè deſiderari, hic ſubijciuntur.*

Lex definitur, rationis ordinatio ad bonum commune: Lex *æterna* eſt ordinatio Dei ab æterno in eius mente: *temporalis* fertur in tempore ab habente poteſtatem *Naturalis* eſt naturæ rationali inſita: *poſitiua* ab extrinſeco poſita: *affirmatiua* actum imperat: *negatiua* actum ponendum prohibet.

Legis ratio obligatoria requirit in legislatore *volitionem* obligandi ſubditos, & actum *intellectus* illam practicè intimantem per verba imperatiua. Vtrumque actum pro lege accipiunt Scripturæ, dum leges modò voluntates diuinas, modò illarum indicia appellant.

Promulgatio per exteriorem intimationem imperatiuam, eſt eſſentialis legi, vt eſt proximè obligatiua. Quia ſine illa promulgatione non innoteſcit legitimè, notitia autem ad legis aut præcepti obligationem in conſcientia requiritur.

Vnde *lex æterna* vt ſic, non eſt propriè lex, ſed ſolum vt connotat promulgationem in tempore faciendam; ſub hac tamen ratione tranſit in temporalem, naturalem, vel poſitiuam ex ſuppoſita eius debita notitia.

Ad *rationem Legis* inſuper requiritur, vt ſit honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem, bono communi conueniens, & manifeſta, non perpetua; cum mutatis circumſtantijs, poſſit reuocari, atque ita deſinere prout eſt obligatoria, quamuis poſſit retinere vim directiuam, ſed in hac ratio legis non conſiſtit.

Lex naturalis, quæ abſque ſigno externo eſt ipſi naturæ impreſſa, conſiſtit in rationis dictaminibus de agendis, aut fugiendis tanquam naturæ rationali conformibus, aut difformibus. Quæ quidem *dictamina* ſunt phyſicè ab intellectu creato, moraliter tamen ab Auctore na-

naturæ: ſuntque eius imperia formaliter dirigentia, obligantia, ac moraliter permanentia à Deo inſcripta cordibus noſtris, iuxta Apoſtolum.

Antecedenter ad hęc Dictamina non datur bonitas aut malitia *formalis*, ſed ſolum *fundamentalis* per ordinem ad naturam rationalem, non vt legem, ſed vt terminum conuenientiæ, vel diſconuenientiæ actus, quem lex imperat aut prohibet: ſic Deus eſt ſibi menſura honeſtatis ſuarum actionum, non lex, cum Deus ſibi legem nullam habeat, ſed ſit ipſe omnis rectæ legis principium, ac originalis rectitudo.

Diſpenſatio diuina non cadit propriè in Legem naturę, faciendo vt illa abſque variatione in eius materia non obliget. Quia non poteſt Deus facere vt quod eſt intrinſecè malū nulla facta mutatione, deſinat eſſe malum.

Improprie tamen poteſt diſpenſare in quibuſdam eius præceptis, faciendo mutationem in eorum materia, ſic vt deſinat eſſe eorum obiectum, v. g. dando alicui Dominium bonorum alienorum, poteſtatem in vitam innocentis, vti Iſraelitis, Abrahamo, & aliis in quibuſdam conceſſit.

Non poteſt tamen ſic diſpenſare *in omnibus* legis naturæ præceptis: Cum nulla ratione, odium Dei poſſit reddi licitum ſimiliter nec mendacium, quod talis eſt malitiæ, & naturę vt ex nullis circuſtantiis poſſit honeſtari.

Principes Eccleſiaſticis poſſunt ferre Leges ligantes etiam in Conſcientia. Eſt de fide ex Script. &c. Contra hęreticos, *Vvicleſum, Lutherum, Caluinum* &c. damnatos in Conc. *Coſtant. & Trident. Seſſ. 7. Can. 8.* Scripturæ in oppoſitum ab hæreticis obiectæ, ſolum improbant mandata hominum iniuſta. Eodem ſenſu quęritur Auguſtin. de multitudine pręceptorum Eccleſiaſticorum, *Epiſt 119. cap. 19.*

Principes laici eamdem habent poteſtatem legiſlatiuam. Eſt etiam de fide ex Patribus, & Scripturis, Prou. 8. *per me reges regnant* &c. Apoſtolus quidem ad *Cor. 3.* docet Eccleſiam Chriſti eſſe liberam, ſcil. à ſeruitute peccati &c. non à lege humana, quæ ex Scrip. ad Rom. *cap. 13.* poteſt obligare etiam ſub reatu mortalis peccati.

Ratio eſt, quod lex illa à lege æterna deriuatam habeat obligandi poteſtatem, proportionatè ad ſuam materiam: vnde eam violans, mediatè violat legem naturalem: cuius Deus vti eſt auctor, ita & vindex.

Dices, Illam poteſtatem non habent à Deo Hæretici, & infideles, cum ſint peculiariter Dei inimici.

Reſp. Poſſe Deum etiam per inimicos ſuos, amicis iuſta præcipere, quod etiam ab eo fieri, patet ex Matth. 23. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi &c.

Promulgatio eſt legi eſſentialis, & neceſſaria vt cauſet obligationem, ſcil. per publicam legis intimationem. Deficiente huiuſmodi promulgatione lex non obligat, ſaltem ſub ea ratione ſub qua non eſt ſufficienter promulgata vt ad notitiam publicam peruenire poſſit.

Vnde etiam deduces, legem non obligare ad illa, de quibus *probabiliter* controuertitur inter DD. vtrum ſint præcepta, aut in lege contineantur. Quia reſpectu iſtorum non eſt ſufficienter promulgata, nec manifeſta: quod probe notandum pro ſolutione plurimorum dubiorum in variis materiis, & caſibus particularibus de legum aut præceptorum obligatione.

Leges Cæſareæ debent promulgari in Prouinciis, vt in iis obligent, iure ita diſponente: non tamen Pontificiæ, niſi hoc in illis diſertè requiratur. Conſtat hoc ex Natura Legis, & Bulla Pii IV. id declarante. Probabilius eſt Pontificias ſtatim obligare in loco vbi ſunt promulgatæ, niſi declaretur contrarium.

Acceptatio populi non requiritur ad legis valorem; Quia bonum commune exigitur in legiſlatore ſit poteſtas obligandi ſubditos etiam inuitos. Sed Legiſlator præſumitur nolle vt lex obliget, ſi à maiori parte non acceptetur, poteſt tamen id velle abſolutè loquendo.

Leges Pontificias non requirere vniuerſaliter placetum Regium in Belgio, ſed verius ſolum requiri ad prouiſiones ſuper Beneficiis, docet *Zypeus, aliique.*

Lex humana etiam Eccleſiaſtica non poteſt directè imperare *actus merè internos.* Quia licet Chriſtus potuerit dare iſtam poteſtatem Eccleſiæ, eam tamen non dedit, cum id ex nullo Capite probari poſſit, nec ſit connaturale vt Legiſlator de iis ferat legem, de quibus non poteſt cognoſcere: & contrarium ab Innocentio III. inſinuetur. Ita Theol. communiter.

Dices, Eccleſia punit hæreſim quæ eſt interna, reſeruat etiam aliquando peccata merè interna, Prælatus præcipit orationem mentalem: Atqui actus illi ſunt merè interni, ergo &c.

Reſp. Punit quidem Eccleſia *hæreſim* internam, ſed ſolum exterius manifeſtatam reſeruat *peccata* merè interna tantū indirectè, ſcil. limitando iuriſdictionem externā abſoluēdi. Prælatus obligat Religioſos ad *orationem mentalem*

talem non v' poteſtatis legislatiuæ, ſed ratione voti obedientiæ. Ad Ordines ſacros admittendis Eccleſia votum caſtitatis *internum* non præcipit, ſed tantum declarat ſe nolle, niſi ſub conditione iſtius voti interni, illos ad ordines admittere.

Denique, cum poſſit Eccleſia præcipere actus externos, vt ſunt actus certæ virtutis, conſequenter poteſt indirectè præcipere actus internos ad hoc requiſitos vt actus externus ſit humanus, vt ſit talis virtutis, religionis, orationis, &c. quod ſine actu interno fieri non poteſt.

Vt Legis obligatio ſit *ſub mortali*, requiritur in legislatore intentio grauiter obligandi, & materię grauitas, quę deſumenda eſt ex grauitate Finis per ſe intenti, & ex conducentia ad finem Legis. Hinc ſuperior Eccleſiaſticus poteſt ſub mortali prohibere rem de ſe leuē, vt ingreſſum in propinas, egreſſum nocturnum & ſimilia ex ſe ſeuia, ſed grauia in ordine ad finem, ritè intentum.

In *materia graui* poteſt eſſe obligatio ſolum *ſub veniali*, ſi nempè legislator tantum obligationem venialem intendat. Quia ſicut ab eius voluntate proximè pendet obligatio, ita & eius quantitas intra capacitatem materiæ.

Lex in materia graui expreſſa verbis ſtrictè *præceptiuis*, aut ſub *pœna graui*, grauiter, obligat: Niſi aliunde alia, aut dubia appareat, mens legislatoris. Ratio quia illis ſuppoſitis nihil deeſt ad grauem obligationem, iuxta principia hactenus tradita.

Violatio legis, etiam in materia *leui*, *ex formali contemptu*. Superioribus vt ſic, vel *legis* ipſius, eſt mortalis. Quia etſi materia ſit leuis, grauis eſt ille contemptus, cum ex ipſa natura exigatur Superiori legitimi obſeruantia.

Lex poteſt impleri per *actum peccaminoſum materialiter*: Quia talis actus poteſt eſſe ſubſtantia rei pręceptę, vt auditio Sacri ſine *attentione*. Non tamen per actum *peccaminoſum formaliter qua talem*. Cum enim repugnet, legem obligare ad peccatum, etiam repugnat ſatisfieri eius obligationi per actum formaliter peccaminoſum.

Leges pœnales ſub grauibus pœnis v.g. mortis, aut ex communicationis, regulariter obliganti ſub mortali. Quia ſupponuntur in materia, aut ſine graui fundatæ.

Lex obligans *ad obſeruationem*, *vel ad pœnam* ſubeundam (qualis datur in varijs religionibus) eſt mere pœnalis. adeòque non obligans ſub peccato, & pœna, quam infligit eſt mera pœnalitas, non pœna ſtrictè; cum hæc culpam ſupponat. Lex tamen pœnalis lata verbis *ſtrictè præceptiuis*, obligat in conſcientia, niſi aliunde appareat contraria intentio Legislatoris.

Inuincibilis ignorantia Legis excuſat à pœna: ſecus vincibilis, aut ſolius pœnæ, vti fuſius exponitur infra, huius *Tom. 2. Tractatu primo ſub initium*.

Principes ſupremi ſuis legibus non tenentur propriè, ſed ſolum ex quadam æquitate naturali: eſt Theol. ſententia communior.

Peregrini non tenentur legibus ſuæ patriæ, quia ſunt affixæ territorio cuius bonum ſpectatur. Tenentur tamen legibus loci in quo exiſtunt: Quia exigit bonum commune, ne illi ſint in delinquendo à pœna immunes.

Clerici indirectè, & quoad vim directiuam obligantur, etiam in conſcientia, legibus Reip. eorum ſtatui non diſconuenientibus non directè, & coercitiuè. Quia vtrumque requirit bonum commune tam ciuile quàm Eccleſiaſticum.

Conſuetudo rationabilis, inducta cum voluntate obligandi à maiori parte communitatis, de conſenſu Principis, habet vim legis. Quia in tali conſuetudine reperitur tota ratio obligatiua legis, vti conſideranti ex dictis ſatis patet.

Legislator & eius in poteſtate legitimus *ſucceſſor diſpenſare* poteſt in lege, etiam ſecus: non tamen inferior in lege ſuperioris ſine eius conſenſu: quia in ſuperioris voluntate vis legis conſiſtit.

Diſpenſatio ſine cauſa facta à Superiore, eſt valida, ſed iuxta *Suarem* grauiter illicita, in re graui; at iuxta *Nauarrum* tantùm venialiter illicita, ſecluſo ſcandalo.

Diſpenſatio cenſetur *ſubreptitia*, 1. Per expreſſionem falſi, aut reticentiam veri requiſiti. 2. Per inſufficentiam cauſæ. 3. Per celationem v. g. vnius ex impedimentis matrimonij, dum plura concurrunt. 4. Per celationem copulæ quando præceſſit inter conſanguineos diſpenſationem poſtulantes.

Quando Pontifex in *Litteris Diſpenſationis* apponit, *ex motu proprio*, docet *Sanchez*, *Bonacina*, *&c.* valere diſpenſationem, quamuis celetur veritas cuius expreſſionem iura requirunt. Quia per illos terminos, *ex motu proprio* ſignificat Pontifex ſe habere voluntatem diſpenſandi abſolutam independenter à iuris exigentia.

Priuilegium dicitur quaſi lex priuata, & *definitur*, Gratia permanens conceſſa à Superiore ad agendum contra, vel præter legem

Diſ-

differt priuilegium à diſpenſatione, quod hæc, cum ſit reſtricta ad actum particularem, non ſit permanens, ſed tranſiens cum actu, vel actibus, ad quos conceditur, non ita priuilegium.

Ceſſat Priuilegium, 1. Elapſo tempore ad illud determinato. 2. Ceſſante ratione illius adæquata. 3. Per legem reuocatoriam ſufficienter promulgatam. 4. Per illius abuſum, accedente tamen iudicis ſententia. 5. Per non vſum ſpatio ad præſcriptionem ſufficienti.

Plura de Legibus hic reperiuntur, vbi infra in Tomo II. Tract. V. agitur de *PRÆCEPTIS*, *præter ea quæ in* Tract. I. de Legibus *contineri ſupra indicamus*.

CAPVT VII.

De Gratia, Iuſtificatione, Merito.

§. I.

De Gratia Diuina Actuali, & quorundam circa eam cenſuris.

DE *Gratia, & controuerſis ſingulis illam hoc tempore concernentibus in hoc Opere accuratè tractatur ſupra* Tom. I. Tract. II. pag. 59. *vbi referuntur, & refutantur errores modernorum Hæreticorum de gratia; &* pag. 61. *refelluntur de ea 5. propoſitionis Ianſenij. Et in eodem* Tomo I. Par. II. Controuerſia 4. pag. 121. & ſed. *de Gratia, explicatur illis natura, diuiſio, errores Pelagianorum &c. ſtatus puræ naturæ, & controuerſiæ omnes de gratia ſufficienti, efficaci, viribus naturæ ſine gratia, &c. Vbi & in hac materia Diplomata Pontificum circa Doctrinam Baij, & Ianſenij* pag. 141.

Tantum hic reſtat notandum 1. Quàm euidenter auctoritate Apoſtolica refellantur illi qui audent per contumelias aut cenſuras inſectari ſententiam, ſupra explicuimus *Tomo I. Par. II. Contr. 7. pag.* 128. de gratiæ efficacia, prę determinationi phyſicæ, & quibuſdam alijs contraria, & ſcientiæ Mediæ innixa.

Inſectantur eam prę multis Ianſenius Iprẽ. Tom. 1. de hęreſi Pelagiana cap. 9. dicens, illam eſſe Maſſilienſium, & non eſſe gratiæ prædicationem, ſed proditionem. Et Xantes Mariales Tom. 4. ſelect. 15. ſect. 1. ſcribens, nõ eſſe Ieſuitarum, ſed Pelagij inuentum: & ſelect. 16. ſect. 2. eſſe nouum figmentum, nouum & horridum monſtrum. Ac recentius Pſeudophilalethes in ſuo Thomiſtarum triunpho &c. aſserens, eſse fucatam, deformem, muſcipulam pedibus inſipientium, & zizania in medio triticii.

Contra hunc ſcripſit Duaci Franc. Fourmeſtraux, in ſua *iuſta defenſione aduerſus conuicias &c.* Et contra alios Impugnatores, Annatus, *de ſcientia media diſp 4. cap. 1.* &c. Petrus à S. Ioſepho *in concordia ſuaui diſp. 4. ſect. 4.* Paulus Leonardi *part. 1. ſect. 1. 2. & 3.* Ripalda, de *ente ſupernaturali diſput. 113. ſect. 9. & ſeq.* Gabriele de Hennao, *in ſcientia media hiſtorice propugnata, Euent. 1. 2. & ſeq. in edit. 2.*

Quin etiam contra inſectationes aut cenſuras huius ſententiæ apud Auctores prædictos alioſque, proferuntur grauiſſima Pontificum Decreta. In edicto *Sixti V.* per Calatinum anno 1598. præcipitur ſub anathemate, ne quis in controuerſia de prædeſtinatione, & gratia opinionem ſuę contrariam vlla cenſura notet.

In Decreto *Clementis VIII.* permittitur vt ambarum partium Magiſtri ſuam liberè opinionem de gratia, præſcientia, & prædeſtinationis efficacia cum libertate concilianda tradant, ac defendant, ſic tamen, vt niſi grauiter plecti velint, à notanda aduerſa opinione abſtineant. Quod fuit vtrique parti intimatum anno 1598. De hoc Decrero ſic teſtatur ſcribit *Andreas Duuallius Doct. Tom. 1 in 1. 2. Tract. de gratia, q 4.* Cum à Clemente VIII. Doctorum examini relicta ſit hæc controuerſia cum moderamine qua neutra opinio hæreſis, erroris, temeritatis, alteriuſue qualificationis arguatur, ab omni aſperiori dicto ſedulò abſtinebimus. Idem tradit Petrus Ledeſma, *Præfat. ad Tractatum de Auxilijs*.

In Decreto *Pauli. V.* anno 1606. quod etiam accuratè adducit *Spondanus* in Hiſtorię Eccleſiæ proſecutione ad eundem annum his verbis *Paulus V. diſputatione de Auxilijs conticeſcere iuſſit, ſanxitque poſt modum, vt vtriſque, dum aliud decerneretur, liberum eſſet ſuam ſententiam in Scholis modeſte tueri, ſed ſine damnationis alterius partis*. Decretum hoc confirmaſſe etiam *Vrbanum VIII.* teſtatur fuſius Ioannes à S. Thoma *Tom. 1. in pimam 1. partem diſput. 20 art 6.*

His etiam cum alijs conſonat *Syluius* Doctor Duacenus, *in ſua Præfatione monitoria ad primam* partem S. Thomæ. Sua, inquit, Sanctitas, præcepit ne quis in poſterum, oblata de prędictis rebus tractandis occaſione, contraria ſententiam ſuſtinentes in cenſuram vocare, vel dictis perſtringere vllo modo auderet.

Huc etiam facit Declaratio Innocentij X. ad calcem ſui Decreti contra Auguſtinum Ianſenij, quæ incipit, *Cæterum, cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quadam aſſerta, acta, manuſcripta & forſan typis excuſa Congregationum habitarum coram fæl. record. Clemente VIII. ac Paulo V. ſuper quæſtione de Auxilijs* &c. vbi decernit, dictis aſſertis, *nullam omnino fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſiue quocumque alio allegari poſſe vel debere, ſed ſuper quæſtione prædicta, obſeruanda eſſe Decreta Pauli V. & Vrbani VIII. ſuorum prædeceſſorum.*

Notandum, 2. Decretis Pauli V. Vrbani VIII. &c. prohibitum eſſe in lucem edere Libros tractantes quæſtionem illam de auxilijs, illam, inquam, non eam quæ contra hæreticos in ea materia diſputatur. Patet hoc authenticè ac compendioſè ex Decreto *Alexandri VII.* Romæ publicato anno 1657. 15. Septembris, in quo poſt prohibitas Epiſtolas Montalitij, &c. in calce additur. *Inſuper cum hac occaſione, & prætextu in lucem prodeant plures libri continentes, & tractantes materiam de auxilijs, nulla prorſus petita, vel obtenta licentia ab hac ſacra Congregatione contra formam Pauli V. & Vrbani VIII. prædec. ſuorum (quæ quatenus opus ſit Sanctitas ſua denuò confirmat, innouat & inuiolabiliter obſeruari mandat, ſub cenſuris & pœnis in ijſdem contentis) ideo illis inhærendo dictos libros editos, & in futurum quomodolibet edendos, abſque eo quod fiat de illis ſpetialis mentio, ipſo facto, & abſque alia declaratione, pro expreſſè prohibitis haberi voluit, & decreuit.*

Ex his alijſque toties, & tam grauiter repetitis Pontificum Decretis, ſatis innoteſcit, quid iudicandum ſit de illis qui his non obſeruatis audent in perſequenda illa ſententia talibus dictis, & cenſuris liberius indulgere.

Notandum denique breuiter, circa hanc quæſtionem de gratia efficaci, quod ſpecaliter tractatur à *Gregorio del Rio* in libello cui titulus, Ianſeniſmus per ſeipſum euerſus. Si dmittantur vt principia Ianſenij quæ ibi proferuntur de gratia Adami in ſtatu innocentiæ, eiuſque immunitate à concupiſcentia, & natura gratię neceſſariò victricis abſente omni concupiſcentia: Inde ſequi neque dari peccatum originale, neque ea quæ ad illud conſecuta eſſe fides docet, quæ haud dubiè ipſe Ianſenius, & ſi qui ſint in hoc ſectatores fideliter admittunt: pro cuius rei diſtincta conſideratione ſtudioſum Lectorem ad dictum tractatum vtiliter remitto.

§. II.

De Iuſtificatione, Gratia Habituali, & Merito.

D*E his ſingulis agitur Tomo I. Part. 2. Controuerſia 8. & 9. pag. 131.*

Ad iuſtificationem *Fides requiritur, ſed non ſufficit.* Vtrumque eſt de fide, & definitur in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 8. & can. 9.

Fides requiſita ad Iuſtificationem non eſt Fiducia de peccatis ſibi per Chriſtum remiſſis, vt volunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Talis fides de peccatis remiſſis, ſine peculiari reuelatione, eſt impoſſibilis: idq; à Trid. declaratur *ſeſſ 6. Can. 12. 13. & 14. De quo plura Tomo I. Part. 1. Tract. II. cap. 2.*

Homo non poteſt eſſe *phyſicè certus* de ſua iuſtitia, poteſt potius de aliena, vt Baptizans de iuſtitia infantis à ſe legitimè baptizari. De ſua iuſtitia tantùm poteſt habere aliquam *certitudinem moralem*, fundatam in teſtimonio bonæ conſcientiæ, quam ad *Rom.* 8. Apoſtolus agnoſcit.

Meritum augetur per ea quæ augent actus noſtri bonitatem, vt excellentia quæ oritur ex obiecto meliori, ex circumſtantijs intentis, ex actus exercendi difficultate, ex maiori actus liberi intenſione, & lungiori duratione. Quia hæc reddunt actum moraliter nobiliorem, & pluribus actibus diſtinctis æquiualentem.

De *merito* inter Baianas damnatur 1. Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt. 2. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium. 3. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. 4. Pelagij ſententia, eſt opus bonum citra adoptionis gratiam factum, non eſſe regni cœleſtis meritorium. 5. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quod qui bona operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum ſanctum, ſed in eo ſolum quod obedit diuinæ legi. Ita Conſtitutio Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. quæ integra hic refertur ſupra *Tomo I. Part. II. pag.* 138.

§. III.

§. III.

De auctoritate S. Auguſtini in materia de Gratia, & alijs.

VAldè magnam, & præ cæteris ſingularem eſſe S. Auguſtini auctoritatem cum alijs tradit *Suarez de grat. prolog. 2. cap.* 6 quem ait tanta ſapientia ſcripſiſſe, vt eius ſententia ſemper ſit præferenda, niſi cum maior Patrum aut Eccleſiæ auctoritas obſtare videtur, quod rarò, vel numquam continget. Quia verò Theologo maximi momenti eſt, hæc in ſingulis ſolidè diſcernere, ipſa Pontificum Decreta de illius Scriptis hic proferemus.

Conſtat eius auctoritatem eſſe *irrefragabilem*, quoad Puncta quæ ſunt à Concilijs, & Pontificibus approbata vt vera, quæ habentur in Epiſt. *Cæleſtini primi* ad Epiſcopos Galliæ apud Proſperum in fine operum eiuſdem.

Primum eſt, In præuaricatione Adæ omnes amiſiſſe naturalem poſſibilitatem, id eſt, facultatem expeditam ad ſalutaria.

2. Neminem eſſe per ſe bonum, nec poſſe perſeuerare ſine gratia.

3. Neminem benè vti Libero arbitrio niſi per Chriſtum; adeòque omnia bona opera referenda eſſe ad Deum.

4. Omnes motus bonæ voluntatis eſſe à Deo.

5. Anathemati ſubeſſe eum, qui aſſerit gratiam Dei ſolum valere ad remiſſionem peccatorum, non ad ea vitanda.

6. Item, eum qui dixerit gratiam Chriſti ſolum iuuare illuminando intellectum, non mouendo immediatè voluntatem, & etiam eos, qui dicunt gratiam ſolum dare facilè, non ſimpliciter poſſe.

Quoad alia varia habetur nō ſimpliciter irrefragabilis: Hoc ſignificat *Cæleſtinus ſupra c.* 22. vbi ait: ſe non aſſerere profundiores partes quæſtionum quas pertractarunt Auguſtinus, & alij, qui Hæreticis reſtiterunt. Hoc ipſum profitetur ipſe Auguſt. *L. de dono perſev. cap.* 21. vbi ſic habet: Neminem velim ſic amplecti omnia mea vt me ſequatur, niſi in ijs quibus me non errare perſpexerit: nam propterea nunc facio Libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem.

Hinc 1. ita deducit *Toſtatus defenſorij pag* 2. *c.* 18. Non ergo neceſſe eſt nobis quæcumque Auguſtinus dixerit concedere. Et Melchior Canus de locis Theologicis C. 3. ait, ſtultum eſſe libris canonicis Auguſtini Opuſcula æquare.

Hinc 2. Abſque ſufficiente fundamento Ianſenius Ipren. Tom. 2. L. proæm. c. 13. 14. 15. generaliter omnibus Auguſtini Libris, & aſſertionibus tribuit irrefragabilitatem contra ſēſum communem cæterorum DD. qui ſæpe in interpretatione Scripturarum aperte recedunt ab Auguſtini ſententia, v. g. de creatione mundi vnico inſtanti.

Gelaſius quidem Papa, diſt. 15. cap. 3. approbat omnia opera S. Auguſtini, ſed ſolum generaliter, ſicut etiam approbat opera Cypriani, in quibus tamen continetur error de rebaptizandis ab hæretico baptizatis; cuiuſmodi approbatio (inquit Toſtat.) eſt ſolùm commendatio Doctrinæ alicuius Doctoris, vt eruditæ, piæ, & Catholicæ, hoc ſenſu, quod non repugnet ijs, quæ erant definita ab Eccleſia quando illa ſcribebatur. *Martinus* I. in Conc. Later. ſolùm damnat eos, qui contradicunt communi Patrum ſenſui, non vnius aliquando aut alterius in cauſa particulari.

Hæc, inquam, ex probatis auctoribus eo tantùm conſilio ſimpliciter annotamus, ne quis in alterutram partem nimium detrahendo aut attribuendo à Doctorum ſenſu aberret, nihil volentes ab his alienum auctoritate noſtra conſtitui.

Hæreſes.

COntra hanc Secundam Theologiæ totius Partem, adducuntur ſingulæ, & ex Concilijs Eccleſiæ, cum ſuis Auctoribus, refelluntur in fine Tomi I. pag. 145. ſub hoc Titulo, *Notitia generalis* dogmatum ab Eccleſia damnatorum, ordine alphabetico ſub his titulis, *Beatitudo*, pag. 147. *Lex*, *Gratia*, *Peccatum*, *Meritum*, &c. Item, pag. 133.

SECVN-

SECVNDA SECVNDÆ PARTIS THEOLOGIÆ.

De Fide, Spe, Charitate, Iuſtitia, & Iure.

CAPVT I.

De Fidei obiecto, veritate, euidentia, credibilitate, & obſcuritate.

DE Fide ſupra in *Tomo* 1. & infra in *Tomo* 2. traduuntur fusè ſequentia locis infra notatis.

Tomo 1. p. 1. *De Deo vt eſt Obiectum generale Fidei. De illius Demonſtratione, & credibilitate tam quoad Atheos, quàm Hæreticos, & huius temporis Libertinos: De Fidei vera Analyſi: De vera Fide in ſola Eccleſia Romana: De notis veræ Eccleſiæ: De Scriptura, Concilijs, Pontifice omnia hoc tempore controuerſa: De cæteris in Fide Controuerſijs modernis: De ſingulis Sectis particularibus, eorumque diſtinctis erroribus: & alia pertinentia ad Praxim expeditam Sectarios in ſingulis conuincendi, &c. Traduntur hæc ſingula ex profeſſo toto* Tomo 2. pag. 1. *ab initio, & deinceps, vſque ad eiuſdem* Tomi Partem 2. Pag. 108. *Alia etiam ad Praxim, de Dubio in fide, profeſſione fidei externa, æquiuocatione, reſtrictione, aliaque plurima ad fidem, & Hæreticos in omni materia pertinentia, traduntur* in Tomo 2. Tractatu 6 *per totum*. Hic tantum quædam, quæ maximè ad Doctrinam Speculatiuam pertinent ſubijcienda erunt.

Fides propriè, vt eſt virtus Theologica, definitur, Aſſenſus certus, & obſcurus, propter Dei teſtimonium.

Obiectum Fidei *adæquatum* in actu primo remoto, eſt omne reuelabile; in actu primo proximo, omne quod actu reuelatum eſt. Obiectum Fidei *primarium*, & *attributionis*, ad quod cætera referuntur, eſt ipſe Deus ſub ratione ſuæ Deitatis: *ſecundarium* eſt Chriſtus. Quia Deus vti eſt primum Ens, ita etiam eſt primum Credibile, & reliqua Myſteria credita ad illum referuntur, quatenus ad manifeſtandum aliquas eius perfectiones conducunt, vt Fides de Incarnatione ad manifeſtandam Dei bonitatem, Fides de Inferno ad Dei iuſtitiam, &c.

Prima veritas reuelans etſi ſit extrinſeca obiecto reuelato, habet tamen neceſſariam connexionem cum illius veritate. Quia cum teſtimonium Dei de ſe ſit infallibile, repugnat illud exiſtere, & non exiſtere veritatem obiecti circa quid teſtimonium illud verſatur, & ſic fundat aſſenſum certiſſimum.

Dices, Cur non potiùs dicatur, Fidem attingere ſolùm veritatem myſterij reuelati, & non teſtimonium Dei extrinſecum, quod videtur tantum ſe habere per modum *conditionis* vt myſterio per ſe aſſentiamur?

Reſp. Etſi poſſit abſolutè dari talis aſſenſus, de facto tamen, cum fides noſtra ſit virtus Theologica, debet pro obiecto formali principali habere Deum, idque ſub ratione ſummè veracis, cum ſub hac ratione mereatur fidem ſummè certam. Hinc quidam Catholici, qui olim docuerunt Deum poſſe mentiri, illi in actuali fidei exercitio reuocabant practicè errorem illum, quem ſpeculatiuè docebant.

Reuelatio diuina ſumpta propriè, fit per productionem ſigni ex inſtituto, quo Deus *exterius* ſignificat id quod habet in mente. Dicit illa in Deo cognitionem obiecti, & volitionem illud manifeſtandi per ſignum extrinſecum: eſtque reuelatio illa *Pars* motiui formalis, non ſola illius *applicatio* ad intellectum noſtrum. Patet hoc ex Scripturis quæ comparant teſtimonium Dei teſtimonio homi-

num, quod conſtat ſignis externis, & per ſe eſt nobis ratio credendi id quod ab homine aſſeritur, prout ſimul eſt informata veracitate interna aſſerentis.

Per quamlibet Dei reuelationem externam, implicitè nobis reuelatur iſta diuina *veracitas*. Nam propter hanc Deus nos obligat ad certiſſimè credendum, ſe veraciter reuelare. Non enim poteſt illa *veracitas* nos mouere ad aſſenſum certiſſimum, niſi priùs, ſaltem ratione, cognoſcatur ipſa certiſſimè, quod ſupponitur in aſſenſu Fidei certiſſimo à Deo nobis imperato.

Dei exiſtentia lumine naturæ nota, credi poteſt propter reuelationem adhuc *certius*, quamuis obſcurius notam per lumen Fidei. Sic poſſemus certiùs credere *nos viuere*, quod nobis ſine reuelatione eſt euidens, ſi Deus id nobis reuelaret. Hoc etiam admittit Philoſophia, docens circa idem obiectum ſcientiam cum opinione conſiſtere.

Propoſitio Eccleſiæ, prout ea habet auctoritatem *diuinam*, ratione aſſiſtentiæ diuinæ ne erret, in Scripturis illi promiſſæ, *integrat obiectum formale Fidei*, tamquam locutio Dei mediata per Eccleſiam facta. Ratio eſt, quia Eccleſia ſic ſpectata eſt Dei *organum*, ſiue in loquendo inſtrumentum. Ergo eius locutio. Quia quod Deo inſpirante, & dirigente dicitur, eſt verè verbum Dei.

Propoſitio Eccleſiæ per ſe eatenus tantùm prærequiritur ad aſſenſum Fidei quatenus requiritur ad prudens illius aſſenſus imperium. Proindè facit illa res Fidei proximè credibiles, non vt motiuum formale, etiam partiale, ſed vt conditio illud applicans; & in eam ſub hac ſolùm ratione Fideles, etiam ſimpliciores, fidem ſuam reſoluunt. Quia ſatis ſciunt ſaltē confusè, credendum eſſe propter ſolum Dei teſtimonium. Quod ſi ſiſtant in ſola propoſitione Eccleſiæ, non eliciunt actum Fidei diuinæ, ſed tantum humanæ. Probatur etiam ex Scripturis pro motiuo. Fidei adducentibus auctoritatem diuinam, excludendo humanam, vt *Matthæi 16*. Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et *ad Theſſal*. 2. Accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed vt verè eſt verbum Dei. Ita *Ariaga*, *alijque*, contra *Lugo*, alioſque volentes ad motiuum formale Fidei intrinſecè ſpectare etiam propoſitionem Parochi, Parentis, aut Magiſtri articulum Fidei docentis.

Dices, *Lucæ cap*. 10. Chriſtus diſcipulis dixit, Qui vos audit me audit. Ergo locutio Inſtructoris eſt etiam locutio Dei.

Reſp. Neg. conſeq. Quia probabilius videtur Chriſtum ibi agere tantum de obedientia erga Superiores ipſius nomine aliquid præcipientes. Adde, aliam fuiſſe rationem Apoſtolorum, quibus ibi locutus eſt, alium nunc Parochi, nam Apoſtolis ſpecialiter aderat Chriſtus ne docendo errarent, quod de Parocho dici non poteſt.

Quamuis *Mendacium* ſecundum ſe non implicet in alio, implicat tamen relatiuè ad eſſentialem Dei veracitatem: cum hæc debeat eſſe ſummè perfecta. Nec refert quod peccator inferno dignus mereatur etiam pœnam deceptionis. Quia etſi mereatur deceptionem permiſſiuam, qua Deus permittat peccatorem ab alio decipi, non tamen poſitiuam, quæ cum ſit per ſe inordinata non poteſt à Deo in pœnam infligi.

Ad Scripturas aliquando inſinuantes Deum aliquos *Decepiſſe*; Reſpondendum eſt, illas intelligendas de deceptione tantùm *permiſſiuâ*.

Si dicas, Deum nullam habere legem qua mendacium aut deceptio ipſi prohibeatur.

Reſp. Ipſum Deum ſibi legem eſſe, hoc ſenſu, quod per ſuam ſummam perfectionem ſit determinatus ad nihil faciendum ſuæ naturæ diſconueniens, quale eſſet poſitiua deceptio, qua Deus numquam egere poteſt, cum aliter omnia poſſit.

Idem dicendum reſpectu Dei de *Reſtrictione* purè mentali, ob eandem rationem, quia illa Deus numquam indiget, quam etiam reſpectu hominum inordinatam, & illicitam eſſe oſtendimus infra *in Thom. 1. Par. 3. Tract. 1. cont. part. quæſt. 1.*

De *articulo falſo*, non poteſt elici aſſenſus Fidei infuſæ per motiua credibilitatis cū alijs veris articulis propoſito: quamuis tunc poſſit voluntas affectu prudenti, ac ſupernaturali, illum aſſenſum imperare: Vt ſi Paſtor per motiua reſpectu audientis prudēter efficacia proponat Verbum eſſe incarnatum, & quidem ab æterno, audiens ille credet actu Fidei Verbum eſſe incarnatum, non tamen id factum ab æterno, quamuis, & hoc credendo in tali caſu actum eliciet non verum, tamen meritorium. Quia procedit bona fide, & ex ſincero affectu credendi reuelationi diuinæ, quamuis in hoc à parte rei non exiſtenti.

Fides quidem docet, *Hoſtiam* ſacram quæ in Miſſa adoranda proponitur eſſe adorandam, ſed non prorſus abſolutè, ſed ſub hac tacita conditione, ſi ſit legitimè conſecrata. Quia aſſenſus Fidei, qui debet eſſe prudens, omnibus conſideratis talem tantum actum requirit.

Vir-

Virtus Prudentiæ infuſa, eſt etiam eſſentialiter vera. Hinc v. g. dationem eleemoſinæ illa non dirigit huic pauperi, ſpeculatiuè iudicando hunc eſſe pauperẽ qui verè non eſt talis ſed iudicando hic, & nunc honeſtum eſſe pauperi ſuccurrere. Quia hoc poſterum omninò verum eſt, etſi pauper in re eſſet tantum fictus.

Myſteria Fidei non ſunt *metaphyſice euidentia* Fidei diuina ſupernaturali, etſi eſſentialiter determinata ad verum. Quia alias eſſent euidenter vera, quod non requiritur, cum ſit euidens nihil poſſe eiuſmodi aſſenſum metaphyſicè euidentem terminare quod non ſit verum. Sunt tamen *euidenter credibilia* Fide diuina, euidentia magna *morali* excludente omne dubium rationabile de oppoſito: iuxta *Pſalmum* 92. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, id eſt valdè credibilia.

Ad actum Fidei non prærequiritur iudicium credibilitatis euidens *euidentia abſoluta* reſpectu omnium. Quia alias ſoli docti eſſent capaces aſſenſum Fidei, cùm ſoli ſint capaces penetrandi vim motiuorum credibilitatis abſolutè euidentis. Sufficit ergo *euidentia reſpectiua*, ſiue cuiuſque captui ita accommodata vt in vnoquoque ſit ſufficiens ad prudens imperium voluntatis ad credendum, qualis reſpectu rudiorum aliquando ſufficere poteſt ea quę fundatur in dictis Parochorum vel Parentum. Quia Deus ab homine in agendo tantum require poteſt iudicium prudens, & ſincerum iuxta perſonę inquirentis capacitatem.

Actus Fidei ex ſe eſt *eſſentialiter obſcurus* ſaltem permiſiſſimè, ſic nempè vt non exigat euidentia in ſuo obiecto. 1. Quia dicitur in Scripturis fides *argumentum non apparentium*: 2. Quia alioqui fides non eſſet meritoria, nec prærequireret imperium voluntatis, quod eſt contra illud S. Auguſtini, *Homo credere non poteſt, niſi volens*. Nec refert quod 2. *Corint.* 3. fides dicatur *claritas*, quia hoc intelligitur tantum comparatiuè ad legem Moſaicam. Quando de Fide dicitur Ioan. 1. *quod vidimus* &c. tantum ſignificatur Apoſtolos fuiſſe teſtes oculatos miraculorum quę coram viderunt à Chriſto patrari.

Actus Fidei conſiſtit cum naturali *cognitione euidenti*, ſaltem abſtractiua, eiuſdem obiecti. Quia alias vir doctus non poſſet fide Theologica credere Dei exiſtentiam lumine naturali ſiue euidentem, & demonſtrabilem, quod tamen requirit Apoſtolus ad *Hebr.* cap. 11. Accedentem ad Deum credere oportet quia eſt, &c.

Hinc actus Fidei, & *ſcientiæ* ſimul in eodem intellectu nullam inuoluit ſuperfluitatem. Quia prior tribuit illi actui plus certitudinis, poſterior plus claritatis, adeoque vterque ſimul actum magis perficit, & intellectui vtilior euadit. Idem ſit de naturali cognitione intuitiua, ſenſitiua, & experimentali eiuſdem obiecti, ob rationem aſſignatam.

Connaturaliter tamen, & de lege ordinaria non conſiſtit fides cum *viſione beatifica* circa idem obiectum, vt colligitur ex 1. *ad Corinth.* 13. Quia imperfectio, & obſcuritas Fidei non docet ſtatum clare euidentis Deum: quæ tamen eſt repugnantia tantum moralis, non phyſica, & abſoluta.

Fides conſiſtit cum *opinione* virtualiter tantum formidoloſa circa idem obiectum, non cum formidine formali ab intellectu certitudinem excludente. Quia formido illa virtualis, non, hæc, ſtat cum firmitate aſſenſus ad fidem requiſita Nec poteſt tali opinioni ſubeſſe error; quia hic repugnat perfectioni actus ſupernaturalis.

Euidentia *in Atteſtante* eſt euidentia rei reuelatæ in reuelatione euidenter cognita, vel ſic cognita ex ſignis, & effectibus clare manifeſtantibus eam eſſe Dei locutionem. Euidentiam talem habuit primus, & ſupremus Angelus de reuelatione Trinitas; quia aduertit ſuum intellectum per illius reuelationem immutari ab aliquo ſe ſuperiore, & ſimul nouerat nullam creaturam eſſe ſe Superiorem, ſed ſolum Deum. Cum tali euidentia in atteſtante ſtat actus Fidei: quia poteſt pręſcindere ab illius euidentia, eliciendo aſſenſum Fidei pręcisè vt eſt Dei teſtimonium.

Non poteſt, *obiecti euidentia* eſſe partiale *motiuum* credendi, aut firmius credendi. Quia fides ex ſe debet eſſe rerum *non apparentium*, ad Hebr. 11. Nec refert quod *Ioannis* 12. S. Thomas dicatur crediſſe, *quia Chriſtum vidit*. Quia *vidit*; ibi tantum denotat motiuum illud credibilitatis quo inductus fuit ad credendum Chriſti diuinitatem, non ipſum motiuum formale, & intrinſecum aſſenſus Fidei quo illam credidit.

Apoſtoli habuerunt *euidentiam* verborum Chriſti, & *Prophetæ* euidentiam ſignorum quibus illis locutus eſt Deus, non tamen euidentiam in *Atteſtante* propriè dictam. Quia non habuerunt in illis euidentiam locutionis Dei prout eſt *ſumme verax*.

Articuli Fidei, ſumpti pro myſteriis quæ debent ab omnibus credi, *non creuerunt* ſucceſſu temporis poſt Apoſtolos, niſi quoad explicationem eorũ quę in eis implicitè continẽtur.

Creuerunt tamen ſi ſumantur *latè* pro quauis propoſitione nobis reuelata. Quia iam multa ſunt nobis reuelata, vt Concil. Tridentinum eſſe legitimum, S. Franciſcum eſſe in cœlo, quæ tempore Apoſtolorum ſic reuelata non fuerunt.

CAPVT II.

De Fidei Regulis, certitudine, ſupernaturalitate & libertate.

Regulæ Fidei ſunt quinque, Eccleſia, Concilium Pontifex (quæ dicuntur Regulæ Fidei Animata) Scriptura, & Traditio, quæ dicuntur Inanimatæ.

De his ſingulis, & omnibus circa eas Controuerſiis in hoc Opere agitur fuſè Tomo I. Part.I. Cap. 3. *& deinceps vſque ad* Partem *Secundam. Hic principia quædam, maximè ſpeculatiua, & alia quædam particularia cum ſuis fundamentis breuiter ſubiicientur.*

Eccleſia eſt cœtus fidelium ſub vno capite Chriſto, eiuſque in terris Vicario. Non ſoli iuſti, & prædeſtinati ſunt de Eccleſia. Comparatur enim à Chriſto Areæ, in qua cum tritico ſunt etiam paleæ, *Matth.* 3. Iuſti qui poſtea finaliter erunt reprobi, ſunt de Eccleſia, & verè filii Dei, veritate formæ nunc conſtituentis filium Dei, quæ eſt gratia, & charitas, non veritate finis vltimo intenti, quę eſt vita æterna.

Non ſunt de Eccleſia *Hæretici*, etiam occulti; Nam de his intelligit Auguſtinus illud Ioan. 1. *erant inter nos, ſed non erant ex nobis.* Idem dicendum de *Schiſmaticis*. Quia ſunt ſeparati à capite Eccleſiæ; ergo non ſunt huius membra. *Excommunicati* etiam non ſunt de Eccleſia: iuxta illud *Matth.* 8. Si Eccleſiam non audierit ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus: quod intellige de excommunicatione maiori. *Cathecumeni* ſunt de Eccleſia potentia proxima, non actu, per fidem charitate formatam, & votum baptiſmi, quamuis non ſtrictè per ipſum Baptiſmum actu ſuſceptum.

Vera Eccleſia debet eſſe *viſibilis*, ſiue ex ſuis notis certò, cognoſcibilis; quia iubemur eam intrare, vt fuſius loco ſupra citato.

Notæ veræ Eccleſię ſunt, 1. Quod ſit Vna, vnitate Fidei; capitis &c. 2. Sancta, ſanctitate Doctrinæ, & finis, & præcipuorum eius membrorum. 3. Catholica ſiue vniuerſalis quoad locum, tempus. 4. Apoſtolica origine, propagatione, & conſtantia in Doctrina ab Apoſtolis accepta. De quibus actum *Tomo I. cap.* 3. *& ſeq.* vbi ex his notis, aliiſque oſtenſum, ſolam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Vbi, & poſtea de Primatu Eccleſiæ in Pontificibus Petri ſucceſſoribus: Et illius infallibilitate in definiendo, &c.

S. Paulus non conſtituit ſimul cum S. Petro vnum Caput Eccleſiæ. Eſt Fidei: & confirmatur recentius ex Decreto *Innocentii X.* damnantis vt hæreticum *Arnoldi* dogma contrarium. Neque Paulus vſpiam dicit ſe parem fuiſſe Petro, ſed ſe ab illo nihil accepiſſe, ſcilicet, poteſtatis ad exercenda Epiſcopalia per orbem vniverſum, ſed immediatè ab ipſo Chriſto. Dum *S. Epiphanius*, aut alii videntur aduerſari, tantùm volunt Paulum Petro collaboraſſe in fundando exordio Eccleſiæ Romanæ: & eodem ſenſu *S. Irænæus* Petrum & Paulum Collegas appellat.

Primatus Pontifici *Romano* competit *iure diuino:* ſic vt Eccleſia non poſſit illum alteri Epiſcopatui annectere. Prima pars eſt de Fide: & ſecunda Pars, quæ eſt maximè probabilis, & communis, probatur ex Anacleto, Marcello, aliiſque Pontificibus, & ex Concilio *Lateranenſi* docentibus, Sedem Petri *iubente Domino* Romam eſſe translatam: Eccleſiam Romanam *Chriſtum à primatum* obtinuiſſe: *Domino diſponente* eſſe cunctorum fidelium matrem, & magiſtram. Hinc porrò ſequitur, Pontificem ſuam poteſtatem non accipere ab *Electoribus* tamquam eam conferentibus, ſed vt ponentibus conditionem electionis ſine qua non poſſit ea poteſtas illi competere.

Pontifex eſt *infallibilis* in definiendo, etiam extra Concilium. Quę ſententia habetur adeo communis, & certa, vt *Bellarminus*, *Bannez*, & quidam alii cenſeant eſſe Fidei proximam: De qua, & nupera in Galliis controuerſia diffusè ſupra *in* Tomo I. *inter contro. recentiores* Quæſt. 2.

Ad Argumenta Vlteriora quæ in contrarium adducuntur.

Reſp. Summatim; Patres *Conc. Affricani* dum præferunt Concilium Prouinciale Pontifici, tantum agere de quæſtionibus facti particularis.

S. Ciprianus reſtitit quidem Stephano Papæ in quæſtione de rebaptizandis. ſed hoc factum cũ nondum illa quæſtio eſſet definita.

S. Petrus cogendo Gentiles iudaizare errauit tantum errore conuerſationis, & facti, non errore Doctrinæ: ſicut Aaron permittendo adorationem vituli aurei.

Zepherinus Pont. non approbauit Doctrinam Mon-

Montani, ſed falſo, & priuatim putauit non eſſe hæreticam, quam opinionem melius informatus poſtea reuocauit.

Liberius Pont. Arianiſmum non approbauit definitiuè, ſed ex metu contra Athanaſium ſubſcripſit.

Vigilius Pontif. errauit quidem ante ſuam electionem, non cum eſſet actu Pontifex. *Gelaſius* Pontifex, tantùm voluit Euchariſtiam ſub vnica ſpecie, Sacerdoti celebranti ſacrilegam eſſe.

Innocentius III. ait Babtiſmum in adulto formaliter hæretico Spiritum Sanctum non conferre, quod verum eſt de Spiritu gratiæ ritè intellectum. *Gregorius XIII.* cum dicit poſſe virum ob infirmitatem aliam ducere, loquitur de infirmitate impotentiæ perpetuæ qua mulier laborat.

Alij Pontifices quos eraſſe objiciunt, errarunt tantùm in quęſtionibus facti particularis vel vt Doctores priuati, non vt Definientes aliquod dogma Fidei aut morum pro Eccleſia vniuerſa.

Hinc rectè Facultas Theologica *Louanienſis* anno 1544. cum alijs inter articulos ad occurrendum Hæreſi hunc conſtituit: *Vnus eſt Eccleſiæ ſummus Paſtor, ad cuius iudicium controuerſiæ de Fide, & Religione ſunt referendæ. Item, Rectâ Fide tenenda ſunt quæ ſuper Fidei, & Morum negotijs definita ſunt per* Cathedram Petri, *vel per concilia*

Requiſita ad *definitiuam* Pontificis locutionem ſunt, 1. Vt obiectum definitionis non ſit factum particulare nullam habens cum reuelatis connexionem. 2. Vt Pontificis aſſertio ſit reſponſio directa ad quæſtionem quæſitam, non aliquid per accidentes in explicatione probatione, aut aliter abiectum. 3. Vt ſit expreſſa verbis definitionem indicantibus. 4. Vt definito ſit Eccleſię promulgata more requiſito.

Quæſtio peculiaris eſt, An Pontifex poſſit errare in Fide ſaltem vt *Perſona priuata*. Negat ſic poſſe pertinaciter errare *Bellarminus*, *Suarez*, *& alij*. Affirmat *Bannez*, *Sotus*, *alijque*, vtrinque probabiliter. Fundamentum Prioris ſententiæ præcipuum eſt, quod infallibilitas in definiẽdo connaturaliter requirat indefectibilitatem in credendo. Quæ in contrarium objiciuntur, non ægrè intelliguntur de errore externo abſque formali hęreſi interna, vel de errore etiam interno in factis particularibus, non in aliquo puncto in Fide determinato.

Fide credendum eſt Pontificem Romanum *legitimè electum*, & ab Eccleſia pro tali receptum, eſſe *verum* Chriſti Vicarium. Eſt contra paucos qui admitunt certum: ſed non Fidei.

Et probatur 1. Ex eo quod Eccleſia, quę eſt columna veritatis, non poſſit vniuerſaliter decipi illum pro tali recipiendo. 2. Ex decreto Martini III. id declarantis. 3. Quia in hac vniverſali reuelata, *Omnis legitimè electus eſt verus Petrus ſucceſſor*, continetur hæc particularis, *Innocentius XI. legitimè electus eſt verus Petri ſucceſſor*. 4. Quia credere tenemur hanc Eccleſiam viſibilem, cui præeſt hic Pontifex, eſſe veram Eccleſiam; ergo & hunc eſſe legitimum Pontificem; per notas debitæ electionis moraliter euidentes, quæ ad fundandum Fidei aſſenſum ſufficiant.

Pontificatu priuari poteſt Pontifex, 1. Per voluntariam abdicationem. 2. Per hęreſim externam notoriam. 3. Per amentiam perpetuò durantem.

Definitiones, *& Decreta* Pontificis cenſetur *tota Eccleſia acceptare*, quando ea acceptat maxima, & ſanior illius Pars, quamuis reſiſtant aliquod Epiſcopi, vti reſtiterunt damnationi Arij quatuor Epiſcopi recuſantes ei ſubſcribere.

Certitudo actus, eſt infalibilis veritas iſtius aſſenſus, firmaque eius adhæſio ad obiectum, qua virtualiter, & exercitè iudicatur quod obiectum non poſſit aliter ſe habere. Hæc firmitas aſſenſus in rebus per ſe notis neceſſariò reſultat ex obiecti euidentia, adeòque non eſt libera, & conſequenter excludit omnem formidinem de oppoſito. *In obſcuris*, oritur ex prudenti imperio voluntatis ſeipſam, & intellectum determinantis ad aſſenſum, ſic vt proinde ſit libera, & ſolum excludat formidinem actualem. Quando iſta firmitas imperatur ex leui fundamento, non eſt certitudo, ſed pertinacia, vt in hæreticis.

Actus Fidei eſt abſolutè certus. Eſt de Fide, aut Fidei proximum, contra Abaillardum. Quoad *infallibilitatem*, eſt certior quouis aſſenſu naturali quatumuis euidenti; Quia eſſẽtialiter nititur teſtimonio Dei reipſa exiſtente ſummè infallibili. Vnde hac certitudine æquat viſionem beatam: & ſuperat aſſenſum naturalem nitentem diuina reuelatione reipſa exiſtente. Hic enim, quantum eſt de ſe, poteſt elici eius obiecto non exiſtente, adeoque eſſe falſus. Quoad *certitudinem adhæſionis*, certior eſt quouis aſſenſu naturali elicito ab eodem homine, non aſtimato tanquam Fidei. Quia eſt proportionata infallibilitati obiecti formalis, quæ cum ſit ſumma, exigit adhæſionem appretiatiuè maiorem omni ad-

hæ-

hæſione fundata in euidentia naturali: Eſt tamen adhæſiuè incertior *viſione* beatifica per ſe infuſa, & alijs ſupernaturalibus etiam formidandi potentiam excludentibus. Eſt nihilominùs abſolutè, & ſpectata etiam eius infallibilitate certior omni actu *naturali*, etiam (vt rectè Auguſt.) quo quis experitur ſe viuere. Illi enim Scripturæ 2. *ad Cor.* 10. in captiuitatem redigentes intellectum in obſequium Chriſti, & PP. Chryſoſt. & Auguſt. maiorem tribuunt certitudinem, quam ſcientię & experientiæ qua per ſenſus aliquid certò cognoſcimus.

Cum per motiua credibilitatis proponatur obiectũ Fidei vt euidenter credibile propter Dei teſtimonium ſummè infallibile, poteſt voluntas *prudenter* imperare, aſſenſum præcisè propter iſtud motiuum, eique proportionatum, adeòque ſuper omnia certum, & conſequenter elicere aſſenſum *certiorem* certitudine omnium motiuorum credibilitatis collectiuè, quippe quę talem aſſenſum ſuadẽt, & ad eum obligant. Vnde intellectus per fidem adhæret firmius obiecto credito, quam motiuis credibilitatis, ſic vt potius hæc negaret, quam illud, ſi ſtante Fide hoc eſſet poſſibile.

Neque exceſſus ille certitudinis ſupra certitudinem motiuorum credibilitatis caret motiuo credibilitatis. Quia hunc exceſsũ perſuadent, motiua credibilitatis, eo ipſo, quo probant hic, & nunc Dei teſtimonio *ſummè* infallibili debitum eſſe aſſenſum ſummæ in adhærendo certitudinis.

Aſſenſus Fidei non eſt formaliter diſcurſiuus, Ita plures ex conſenſu communiori D. Thomæ, aliorumque Doctorum, quibus fauent communius S. Ambroſ. alijque Patres. Ratio, quia alioqui non eſſet certior, ſed incertior, iudicio naturali de bonitate conſequentiæ, à qua bonitate conſequentiæ vt à motiuo partiali penderet, & acciperet ſuam certitudinem. Oppoſitum tamen eſt probabile: & ſpectata ſola ratione fortè probabilius: Cum enim aſſenſus Fidei ſit mediatus, adeoque diſcurſus virtualis, non apparet, cur ei omnino repugnet ratio diſcurſus formalis.

Dices, Inde ſequitur quod certitudo aſſenſus Fidei dependebit ſaltem partialiter à motiuo merè naturali, ſcil. à bonitate conſequentiæ iuxta leges diſcurſus naturalis, ac dialectici.

Reſp. Sic non dependere à bonitate conſequentiæ tamquam à partiali *motiuo* aſſenſus Fidei, ſed ſolùm tamquam ab *applicatione* motiui, ſiue obiecti formalis Fidei, ſcil. veracitatis, & reuelationis diuinę, quę per diſcurſum, & bonitatem conſequentię obiecto materiali ab intellectu applicantur.

Concluſio obiectiua legitimè deducta ex *duabus præmiſſis reuelatis* credi poteſt Fide diuina, ſi nempè ſpectetur, non merè vt deducta, ſed vt nititur reuelatione &c. Vnde talis concluſio ſic deducta ex duabus præmiſſis reuelatis, iuxta *Scotum*, *Suarez*, & alios communius, eſt ſimpliciter de Fide. Quia cum identificetur realiter ſaltem inadæquatè præmiſſis reuelatis, & in ijs contineatur, ſaltem confusè, eſt in ijs ſufficienter reuelata, ut ex voluntatis imperio credatur prçcisè vt reuelata Hinc de fide eſt, concluſio huius Syllogyſmi: Omnes Apoſtoli acceperunt Spiritum S. Matthæus fuit Apoſtolus; Ergo Matthęus accepit Spiritum Sanctum.

Concluſio deducta ex vniuerſali reuelata, & *ſubſumpta non reuelata*, ſed *metaphyſicè*, aut *phyſicè certa*, eſt etiam de Fide. Quia quod reuelatur de ſubiecto vniuerſim ſumpto reuelatur de quouis, quod ſub ſumitur ſub illo, ſeu quod in eo continetur certè certitudine metaphyſica aut phyſica. Hinc poteſt quis credere, infantem quem certò certitudine experimentali nouit à ſe legitimè baptizatũ, eſſe in gratia: ſe verò extra gratiam, & ſibi conſcius ſit peccati mortalis non retractati, *Ita Suarez*, *Tannerus*, *Lugo*, alijque, Contra *Ariagham Conink*, alioſque.

Dices, Concluſio ſequitur debiliorem partem antecedentis, quę hic eſt propoſitio phyſicè tantùm certa.

Reſp. Id intelligendum eſſe de concluſione quatenus deducta ex premiſſis, non autem de concluſione tantùm materialiter ſpectata, & contenta in præmiſſis.

Deductam etiam ex vniuerſali reuelata, & ſubſumpta ſolum certa *certitudine magna morali*, eſſe Fide diuina credibilem probabilius videtur. Quia certitudo magna moralis reuelationem ſufficienter proponis, ad inducendam credendi obligationem. Hinc, quia reuelatum eſt, Filium Dei deſcendiſſe de cœlis pro omnibus hominibus, tenemur credere illud Symboli Nicæni. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis:* licet non ſit reuelatum nos exiſtere, aut eſſe homines, ſed ſolum certum certitudine magna morali, quæ eſt ſufficiens applicatio reuelatio ad inducendam obligationem credendi.

Vt ſi Deus reuelaret, omnes vrbes Italiæ intra annum euertendas, poſſemus Fide diuina

uina credere Romam tunc euertendam, eo quod certitudine magna morali conſtet eam eſſe vrbem Italiæ. Ita *Tannerus*, *Amicus*, *Ouiedo*, *Lugo* alij communius, Contra *Molinam*, *Ariagam*, *Conink*, *&c.*

Adultus non poteſt Fide diuina credere ſe eſſe iuſtificatum per *ſuſceptionem Sacramenti*: Quia de legitima eius ſuſceptione non poteſt habere certitudinem, id eſt, excludentem omnem formidinem prudentem de oppoſito, qualis requiritur de exiſtentia reuelationis ad prudens imperium aſſenſus fidei, & ad obligationem credendi, vt docet *Lugo*, &c.

De propoſitione tantum *probabiliter reuelata* ſiue notitia tantũ probabili reuelationis qualiter ſentiendum, declarat Innocentius XI. referendo hanc inter prohibitas Prop. 21. *Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili reuelationis; imò cum formidine qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.*

Actus Fidei *Iuſtificatiuæ* eſt ſupernaturalis, ſaltem *quod modum* quo fit. Patet ex Scrip. *ad Philip.* vobis *donatum* eſt vt credatis: & *ex Tridentino*, ſi quis dixerit, ſine *Spiritus Sancti adiutorio* hominem credere poſſe ſicut oporet vt iuſtificetur, anathema ſit.

Eſt etiam ſupernaturalis quoad *ſubſtantiam*, ſic vt ſecundum ſuam entitatem ſuperet omnem naturæ exigentiam actiuam, & paſſiuam. Ita *Scotus*, *Suarez*, *& alij communius*, contra *Scotum*, *Caiet. & alios apud Ripaldam*. Prob. ex Scrip. CC. & PP. docentibus abſolute actum Fidei eſſe domum Dei, & ſuperares vires naturæ. Ratio eſt, quod actus Fidei ſit diſpoſitio ad gratiam ſupernaturalem in ſubſtantia, cui proinde debet proportionari etiam in ſubſtantia ipſe actus.

Pia affectio credendi elicitur à ſpeciali habitu credulitatis, eſtque *entitatiuè ſupernaturalis*: vti & iudicium *practicum prudentiæ* illam immediatè dirigens non tamen iudicium *ſpeculatiuum* de credibilitate. Quia illa pia affectio &c. ex *Conc. Arauſicano art. 5.* eſt initium Fidei, adeoque donum gratiæ: non autem iudicium iſtud ſpeculatiuum, cum actum ſupernaturalem non dirigat, niſi remotè & per accidens: vndè poteſt abſolutè iudicium illud ſpeculatiuum de credibilitate falſum eſſe.

CAPVT III.

De Fidei neceſſitate, habitu, infuſione, ſubiecto, & de Hęreſi, infidelitate, blaſphemia.

De *his ex parte in* Tomo I. Part. I. Cap. I. & ſequentibus.

Fides Dei vt exiſtentis, & quidem ſub ratione vnius primi principi, & vt *numeratoris*, eſt & ſemper fuit neceſſaria neceſſitate medij, nec ſolum diſiunctiuè in re, vel in voto; vt Baptiſmus, ſed in ipſa re, ſiue actu formali 1. Quia non eſt in quo alio actu æquali aut perfectiori dici poſſit fides illa contineri virtualiter, aut eminenter. 2. Quia nullum eſt fundamentum illud dicendi de Fide illa, ſicut de Baptiſmo, quem ex Scrip. & PP. conſtat poſſe ſuppleri per dilectionem, martyrium, &c. non autem poteſt ſic aut alio modo ſuppleri fides illa Dei, & remuneratoris.

Dices, Non eſt cur antecedenter ad iſtam fidem non poſſit Deus cognoſci ſub ratione ſolis *cauſæ primæ*, & ſic amari ſuper omnia actu iuſtificatiuo.

Reſp. *Amorem Dei* ſuper omnia non eſſe poſſibilem ante fidem Dei vt *remuneratoris*, non quidem abſolutè, ſed ex hypotheſi pręſentis prouidentiæ, de auxilio ad actum proximè iuſtificatiuum non dando, niſi mediante hac Fide remuneratoris, vt Scriptura declarat *ad Hebr. 11.* &c.

Et quidem probabile, *fidem explicatam Incarnationis, & Trinitatis*, poſt Euangelium ſufficienter promulgatum vt toto orbe obliget, neceſſariam eſſe neceſſitate medij: Probabilius eſt tamen apud plures illam ſolùm eſſe neceſſariam in re, vel in voto contento in Fide remuneratoris, & in voluntate credendi omnia ad ſalutem noſtram reuelata. Quia non apparet ſufficiens fundamentum neceſſitatis vniuerſalis credendi miſteria captu, & creditu adeò difficilia. 2. Quia poſſunt omnia Scrip. & PP. loca ei fauentia explicari, vel de neceſſitate præcepti, vel de neceſſitate in re, aut in voto, contra eos qui aſſerunt neceſſitatem in rei; vel de neceſſitate Fidei Chriſti id eſt, ex merito Chriſti; vel de fide Chriſti implicita, vel explicita. 3. Quia iſta fides de qua ſupra, multis eſt impoſſibilis, vt ſurdis, & mutis à natiuitate, educatis inter Barbaros, & valdè ſtupidis. Ita docet *Scotus*, *Medina*, *Suarez*, *Conink*, *Ripalda*, Contra *Lorcam*,

cam, *Malderum*, *Valentiam*, *Sanchez*, *Granadum*, *Tannerum*, *Amicum*, qui ſuſtinent iſtorum myſteriorum fidem neceſſariam eſſe neceſſitate medij; vnde patet ſaltem ad ſecuritatem illa eſſe inculcanda, cum hanc neceſſitatem ſi à parte rei ſubſit, probabilitas ſuplere non poſſit.

Credenda ſunt neceſſariò *neceſſitate præcepti* myſteria Trinitatis, Incarnationis, & omnia in ſymbolo contenta, & quidem hæc ſunt explicitè credenda. Vnde eſt obligatio ſciendi iſta, & ex præcepto Eccleſiæ orationem Dominicam, præcepta Decalogi, Tria Sacramenta maximè neceſſaria ad ſalutem. De his *Confeſſarius*, & maximè Parochus interrogare debet pœnitentes, dum apparent valdè rudes, eoſque inſtruere, aut inſtrui curare.

De Fide *externa*: Licitum eſt ex graui cauſa vti *veſte infidelibus propria*, eorumque diſtinctiua, modo non ſint ex ſua inſtitutione, ſeu vſu recepto, ſigna proteſtatiua falſæ religionis: Vti etiam poteſt *Eccleſiaſticus* veſte laicorum, non ex intentione ſimulandi ſe eſſe Laicum, ſed celandi ſe eſſe Eccleſiaſticum: Quia hoc non eſt ſimulare quod non eſt ſed diſimulare quod eſt, in quo nihil eſt mendacij.

Inter Hæreticos licet tunc *veſci carnibus* ad occultandum ſuam religionem, quando hoc eſt neceſſarium ad vitanda grauia damna. Quia illud non eſt hæreſim profiteri, nec Eccleſiæ præceptum obligat cum tanto incommodo: non tamen vti *cæremonijs* inſtitutis ad profeſſionem vel exercitium falſæ religionis, v. g. ſumendo cœnam hæreticorum, aſſiſtendo eorum concionibus, quando princeps id imperat tamquam profeſſionem falſæ religionis, &c. *De his Alijsque plura practica, & particularia in hoc Opere infra* Tomo II. Tract. VI.

Datur *habitus Fidei* per ſe infuſus, qui eſt principium elicitiuum aſſenſus fidei, eſtque in intellectu, ſicut habitus ſpei, & charitatis in voluntate. Conſtat ex *Trid. Seſſ. 6. cap. 7.* vbi ait, in iuſtificatione, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem: Quæ non poſſunt intelligi de *actibus* Fidei, &c. Cum hi actus iuſtificationem præcedant, ex Apoſt. ad *Heb. 9. & ad 1. Corinth. 13.* & ex communiſſimo DD. ſenſu, è quibus *Suarez, & Granadus* volunt eſſe de Fide. Et fauet ratio, quia connaturalius eſt vt homo in via conſtituatur in actu primo ſufficienti ad actus ſupernaturales, & meritorios per dona permanentia, quàm per auxilia tranſeuntia: ſicut in Patria eleuatur anima ad Dei viſionem per lumen gloriæ permanenter, & habitualiter illi inhærens.

Vltra illum habitum *intellectualem*, à quo procedit immediatè actus Fidei, datur *in voluntate habitus piæ affectionis* per ſe infuſus; vt actus Fidei fiat modo perfectiori, & magis connaturali: Eſt autem iſte habitus virtus ſpecialis Fidei ſubſeruiens, diſtincta à ſtudioſitate, & obedientia. Quia pro obiecto formali habet ſpecialem honeſtatem diſtinctam ab honeſtate, quam ſpectans aliæ virtutes, quæ relucet in eo, quod eſt intellectum ſuum *ſubmittere primæ veritati*, aliquid, licet obſcurè, reuelanti. Non eſt illa virtus Theologica, cum non habeat aliquam Dei perfectionem pro obiecto formali, ſed virtus moralis Fidei ſubordinata, eiuſque actum cauſans, non eum eliciendo, ſed imperando ex pia, & antecedente voluntatis imperantis affectione.

Habitus Fidei non infunditur *prius tempore*, quam habitus *Charitatis*. Fauet *Trident.* docens in Iuſtificatione hominis infidelis ſimul infundi fidem, ſpem, & Charitatem vbi iſtud *ſimul* ſignificat ſimultatem tempore, vt indicat etiam iſtud in *iuſtificatione*. Fauet etiam S. Thomas, docens fidem, & ſpem præcedere charitatem ſecundum actus, non ſecundum habitus: Vnde cum alibi contrarium innuit, intelligendus eſt, vti & Auguſt. de Fide actuali. Ratio eſt, quod ſaltem in eo qui peccauit peccato infidelitatis, diſpoſitio ſufficiens ad habitum Fidei, quæ debet eſſe expulſiua mortalis peccati infidelitatis, ſufficiat ad habitum charitatis, cum hic ſufficiat ad expellendum omne peccatum mortale, quod ſolum charitati repugnat. Ita docet *Scotus*, *Bonauentura*, *Lugo*, *Ariaga*, *Ripalda*, Contra *Caietanum*, *Sotum*, *Suarez*, *Valentiam*, *Vaſquez*, quorũ ſententia probabilis cenſetur.

Fides habitualis eſt, vi præſentis prouidentiæ, *principium radicale reſurrectionis ſpiritualis* à ſtatu peccati; quæ ratio eſt cur potius conſeruetur in peccatore fideli ſpes, quàm virtutes morales: Quia nempe Deus hominem nec dum à ſe totaliter ſiue finaliter auerſum pro ſua bonitate noluit deſtituere intrinſeco iuſtificationis principio. Habitus etiam *piæ affectionis* credendi, quia eſt virtus Fidei ſubſeruiens, ad eius actus ſaltem imperatiuè concurrens, cum habitu Fidei conſeruatur in peccatore, licet ſine charitate non infundatur.

Angelus, & Homo in prima ſui creatione habuerunt fidem, Quia, cum eſſent viatores, de-

buerunt ſe diſponere ad beatitudinem per actus Fidei, & ſpei, &c. *Dæmones*, & cæteri *damnati* non habent fidem propriè dictam; quæ dicit aſſenſum, quo credens ſe ſubmittit teſtimonio Dei, & in eius obſequium captiuat ſuum intellectum: cum enim eis deſint auxilia ad huiuſmodi actus, habitus eorum actuum productiuus in eis eſſet ſuperfluus. Habent tamen aliquam ſpeciem *Fidei naturalis* ortæ ex euidentia motiuorum credibilitatis, de qua intellige, Dæmones credunt, & contremiſcunt. *Iacob. 2. v. 19.*

Habent fidem iuſti in *Purgatorio*, cum adhuc certo modo ſint viatores, quibus proprium eſt ambulare per fidem ex *Apoſt. 2. ad Corinth. 5.* Non tamen *Beati in cœlo*, vbi ex *Apoſt. 1. ad Cor. 3.* remanet ſola charitas, vt interpretantur Patres. Ratio eſt, quod imperfectio obſcuritatis, & formidinis Fidei propriè dedeceat ſtatum beatificum.

Dices, *Apoſt. ad Hebr. 11.* dicit; ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo: & Patres ſubinde lumen gloriæ fidem vocant.

Reſp. Apoſt. ibi loqui de viatoribus, qui vi præſentis prouidentiæ non poſſunt ſe ad gratiam, & ſalutem diſponere niſi per fidem. Patres autem lumen glorię ſubinde vocant fidem, ſumendo fidem latè, pro quauis cognitione infallibili coniuncta cum firmiſſima adhæſione, qualem habent in cœlo Beati.

Fides habitualis ſupernaturalis, de lege ordinaria, non poteſt eſſe in *hæretico formaliter*. Patet 1. ex Apoſt. *1. Tim. 1. v. 19.* vbi de Hymenęo errante in vnico articulo fidei dicit, illum *à Fide naufragaſſe*, id eſt, iuxta *Chryſ.* totum Fidei habitum perdidiſſe. Patet 2. ex Trident. *Seſſ. 6. c. 5.* vbi ait: infidelitate fides amittitur 3. Ex Auguſt. *Enchir. c. 5.* docente Hæreticos nomine tenus in Chriſtum credere. *Peccatum infidelitatis* expellit etiam *habitum pię affectionis credendi*, quæ eſt pars Fidei ſumptæ moraliter vt eſt libera, & meritoria, & per quam pręcipuè à voluntate imperante dependet: pertinacia enim hæretica, & formalis, cum pia credendi affectione ſimul non conſiſtit.

Dices, Hæreticus non reijcit infallibilitatem diuinæ reuelationis, ſed tantum negat illam exiſtere in articulo particulari: ergo non caret pia affectione erga auctoritatem diuinam.

Reſp. Et ſi *hæreticus* non neget infallibilitatem diuinæ reuelationis, ſed ſolum eius exiſtentiam de articulo à ſe reiecto, eo ipſo tamen, quo negat hoc particulare obiectum eſſe *reuelatum*, *præſuppoſita eius ſufficienti propoſitione*, vt reuelati, eſt iniurius diuinæ Auctoritati. Quia reuelationi ſufficienter ſibi propoſitę non vult deferre cultum intellectualem ſupremum illi ratione ſuę omnimodæ infallibilitatis ſummo iure debitum.

Hæreſis propria, & Fidei repugnans eſt, *Error, & pertinax*, & contra fidem in profitente Chriſtianiſmum: Hinc tenens veritatem Fidei putans eſſe contrariam doctrinę Eccleſiæ, aut cum voluntate non diſſentiendi errori, licet oppoſitum definiretur, ibi pręcisè ſiſtendo, non eſt propriè hæreticus. Quia ſic non habet iudicium erroneum contra Fidem. Pertinacia illa ad hæreſim requiſita ex S. Auguſt. *Epiſt. 12.* eſt formale conſtitutiuum hæreſis, cuius materiale eſt error, & rectè definitur, obſtinata voluntas non aſſentiendi reuelatis vt talibus ſufficienter propoſitis. Diſſentiens *reuelationi priuatæ*, eſt infidelis, & quidem infidelitate fidem pellente, non tamen hæreticus ſtrictè, quia non reijcit reuelationem plubicam, ſiue, ab Eccleſia propoſitam, ideoque ſubiectus non eſt pęnis hæreticorum.

Probabilius videtur errantem in Fide ex *ignorancia vincibili* eſſe formaliter hæreticum, vtpote ex neglectu imputabili, &c. vt diximus ſup. *Tomo 1. pag. 16.* Oppoſitam tamen ſententiam, quæ eſt benignior, probabiliter docet *Lugo* cum varijs. Quia etſi talis habeat errorem culpabilem, illum non teneret niſi opinaretur non eſſe difformem doctrinæ Eccleſiæ, quam pio credendi affectu in omnibus vult amplecti, & ideo affectat eam in quibusdam ignorare, ne cogatur ſuum errorem aut quodpiam vitium deſerere. Vnde in eo non patet iſta pertinacia ſine qua hęreſis ſtare nequit. Ita *Durandus*, *Bannez*, *Suarez*, *Lugo*, Contra *Sotum*, *Lorcam*, *Sairum*, *Canum*, qui ſic opponunt.

In Alijs materijs peccatum ex ignorantia culpabili eſt eiuſdem ſpeciei cum peccato ex certa ſcientia commiſſo. Ergo etiam in materia Fidei.

Reſp. alij, diſparitatem eſſe, quod ignorantia, etſi grauiter culpabilis, tollat ab errore in materia Fidei *pertinaciam*, & negationem formalem infallibilitatis Dei aut Eccleſiæ, quibus error conſtituitur in eſſe hæreſis, fidemque expellens: At verò ab actu in alia materia graui non tollit voluntarium, adeoque nec malitiam grauem, qua quoduis mortale pellit charitatem, quæ eſt cuiuis mortali oppoſita in quauis materia.

Dubium retinens circa myſterium *ſufficienter propoſitum* vt reuelatum, ſiue poſitiuè iudicando non eſſe certum, ſiue negatiuè circa illud

metu

metu errandi ſuſpendendo aſſenſum, eſt formaliter hæreticus. Quia vel formaliter per actum poſitiuum, vel æquiualenter per ſuſpenſionem aſſenſus iudicat diuinam reuelationem, vel Eccleſiæ propoſitionem non eſſe infalibilem. Idem dicendum de eo, qui circa eiuſmodi articulum *opinatur* opinione formidoloſa, non de opinante opinione ſolum formidoloſa permiſſiuè, ſic enim infallibilitatem non negat. Ita *D.Thomas, Caiet. Suarez, &c.* & videtur certum ex *cap 1. de hæret.* vbi dicitur, *Dubitans de Fide eſt infidelis.*

In materia Fidei per *Propoſitionum cenſuram* alia dicitur propoſitio *hæretica formaliter*, quæ opponitur reuelationi aliquo modo notæ, alia *materialiter*, quæ opponitur reualationi ignotæ, alia *erronea, & hæreſi proxima*, quę opponitur propoſitioni certæ certitudine Theologica; alia *hæreſin ſapiens*, quæ ex circumſtantijs præbet occaſionem ſuſpicandi, quod proferatur ſenſu heretico; alia *ſcandaloſa*, quæ prebet occaſionem ſiniſtrè agendi aut ſentiendi, *temeraria*, qua temerè aſſeritur vt certum: quod eſt valdè dubium, vel contra; *impia*, quæ probabilitate carens fidelium pietati detrahit.

Infidelitas propriè dicta, nempe Deo aut Eccleſiæ negans infallibilitatem, & conſequenter abſolutè repugnans Fidei actuali, eſt maximum peccatum, quoad nocumentum: Quia tolit radicem omnis iuſtitiæ, nempe fidem; non maximum quoad malitiam, cum eo grauius ſit odium Dei. *Triplex* eſt infidelitas nempè *Paganiſmus*, quo doctrina Fidei totaliter reijcitur. *Iudaiſmus*, quo admittitur in figura, ſeu vt eſt in veteri teſtamento, & reijcitur in veritate: & *Hæreſis*, qua admittitur in figura, in veritate autem partim reijcitur, partim admittitur. *Apoſtaſia* eſt defectio à Fide quę pręſupponitur ſuſcepta per baptiſmum Eccleſiæ.

Ad fidem vi cogerem non licet *Infideles* Eccleſiæ aut Chriſtianis Principibus *non ſubiectos* temporaliter. Eſt S. Thomæ, & aliorum communis ex Apoſt. 1. *ad Cor. 5.* quid mihi de ijs, qui foris ſunt: quem locum Chryſoſt. Auguſtin. & cum ijs Trident. *Seſſ.14.cap.* 4. intelligunt ad noſtrum ſenſum: Ratio eſt, quod Fidei ſuſceptio, eiuſque per Sacramenta profeſſio debeat eſſe voluntaria, alioqui eſſet ficta, & ſacrilega. Vnde ad eam cogere eſſet indirectè cauſare ſacrilegia. Aliud eſt de *Hæreticis*, qui poſſunt cogi ad id, quod in baptiſmo promiſerunt, habendo ſe permiſſiuè ad mala inde fortaſſis per accidens ſecutura: de his intelligi poteſt illud *Luc.14.* Compelle intrare; vel de compulſione ex prædicationis Euangelicæ vi ſiue efficacia.

Imò etſi infideles Chriſtianis Principibus temporaliter ſubiecti ſint, ad fidem ſuſcipiendam vi cogi non poſſe docent plures cum *D. Thoma*, contra *Scotum*, &c. Quia cum foris ſint, ex Apoſt. & Trident. ſupra, Eccleſia in eos nullam habet poteſtatem: illa verò, quam habent Principes ſæculares, eſt merè politica, adeoque non ſe extendit ad ſupernaturalia. Hinc Conc. Toletanum prohibet ne tales ad fidem cogantur, quod non faceret, ſaltem generaliter, ſi id per ſe, & directe licitum foret. Poteſt *Princeps* cogere ſuos ſubditos ad ſeruandam *legem naturæ*, quatenus conducit ad commune bonum Reipublicæ, non quatenus conducit ad ipſorum ſalutem; cuiuſipſis inſitis procurandę Principibus non oſtenditur poteſtas à Deo data. Poſſunt tamen *indirectè* ad fidem inducere, verbi gratia, iuſtis tributis illos grauando, ad audiendum doctrinam ſacram conuocando, aut domicilium in certa quadam ditione illis non concedendo niſi velint prædicationi aliquando intereſſe. Ita *Valentia* contra *Maiorem*.

Dices, iure diuino ipſi infideles tenentur fidem in Deum, & Chriſtum ſuſcipere. Ergo poſſunt compelli ad id quod tenentur.

Reſp.neg. conſeq. Quia Principis temporalis non eſt compellere ad ſupernaturalia, cum hæc non debeantur Principi, ſed Deo; qui non reperitur in hoc talem ſui iuris executionem illis demandaſſe.

Ius naturę prohibet *Libros hæreticorum*, ij; quibus eſſent occaſio ruinæ, vt rudioribus, quibus annumerat Syluius vnius, aut alterius anni Theologiæ auditores. Ius verò Eccleſiaſticum in Bulla Cœnæ omnibus etiam DD.Epiſcopis, & Cardinalibus eos prohibet, idque ſub pœna excommunicationis; à qua tamen, & à graui peccato excuſat paruitas materiæ, ſiue eiuſmodi libros exiguo tempore apud ſe retinendo, ſiue in ijs paucas lineas legendo. In Germania vbi multi ſunt hæretici viro docto aliquando non eſſe illicitum illorum libros legere ad refutationem tradit *Layman. De his plura infra* Tom. II. Tract. VI.

Blaſphemia eſt verbum contumeliæ in Deum, vel in Sanctos ſic vt redundet in Deum Conſiſtit vt hæreſis in actu intellectus ſupponente prauum voluntatis affectum formalem aut virtualem Deum inhonorandi, à quo imperatur, & conſummatur acidentaliter verbis, alijſque ſignis externis *Ennuntiatiua* ſeu hæreticalis blaſphemia fit. 1. Deo aliquid tribuendo, quod ipſi non conuenit. 2. Illi negando;

do, quod illi conuenit. 3. Tribuendo creaturæ, quod Deo proprium eſt. Enuntiatiua *duplicem* continet malitiam moralem, ſcil. contra fidem, & contra religionem. *Simplex* vnicam, & fit imperatiuè, optatiuè, irriſoriè, Chriſtum, eiuſque mortem nominando irreuerenter v.g. in rixa, aut vehementi iracundia.

Non poteſt autem eſſe formalis blaſphemia, niſi intellectus aduertat ad verba quæ proferuntur.

Virtuti Fidei *opponitur* etiam *Apoſtaſia* quæ eſt defectio voluntaria à fidei veritate, vti, & obſtinatio, & cæcitas mentis, quæ ſolet à paſſionum perturbatione prouenire.

Dona autem intellectualia Fidei, dictis contraria, ſunt, ſapientia, intellectus, ſcientia, conſilium, quæ etiam Spiritus ſancti dona nuncupantur. *De blaſphemia, &c. plura tactica infra* Part. III. Tract. V. cap. II.

De Spe Theologica.

CAPVT VNICVM.

De Spei natura, obiecto, peccatis oppoſitis, illius præcepto, habitu, neceſſitate.

QVomodo actus ſpei per ſe, & ex ſuo obiecto, & ſine amore ſit bonus, & meritorius, tractatur in hoc opere infra *Tomo II. Part. III. Tract. I. Quæſt. XXI. & ſeq. de *Attritione, Spe, Amore &c.*

Spes Theologica definitur, deſiderium efficax boni ſupernaturalis, abſentis, ardui, & probabiliter obtinendi. Huic reſpondet Spes *habitualis*, ſiue, habitus infuſus per modum principij ad eliciendos actus Spei prædictos.

Materiale obiectum principale Spei Theologicæ eſt Beatitudo ſumpta completè pro complexo ex obiectiua, & formali, Deo ſcilicet, & eius poſſeſſione, ſic vt ille ſit principale, hæc minus principale. Patet ex Scrip. 1. Tit. 2. Expectantes aduentum gloriæ Dei: Ex Auguſt. dicente, prœmium virtutis erit ipſe Deus.

Spei *materiale obiectum adæquatum* complectitur omnia ſiue ſupernaturalia: ſiue naturalia, quæ ad beatitudinem conducunt ad eamque obtinendam à Deo ordinatè peti, & meritò expectari poſſunt, qualia ſunt, iuxta *S. Auguſtin.* omnia contenta in oratione Dominica: vnde Beatitudo eſt obiectum primarium, cætera pertinent ad ſecundarium, iuxta illud *Matth. 9.* quærite primum regnum Dei.

Spes eſt *virtus Theologica*: quia immediatè attingit Deum vt obiectum principale, eiuſque viſionem vt minus principale, & vt applicationem principalis. Sic fides Theologica reſpicit vt formale obiectum principale primam veritatem, vt minus principale reuelationem exterius debitè propoſitam.

Bonitas Dei reſpectiua ad creaturas eſt obiectum *formale* Spei, vt eſt deſiderium tendens in Deum vt nobis bonum; cum vt ſit pertineat ad amorem concupiſcentiæ, qui ex eſſentia ſua reſpicit obiectum vt amanti bonum, non vt bonum in ſe, in quo etiam à charitate, ſiue amore beneuolentiæ diſtinguitur.

Amor concupiſcentiæ incluſus in Spe, ſpectat quidem ad quemdam amorem proprium, cum per illum ſperans ſibi velit ſuum bonum proprium, & quidem ſummum; non tamen eſt vitioſus, ſed ordinatiſſimus. Quia per illum homo ſe in actu exercito refert ad Deum vt finem vltimum in eoque ſiſtit. Neque eſt amor naturalis, quia per illum ſperans amat ſe ipſum non vt contentum intra limites naturæ, ſed vt euectum ad finem ſupernaturalem, idque ex directione Fidei diuinæ, & ex motione gratiæ ſupernaturalis ad illum finem impellentis.

Sicut nobis *incerta* eſt ſalus noſtra, ita ea ex parte *effectiue* defectibilis eſt Spes noſtra: Hæc tamen eſt *certiſſima affectiuè*, ſicut fides noſtra *cognitiue*: Quia ſicut hæc nititur teſtimonio Dei ſummè infallibili, ita illa nititur virtute Dei auxiliatrice infinitè efficaci per promiſſionem ſummè fidelem nobis addicta: quod ſufficit ad medij, & Spei noſtræ certitudinem, licet non ad infallibilitatem euentus, ſiue gloriæ æternæ.

Deſperatio Spei opponitur per defectum, *Præſumptio* per exceſſum, hæc conſiſtit in immoderantia Spei, qua quis inordinatè innititur, vel propriæ virtuti, præſumens obtinere beatitudinem viribus naturæ, vel diuinæ miſericordiæ, præſumens eam obtinere ſine bonis operibus. *Deſperatio* conſiſtit in deiectione animi aduerſantis beatitudinem, vt conſequentiam ob eius impoſſibilitatem, aut nimiam difficultatem, ad eam perueniendi.

Deſperatio cenſetur *maius peccatum*, quàm *præſumptio*. Quia diuinæ bonitati minorem iniuriam facit, qui ſperat aliquid quod ſperare non debet, quod fit per præſumptionem, quam

qui

qui non vult ſperare id quod ab ea ſperare deberet, vti patet in exemplo optimi Principis, cui per talem deſperationem maior iniuria irrogatur.

Habitus Spei expellitur, 1. Peccato infidelitatis fidem deſtruentis. 2. Per peccatum mortale deſperationis, quod Spei, eiuſque obiecto formali directè opponitur. 3. Per actus odii, & contemptus beatitudinis, alioſque ſimiles Spei oppoſitos: non tamen per præſumptionem nulla infidelitate permixtam, nec per alia mortalia quæ obiectum formale Spei non deſtruunt.

Damnatio ſua abſoluta non poteſt *reuelari homini viatori de lege ordinaria*, ſic nempè vt reuelationem credat, eiuſque recordetur dum ſperandum eſt Quia Deus vi præſentis prouidentiæ vult omnes homines, quandiu ſunt in via Spe præmii æterni excitare ad virtutem, & peccatores Spe veniæ ad pœnitentiam. Atqui is, cui facta eſſet ſuæ damnationis reuelatio, habens ſe antecedenter ad eius deliberationes, non Poſſet iſta Spe excitari, ergo, &c.

Dices, Reuelationes ſuæ damnationis fuerunt Iudæ, & aliis in Scripturis factæ.

Reſp. illas vel ſolum fuiſſe comminatorias, vel non creditas ab iis ad quos pertinebant; ſicut ab Antichriſto reuelationes factæ in Scripturis de illius damnatione non credentur.

De potentia tamen abſoluta non repugnat etiam iuſto ſic reuelari ſuam damnationem. 1. Quia nulla eſt repugnantia in tali reuelatione ſecundum ſe, nec etiam reſpectu Dei, cum non ſit mala intrinſecè, nec vllius mali moralis cauſatiua, niſi per accidens ex malitia hominis: nec impeditiua vllius boni, ad cuius omiſſionem non poſſit Deus habere ſe permiſſiuè. 2. Quia poteſt reuelare omnia ſibi nota, adeòque negationem gratię ad reſurgendum, ſi peccet. Neque talis reuelatio eſſet iuſto pœna propter culpam inflicta, ſed mera pœnalitas ſupponens præuiſionem culpæ finaliter, & liberè ponendæ. Ita cum *D. Thoma, Vaſquez, Lugo, Ouiedo, & alij communiter*.

Suppoſita reuelatione damnationis antecedenter ſe habente licita eſſet *deſperatio negatiua*, ſeu Spei omiſſio; Quia Spes reddita eſſet impoſſibilis: eo enim caſu beatitudo cognoſceretur eſſe impoſſibilis impoſſibilitate conſequente, & certò non futura, adeòque non poſſet repreſentari vt poſſibilis, & probabiliter futura, quod tamen neceſſariò requiritur, vt aliquid poſſit eſſe obiectum Spei. Ita cum *D. Thoma, & communi Suarez, Malderus, Amicus Ouiedo, Coninck, &c.*

Iuxta aliquos eo caſu etiam licita eſſet *aliqua deſperatio poſitiua* v. gr. volitio ceſſandi à proſecutione beatitudinis ex deiectione animi propter certam eius non futuritionem: Quia hæc volitio tunc nullo modo eſſet iniurioſa Deo, vt eſſet deſperatio importans odium beatitudinis, eiuſue contemptum, quæ eſt intrinſecè mala. Ita contra *Suarez* docet *Turrianus, Coninck, alijque*.

Effectus ex Habitu Spei, ſunt 1. Deſiderium beatitudinis tanquam ipſius actus primarius. 2. Amor & complacentia in ea ſperata. 3. Gaudium de illa obtenta. *Dirigitur* ſpes 1. actibus fidei de beatitudine nobis ſummè bona, de infinita Dei miſericordia, & de eius auxiliis nunquam de futuris. 2. Teſtimonio bonæ conſcientię de peccato mortali nunquam, aut à pluribus annis ſinceræ conuerſionis ad Deum, non admiſſo ſcienter, & deliberatè: hoc teſtimonio maximè roboratur Spes, & morali certitudine firmatur. 3. Actu prudentiæ de neceſſitate aut honeſtate hic, & nunc ſperandi, & quod certò ſaluabor ſi cooperer gratiæ diuinæ.

Remanet Spes in peccatoribus, qui non admiſerunt peccata Spei oppoſita, vt eſt deſperatio. Manet etiam in animabus *Purgatorij*, cum beatitudinem magno deſiderio expectent per iſtius pœnæ tolerantiam. Remanet quoque in *Beatis* quoad habitum, & varios actus ab illo procedentes. Quia licet non poſſint ſibi ſperare beatitudinem, vtpotè iam certò poſſeſſam, poſſunt tamen elicere actus amoris Dei vt ſibi boni, gratulationis, & gaudij de beatitudine obtenta, & actus beatitudinis pro alijs viatoribus ſperandæ, quo fit vt habitus Spei non poſſit dici in Beatis otioſus.

DE CHARITATE Theologica.

CAPVT I.

De Charitatis natura, obiecto formali in via, & patria, incremento, decremento, & amiſſione.

DE hac *Charitate*, *eiuſque Precepto*, *in hoc Opere agitur præcipuè* in Tom. II Part. III. Tract. 5. Cap. 1. & ſeq. *Item*, *vbi tractatur de Attritione*. Part. III. Tract. 1. Quæſt. 21. & ſeq. Pauca hic ad totius materiæ Complementum reſtant adijcienda.

Definitur *Charitas actualis*, amor amicitiæ, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omne bonum quod nō eſt Deus, hoc eſt, Deo propter ſe bonum velle. Hoc quoad bona Deo extrinſeca maximè à nobis fit ſubmiſſione voluntatis noſtræ voluntati Diuinæ aliquid pręcipienti, aut conſulenti. Differt à Spe quod per hāc Deū nobis concupiſcimus in hoc ſiſtendo, ſecus in Charitate Deum diligimus propter ſeipſum.

Triplex eſt amor Dei ſuper omnia, ſiue appretiatiuè ſummus: *Primus* appretiat Deum ſuper omnia ipſi grauiter diſplicentia; *Secundus* ſuper omnia ipſi venialiter diſplicentia; *Tertius* ſuper omnia ipſi minus placentia. Primus amoris gradus excludit peccatum mortale, ſecundus etiam veniale, tertius omnem imperfectionem deliberatam, & hic cæteris eſt perfectior in quantum Deum ſuper *plura* excellentius appretiat.

Primus tantum gradus, ſiue modus Deum amandi ſuper omnia, eſt *Præcepti* ſuo tempore obligantis ſub mortali, ac proinde eſt ad ſalutem neceſſarius, & ſufficiens. Tertius eſt *Conſilii* vti, & ſecundus: quamuis enim ſit præcepti vitare omnia venialia: non eſt tamen pręcepti illa vitare ex motiuo Charitatis, cum vitari poſſint ex motiuo aliarum virtutum, vt obedientiæ, timoris, iuſtitiæ &c.

Charitas habitualis, eſt habitus à Deo infuſus, gratiæ ſanctificanti inſeparabiliter annexus, actuum amoris, iam explicatorum, elicitiuus: quia habitus ille Charitatis habet ſe per modum principii reſpectu actualis dilectionis.

Deus etiam amat homines *amore amicitiæ*. Quia licet ipſis velit bona non ptopter ipſos ſibi ſiſtendo, ſed propter ſe vt finem vltimum: ea tamen non vult propter ſuam, ſed propter ipſorum vtilitatem. Quod ſufficit ad amorem amicitiæ, cui non repugnat relatio ad Deum vt finem vltimum: alioqui omnis amor amicitiæ erga creaturam eſſet inordinatus, cum; & hic vt perfectus ſit vlterius in finem vltimum referatur.

Charitas habitualis *non eſt Spiritus Sanctus*, vt voluit Magiſter ſentent. ſed *Donum* Spiritus Sancti, vt patet ex Scriptur. 1. *Corint.* 13. *Roman.* 5. ex CC. & PP. præſertim Auguſt. de *Spir. & litt. cap.* 32. vbi ait, Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos diligit, ſed qua nos facit Dilectores ſuos.

Non ſola bonitas, ſed *ſingula Dei perfectiones extrinſecæ*, abſtrahendo ab aliis, poſſunt eſſe obiectum formale actus Charitatis iuſtificatiui. Cum enim ſingulæ ſint infinitæ, poteſt Deus propter ſingulas vt ab aliis præciſas amari ſuper omnia amore ſupernaturali efficaciter excludentes omnem affectum ad quoduis peccatum mortale, v.g. dum amatur præciſè propter ſolam infinitam ſapientiam, aut iuſtitiam. Ita *Ariaga*, & *Ouiedo* contra *Gaſparem Hurtadum* volentem amari debere propter omnes perfectiones nulla omiſſa, ſed immeritò, cum amor ille ſit in ſuo genere perfectiſſimus, quamuis non in omni genere. Datur enim amor alius alio perfectior etiam ſpecificè, propter tendentiam eſſentialem ad plures aut pauciores Dei perfectiones quibus ſimul ad amandum mouemur. Per *beneficia* diuina ad illius amorem mouemur tantum vt motiuum extrinſecum, quod ad perfectiones Dei intrinſecas percipiendas deducit.

Non repugnat Deum eſſe obiectum formale dilectionis *ſupernaturalis* vt eſt auctor bonorum *naturalium*: & amoris *naturalis*, vt eſt auctor bonorum *ſupernaturalium*. Quia vtraque perfectio, qua nempe eſt auctor naturalium, & qua eſt auctor ſupernaturalium eſt Deo intrinſeca, adeoque infinita, & ſupernaturalis, & vtraque poteſt proponi cognitione naturali, & ſupernaturali: Ergo vtraque poteſt amari propter ſe amore proportionato cognitioni, qua proponitur: adeoque naturali, & ſupernaturali. Et quidem quod amore naturali, patet. Quia nulla fingi poteſt probabilis ratio cur voluntas viribus naturæ non poſſit amare ſuper omnia perfectionē ſibi propoſitā vt ſuper etiam amabilem. Ita *Ariaga*, *Ouiedo*, *Coninck*, *Ripalda*, *Lugo cum Scoto*, *& Gabriele* apud Ripaldā, contra *Caietanū*, *Bannez*, *Suarem*, *Ruiz*, *&c.*

Neque ideo *Baius propoſ.* 35. eſt damnatus, Quia docuit amorem Dei vt auctoris naturæ poſſe eſſe ſupernaturalem; ſed quia docuit non poſſe eſſe naturalem: adeoque amorem Dei naturalem eſſe omnino impoſſibilem, vt fuſius Ripalda, aliique.

Charitas actualis *Patriæ* differt à Charitate actuali *Viæ* etiam quoad *ſubſtantiam*. Ita Sanctus Auguſtinus dum ait *Dilectionem Dei in altera vita fore comparabiliter maiorem illa, quæ nunc eſt: fore longe ſupra quam petimus, & intelligimus*: quæ indicant maiorem perfectionem non ſolum intenſiuam, vt vult *Lorca*, ſed ſubſtantialem, & ſpecificam. Ita *Scotus*, *Gabriel*, *Caietanus*, *Capreolus*, *Ariaga*, *Coninc.* *Amicus*, *Lugo*, contra *Bonauen.* *Durandum*, *Suarez*, *Vaſques*, *Turrianum*, *Ouiedum*.

Neque

Neque obſtat, quod *Charitas Habitualis* ſit eadem ſpecie, & numero in via, & in patria. Quia cum hęc ſit proprietas coęua gratię Sanctificantis, quam conſtat eſſe omnino eandem in via, & in patria, idem dicendum eſt de Charitate habituali, quæ cum det ſimpliciter poſſe, adeoque habeat ſe inſtar potentiæ, poteſt producere in patria actus ſpecie diuerſos ab ijs, quos producit in via. Adde, quod etiam in via eliciat actus ſpecie diuerſos nempe aliquos nitentes vt motiuo formali ſola Dei ſapientia, alios ſola eius potentia, vt ſupra dictum eſt.

Homo iuſtus, ſiue, in ſtatu gratiæ, per *quoſuis actus* virtutum infuſarum etiam meretur phyſicum gratiæ, & *Charitatis augmentum*. Cum enim ius ad gloriam immediatè fundetur in gratia, quæ ideò ex Scrip. & PP. eſt Semen gloriæ, non poteſt iuſtus de lege ordinaria mereri ius ad phyſicum gloriæ augmentum, niſi mereatur ſimile augmentum gratiæ, & conſequenter Charitatis, quę eſt illi inſeparabiliter annexa, vt docet *D. Thomas*, vel à gratia illa non diſtinguitur, vt vult *Scotus*.

Confertur autem iſtud gratiæ, & charitatis augmentum illo ipſo inſtanti, quo elicitur actus meritorius: Hoc clarè ſignificat Trid. dum ait *Seſſ.* 6. *cap.* 10. Iuſti de die in diem in iuſtitia bonis operibus creſcunt, & magis iuſtificantur. Nec aliunde aſſignari poteſt vlla probabilis ratio dilationis iſtius augmenti gratię, & Charitatis habitualis.

Continuatio actus meritorij auget eius meritum, minus tamen, quam eius repetitio, quæ importat nouam libertatis, & virtutis applicationem. Vnde non ſequitur, quod actus bonus continuatus per horam conſtantem infinitis partibus proportionalibus, ſit æquè aut magis meritorius, quam forent infinitæ repetitiones inſtantaneæ eiuſdem actus, vt obijciunt aduerſarij, qui eandem incurrunt difficultatem in augmentum pœnæ æternæ, quam volunt creſcere per continuationem actus mali, item in continuatione actus boni per aliquod tempus creſcentis in intenſione. Cæterùm quamuis actus naturales phyſicè cauſent intentionem ſuorum habituum, ſupernaturales illam cauſant tantum meritoriè.

Cum augmento Gratiæ, & Charitatis augentur *cæteræ virtutes infuſæ*, quæ ſunt inſeparabiles gratiæ proprietates, ſicut Charitas, adeoque eam comitantur quoad infuſionem, conſeruationem, & augmentationem, vti ſit in Charitate. Idem ex Tridentino *Seſſ.* 7. *capit.* 10 dicendum eſt de fide, & ſpe, quæ etiam ſunt proprietates gratiæ numquam exiſtentis ſine illis, licet hæ ſine illa per accidens ſubinde ſint in peccatore. Ità *Suarez*, *Coninch*, *Ripalda* Diſputat. 128. Sect. 6. Contra *Vaſquez*, *Turrianum Malderum*, qui volunt habitum fidei, & ſpei tantum creſcere per actus proprios, cuius contrarium colligi poteſt ex Tridentino *Seſſ.* 6 *cap.* 10.

Charitas habitualis cuiuſuis *Beati* v. gr. infantis à baptiſmo mortui, non excedit *intenſionis* charitatem cuiuslibet *viatoris*, ſed ſabinde exceditur, v. gr. dicti infantis exceditur à Charitate habituali S. Petri in via. Alias enim ſequeretur maximam partem gloriæ non eſſe coronam Iuſtitiæ, ſed donum gratuitum, quod videtur repugnare his verbis Matth. 6. *tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua*. Vnde probabilius eſt Beatos non habere intenſiorem gratiam, & Charitatem in patria, quam habuerint in via. Ita *Suarez*, *Azorius*, *Granadus*, *Mallerus*, *&c.* Contra *Lorcam*, *Tannerum*, *alioſque*.

Charitas actualis Beatorum in patria eſt ordinariè in *eodem homine intenſior* quam fuerit in via, non tamen ſemper. Prima pars patet, Quia Beatus in patria ſemper operatur ex tota latitudine ſui habitus, qui cum augeatur per actus omnium virtutum, ordinariè eſt intenſior actu intenſiſſimo, quem elicuit in via, 2. Pars probatur ex eo quod actus Charitatis non mereatur habitum gratiæ tot gradibus intenſum, quot conſtat ipſe actus. Ita *Suarez*, *Coninck*, *aliique*.

Gratia, & Charitas habitualis non poteſt de lege ordinaria *directè diminui*. Non enim per mortalia, Quia illam totaliter deſtruunt neque per venialia, multiplicata, qui alioqui poſſent ita multiplicari ut illam totaliter deſtruant, atque ita fieri mortalia, quod repugnat Ita cum *D. Thoma* docet ſententia communis, contra *Altiſſidorenſem*, *paucoſque*.

Venialia tamen minunt gratiam *indirectè*. 1. Quatenus remouent abundantiam gratiarum actualium à mortali præſeruantium, & impediunt frequentiam ac feruorem Charitatis: 2. Quatenus intendunt habitus prauos inclinantes ad malum: atque ita diſponunt ad mortale, iuxta illud *Eccl.* 19. Qui ſpernit modica paulatim decidet: Hoc ſolum volunt Auguſt., alijque PP. dum dicunt, multa peccata leuia facere vnum grande, id eſt, diſponendo ad peccatum graue ex cauſis iam dictis.

Certum eſt contra Iouin. & Caluinum *charita-*

ritatem in via amitti poſſe per peccatum mortale, quo perditur Gratia. Patet ex Scriptur. *Ezech.* 18. cum auerterit ſe iuſtus &c. morietur, & ex Tridentin. *Seſſion.* 2. *Canon.* 30. Ratio eſt, quod Gratia, & Charitas habitualis per ſe immediatè non firment in bono, nec habeant ſibi infallibiliter annexa auxilia ad vitationem peccati mortalis efficacia.

Nec refert quod dicatur *Ioannis* 3. Natus ex Deo non poteſt peccare, ſcilicet in ſenſu compoſito, & ſequendo motionem Charitatis, ſecus in ſenſu diuiſo. Quando S. Auguſtinus alijque PP. dicunt Charitatem, quæ deſeri poteſt non eſſe veram, ſolum volunt non eſſe veram comparatiuè ad firmam & conſtantem Charitatem. Sicut amicitia facilè mutabilis dici ſolet non eſſe vera amicitia.

Quæres, An actus Charitatis poſſit conſiſtere cum motiuo aliarum virtutum moralium circa idem obiectum.

Reſpondeo affirmatiuè vt cum idem opus fit ex Dei amore, & ſimul ex motiuo miſericordiæ, obedientiæ, aut iuſtitiæ: quia hæc motiua ſuam etiam habent propriam honeſtatem, imò dum in eodem actu cum motiuo amoris concurrunt, illius meritum adaugent.

CAPVT II.

De Præcepto Charitatis Dei, Proximi, Correctione fraterna, Bello, duello & ſcandalo.

PRæceptum *affirmatiuum Charitatis* non obligat ſub mortali, imo nec ſub veniali, vt ſtatim primo inſtanti vſus rationis, etiam ſumpto moraliter pro ſpatio aliquot horarum, eliciatur amor Dei ſuper omnia. Quia eſt moraliter impoſſibile, vt tunc habeatur ſufficiens Dei notitia ad tam ſublimem eius amorem: Obligat tamen & quidem per ſe, vt habita tali notitia non differatur diù, v.g. vltra annum integrum.

De hoc Præcepto fuſius agitur huius Operis Tomo II. Parte II. Tract. 5. c. 1. *infra*.

Ordo Charitatis requirit, vt nos omnibus alijs præferamus in iis quæ pertinent ad obſeruantiam mandatorum, noſtram ſanctificationem, & ſalutem. Vnde non licet admittere vnum veniale quantumuis leue, pro obtinendo quantouis bono, aut impediendo quantouis malo: Quia, cum veniale quouis caſu ſit intrinſecè malum, & à Deo nobis prohibitum, non poteſt eſſe medium quod à nobis honeſtè ad vllum finem eligi poſſit, cum nullus finis poſſit honeſtare illud quod per ſe eſt inhoneſtum.

Poſſumus, non tamen tenemur, præferre *ſalutem* proximi propriæ *perfectioni*, & iuxta *Vekenum*, liberationi noſtræ à pœnis Purgatorij. Ratio eſt, quod procuratio maioris perfectionis non ſit præcepti, ſed conſilij, adeòque poſſit licitè omitti, & eius omiſſio ad bonum finem referri tamquam medium ex ſe non malum.

Correctio Fraterna ordinatur ad bonum correcti: differt à *iudiciali* pertinente ad iuſtitiam vindicatiuam, in eo quod hæc ſpectet bonum communitatis, illa bonum delinquentis, qui ex Charitate corrigitur. Eſt illa præcepti ſubinde grauiter obligantis, etiamſi ſubditum reſpectu Prælati, & Peccatorem ad ſui ipſius correctionem; vt cum non poteſt aliter proximus efficaciter corrigi in re magni momenti, præſertim vergentis ad communitatis damnum aliquod graue ab illius malo exemplo.

Conditiones hæ requiruntur, vt præceptum correctionis *obliget*, 1. Moralis certitudo delicti ab alio commiſſi: 2. Probabilis ſpes fructus præualens iuſto metui incommodorum ex ea monitione orientium. Quæ conditiones cum ſæpè deficiant, rarò ij qui nullam habent ſuperioritatem obligantur ſaltem grauiter ad correctionem, ad quam faciendam ſæpè obligantur Superiores, etiam ſubinde de veniali, ex quo naſci poteſt graue damnum communitatis, & de peccatis ex ignorantia vincibili, & inuincibili admiſſis: Quia etiam hęc poſſunt vergere in graue damnum communitatis.

Ordo Correctionis præſcriptus *Mat.* 10. vt prius priuatim moneatur delinquens, quam deferatur ad Superiorem, eſt præcepti per ſe grauiter obligantis. Quia Charitas & Iuſtitia exigit vt non infametur proximus ſine neceſſitate: ſubinde tamen per accidens inuerti poteſt, & debet iſte ordo, vt quando aliter vitari non poſſunt grauia damna, & ſcandala aut quando Religioſus, vti in Societate, in hoc iure ſuo ceſſit.

Huius conſtitutionis in Societate iuſtitiam olim impugnarunt *Lorca* alijque per pauci, ſed eam tuentur vt olim *Bonauentura*, recentiores communiſſimè, & quidem itaut *Dunalius*, & alij negatiuam cenſeant eſſe temerariam, quod efficaciter probant auctoritate Pauli III. aliorum Pontificum, qui omnes Societa-

tis

tis Conſtitutiones approbarunt, ac præſertim *Gregorij XIII.* his verbis: Conſtitutiones Societatis, & ſtatuta omnia Apoſtolica auctoritate approbamus, quibus addit: præcipimus in virtute S. obedientiæ, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis conſtitutiones Societatis Ieſu directè vel indirectè impugnare audeat.

Bellum eſt diſſenſio hoſtilis, qua vna reſpublica contra aliam arma mouet. Suppoſita poteſtate illud indicendi, cauſæ iuſtitia, & intentionis rectitudine, eſt certò licitum: Ita omnes Catholici contra Manichæos aliosque, tam ex Scripturis *Luc.* 3. quam ex Patrum ſenſu, quamuis licere bellum ſaltem inter Chriſtianos perperam negent Anabaptiſtæ.

Poteſt *Princeps ſupremus* ad bonum Reipub. indicere bellum. *Cauſa iuſta* belli eſt grauis iniuria Principi, aut eius ſubditis certò illata, & alia via irreparabilis. Poteſt bellum eſſe vtrimque iuſtum *formaliter*, vt cum vtraque pars putat ſe habere ius; non *materialiter* cum re ipſa, non poſſint dari iura in idem ſibi repugnantia.

Licitum eſt in Bello *iuſto* interficere hoſtes, etiam *innocentes*, non quidem per ſe, & directè, cum ius gladij ſolum ſit datum contra nocentes, ſed per accidens, & *indirectè* vt cum ſunt ita permixti nocentibus, vt hi non poſſint secari ſine alijs innocentibus.

Licet etiam in Bello iuſto, & ex cauſa rationabili, *ciuitatem dare in prædam*. 2. vti *inſidijs*. 3. pugnare die feſto aut Dominico. *Non licet* 1. Clericis manu propria pugnare. 2. Infideles v. gr. Turcas aut Iudæos in Societatem Belli adſciſcere. 3. Hoſtem fallere mendacio, ſed benè alio ſtratagemate indifferenti.

Duellum, quaſi duorum bellum, definitur duorum vel paucorum pugna ex condicto ſuſcepta. *Licitum* eſt quando illud honeſtat cauſa rationabilis, vt eſt neceſſitas ad ſui meram defenſionem, vel auctoritas Principis, aut Ducis exercitus illud mandatis, aut permittentis ad bonum commune v. gr. ad retundendam hoſtium iactantiam, ad propriorum Militum animos excitandos neceſſarium, quale fuit duellum Dauidis cum Goliato quod in Scripturis laudatur.

Illicitum eſt duello certare, 1. Ad tuenda fortunæ bona, pro quibus non licet certo periculo exponere vitam, quæ eſt bonum Superioris ordinis. 2. Ex mandato etiam iudicis illud damnatis ad mortem imperantis. 3. Non licet prouocato ſiſtere ſe in loco condicto prouocanti ex intentione ſecum illo reconciliandi, & nullo modo pugnandi niſi ad vitæ defenſionem cogatur, ſic enim lex contra duellantes facile eluderetur. 4. Non licet ad virium oſtentationem. 5. Ad veritatis indagationem. 6. Ad vitandam infamiam ex ſtulto mundanorum iudicio in recuſando duello conſiſtentem.

Pœnæ Eccleſiaſticæ ſunt, in duellantes, Excommunicatio, & priuatio ſepulturæ in loco ſacro: *Ciuiles* pœnæ ſunt, Bonorum confiſcatio; Exilium, Supplicium mortis iuxta leges infligendum.

Scandalum eſt, quod præbet occaſionem peccandi *Actiuum* eſt, quod procedit ab actu ſcandalizantis: *Paſſiuum* eſt, quod ab actiuo illo oritur: *Datum* ſcandalum, quod de ſe præbet occaſionem peccati: *Acceptum* eſt; quod accipitur ex actione de ſe non nata illud cauſare, ſed potius ex alterius infirmitate non rectè iudicantis. Certum eſt *ſcandalum actiuum* eſſe graue, & ſpeciale peccatum *Matth.* 13. &c. Ratio eſt, quod ſit intrinſecè malum, & Charitati repugnans, præbere ſe alteri cauſam peccati, ſiue hoc intendatur formaliter, ſiue ſolum interpretatiuè peccati alieni cauſam ponendo.

Peccatum ſcandali ad peccatum inductiuū *duplicem habet malitiam*; vnam contra virtutem illam cui repugnat peccatum quod cauſatur, alteram contra Charitatem proximi: vtraque malitia eſt in confeſſione explicanda cum numero, & conditione perſonarum quæ in ſcandalum inducuntur.

Non cenſetur tamen in ſcandalum inducere qui alteri *determinato* ad graue peccatum ſuadet vt potius peccatum aliud leuius, ſiue *minus noxium* committat, ſi nequeat aliter à grauiori auerti; vt docet *Vaſquez*, *Sanchez*, *Turrianus*, Contra *Caietanum*, *Laymann*, *Valentiam*, quia ſic non tam malum, quam receſſum à maiori malo ſuadere cenſetur.

Quæres ſpecialiter, Primò quinam ſunt *Effectus* Charitatis quoad *actus internos?*

Reſp. Tres communiter aſſignantur. 1. *Gaudium* internum de præſenti bono, cultu, gloria, propagatione diuini honoris in quocumque genere materiæ. 2. *Pax*, ſiue *conformitas* interna voluntatis noſtræ cum diuina. 3. Conſiſtit in *miſericordia*, ſiue diſplicentia interna miſeriç alienç ex motiuo Charitatis. Sunt etiam alij Charitatis effectus interni, verbi gratia *odium* cuiuſuis mali quod Deo opponitur: *Triſtitia* de eodem: Boni diuini deſiderium, zelus, ſpes, & ad promouendum audacia. Horum enim ſingula à veræ Charitatis motiuo, & habitu procedunt.

Quæ-

Quæres, 2. Quinam ſint Charitatis *Effectus æterni*?

Reſp. Aſſignari Charitatis effectus ſiue opera, *Septem corporalia*, & *Septem ſpiritualia*, quæ his duobus verſibus aptè comprehenduntur, primo verſu corporalia, ſecundo ſpiritualia.

Viſito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Conſule, Caſtiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.

De Iure, & Iuſtitia.

De *præcipuis huius materiæ Quæſtionibus tractatur in hoc Opere* Tomo II. Tract. I. *De Poſſeſſione quomodo faueat dubitanti: Et præcipuè* Tract. V. cap. V. *De homicidio, mutilatione furto, rapina. Item, de contractibus in genere, & ſpecie*, Ibid. cap. 8. & ſeqq. *De reſtitutione* cap. 14. *De iudice, aduocato, teſte*, ibid. *Iuris Canonici, & ciuilis Regulæ, Ordo, Materiæ, & Auctores in ſingulis.* Tomo II. in fine. Pauca alia, preſertim ſpeculatiuæ, quæ porrò deſiderari poſſint, ordine Scholarum conſueto hic ſuppeditantur.

CAPVT I.

De Iuris, & Iuſtitiæ Natura, Diuiſione, Obiecto, Subiecto, Dominio, Præſcriptione.

Ius, pro lege, eſt præceptum permanens auctoritate legitima latum ad bonum commune. Diuiditur in *Ius naturale*, quod natura omnia animalia docuit, *Ius gentium*, quo gentes humanæ vtuntur, & in Ius *ciuile*, quod quiſque populus ſibi conſtituit; vel immediatè, & per ſe, vel mediatè per ſuum Principem, ſiue ſuæ communitatis legitimum legiſlatorem.

Ius ſumptum *pro poteſtate*, eſt poteſtas legitima; hoc eſt, aliqua lege conceſſa, ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, aut quaſi functionem, cuius violatio iniuriam conſtituit: qualis explicatur per varios titulos iniuriam conſtituentes, ſi poteſtati legitimæ aliquid conſtituenti non ſatisfiat.

Ius in re, dicitur, quod adhæret rei ſic vt res ipſa ſit obligata, & pariat actionem realem, id eſt, ad rem à quocumque poſſideatur ſibi vindicandam. *Ius ad rem* non obligat ipſam rem, ſed perſonam ad aliquid tradendum, vel præſtandum, adeòque ſolùm parit actionem ab ipſa perſona, non autem rem ſibi vindicandi.

Iuſtitia prout eſt virtus moralis, vna ex quatuor Cardinalibus, de qua hic, eſt voluntas ius ſuum cuique tribuendi conſtans, & perpetua, non quoad effectum ſeu durationem, ſed quoad affectum extendentem ſe ad omne tempus. *Obiectum* eius *materiale* eſt iuſtum ſtrictè, ſiue commenſuratum iuri alterius; obiectum *formale* eſt honeſtas relucens in redditione debiti ad æqualitatem: omnis enim virtutis moralis motiuum formale eſt honeſtas relucens in eius obiecto materiali vt conformi commercio, regulæ, ſiue dictamini naturæ rationalis.

Differt igitur Iuſtitia ab alijs *virtutibus moralibus*, 1. Quod illa hominem ordinet ad alterum, aliæ verò, hominem ordinent ad ſeipſum: 2. Quod illa verſetur præcipuè circa actiones externas, aliæ primariò, & per ſe circa paſſiones ordinandas. 3. Quod illa ſpectet *medium rei*, id eſt, æqualitatem cum iure alterius, aliæ medium *rationis*, quod petitur per ordinem ad conditionem perſonæ operantis, vt temperantia quæ variam præſcribit potus, & cibi menſuram pro varia hominum complexione, & diſpoſitione in particulari, quæ in omnibus non eſt eadem, aut æqualis, vt in obiecto iuſtitiæ.

Iuſtitia ſtrictè dicta dari poteſt *patris ad filium* in ordine ad filij bona, vt eſt fama, & alia patris poteſtati non ſubiecta: datur etiam *filij ad patrem Domini ad ſeruum*, ſi ſpectentur non formaliter qua tales, ſed materialiter præcisè, quatenus ſunt homines. Non datur iuſtitia *Dei ad hominem*: Quia omne ius hominis ſubeſt poteſtati ac diſpoſitioni diuinę; vnde ſi per impoſſibile Deus promiſſa homini non ſeruaret, peccaret tantum contra fidelitatem & veracitatem.

Diuiditur Iuſtitia in *legalem* ſeu generalem, & *particularem*: Hæc ſubdiuitur in commutatiuam, & diſtribuitiuam: *Legalis* inclinat hominem, qui eſt pars communitas, ad præſtanda omnia, quæ ſunt legibus conſtituta ad bonum commune. Eſt hæc virtus ſpecialis, ab alijs diſtincta cum habeat pro obiecto formali honeſtatem ſpecialem relucentem in eo, quod pars communitatis ei præſtet, quod à parte qua tali debitum eſt ad bonum commune debitè conſeruandum.

Iuſtitia *commutatiua* dirigit partes communitatis in commutationibus, & cæteris actionibus, quibus inter ſe communicant, vt in ipſo pu-

ponatur æqualitas rei ad rem. *Diſtributiua* eſt, quæ totum benè diſponit ad partes in ordine ad diſtributiones commodorum, & onerum communium, vt in ijs ſeruetur æqualitas proportionalis, id eſt, proportionis rei diſtribuendæ ad perſonarum dignitatem, aut aliam qualitatem. Vtraque dicitur Iuſtitia *particularis*, quia reſpicit bonum particulare priuatorum. *Legalis* à contrario dicitur generalis: Differunt in eo, quod commutatiua reſpiciat ius ſtrictum, diſtributiua minus ſtrictum. Iuſtitia *vindicatiua* inclinat Iudicem, & Principem in quibus ea reſidet ad puniendos malefactores pro ratione delicti commiſſi in foro præſertim externo.

Dominium eſt ius reale gubernandi, vel diſponendi de re aliqua vt ſua. Aliud eſt Dominium *Iuriſdictionis*, quod eſt poteſtas gubernandi ſuos ſubditos, vel in temporalibus, & dicitur politicum, vel in ſpiritualibus, & dicitur Eccleſiaſticum. Aliud eſt Dominium *Proprietatis*, quod eſt ius diſponendi de re aliqua tamquam ſua in proprium commodum: Subdiuiditur in *perfectum*, quod à Iuriſtis definitur ius perfectè diſponendi de re, corporali, niſi lege prohibeatur; à Theologis ius in re ad omnem eius vſum niſi lege prohibeatur; & in *imperfectum* quod habet vel proprietatem rei ſine emolumentis, & dicitur *directum*; vel emolumenta ſine proprietate, & dicitur *vtile*. Tale habet vſufructuarius, eo quod v. gr. fundi, domus, aut alterius rei vſum, & fructum habeat ſine Dominio, quod remanet penes illius rei Dominum directum.

Dominum *Altum* eſt Principis in bona ſubditorum ad bonum commune: *Baſſum* eſt ciuium in ſua bona ſubordinatum Dominio Alto Principis, aut Reipub. legitimæ.

Vt *acquiratur Dominium* rei, quæ antea nullius erat, ſufficit ſola eius apprehenſio. Nam quod nullius eſt, occupanti iure conceditur Si alicuius erat, requiritur titulus, & ordinariè traditio; quæ cum non requiratur iure naturali, iuxta quod ſufficit mutuus conſenſus ſignis externis expreſſus, ſed ſolum iure ciuili, non eſt traditio requiſita in varijs caſibus iure expreſſis, vti 1. in beneficia Eccleſiaſticis ſola collatione, & acceptatione, etiam abſenti, ſine traditione. 2. Hæres ſola additione hæreditatis fit aliorum bonorum Dominus, & Legatarius dominium rei legatæ determinatæ acquirit. 3. In donatione aut venditione facta Eccleſiæ, Ciuitati, aut Pijs locis.

Vſus eſt, ius vtendi re aliena, ſine iure percipiendi eius fructum ab illius vſu diſtinctum. Hinc qui habet vſum v. g. equæ, ea vti poteſt ad arandum, non tamen de eius pullo ſibi vel alteri diſponere.

Vſus fructus eſt, ius rationabiliter vtendi re aliena ſalua eius ſubſtantia, & percipiendi fructus eius; quales in fundo ſunt ſegetes, & in animalibus lac, lana, fœtus, prętium locationis &c. Non poteſt vſus fructus alteri *vendi* aut *donari* abſque conſenſu proprietarij, ſic vt alter propriè fiat vſufructuarius; poteſt tamen alteri vendi omnis eius vtilitas. Conſtituitur ordinatione, & dicitur legalis ex priuata diſpoſitione, & inde conuentionalis.

Finitur vſus fructus, 1. Morte naturali vſufructuarij, 2. Morte ciuili, 3. Deſtructione rei, 4. Præſcriptione, 5. Ceſſione vſufructuarij, 6. Si vſufructuarius in hæreſim ſit prolapſus, vt iura declarant.

Vſus Iuris latè, diſtinguitur à Dominio in rebus vnico vſu ad ſuum finem proprium: conſumptibilibus, qualia ſunt alimenta Imò de facto in Franciſcanis à Dominio ſeparatur.

Id conuincit Pontificum auctoritas, prę́ſertim Nicol. III. qui ait, Franciſcanos nihil poſſe ſibi aut Ordini acquirere, & Dominium rerum ipſis donatarum, vel retineri à concedentibus, vel transferri in Pontificem. Idem manifeſtat ratio. 1. Quia non eſt cur repugnet talem vſum ſeparari à Dominio. 2. Quia re ipſa ſeparatur in ſingulis Religioſis cuiuſuis Ordinis, & in conuiuijs, vbi ſinguli habent vſum cibi ipſis appoſiti, non tamen Dominium, vt de illo in ordine ad alios diſponant.

Adi obiectiones in oppoſitum de Ioanne XXII. alijſque.

Reſp. Ioannes XXII. docuit quidem contrarium, ſed tantùm vt Doctor priuatus. S. Thomas non aduerſatur, ſolùm enim vult in mutuo non poſſe ſeparari vſum à Dominio rei mutuatę in ordine ad recipiendum aliquid ſupra ſortem, ſcil. accipiendo pretium æquale ſorti pro eius Dominio, & auctarium pro illius vſu. Donans Franciſcanis priuat ſe propter Chriſtum omni commodo rerum donatarum, ac proinde, etſi illis non det rei Dominium, ſed ſolum vſum, non minùs meretur, quam donans alijs Religioſis, ſed potius amplius, eo quod donet illis qui ex illo titulo, & ſuo inſtituto ſunt pauperiores.

Poſſeſſio eſt, detentio rei corporeæ, corporis, animi, & Iuris adminiculo. Poſſeſſio *Facti* eſt actus poſſidendi: poſſeſſio *Iuris* eſt ius

ius inſiſtendi rei vt ſuæ. Poſſeſſio *Naturalis* eſt qua res corpore, & animo retinetur, vt dum quis inſiſtit corporali detentioni alicuius rei tamquam ſuæ: *Ciuilis* poſſeſſio eſt, qua res corpore, & animo retinetur. Dicitur *retinetur*, quia requiritur adminiculum corporis ad poſſeſſionem inchoandam, non ad eam continuandam, quia illa continuatur etſi alteri poſſidenda committatur.

Acquiritur poſſeſſio apprehenſione *vera*, id eſt, manibus, aut pedibus, *ficta*, id eſt, traditione ſigni indicantis Titulum poſſeſſionis. *Amittitur* poſſeſſio voluntate poſſeſſoris, rapina, furto, diuturna abſentia, vt ſi in quibusdam per decennium poſſeſſor, nec per ſe, nec per procuratorem inſiſtat rei ſibi vindicandæ.

Poſſeſſio *Bonæ fidei* adfert varia legitimi Iuris commoda: Quia 1. parit præſcriptionem. 2. Ius in dubio rem retinendi, quia melior eſt conditio poſſidentis, 3. Tribuit poſſeſſori ius rem ſuam quamdiu poſſeſſionem retinet, contra inuaſores etiam armis defendendi, ex iure præualente ratione Tituli poſſeſſionis.

Natura intellectualis omnis, & ſola, eſt capax Dominij, ſeu poteſtatis moralis de re vt ſua liberè diſponendi. Deus habet Dominium omnium creaturarum perfectiſſimum, vtpotè fundatum in ratione primi principij, adeoque à ſe inabdicabile, & creaturis incommunicabile. *Angeli* habent Dominium ſuarum actionum liberarum. Homines inſuper rerum externarum ſuę poteſtati ſubiectarum. *Pueri* & *perpetuo amentes*, ſunt capaces Dominij, ſaltem proprietatis: Quia quantum eſt ex natura ſua, habent poteſtatem de rebus, vt ſuis diſponendi, licèt per accidens impeditam ab vſu exercendo per ſe ipſos, quamuis per alios capaces eam exercere poſſint.

Filij familias, id eſt, ſubiecti patris poteſtati, habent plenum Dominium bonorum *caſtrenſium*, id eſt, acquiſitorum ratione militiæ, & *quaſi caſtrenſium*, ratione officij publici, v. g. aduocati, medici, &c. *aduentitiorum* id eſt, acquiſitorum v. g. inuentione theſauri, ratione operis extraordinarij, donatione, non intuitu Patris, ſolam habent proprietatem, non vſumfructum: *perfectiorum* verò, id eſt, ex bonis patris quouis modo proficiſcentium, nec Dominium habent, nec proprietatem.

Egrediuntur filijfamilias è *Patria poteſtate*, 1. Per mortem patris naturalem aut ciuilem 2. Per emancipationem coram iudice. 3. Per lapſum patris in hæreſim. 4. Per promotionem filij ad certas dignitates. 5. Per matrimonium, & varijs locis per ætatem 25. annorum, & pro varietate legum particularium.

Poteſt homini competere Dominium in alterum hominem, non ſolum iuriſdictionis, ſed etiam proprietatis. Conſtat ex Scriptura approbante ius Domini in ſeruum *Exodi* 21. *Leuit.* 25. ad *Epheſ.* 5. Vnde ſeruitus eſt tantum contra naturam hoc ſenſu, quod homo ſecluſis extrinſecis naſcatur liber, non vero hoc ſenſu, quod Dominium in hominem ſit contra legem naturæ. Dominium tamen hominis in hominem non eſt tam *plenum*, quàm in res alias ab homine diſtinctas: alias enim res poteſt abſque vllius iniuria deſtruere, non hominem. Quia tamen Dominus habet ius in omnia ſerui externa opera, & in eius perſonam pro libitu retinendam vel alienandam, dicitur ſimpliciter Dominus ſui ſerui ratione iſtius poteſtatis.

Homini non competit Dominium *ſuæ vitæ*, *& membrorum*; Ita *Leſſius aliјque*, contra *Ledeſma* &c. Quia vita, vtpotè ſubſtantia hominis, eſt fundamentum omnis Dominij, ideòque non cadit illa ſub Dominium hominis, ſed ſolius Dei, qui eſt principium omnis ſubſtantiæ.

Habet tamen homo *Dominium vtile* ſuæ libertatis, vitæ, ac membrorum: Quia eorum eſt cuſtos à Deo conſtitutus, & velut vſufructuarius, ac proinde poteſt de illis in ſuam, & alterius vtilitatem diſponere, etiam per venditionem. eſt Dominus etiam *famæ ſuæ*; *Malderus*, *Leſſius*, Contra *Caietanum*, &c. Quia per ſe loquendo poteſt ſeipſum ex cauſa rationabili infamare, licet per accidens ſubinde id non poſſit abſque peccato, etiam mortali: quando nempè eius infamia redundaret in graue detrimentum tertij. *Malderus*, *Sylueſter* &c. putat eſſe mortale ſuam famam prodigere: ſolum eſſe veniale cenſet *Sotus*, *Nauarrus*, *alijque*.

Quoad *Dominium in animalia*, &c. ſic Theologi ſtatuunt communiter.

Animalia fera, & Syluestria, quæ antea nullius fuerunt, vel ſi alicuius fuerint, naturalem libertatem recuperarunt, fiunt primò occupantis, ſiue in proprio fundo capiantur, ſiue in alieno: Non tamen animalia de ſe *manſueta*, *& domeſtica*, & fera vſu manſuefacta; hæc enim licet longius aberrent, quamdiu retinent conſuetudinem redeundi, ſunt ſui Domini, eique reſtituenda ſi capiantur. Hinc ſuppoſita grauitate materiæ, qui alienas columbas occidunt, aut illecebris ad ſua colum-

lumbaria alliciunt, peccant grauiter, & ad reſtitutionem obligantur, ſi ipſa materia ſit grauis.

In *venatione*, ſi fera ab vno *vulnerata* ſit adeò leuiter vt fugere poſſit, eſt alterius eam capientis: ſi tamen ita laqueo ſit irretita, vt euadere non poſſit, naturalem amiſit libertatem, adeòque non eſt alterius illam eximenti, ſed illius qui laqueum poſuit. Quia hic per ſuum inſtrumentum illam quaſi manu apprehendit: vti etiam patet ex *l. in laqueum, ff. de acquir. Dominio*.

Licita eſt, ſimpliciter loquendo, *venatio in fundo alicuo aperto*. Quia cum feræ non ſint pars fundi, vt arbores, nec in eo amiſerint naturalem libertatem, non pertinent ad Dominum fundi: adeòque nullius ſunt, & conſequenter, primò occupantis: niſi obſtet Principis aut Dynaſtæ iuſta prohibitio. Si iniuſta ſit venationis prohibitio ad nihil obligat.

Fodinæ ſalis, carbonum &c. ſunt Domini fundi; Quia ſunt fundi pars. Venas metallicas ſibi ſeruant Principes pro neceſſitatibus publicis. *Theſaurus*, qui definitur vetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, iure naturali eſt inuentoris, vti & iure cōmuni ſi inueniatur in fundo proprio: ſi in alieno ex dimidio eſt inuentoris, & Domini ipſius fuit. Colligitur ex *§. theſauros; inſtit. de rerum diuiſione* in iure ciuili.

Præſcriptio, ſeu vſu capio, eſt acquiſitio Dominij per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. In rigore Iuris Cæſarei eſt eadem quæ exceptio, quę eſt oppoſitio qua actori litem intendenti, manent litis fundamento, quidpiam opponitur ad eius actionem repellendam donec excepitioni ſatisfaciat.

Legitima præſciptio transfert rei Dominium, etiam in conſcientia, id eſt, ſic vt tibi liceat rem retinere, quamuis finita præſcriptione deprehendas eam prius fuiſſe alienam. Fit quidem hæc Dominij translatio cum alterius iactura, ſed abſque vllius iniuria Eius honeſtas & iuſtitia fundatur in poteſtate Reſp. habentis ius diſponendi de bonis priuatorum ad bonum commune, vti in præſenti caſu, vt obuietur litibus, conſulatur paci, & ne rerum Dominia ferè ſemper maneant incerta propter titulorum allegandorum varietatem quę contingere poteſt poſt longum temporis decurſum.

Dices, res quę per *ſententiam materialiter iniuſtam* alicui adiudicata eſt, non poteſt retineri poſt deprehenſam ſententiæ iniuſtitiam: Ergo nec per dictam præſcriptionem, ſi res poſtea deprehendatur aliena.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quod iudex ſententiam ferendò non conferat ius, ſed tantum declaret quis videatur ius habere: at Princeps legibus preſcriptionis verè conferat ius præſcribenti propter cauſas boni communis iam aſſignatas.

Conditiones ad præſcriptionem legitimam requiſitæ ſunt, 1. Poſſeſſio ciuilis, & talis ſufficit. 2. *Bona Fides*, quæ eſt credulitas, qua quis putat rem eſſe ſuam, aut ſaltem neſcit eſſe alienam. Requiritur illa toto tempore quo currit præſcriptio, ſic vt interrumpatur deſinente bona fide, quæ non deſinit etſi poſt tempus præſcriptionis deprehēdas rem fuiſſe alienam vt dictum eſt. Quia tunc certus es rem legitimè factam eſſe tuam 3. Requiritur *Titulus*, in æſtimatione iuſtus, ſine quo ſtare non poteſt bona fides, non tamen reipſa iuſtus: quia hic per ſe transferret Dominium. 4. *Tempus* lege ſtatutum quod varium eſt, ſcil. *Breue*, id eſt, 10. annorum; *longum* vel longiſſimum, id eſt, 30. aut 40. annorum; vel *immemoriale*, id eſt, cuius initij non extat memoria etiam apud illos qui ſenes ſunt, quorum memoria ad anteriora tempora magis extenditur.

Dubius an res ſit ſua, non eſt poſſeſſor bonæ fidei, adeòque non præſcribit, niſi dubium ſuperuenerit poſſeſſioni inchoatæ bona fide, cum perſuaſione, quod non obſtante tali dubio ſibi liceat illam retinere, ex eo quod ſit melior conditio poſſidentis. Si verò dubitet, an ſic poſſit eam retinere, eò ipſo deſinit eſſe poſſeſſor bonæ fidei: Cum non liceat operari ex conſcientia dubia perſeuerante, ſiuè non ritè depoſita.

Mobilia priuatorum præſcribuntur triennio: *immobilia* longo tempore. Contra Eccleſiam, Ciuitatem, Fiſcum præſcribitur tempore longiſſimo: *Seruitutes* merè perſonales, ordinariè præſcribuntur vt res immobiles. Libertas à *Seruitute mancipii* preſcribitur ſaltem annis 20. *Beneficium Eccleſiaſticum* ſine titulo non præſcribitur; cum titulo colorato præſcribitur certo tempore. Quęlibet *Debita* pręſcribuntur annis 30. Si res *hypothecata* bona fide poſſideatur à debitore, actio hypothecaria extinguitur poſt annos 40. ſi verò ab extraneo, poſt 10. annos inter præſentes. Res *fiſci*, & *furtiuæ* non poſſunt pręſcribi pręſcriptione ordinaria; Res ſacræ nullo modo præſcribi poſſunt: Horum ſingula in iuribus fundantur, & ad Iuriſtas præcipuè pertinent.

CA-

CAPVT II.

De contractu in genere, requiſitis ad valorem illius, Promiſſione, Donatione, Depoſito, &c.

Contractus eſt pactum mutuam obligationem pariens; *Pactum* autem eſt duorum pluriumue in idem conſenſus ſignis externis expreſſus. *De quo reſolutiones particulares hic traduntur* Tom. II. Tract. V. cap. III. *& in reliquo decurſu ibidem.*

Contractus *diuiditur*, 1. Ex parte modi quo perficitur in quatuor ſpecies: Prima perficitur *traditione*, vt mutuum. 2. *Scriptura*, vt emphyteuſis. 3. Certa *verborum* formula, vt ſtipulatio. 4. Solo *conſenſu reciproco* exterius expreſſo, vt emptio &c.

Diuiditur 2. *in gratuitum*, & *onerosum*, hic vtrimque, ille ex vna ſolum parte obligat. 3. In contractum *nominatum*, qui habet in iure nomen ſpecificum, vt emptio; & *innominatum*, qui caret nomine proprio, vt permutatio. 4. In contractum *bonæ fidei*, & ſtricti iuris: 5. In nudum, qui nullum à iure ciuili habet firmamentum quo pariat actionem in foro externo, vt ſimplex promiſſio acceptata, & in *veſtitum*, qui habet eiuſmodi firmamentum, vt emptio. *Pactum nudum* obligat in conſcientia, quia licet ius ciuile illi non aſſiſtat ei tribuendo actionem, illud tamen non irritat, adeòque retinet vigorem, quem habet ex natura rei, inducitque obligationem in conſcientia, ad quam ſufficit conſenſus mutuus externis ſignis ſufficienter expreſſus, quorum ſingula ex Teſtibus Iuris fuſiùs confirmantur.

In Contractibus, *Error* vel *dolus*, qui non verſatur circa rei ſubſtantiam, nec eſt antecedens, nullo iure contractum irritat, nec debet inde reſcindi. Item, ſi error, vel dolus dans cauſam contractui non ſit à parte contrahente ſed ab aliquo tertio, vel à propria ſimplicitate eius qui decipitur, Contractus eſt quidem validus iure naturæ, cum habeatur conſenſus ſubſtantialis, eſt tamen reſcindibilis. Quod ſi in caſu Doli aut Erroris circa rei qualitatem contrahens ſolum conſentiat ſub hac conditione, ſi non decipiat in rei qualitate. Contractus eſt iure naturæ nullus; quia non habetur conſenſus abſolutus, ſed ſolum conditionatus, ideòque conditione illa non ſubſiſtente. Contractus cenſeri debet inualidus.

Contractus *de re turpi nondum impleta* non eſt abſolutè validus, ſed reſcindi debet: Quia nemo poteſt teneri ex iuſtitia ad peccatum.

Impleto tamen opere turpi iure naturæ obligare in conſcientia probabilius videtur: quia opus malum quatenus eſt vel euenti vtile, vel facienti laborioſum, eſt pretio æſtimabile, licet non quà malum. Eiuſmodi tamen contractus *iure ciuili* ſunt inualidi, quo non obſtante retinent vim obligandi in foro *conſcientiæ*. Quia leges ciuiles, quando nihil obſtat, ita ſunt intelligendæ, vt non derogent iuris naturalis diſpoſitioni.

Non eſſe tamen obligationem ſoluendi pretium etiam poſt opus turpe præſtitum, docent *Nauarrus* C. 17. num. 4. *Durandus* in 3. d. 39. *Ioan. Medina* Cod. de reſtitutione: *Comitolus* reſponſionum moralium q. 5. *Ioan. Valerius* in differentijs vtriuſque fori Verbo *promiſſio*: quos refert & ſequitur *Diana* 1. Tom. 2. Tract. 2. Miſcellaneo reſol. 40. dicens eſſe ſententiam probabilem, & practicè tutam. Citat eoſdem accuratè *Lugo* de iuſtitia Diſp. 18. ſect. 3. N. 58. & 59. vnde non eſt ſententia ſolius Nauarri, vti *Vaſquez* indicare videtur.

Illi omnes, & ſoli *poſſunt contrahere*, qui habent liberam rei adminiſtrationem, quæ in contractibus præcipuè ſpectatur. *Infantes* in iure dicuntur qui ſunt ſeptennio minores, qui necdum expleuerunt annum pubertatis, id eſt, reſpectu maſculorum 14. reſpectu fœminarum 12. *Puberes* verò qui illos annos expleuerunt, idque ex iuris diſpoſitione conſtitutum eſt.

Pupili ſunt impuberes, qui deſierunt eſſe ſub patria poteſtate, ſiue emancipatione, ſiue morte parentis. *Minor* dicitur, qui nondum expleuit ann. 25. *Maior*, qui eum expleuit: *Filius familias* qui eſt ſub patria poteſtate. Pupillo datur tutor etiam inuito; minori datur curator, ſed non illi inuito, ſicut datur pupillo etiamſi ſit inuitus.

Et ſi contingat vt *Minor careat Curatore*, validè tamen contrahit tam ex parte ſua, quàm ex parte alterius, tum ciuiliter, tum naturaliter: ei tamen, ſi læſus ſit, conceditur reſtitutio in integrum. Minor *habens curatorem*, & pupillus pubertati proximus, contrahentes abſque tutoris, aut curatoris auctoritate, validè contrahunt in ſuum commodum, non in ſuum incommodum: alterum ſibi obligant ciuiliter, & naturaliter, ſe verò non ciuiliter: an autem naturaliter conuertitur vtrimque probabiliter: vult licet in praxi ſententiæ ſibi magis faventi ſe conformare.

Hinc

Hinc illud iuris axioma, *Contractus reciprocus non claudicat*, id eſt, obligat vtrimque, patitur exceptionem in contractu pupilli cum maiore.

Iuramentum non firmat Contractus iure naturæ inualidos; quia nequit illud firmari, quod in ſe non exiſtit: inducit tamen, per ſe loquendo, obligationem ſeruandi contractum ex virtute Religionis. Confirmat quoque contractus inualidos iure poſitiuo: non directè illis propriè ac per ſe tribuendo vim obligandi ex iuſtitia, ſed indirectè ex legum diſpoſitione, tollendo remedium iuris, vi cuius contractus illi erant reſcindibiles, quo ſublato eorum obligatio redditur firma, & irreuocabilis etiam reſpectu fori externi. Ita *Molina*, *Conradus*, *Sa*, *& Sanchez* plures alios referens, contra *Marianam*, & *paucos alios*.

Promiſſio formaliter eſt ſignum practicum exercitè declaratorium voluntatis efficacis ſe obligandi: per quod differt à ſimplici *propoſito* ſolum dicente voluntatem faciendi, non ad id ſe obligandi. Differt à *Stipulatione*, quod hæc ſit pactum veſtitum includens certā verborum formulam; & à *Pollicitatione*, quod hæc non includat acceptationem, quam includit promiſſio ſtrictè ſumpta; & à *Donatione verbali*, quod hæc de ſe det ius in re, promiſſio autem ſolum ius ad rem concedat, vt promiſſarius poſſit de ea promittentem conuenire.

Si promiſſio ſit *mere interna* homini facta, nullo iure obligat ex pacto, quia cum non ſit exterius declarata non poteſt acceptari, quod neceſſarium eſt fieri vt promiſſio obliget. Neque obligat ex veracitate aut fidelitate, cum ex eo quod promiſſio interna non ſeruetur, nulla ſequatur falſitas reſpectu hominis; quamuis obliget facta Deo, vtpote cordis, & actus interni inſpectori. Promiſſio igitur etiam interna ſupra nudum propoſitum, addit radicem, & inchoationem obligationis; non ipſam obligationem.

Dices, Tota vis in contractibus oritur à voluntate interna, ergo per ſe illa obligat.

Reſp. ab ea oriri radicaliter, & principaliter, non tamen totaliter. Promiſſio enim interna eſt quaſi lex priuata, quam quilibet poteſt ſibi imponere, ſed directiua tantum, non alteri obligatoria. Ita *Sanchez*, *aliique communiter*.

Promiſſio *merè Externa* abſque animo ſe obligandi, nullam inducit obligationem ex iuſtitia. Quia hoc onus non poteſt ſuſcipi, nec ius in alium transferri abſque aduertentia, & perfecto conſenſu ad alienandum requiſitis. inducit tamen obligationem ex veracitate, & fidelitate. Verba quidem infamatoria ſine intentione infamandi, imò inaduertenter prolata, habent ſuum effectum, ſcilicet læſionem famæ, ſecus verba promiſſoria, quæ præter intentionem prolata nihil efficiunt. Ita *Lugo*, *Sanchez*, *aliique*, contra *Turrianum*.

Externa etiam talis promiſſio non obligat iure naturæ *ante acceptationem*, 1. Quia omne pactum eſſentialiter eſt duorum aut plurium conſenſus. 2. Quia omnis promiſſio fit ſub hac tacita conditione: ſi alter acceptet. Non obligat etiam iure ciuili, aut canonico, ſaltem regulariter, quod additur, quia ſunt quædam pollicitationes iure ciuili irreuocabiles, quales ſunt factæ. Ciuitati, Eccleſiæ, &c. Ita fuſius de his, *Sanchez*, *Leſſius*, *aliique communius*, contra *Sylu. & Molinam*, quoad ius naturæ.

Promiſſio *facta præſenti*, debet in *continenti* vel quaſi in continenti acceptari: quia promiſſor, non poteſt prudenter cenſeri velle ſuum conſenſum tenere ſuſpenſum. *Facta abſenti* debet acceptari coram nuntio verbis ad ipſum nuntium directis, vel litteris ad offerentem deſtinatis, vt ſic eorum voluntates in rem eamdem moraliter concurrere cognoſcantur.

Non acceptatur promiſſio validè *poſt reuocationem offerentis*, ſi promiſſionem nunciant habeat ſe merè vt nuncius: ſi tamen habeat ſe vt procurator, aut mandatarius, id eſt, ſic vt habeat curam, non ſolum annuntiandi promiſſionem hic factam, ſed illam iſtic faciendi coram promiſſario, nomine promiſſoris, valida erit acceptatio poſt reuocationem modò hæc nec nuntio, nec ipſi promiſſario innotuerit: ſi enim innotuerit acceptatio pro nulla habetur. Fundantur hæc in iure, *lege*, *ſi mandatum 15. ff. mandati*, &c.

Validè acceptat *pro abſente*, 1. Qui ad id ſpecialem habet commiſſionem. 2. Qui ita eſt ſub promiſſarii poteſtate, vt non ſit ſui iuris, 3. Qui illius curam gerit, vt parens filii. 4. Qui ex promiſſione commodum reportat. 5. Quilibet priuatus pro Eccleſia.

Promiſſio facta abſenti legitimè acceptata, etiam promiſſore vel promiſſario *ante ratificationem mortuo*, valide eſt: vnde non poteſt reuocari per hæredes promiſſoris, ſed contra poteſt ratificari per hæredes promiſſarii; quia obligatio illa promiſſoris tranſit ad hæredes.

Simplex etiam promiſſio ſuæ naturæ relicta, legi-

legitimè acceptata, obligat ex iuſtitia, & quidem in materia graui ſub mortali. Ratio eſt, quod per promiſſionem detur promiſſario verum ius ad rem. Poteſt tamen ex intentione promittentis ſolum obligare ex fidelitate, vel ex iuſtitia ſolum ſub veniali, Quia obligatio promiſſoris, poteſt pro eius libitu limitari, cùm ab eius voluntate dependeat. Ita *Nauarrus*, *Leſſius aliique communius*.

Inualidæ ſunt iure naturæ promiſſiones quæ per ſe præbent *occaſionem peccandi*, vt ſi volenti peccare promittas non ipſum accuſare. Item, quæ tollunt *libertatem* de rebus ſuis diſponendi, vt ſi promittas te non facturum, aut non reuocaturum Teſtamentum; & ſimilia quæ in iure dicuntur contra bonos mores, nempè ciuiliter.

Donatio eſt datio liberalis: *Antidotalis* donatio dicitur remuneratio ex gratitudine, *inter viuos* eſt abſoluta, & irreuocabilis: *cauſa mortis* non eſt abſoluta, ſed conditionata, & reuocabilis. Donatio *perfecta* eſt, quæ fit cum rei traditione, *imperfecta* quæ fit ſolùm verborum officio. Donatio *pura* eſt quæ caret modificatione, ſecus *qualificata*, quæ eſt quintuplex, ſcil. donatio in diem, conditionalis, modalis cauſalis, & demonſtratiua.

Vxor, & filius familias, & minorennis, regulariter loquendo, non poſſunt donare propria auctoritate, poſſunt certis caſibus, v. g. vxor poteſt dare de bonis proprijs vt de parapharnalibus, & de communibus facere largitiones moderatas; imò & extraordinarias ad ſuſtentationem propriorum parentum, aut liberorum ex altero coniugio egentium: plus poteſt maritus, cum habeat bonorum adminiſtrationem: ſi tamen excedat cum notabili damno vxoris peccat mortaliter cum obligatione reſtitutionis.

Prælati Regularium poſſunt moderatas facere Eleemoſynas, donationes in cauſas pias, & remuneratorias largitiones moderatas, non tamen in vſus profanos v. gr. ad ditandos parentes: quod ſi faciant in re graui regulariter, peccant mortaliter, & donatarij tenentur ad reſtitutionem: Quia bona Monaſterij non ſunt Prælatorum, ſed Communitatis, quæ in eiuſmodi largitiones nullo modo conſentit, imò nec conſentire poteſt, cum in hoc reſiſtant Canones, & ſpecialiter Bulla Clementis VIII. edita anno 1594.

Religioſi, quibus ratione officij v. g. *Procuratoris* competit aliqua adminiſtratio, *ordinariè* poſſunt modicas facere donationes; quia pro his præſumitur facultas ex tacito Superiorum conſenſu.

Donatio ſimplex, & liberalis inter *Coniuges* iure communi eſt inualida, & reuocabilis pro arbitrio donantis: firmatur tamen iuramento, & morte donatoris ſi res ſit tradita ante illius mortem. Donatio *Patris* facta filio familias regulariter eſt inualida, matris valida, quia filius non eſt ſub poteſtate Matris.

Donatio *Filij* facta Patri, & Matri de bonis caſtrenſibus eſt valida. Donatio inter viuos *omnium bonorum* eſt inualida iure ciuili *l. 4. cod. de inutil.* Quia donatorem priuat poteſtate teſtandi. Item, donatio vltra 500. ſolidos, qui æquiualent 700. vel 800. ſcutis æſtimando ſcutum 50. aſſibus noſtratibus; ſed hoc iure ciuili, & pro illo tempore quo tunc pecunia erat rarior.

Donatio *cauſalis* non ſubſiſtente cauſa *principali* propter quam fit, eſt inualida, adeòque donatarius tenetur ad rei donatæ reſtitutionem. Quia talis donatio non fit niſi ſub hac conditione, ſi cauſa ſubſiſtat: ſecus ſi ſolùm deficiat cauſa *ſecundaria*, & impulſiua, quia eo caſu ſtat abſolutus donatoris conſenſus in ſubſtantiam donatioins. *Ita Auctores communiter. Sed de donatione plura practica, & particularia traduntur infra* de Contractu Tract. V. cap. 9.

Depoſitum pro contractu, eſt contractus gratuitus quo quidpiam alteri cuſtodiendum traditur donec repenti reddatur: ſumptum pro re, eſt id quod cuſtodiendum traditur, &c. *Sequeſtrum* eſt ſpecies depoſiti quo res litigioſa apud tertium deponitur; quod ſubdiuiditur in voluntarium, quod fit ex compromiſſo litigantium, & in neceſſarium, quòd fit auctoritate iudicis. *Precarium* pro re eſt id, quod precibus petenti, vtendum conceditur, quam diù concedenti libuerit, pro contractu eſt ipſa conceſſio gratuita.

Culpa in prædictis, alia eſt *Theologica*, & eſt peccatum: alia *Ciuilis* ſeu iuridica, eſt que omiſſio diligentiæ, quæ ab homine adhiberi poteſt, quamuis ex ſola inaduertentia abſque omni peccato accidat. Culpa ciuilis *lata* ſeu craſſa, eſt omiſſio diligentiæ ordinariæ; *leuis*, eſt omiſſio diligentiæ exactiſſimæ. Nulla ex his tribus culpis, utpotè in ſola omiſſione conſiſtentibus eſt verus *dolus*, qui dicit malitioſam voluntatem nocendi, ſiue calliditatem ad nocendum vel decipiendum adhibitam.

Alia De depoſito practica vide infra Tract. V. cap. 10.

CA-

CAPVT III.

De Mutuo, Vſura, Simonia, & Montibus Pietatis.

DE *his pleræque Reſolutiones practicæ traduntur infra huius Operis* Tom.II. Par.III. Tract. V. Cap.10.11.&c.

Mutuum eſt datio rei, pondere, numero, vel menſura conſtantis, vt ſtatim fiat accipientis, cum obligatione tantumdem poſtea reddendi. Vnde *materia mutui* ſunt ſolæ res quæ functionem id ſuo genere recipiunt, id eſt, quæ in eodem genere ſunt ita ſimiles; vt in commutationibus, & ſolutionibus vna alterius vice fungi poſſit, vt triticum, pecunia, &c.

Mutuator tenetur, tradere rem abſque vitio occulto, & non repetere ante tempus præfixum. *Mutuatarius*, 1. Tenetur rem reddere tempore præfixo. 2. De omni caſu rei fortuito. 3. Gum ſit rei Dominus, rem abſque graui mutuatoris damno reſtituere debet.

Vſura ſumpta pro re, eſt lucrum ex mutuo; ſumpta pro contractu, eſt mutuatio cum pacto lucri præcisè ratione mutui. *Lucrum* hic eſt aliquid pretio æſtimabile, quod præcisè ratione mutui ſupra ſortem, id eſt, ſummam mutuo datam, accipitur tanquam debitum ex iuſtitia, &c. *Realis* Simonia, ſiue externa eſt, in qua mutuator quouis ſigno externo intentionem vſurariam mutuatario declarat. Interna ſeu *mentalis* eſt, in qua illam non declarat, verum vel vſuram intendit, vel de facto aliquid vſurariè accipit. *Aperta* vſura eſt, quæ ſolum formalis mutui Titulum præ ſe fert. *Palliata* eſt, quæ falſo alterius contractus Titulo, veluti pallio tegitur, vt ſi vendas carius præcisè ob dilationem pretii ſoluendi pro re vendita.

Illicitas eſſe vſuras conſtat ex fide, contra Iudæos, in *Concil. Viennenſi* id definiente: ſunt etiam prohibitæ iure Diuino *Luc.*6. mutuum date nihil inde ſperantes: iure Canonico *lib.* 5. *&* 6. *decretal. Tit. de vſuris*, &c. denique iure etiam Naturali: quia iniuſtum eſt in commutatione plus accipere, quam valeat id quod datur, quod fit recipiendo ſortem cum actuario: quod dici nequit accipi pro vſu ſortis, cum enim Mutuum ſortis dominium transferat in mutuatarium, pro illius vſu aliquid exigere eſſe Mutuatario rei ſuæ vſum vendere: Aliud eſt de locatione, & conceſſione pecuniæ ad oſtentationem, Quia iſtis contractibus non transfertur rei dominium, ſed manet penes locantem, &c. ſed Mutuo manet penes Mutuatarium donec rem acceptam in æquiualenti reddat.

Nec refert quod Deus *Deuteronom.* 23. *&* 28. Iudęis permiſerit vſuras reſpectu Gentilium; quia eorum bona ſic accepta in Iudæos tranſtulerat. Ius Ciuile *ff. & Cod. de vſuris*, tantum approbat vſuras compenſatoris laboris, aut damni emergentis: ſi fortè etiam vſuras lucratiuas probauerit, dicendum eſt, correctum eſſe à iure Canonico in quantum tales admiſerit.

Illicitum eſt dare actuarium ratione *obligationis non repetendi* ſortem ante certum tempus. 1. Quia cum iſta obligatio ſit intrinſeca cuilibet mutuo in particulari, iſtud actuarium acciperetur præcisè ratione mutui, quod eſt iniuſtum. 2. Quia iſta obligatio ſufficienter compenſatur per redditionem ſortis cum facultate ea vtendi in perpetuum; pecunia enim, vti & quælibet res vendibilis, vetuſtate non decreſcens, cum tali vtendi facultate tanti æſtimatur poſt 10. annos, quanti tempore præſenti.

Ex varijs Titulis licitum eſt, citra vſuram, aliquid exigere ſupra ſortem; 1. Ratione *damni emergentis*. Quia hoc non eſt aliquid accipere præcisè ratione mutui, ſed ratione damni mutuo per accidens annexi, quod mutuans non tenetur ſubire gratis, ac proinde non eſt lucrum ex ipſo mutuo acceptum. 2. Ratione *lucri ceſſantis*, quod mutuator probabiliſſimè percepiſſet ex ſua pecunia negotiationi deſtinata ſi non fuiſſet in mutuum expenſa: Patet tum ex ratione iam allata, tum ex eo quod pecunia pluris valeat vt eſt negotiationi deſtinata, quam ſecundum ſe, vt agnoſcit etiam S. Thomas. Quantitas actuarij hoc titulo dati determinatur iuxta æſtimationem lucri ſperati. 3. Ratione *periculi ſortis*; pro hoc titulo citatur etiam *D. Thom. Opuſc.*72.*c.*10. & Innocentius X. in reſponſis datis à *Congr. de Propag. fide* ad miſſionario Chinenſes anno 1646.

Licita eſt *pœna conuentionalis* proportionata id eſt, pactum de actuario, ſi mutuatarius tempore præfixo non reſtituat: non tamen pactum *legis commiſſoriæ*, quo pignus eodem caſu cadat in commiſſum, id eſt, fiat mutuantis in vſura datur *paruitas materiæ*, quia non habet aliam malitiam, quam iniuſtitiæ, ſicut datur in furto, alijſque ad iuſtitiam pertinentibus.

Vſurarius acquirit *Dominium* vſurarum, ſed *debile*, id eſt, cum obligatione reſtituendi, quale Dominium transfert, etiam contractus dolo,

dolo, aut metu extortus. Ratio eſt, quod mutuatarius verè ac ſimpliciter earum dominium à ſe in mutuantem transferat, cum eas voluntate abſoluta perſoluat.

Ex *cauſa graui licet* petere mutuum ſub vſura, ad hanc habendo ſe permiſſiuè, Quia quod in re petitur eſt aliquid licitum, quod autem illud detur modo illicito, oritur ex ſola mutuantis malitia, quam mutuatarius non tenetur impedire cum ſuo graui incomodo, cum non poſſit pecuniam accipere modo licito ſine vſuris quod erat in poteſtate concedentis.

Plura de Vſura, & ex profeſſio de Simonia tractantur infra Tract. V. cap. 11. *de Vſura, &* Cap. 12. *de Simoniaca emptione ac venditione*.

Mons Pietatis intelligitur certus pecuniæ aceruus publicè deputatus, ad mutuandum indigentibus. *Purus* dicitur in quo nihil accipitur. *Mixtus*, in quo aliquid accipitur ſupra ſortem ad montis indemnitatem conſeruandam. Cenſetur igitur ille Purus in quo ſumma capitalis ex pia aliqua fundatione habetur vt in Italia, vbi tantum exigitur paruum auctarium ad expenſas in miniſtros &c. magnum verò requirit mons mixtus, in quo ſumma capitalis habetur ex pecunia ad cenſum, vt in Belgio locis pluribus.

Primò: *Liciti cenſentur illi montes Italici*. Patet 1. ex Bulla Leonis X. in *Conc. Lateranenſi*, in qua Concilio approbante *Seſſ.* 10. abſolutè declaratur, & definitur eiuſmodi montes nullo modo improbandos, & pœna excommunicationis in eos decernitur, qui verbo, aut Scripto contrarium docere præſumpſerint.

Patet 2. Quia in ijs accipitur tantum aliquid modicum, idque non præcisè ratione mutui, ſed ad indemnitatem, & conſeruationem Montium erectorum in fauorem mutuatariorum, quorum proindè eſt ſubire expenſas pro illorum conſeruationem neceſſarias. Plus exigitur ab eo qui ſortem diutius detinet, non ratione carentiæ pecuniæ, ſed ratione damnorum, & expenſarum diutius factarum in eius gratiam. Hinc homo priuatus montem ſua auctoritate erigens, ſolùm peccaret contra charitatem ratione ſcandali orti ex præſumptione vſuræ ſine Titulo exactæ.

Secundò, *Liciti etiam ſunt Montes Belgici*: Conſtat hoc 1. Ex conſenſu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac DD. vtriuſque Vniuerſitatis Belgicæ. 2. Quia nihil in ijs accipitur niſi ad ſuam indemnitatē. 3. Quia ijs etiam aliqui ſimiles ſunt in Italia à Pontificibus approbati, teſte *Nauarro, Filincio*, &c.

Montes quidem Belgici plus exigunt à mutuatarijs, quia eorum capitale conflatum eſt ex pecunia ad cenſum, qui fundatur. 1. In communitate indigentium. 2. In iure quod illa communitas habet exigendi indemnitatem à mutuarijs in quorum fauorem grauatur reditibus, in bonis eius dominio ſubiectis tum immobilibus, tum mobilibus, quę poſſidet in ſe, vel inæquiualenti, ſcilicet in pignoribus. Omne autem lucrum eſt in commodum mutuatariorum, in quorum fauorem auctaria paulatim minuuntur. Sic poſſunt auctoritate principis grauari prę́ſentes pro ſuis ſucceſſoribus ad extructionem v.g. Pontis deinceps valdè vtilis futuri; quæ ratio prædicto etiam caſu valere videtur.

CAPVT IV.

De Emptione, Venditione, Monopolio, Locatione, Emphiteuſi, & Feudo.

De *Emptione, Venditione, & Simonia agitur infra* Tomo II. Tract. V. cap. 12. *Hic tantum quæ in ſingulis Speculatiua* ſunt, vel non adiecta, præcipuè ſupplentur.

Licitum non eſt probabilius, *res nouas, & rara quantiuis vendere*, Et certum eſt, non licere mercatori vendere pretio in ſimo, ſic vt occulta mercis diminutione illud pretium ad ſummum reducat: quia ſic non ponitur æqualitas iſtius mercis, & pretij.

Licitum etiam non eſt, *vendere pluris ſupra dimidium*; quod fit quando exceſſum ſuperat dimidium iuſti pretij.

Non licet in foro *interno* pluris vendere, aut minoris emere quam res valeat, Quia alioquin etiam in hoc non ſeruaretur æqualitas inter mercem, & pretium. In oro *externo* ciuili, & canonico licet pluris vendere, & minoris emere citra, non ſupra dimidium, ſed intra latitudinem iuſti pretij hoc intelligendo.

Licet *pluris vendere* quam res in ſe valeat. 1. Propter officium mercandi. 2. Propter damnum ex venditione emergens. 3. Propter penuriam mercium, & multitudine emptorum. Propter rationes eaſdem aut ſimiles, etiam rem minoris *emere* quam in ſe valeat pariter aliquando licebit.

In Venditione, *iniuſtum* eſt, 1. cogere indigentem vt à te emat ſummo pretio, & ſtatim tibi *reuendas infimo*. Quia iſta obligatio emptori impoſita, eſt aliquid prætio eſtimabile ſupra ſummum iuſtum pretium. 2. Emere Chiro-

rographa, id eſt, debita actiua in futurum minoris quam contineant. Quia in hoc committitur vſura palliata, aliquid accipiendo præciſè ratione mutui virtualis.

Quando res eſt *abſolutè vendita*, etſi nondum tradita, nec ſoluta, emptori perit, eique fructificat, Quia re empta coempta ſunt omnia in eius virtute contenta. Deinde, licet emptor nec dum; ſit rei Dominus, ad eum tamen pertinet omne damnum, & periculum: vnde cum ſuſtineat incommoda, æquum eſt vt ſentiat, & commoda. Leges in contrarium, qui fauent vſuris in ſolutionis dilatione fundatis, abrogatæ ſunt iure Canonico.

Euictio eſt, rei ſuæ ab altero poſſeſſæ legitima recuperatio: differt à vindicatione, & condictione, quod prima ſit actio realis, ſecunda perſonalis, & hæc euictio ſit earum effectus.

Monopolium, ſeu conſpiratio ſpecialis Mercatorum vt ſoli, aut certo pretio aliquid vendant, grauiter repugnat charitati, & iuſtitiæ legali; non iuſtitiæ commutatiuæ, niſi ſummo iuſtum pretium excedant. Hoc enim ſecluſo, nulli faciunt iniuriam, & ex cauſa rationabili licitum redi poteſt auctoritate Principis. Ita *Petrus Nauarra*, *Molina*, *Leſſius*, Contra *Couar. Syluestrum*, & *Valentinum*.

Locatio rem ad vſum pretio concedit, *conductio* accipit. *Locator* tenetur 1. Aperire vitia nociua rei locatæ, & ad damna ſi ea celauerit. 2. De rei euictione. 3. Ad expenſas pro rei conſeruatione, &c. *Conductor* tenetur, 1. Re vti iuxta boni vi arbitrium. 2. Pro ea conſeruanda eam adhibere curam, quam vir prudens pro ſuis adhibet. 3. Soluere penſiones tempore ſuo: vterque ſibi inuicem obligantur de dolo, culpa lata, & leui, non autem regulariter de leuiſſima, aut caſu fortuito.

Quando contigit vt *res conducta caſu fortuito* abſque vlla conductoris culpa reddatur *inutilis*, non tenetur conductor ſoluere penſionem, niſi pro rata temporis quo re illa vſus fuit. *Sterilitas* tanta vt colonus nihil recipiat, illum liberat à penſione: ſi ſterilitas ſit parua hic non attenditur, ſi ſit magna, dat ius minuendi pro rata penſionem. Similiter, ſi *vbertas* abſque vlla coloni induſtria ſit extraordinaria, dat ius augendi penſionem, quæ ſi ſit pecuniaria ſoluenda eſt in fine anni ſi in fructibus, iis collectis ſolui debet. Poteſt *conductor* ante tempus *expelli*, quando re conducta *abutitur*, aut per *duos annos* ſolutionem debitam non præſtat.

Si eadem opera, labor, aut induſtria pluribus ex pacto præſtita æque ſingulis eſt vtilis, meretur à ſingulis integrum ſtipendium valori ſuo proportionatum. Quia vt ſupponitur, pro ſingulis ſeorſim ſuſceptæ ſunt obligationes ab inuicem independentes, vnde opera eius eſt æquiualenter multiplex in vtilitate, & valore.

Famulis debetur cum ſubſtentatione ſtipendium iuſtum ſaltem infimum. Non licet illis vti occulta compenſatione propter exiguitatem ſtipendij minoris iuſto infimo, cum de eo conueniſſe ſtipendio ſupponantur.

Emphiteuſis eſt contractus quo quis rei ſuæ immobilis Dominium vtile transfert in alterum, retento ſibi Dominio directo cum iure penſionis realis annuæ. Qui accipit Dominium vtile dicitur *Emphiteuta*, qui dat dicitur Dominus directus ſeu proprietarius.

Feudum dicitur, conceſſio rei immobilis ſub onere fidelitatis, & obſequij perſonalis exhibendi domino directo. Differt ab *emphiteuſi*; quod in hac debeatur penſio realis, in illo fidelitatis, & obſequium perſonale. Concedens dicitur Infeudator, Dominus fundi, & feudatarij: Accipiens dicitur feudatarius: vaſallus, beneficiarius. *Regale* feudum confertur à ſupremo Principe cum Titulo, v. gr. Ducis; *non regale* nihil adfert dignitatis: *Eccleſiaſticum* ab Eccleſiaſtico, Laicum à Laico confertur: *hæreditarium* tranſmittitur ad hæredes, gentilitium ad liberos, maſculinum ad ſolos maſculos, fœmineum etiam ad fœminas deficientibus maſculis: Dicitur *Ligium* ſi fidelitas iuretur contra omnes, non Ligium ſi excipiatur Princepes ſupremus. Amittitur Feudum expiratione temporis conceſſi, neglectu obſequiorum, & crimine Feloniæ, id eſt, belli contra Dominum geſti.

CAPVT V.

De Cenſu, Cambio, Contractu Societatis, & Teſtamento.

D*E Teſtamento, &c. agitur plenè infrà* Tomi II. Tract. V. Cap. 13. *Hic ſupplentur ea quæ poſſint in ſingulis deſiderari.*

Cenſus eſt ius percipiendi penſionem annuam ex re, aut perſona alterius: qui illud ius pendit dicitur Cenſuarius, qui emit dicitur Cenſualiſta.

Diuiditur Cenſus, 1. In *reſeruatiuum*, quo quis in alterum transfert rei ſuæ dominium, ſuper eadem re ſibi reſeruato iure penſionis annuæ: & in *conſignatiuum* quo ſolum ius penſionis conſignatur. 2. In *realem*, *perſonalem*, & *mixtum*. 3. In *pecuniarium*, & *fructuarium*, hic in Belgio, & in Caſtella ſublatus eſt à

Philippo II. ob nimium incrementum tritici, & aliorum fructuum. 4. In *perpetuum*, & *temporalem*. Perpetuus ſubdiuiditur in *irredimibilem*, & *redimibilem*, vel ab vno tantum, vel vtroque contrahente. Temporalis alius eſt ad tempus certum, alius ad incertum v. gr. qui vſque ad mortem cenſualiſtæ conſtituitur, & durat.

Licita eſt *emptio noui Cenſus conſignatiui*, *realis*, & *perpetui* tam redimibilis ex parte venditoris, quam irredimibilis. Patet 1. Ex approbatione Pontificum Martini V. Pij V. & Calixti III. 2. Ex eo quod ſit vera emptio facta iuſto pretio iuris veri prçexiſtentis in Cenſuario, non quidem ſub ratione Cenſus, ſed vt incluſi in pleno iure, quod habet Cenſuarius in rem ſuam, & omnia eius emolumenta. Ita *Conar. Molina*, *Lugo alijque communiſſimò*, *contra paucos*.

In *emptione Cenſus* non datur pecunia præſens pro pecunia in futurum, vt in mutuo, ſed emitur ius non ad certò recipiendam ſummam ſimul, & ſemel ſine periculo damni, & moleſtiarium, ſed ad penſiones ſucceſſiuas per longa interualla, adeòque moraliter non ſine periculo in certitudine, & moleſtijs recipiendas, ideòque vſuram non inuoluit.

Et quamuis hoc ius ſit ad penſiones *in infinitum* non tamen æſtimatur niſi pretio finito, ſicut Dominium fundi frugiferi, quod continet ius ad annuos fructus in infinitum. Ratio eſt, quod penſiones ſucceſſiuè in infinitum recipiendæ non augeant valorem illius iuris incremento æquali, ſed proportionali in infinitum decreſcente. Quia quantò magis creſcunt in multitudine, tantò ſunt in ſpe remotiori, & conſequenter tanto magis decreſcunt in æſtimatione morali, adeoque non poſſunt facere ius valoris infiniti, ſicut partes proportionales in infinitum decreſcentes continuum actum infinitum conſtituere nequeunt.

Dices, idem eſſe emere ius ad penſiones; ac emere ipſas penſiones.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quod ius ad rem, non niſi poſt longa interualla adæquatè recipiendam, non ſit ipſa res, nec prudenti iudicio tāti çſtimetur, propter lapſum, & incertitudinē diuturni tēporis, & alia ſuperius aſſignata.

Emptio Cenſus perſonalis etiam perpetuus eſt licita. Patet 1. Ex vſu Belgij, Germaniæ, Galliæ à DD. Theologiæ, & iuris approbato; & à Nicolao V. Pont. 2. Ex eo quod etiam hic interueniat vera emptio iuris percipiendi penſiones ex perſona alterius ratione ſuæ induſtriç, & aliarum qualitatum quæ cenſentur ſufficienter frugiferæ ad fundandum tale ius iuſto pretio çſtimabile, cum iſtud ius poſſit donari, & à donatario iuſtè vendi. 3. Quia tale ius poteſt fundari ſuper iumentum, & ſeruum, adeoque etiam ſuper perſonam liberam, quod tamen ius vendi non poteſt ob defectuum penſionum; quia hoc leges vetant. Dum Martinus V. alijque Pontifices ſolùm approbant cenſum realem, per hoc perſonalem non improbant, quem Pius V. prohibuit non abſolutè, ſed ob ſpeciem, & periculum vſuræ, & quidem prohibitione quæ hic, & in Germania recepta non cenſetur. Ita *Gabriel*, *Medina*, *Banez*, *Valentia*, *Leſſius*, Contra *Nauarum*, *Rebellum*, *Lugo &c.*

Cenſus *temporalis* incerti temporis, vt *vitalitius*, eſt licitus, modò ematur pretio iuſto, per legem, aut prudentis arbitrium taxato. Quia cum vterque contrahens parem ſubeat aleam plurium, aut pauciorum penſionum, pro pluribus aut paucioribus annis vitæ, in eo ſeruatur æqualitas.

Licitus etiam eſt cenſus Temporalis *certi temporis* v. gr. ad 20. aut 30. annos; Quia cum ius ad penſiones per longa interualla recipiendas non tantum valeat, quantum cumulus omnium penſionum ſimul, iuſtè emi poteſt minori pretio quàm valeant penſiones ſimul ſumptç; ſi tamen emeretur ad breue tempus, vt ad 2. vel 3. annos, vſura palliata cenſeretur vti colligitur ex fundamentis ſupra aſſignatis.

Cenſus redimibilis tam ex parte ementis, quàm vendentis, ſic vt emens poſt aliquos annorum penſiones poſſit vendentem cogere ad redimendum, videtur ſpeculatiuè loquendo, licitus. Quia non apparet cur non poſſit fieri pactum retrouenditionis in hac emptione ſicut in emptione aliarum rerum, & quare hoc pactum fieri non poſſit cum cenſuario in contractu cenſuali, ſicut fieri poteſt cum vno tertio, & cum illo poſt initium cenſualem contractum: Non eſt tamen in praxi tutus, aut licitus. Quia eſt meritò ſuſpectus de vſura palliata, ac proinde ſcandalo obnoxius. Cenſus *irredimibiles* ex parte venditoris, ſaltem conſignatiui, ſunt quidem à Carolo Quinto in Belgio prohibiti, non tamen vſurari, niſi ex præſumptione fori externi, & ne bona maneant perpetuò onerata. Ita de his *Gabriel*, *Medina*, *Valentia*, *Leſſius*, *Malderus*, Contra *Conar. Sotum*, *Aragonium &c.*

Cambium eſt permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia. Ille à quo cambium petitur, dicitur campſor, qui petit, Campſarius. Diuiditur in *Reale*, & *Siccum*; hoc cambium ſiccum

ſic cum eſt vera vſura ſolam ſpeciem cambij habens, vt ſi tantum habeatur ratio diſtantiæ temporalis &c. Illud autem *Reale* eſt legitima permutatio pecuniæ ſeruata æqualitate inter datum, & acceptum. Diuiditur in *Manuale* ſeu minutum, quod eſt permutatio pecuniæ præſentis pro præſente, & *Locale*, quod eſt permutatio pecuniæ præſentis pro abſente.

Cambium minutum eſt reale, & dicitur illud quod conſiſtit maximè in monetæ minutæ cum maiori commutatione.

Licitum eſt lucrum ex *cambio minuto* varijs titulis, ſcilicet, ratione lucri ceſſantis officij cambiendi, oneris quærendi, & habendi pecunias diuerſi generis ad vtilitatem communitatis ſemper paratas, eaſque numerandi &c. Taxatur à Principe *valor monetæ* quatenus eſt menſura rerum venialium, non quatenus eſt commoda ad permutationem negotiatoriam, ſub qua ratione vna ſpecies monetæ alteri ſæpè multum præſtat, licet ſit æqualis in ratione prætij rei venalis. Ita *paſſim Theologi, Contra Oſtienſem, & paucos alios.*

Lucrum ex cambio Locali, quo campſor hic prior accipit vt alibi reſtituat, eſt licitum, modò ſit prudenti peritorum iudicio iuſtum. 1. Quia eſt approbatum à *Pio V.* apud *Nauarrum num.* 300. 2. Quia accipitur iuſto Titulo virtualis ſcilicet translationis, & locationis, qua campſor operam ſuam locat campſario ad transferendum eius pecuniam ſuſcepto in ſe omni periculo: quod ſi hoc fiat aſque omni eius incommodo, hoc tribuendum eſt eius induſtriæ, & bonæ fortunæ, qua non obſtante poteſt lucrum accipere, ratione periculi, & laboris in ſe ſuſcepti.

Cambium quod franco furtenſe dicitur, in quo campſor dat prior pecuniam campſario, vt ab eo eamdem recipiat in nundinis Franco furtenſibus cum auctario, proportionato diſtantiæ temporalis, & localis, ſecluſis Titulis extrinſecis, periculi ſortis &c. iniuſtum, & vſurarium eſſe cenſetur. Quia in eo nulla interuenit virtualis translatio, aut locatio operæ ad translationem, ac proinde campſor nullam campſario nauat operam pretio æſtimabilem: vnde auctarium accipit præciſè propter diſtantiam temporalem inter dationem ſuæ pecuniæ & eius in æquiualenti receptionem, quod eſt vſurarium. Ita, vt dixi, ſecluſis Titulis extrinſecis, docet *Caietan. Sotus, Suarez, Valentia, Malderus, Lugo alijque communius*, Contra *Molinam, Leſſium, Filiuc. Layman, &c.*

Cambium Bezuntinum, ſiue placentinum, eſt quo campſor reſpondentem Bezuntij vel alibi campſario procurat, ſuum ſcil. factorem, qui tunc duas perſonas repræſentat, nempe reſpondentis campſarij, & factoris campſoris, & quatenus reſpondens campſarij debitum ex accepta à campſore pecunia ſibi ipſi, quatenus factori campſoris, ſoluit ſolutione virtuali, nempe per acceptationem, & relationem in libros rationum, &c. Hoc, inquam. Cambium, licet vſitatum cenſetur plerumque ſiccum, & non ſubſiſtens: Quia cum contrahentes ſciant totam ſolutionem ſic fieri iſtis cambij, & recambij Titulis artificiosè quæſitis, aliud intendere non cenſentur, quàm lucrum ex mutuo, Cambij ſpecie palliatum, ac proinde in praxi à Theologis plerumque omnino reijciendum cenſetur, vt de vſura merito ſuſpectum &c. Et ita ſentit *Sotus, Molina, Tannerus, Rod. Rebellus, & alij communius*, quamuis illud excuſet *Sylueſter, Nauarrus, Salas, Diana*, &c.

Societas negotiatoria, eſt conuentio conferentium aliquid ad commune lucrum, & damnum. Vt ſit licita requiritur, 1. Vt fundetur in negotiatione honeſta, 2. Vt ſeruetur æqualitas proportionalis lucrorum, & damnorum pro rata eorum, quæ conferuntur. 3. Vt ſors fiat omnium, niſi lucri tantùm ſit communio ex pacto inſtituta.

Diſſoluitur illa Societas, 1. Socij renuntiatione, 2. Eius morte, aut egeſtate, 3. Elapſo tempore, ad quod inita fuerat, 4 Ceſſante negotiatione.

Quando vnus è ſociis confert ſolam pecuniam, & alter ſolam operam, poteſt fieri communio ſortis, & lucri, 1. Sic vt in fine ex æquo diuidatur pro rata pecuniæ ab vno, & æſtimationis operæ ab altero collatæ, 2. Sic vt conferens ſolam operam non ſit particeps ſortis, ſed ſolùm aliquotæ partis lucri, cuius ſpes æquiualeat operæ ab ipſo poſitiuæ, hoc enim vtroque modo ſeruatur æqualitas vtrimque requiſita.

Contractus Triplex, eſt quo conferens in Societatem à ſocio aſſecuratur de ſorte integra cum certo lucro, ſed minore eo, quod ex negotiatione ſperatur. Vnde in eo ſunt virtualiter tres contractus, ſcil. Societatis; aſſecurationis, & venditionis maioris lucri ſperati. Hunc contractum eſſe licitum ſuadent, 1. Leges, & inſtitutiones ei apertè fauentes, 2. Hæc ratio; eſt certò contractus ille triplex licitus ſi fiat diuiſim cum diuerſis, adeoque etiam cum eodem ſimul, & ſemel: cum per hoc nullam contrahat in iuſtitiam, nec mutet naturam, adeoque non tranſeat, ad rationem mutui. *Ita Sylueſter, Gabriel, Maior,*

Maior, *Nauarus vterque*, *Toletus*, *Leſſius*, *Syluester*, *Abulenſis*, &c.

Obiectiones contra contractum Triplicem ex ſequentibus ſoluuntur. *Dominium pecuniæ* in eiuſmodi contractu in Societatem depoſitæ non eſt penes ſolum negotiatorem, cum non poſſit de illa, ſicut de mutuò accepta, per ſuo arbitrio diſponere, ſed teneatur eam vel æquiualentem ſuo, & deponentis nomine negotiationi applicare. Huic quidem ſoli perit, at non ratione demonij vt mutuit formalis aut virtualis in ipſum translati, ſed vi contractus aſſecurationis adiuncti. Hoc contrahendi modo pecuniam conferens non ſentit lucrum, nullum potens ſentire incommodum, quod non eſſet æquum, quando quidem patiatur damnum maioris lucri quod ſperare potuit.

Secundò, Bulla Sixti Pontif hunc contractum non prohibet vt illicitum iure naturæ, ſed tantum vt Scandaloſum ex præſumptione vſuræ palliatæ, quæ non interuenit ſi contractus in eo incluſi fiant ſeriò, verè, & non fictè, vnde in Germania, & Belgio, illa non habetur à pluribus pro recepta.

Sponſio, qua certantes de alicuius rei euentu ſibi inuicem aliquid ſpondent, dandum ei qui veritatem fuerit aſſecutus, eſt licita, ſi abſit fraus, par ſit vtrimque periculum, nec ſit de re turpi &c. *Sortes* ex quarum euentu aliqua decernuntur, aliæ ſunt *diuiſoriæ* quibus de re communi diſponitur, aliæ *electoriæ* quibus alij alijs præferunt in ordine ad officia vel ſecularia, quæ licent, vel Eccleſiaſtica, quæ ſunt prohibitæ *Conſultoria* & diuinatorię ſunt ſuperſtitioſæ.

Teſtamenta priuilegiata quoad ſolemnitatem ſunt. 1. Militum in caſtris. 2. Facta coram Principe. 3. Belgica iuxta conſuetudines varijs locis vſu receptas. 4. Ad pias cauſas, quæ deficiente ſolemnitate obligant in cõſcientia, modo adſint iure naturæ requiſita ad translationem Dominij; ad profanas etiam cauſas valent in conſcientia, ſed validitate infirma per Iudicem reſcindibili, non firma, & irreſcindibili; quo ſenſu exponendæ, & inter ſe conciliandæ ſunt Leges ac iuris vtriuſque DD. in ſpeciem pugnantes in his de teſtamentis priuilegiatis.

Teſtari prohibentur iure naturę amentes: poſitiuo iure partim Ciuili, partim Canonico, impuberes, ſurdi ſimul, & muti, & prodigi, damnati ad mortem, carcerem perpetuum, aut exilium, hæretici, ſerui, filij familias, & vſurarij manifeſti, &c. Teſtamentum de ſe *reuocari* poteſt à teſtatore validè, & licitè, 1. Per factum contrarium, vt ſi teſtator illud laceret. 2. Per alterum teſtamentum legitimum *Ita habent iurium diſpoſitiones*.

Per Teſtamentum *Hæredes inſtitui* poſſunt, qui non ſunt lege prohibiti, vt ſunt hæretici, ſpurij, id eſt, orti ex parentibus inter quos tempore vel conceptionis, vel natiuitatis erat aliquod impedimentum dirimens, non legitimati, etiam deficiente prole legitima, non ſuccedunt illi parentibus ab inteſtato, neque ex Teſtamento, nec vllam partem hæreditatis accipere poſſunt etiam in conſcientia: ſecus naturales, id eſt, orti ex parentibus ſic non impeditis; illi enim poſſunt à Patre inſtitui hæredes ſi deficiant legitimi, & aſcendentes; quamuis ei non ſuccedant ab inteſtato, niſi ex ſextante, ſuccedunt tamen matri, tum ex Teſtamento, tum ab inteſtato pari iure cum legitimis: de quibus fuſius iuxta leges Belgicas *Leſſius de iure, & iuſt. Zypæus, alijque*.

Reliqua de *Teſtamentis* in hoc Opere traduntur infrà *Tomo II. Part. II. Tract. V. cap.* 13.

Codicillus, eſt ſequela & velut ſupplementum Teſtamenti. *Legatum* eſt donatio in Teſtamento præſtanda ab hærede. Factum abſolutè legatum debetur ſtatim à morte teſtatoris: Factum ſub conditione debetur ea impleta. *Fidei commiſſum* eſt, quod alteri ita relinquitur, vt illud non poſſit alienare.

Non poteſt Hæres ita legatis grauari vt hęreditas reddatur *inutilis*, alioqui poteſt detrahere Falcidiam, id eſt, quartam partem hęreditatis ex legatis detrahibilem, aut Trebellianicam, id eſt, quartam partem ex Fidei commiſſis detrahibilem, vt hæres habeat ſaltem quartam partem bonorum defuncti.

Si Legatum aut Fidei commiſſum ſit ad *pias cauſas*, nec Falcidia, nec Trebellianica detrahi poteſt. Sola Parochi aut Confeſſarij depoſitio de vltima voluntate defuncti ad pias cauſas hæredem obligat in conſcientia, dum conſtat de horum probitate. Ita *Laymam hic, alijque*.

CA-

CAPVT VI.

De Reſtitutione, eius radice, Cauſis eam excuſantibus, &c.

DE *Reſtitutione in ordine ad Praxim agitur accurate in hujus Operis* Tom. II. Part. III. Tract. V. cap. 14. *infra*.

Ne quid aliqua ex parte deſit in materia tam neceſſaria, quædam hic ad omnimodam Theologi inſtitutionem ſubiiciuntur.

Ad notitiam fundamentalem *Obligationis reſtituendi*, ſciendum eſt, quod illa oriatur ex iniuſtitia, quæ fit contra ius alterius. Ius autem alienum dicitur *mobile*; quod abdicari poteſt à Domino: Ius verò *immobile*, quod abdicari non poteſt, quale habet Clericus ne percutiatur. Quoad iura mobilia, non poteſt iniuria fieri volenti, poteſt quoad immobilia, vt fit marito conſentienti in abuſum ſuę vxoris. Idem de percuſſione Clerici, licet ipſe in eam conſentiat, vti patet ex iure Canonico *Cap. Contingit. de ſent. excomm.* vbi ea percuſſio dicitur iniurioſa, et ſi non violenta. His tamen non debetur ſatisfactio, quia conſentiendo illam remiſerunt.

Obligatio reſtitutionis oritur ex violatione ſolius *iuſtitiæ commutatiuæ*, non diſtributiuæ. Quia illa ſola reſpicit ius ſtrictum: diſtributiua enim ſolùm reſpicit ius fundatum in ratione partis alicuius communitatis, quod non eſt ſtrictum. Hinc, per ſe loquendo, non obligatur ad reſtitutionem qui confert beneficia aut officia digno relicto digniori. Dixi, per ſe loquendo, quia ſi factus ſit concurſus cum promiſſione digniores præferendi, tenetur ad reſtitutionem ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ ortæ ex pacto præcedenti. Similiter ſi Princeps dignis prætermiſſis confert officia publica indignis, violat iuſtitiam commutatiuam, non adverſus dignos prætermiſſos, ſed aduerſus communitatem, cui ſtrictè obligatur de dignis ille prouidere. Ita *Suarez*, *Leſſius, Rebellus, Lugo, Malderus*, *aliique*, Contra *Caietan. Vaſquez, Molinam, & Aragonium*.

Radices generales reſtitutionis, duæ aſſignantur, ſcilicet, iniuſta acceptio, ſeu damnificatio, & res accepta id eſt, res ex iuſtitia Domino ſuo reſtituenda. Ambæ concurrunt in fure detinente rem furtiuam; ſeparantur in eo qui rem furtiuam emit bona fide, eamque neſciens eſse furtiuam detinet abſq; vlla damnificatione actiua eſt parte ſua Domino illata. Pro iniuria *tranſeunte*, id eſt, non damnificante, nulla debetur reſtitutio, ſed tantùm aliqua ſatisfactio, vt pro irriſione, verbis contumelioſis, &c. Obligatus Titulo rei acceptę, 1. Ad nihil tenetur ſi res pereat. 2. Tantùm tenetur ad fructus extantes, & quatenus ex iis factus eſt ditior. At verò obligatus Titulo *iniuſtæ acceptionis*, tenetur reſtituere rem aut eius æſtimationem, quomodocunque perierit, 2. Omnes fructus ex ea perceptos. 3. Compenſare omnia damna inde ſecuta. Vnde menſura reſtitutionis ratione rei acceptæ, eſt quãtitas poſſeſſionis; ratione iniuſtæ acceptionis eſt quantitas alieni damni. Ita cum *D. Thomas*, *Layman*, *aliique*.

Poſſeſſor bonæ Fidei, vbi aduerterit rem non eſſe ſuam, tenetur Domino comparenti eam ſtatim reſtituere, nec poteſt prætium à ſe pro ea datum exigere, niſi datum ſit animo rem reſtituendi Domino ſuo, eiuſque negotium vtiliter geſſerit. Si bona fide rem *conſumpſerit*, aut alienauerit, ad nihil tenetur, niſi quatenus ex ea factus eſt ditior; ſi vendiderit, tenetur Domino comparenti, contractu venditionis reſciſſo, emptori prætium reſtituere, ei enim tenetur venditor de euictione, non tamen rei Domino ſi res vendita reperiri non poſſit, niſi quatenus ex ea factus eſt ditior. Quia Dominus rei non eſt Dominus pretii. Tenetur etiam fructus naturales, vt fœtus animalium, & mixtos, id eſt, partim à re, partim ab induſtria prouenientes, vt ſegetes; & fructus ciuiles, vt reditus &c. reſtituere, ſubductis expenſis. Quia res quelibet Domino ſuo fructificat, non tamen fructus induſtriales. Rem alienam Titulo gratuito à fure acceptam tenetur, per ſe loquendo, Domino reſtituere, niſi certus ſit fore, vt furi iuſtam ob cauſam reddita, Domino reſtituatur: quia in hoc caſu Dominus non poteſt eſſe rationaliter inuitus.

Poteſt *emptor bonæ Fidei*, ad recuperandum ſuum pretium, *rem furi reddere*, licet ſit moraliter certus eam Domino perituram: Quia ſecluſo contractu aut delicto, nemo tenetur rem alienam cum proprio ſuo damno apud ſe conſeruare vt reſtituatur ſuo Domino, quia ad id nullum habet ius.

Neque refert, quod emptor rem furi reddendo eam reducat in peiorem ſtatum. Quia hoc non fit directè, & poſitiuè, ſed tantum negatiuè, quatenus ſcilicet ad uitandum damnum proprium, rem deſinit in meliori ſtatu conſeruare. Emptor tamen *malæ Fidei*, ratione iniuſtæ acceptionis, probabilius eo caſu tenetur rem Domino ſuo reſtituere, vti docet probabilius, *Nauarus*, *Leſſius*, *aliique*, contra *Sylueſtrum*,

neſtrum, *Aleuſem*, *Dianam*, & alios. De emptore bonę Fidei aſſertionem noſtram tenet *Nauarrus*, *Syluester*, *Vaſquez*, *Leſſius*, *Bonacina*, *Malderus*, *Turrianus*, *Lugo*, *&c.* Contra *Caietanum*, *Sotum*, *Medinam*, *Layman*, *Azorium*, *&c.*

Malæ Fidei poſſeſſor obligatur ad reſtitutionem rei ſi extet, & ad eius valorem ſi perierit, etiam fortuitò, & abſque eius culpa; idque etſi apud Dominum per iniuriam alicuius tertii erat peritura; quia hunc præueniendo ipſius obligationem in ſe ſuſcipit. Si tamen res caſu perierit apud iniquum poſseſsorem, eodem modo abſque vllius iniuſtitia apud Dominum peritura, probabilius ad nihil obligatur in foro interno: Non enim ex re accepta quia perit, non ex iniuſta acceptione, res enim æquè erat peritura, adeoque illè non fuit efficax cauſa damni. Communiter tamen dicitur imponenda ei reſtitutio in foro externo in pœnam criminis. Ita *Nauarrus*, *Leſſius*, & alii, *contra Paludanum*.

Fur ad nihil obligatur probabiliter, qui ſciens, & volens rem alienam conſumpſit eo loco, & tempore quo aliàs citrã iniuſtitiam erat certò peritura: Quia in illis circumſtantiis res Domino ſuo nullius erat pretio, ac proinde eius deſtructio non eſt illi damnoſa: Secus ſi fur illam tranſtulerit in locum vbi erat ſeruãda: Quia tum erat alicuius pretii Domino ſuo. *Ita Vaſquez*, *Amicus*, *aliique*.

Res quæ apud iniquum poſſeſſorem *meliorata* eſt, aut *fructificauit*, cum omni melioratione ſua reſtituenda eſt, & cum omnibus fructibus non ſolum perceptis, ſed etiam percipiendis à Domino ſi rem ſuam habuiſſet: quia res Domino ſuo melioratur, & fructificat, ãdeoque cum his tanquam ad Dominum pertinentibus reſtitui debet.

Pro *debitorum ſolutione* ſeruandus eſt ordo iuris potioris. Hinc 1. Si res extat in ſpecie reddenda eſt Domino. 2. Debita Titulo oneroſo præferuntur debitis Titulo gratuito. 3. Debita certi creditoris preferuntur debitis creditoris incerti.

Cauſæ excuſantes à reſtitutione traduntur infrà huius Operis Tomo II. Part. III. Tract. V. capit. 24. §. 4.

CAPVT VII.

De Iniuria in Corpus, & Famam, & de Furto, Iudice, Teſte, Reo, Aduocato.

D'*E his agitur in hoc Opere infrà* Tract. V. *ſuperius citato: hic pauca reſta ne adijcienda. Occiſio ſui directa*, licita non eſt vlla auctoritate humana. Quia illa repugnat charitati erga ſe, iuſtitiæ erga Rempublicam, & erga Deum, qui eſt Dominus vitæ humanæ.

Licet tamen ex iuſta cauſa, v.g. ad vitę conſeruationem ſeipſum mutilare, & *indirectè* ad ſui necem concurrere, vt abſtinendo ab eſu carnis humanæ aut idolo ſacratæ, item ignem naui inijciendo, aut pulueri nitrato ad nocendum hoſti &c. Debent tamen iſta fieri ex cauſa graui, & conducente ad finem independenter à morte directè adhibita. *Sui interfector* iure Canonico priuatur Eccleſiæ ſuffragijs, & ſepultura, niſi ante mortem dederit ſigna pœnitentiæ, vel dubium ſit an à ſe ipſo, aut alio fuerit occiſus. Ita de naui incenſa &c. *Leſſius*, *Malderus*, *aliique*, quia ea ratione factum Sampſonis excuſant.

Pro tuendis *fortunæ bonis magni momenti*, alioqui amittendis irreparabiliter, licitum eſt inuaſorem iniuſtum in actu inuaſionis defenſiuè occidere. Quia bona illa honeſtæ ſuſtentationi neceſſaria, reductiuè pertinent ad vitam tuendam. Idem in pari cauſa de defenſione pudicitiæ, & honoris tradunt DD. communius.

Qui virginem corrupit, illa conſentiente, non tenetur ad compenſationem ipſi faciendam. Quia liberè conſentiendo ceſſit iure ſuo; nec eius parentibus, quia nulla illis fit iniuria; etſi enim puella ſit ſub eorum poteſtate, ſicut poteſt illis inuitis nolle nubere, ita & nuptias ſuas reddere difficiliores. Tenetur autem ſi per fraudem, metum, aut vim eam ad crimen induxerit, ad omnia damna inde ipſi puellæ; eiuſque parentibus prouenientia: Quia corruptor eorum fuit cauſa iniuſta; hæc ſi non poſſit compenſare aliter quam inito cum ea matrimonio, tenetur in conſcientia eam ducere: & ad hoc determinate obligatur ſi ſub conditione copulæ matrimonij illa abſolutè promiſerit: Niſi forte mala valdè grauia ex tali connubio ſequerentur. Ita *Sotus*, *Vaſquez*, *Diana*, *aliique* communius.

Adulter & adultera, ſi non fuerit proles ex copula ſecuta, ſolum tenentur ad ſatisfactionem

nem honorariam ſi innoteſcat marito: Prole certò ſecuta vterque tenetur ad compenſationem damnorum marito & legitimę proli inde obuenientium, ſi fieri poſſit. In dubio tenetur pro ratione dubij, id enim æquitas poſtulat. Tenetur autem adulter ad prolem alendam ab anno tertiò excluſiuè, adultera verò vſque ad annum tertium incluſiuè, ex *l.9. Cod. de patria poteſtate*.

Licitum non eſt, *ſeipſum falsò infamare*, nec de vero crimine, ratione ſcandali, neque etiam de falſo, vt ſi quis ad vitanda tormenta fateatur crimen veneficij quod non commiſit, atque ita ſeipſum mendaciter infamet infamia grauiſſima in toto eius familiam redundante: quod fieri nequit abſque peccato ſaltem veniali mendacij, & mortali detractionis, ideoque tenetur ante mortem id retractare.

Iuſtas ob cauſas *licita eſt reuelatio peccati grauis occulti*, 1. Ad petendum conſilium vel auxilium. 2. Ad alterius correctionem idoneam 3. Ad auertendum malum commune. 4. Ad propriam defenſionem. 5. Ad vitanda grauia tormenta. *Sine cauſa* verò mortale eſt illud vel vni aperire, etiam non nominata perſona, ſed ſola eius communitate, v.g. religioſa Quia per hoc iniuſtè fama aliena grauiter lædi æſtimatur. Ita *Theologi communiter*.

Per *ſingula furta leuia* multiplicata tunc peccas mortaliter quando per ea intendis etiam a diuerſis tibi comparare ſummam notabilem: Tunc enim ſingula furta ſunt executio voluntatis mortaliter malæ circa rem totalem grauem. Imò etiam quamuis id non intendas peccas mortaliter, quando ſummam graues comples ad eam aduertens: Quia tum cauſas damnum notabile. Completa autem ſumma notabile teneris eam ſub mortali totaliter reſtituere. Plus tamen requiritur ad ſummam notabilem quando per maiora interualla, aut à diuerſis accipitur.

Compenſatio occulta, quamuis rarò, aliquando tamen eſt licita; vt ſi debitum omninò certum abſolutè non poſſit aliter obtineri, aut non niſi ægerrimè cum multis moleſtijs & grauibus incommodis, & ſic vt creditor occultè ſibi compenſans proſpiciat ne iterum à debitore idem debitum poſtea ſoluatur. Ita de debito certo *Theolog. communiter*.

Iudici licet, quando crimen eſt *notorium*, auctor autem *occultus*, inquirere de auctore in genere: accuſatio ſufficit ad interrogandos teſtes ab accuſatore productos: ad reum autem de ſe ipſo iuridicè interrogandum requiritur vel ſemiprobatio per vnum teſtem vel infamia, vel indiciorum ſufficientia. Iudex tamen de vno crimine infamatum non poteſt interrogare de alio, de quo non eſt infamatus, niſi ſit cum illo priori crimine connexum.

Iudex inferior, imò & ſupremus, debet iudicare ſecundum leges, niſi in aliquo caſu particulari prudenter iudicetur Legislator aliud voluiſſe: quia alias periculum eſſet ne priuatis affectibus locus concederetur. Ita Iura communiter.

Tenetur iudex publicus ſe conformare regulæ iudicis duplici, quæ eſt, ſcientia publica, hoc ſenſu, quod non poſſit *contra* eam iudicare, non quod ſemper debeat *ſecundum illam* etiam quando habet *certitudinem de contrario*. Obſtat enim Superior regula iuris diuini vetantis ne directè occidatur innocens. Tenetur quidem inferior obedire ſuo Superiori non euidenter mala præcipienti: ſed Reſpublica non poteſt imperare Iudici vt eum damnet ad mortem, quem iudex certò & euidenter ſcit eſſe innocentem, & per calumniam oppreſſum. Quia alioquin eius præceptum eſſet manifeſte iniuſtum. Vnde Reſpublica non imperat, vt iudex procedat ſecundum allegata, & probata, niſi ex præſumptione veritatis, ac proinde, quando Iudici conſtat de contrario, præſumptio debet cedere veritati. Oppoſita tamen multorum *Thomiſtarum* ſententia cum *Diu. Thoma* vt probabilis admittitur, Contra *Petrum Nauarrum*, *Adrianum*, *Panormitanum*, *Lyranum*, *Leſſium*, *Syluium*, *Malderum*, *Lugo*, *&c.*

Si iudex *culpabiliter*, tulit ſententiam iniuſtam, tenetur eam reuocare, & damna compenſare. Si verò *inculpabiliter*, eam ſolum tenetur retractare ſi poteſt ſine ſuo graui incommodo: *ita communis*.

De Iudice, Teſte, & Aduocato, & quando ad reſtitutionem teneantur agitur Tomo II. Part. III. Tract. V. poſt cap. 14.

Acceptio perſonarum, qua dignior poſtponitur, eſt iniuſtitia mortalis ex genere ſuo, quia per eam violatur, vel iuſtitia commutatiua, vt in iudicijs, & diſtributionibus beneficiorum, & officiorum per concurſum; vel diſtributiua & fidelitas in diſpenſatione bonorum communitatis. Hinc iuxta *Rebellum* eſt mortale in diſtributione locorum in *promotionibus Academicis* præ ferre minus dignum digniori, cum iſta diſtributio fiat per oppoſitionem, ſiue concurſum formalem.

Reus interrogatus, ſed non iuridicè, non te-

tenetur aperire veritatem; tenetur ſi iuridicè, id eſt, à judice legitimo cum præuia infamia, & ſemiplena probatione. Sunt tamen qui probabiliter diſſentiunt quando agitur de capite, & eſt ſpes euadendi; Quia præceptum de poſitiuè dicendo verò videtur eo caſu excedere vires conditionis humanæ. Certò ei licet infirmare auctoritatem accuſatoris & teſtium, aperiendo occulta eorum crimina, fugere è carcere; eius fores effringere; non tamen inferre vim cuſtodibus. Ita *Theologi communius*.

DE RELIGIONE

De Actibus illius.

CAPVT PRIMVM.

De Religionis virtute, Oratione, Horis Canonici, Votis, & Religioſo ſtatu.

DE *Horis Canonicis agitur hic infra* Part. III. Tract. IV. cap. 4. *de Votiſ & Iuramento* Tract. V. cap. II. §. 3. *De ſuperſtitione, & vitiis oppoſitis* Tract. V. cap. 1. §. 2. Hic principia ſpeculatiua præcipuè ordine ſupplentur.

Religio eſt virtus quæ debitum Deo cultum exhibet. Hinc obiectum eius *materiale* eſt Dei cultus, *formale* huius cultus ſpecialis honeſtas.

Religionis *actus eliciti* ſunt volitione cultus Dei: *imperati* ſunt, ipſi actus diuini cultus, ſcilicet adoratio, oratio votum: ſacrificium, & ſimiles, qui ſunt obiectum ſimul & effectus actuum elicitorum quibus conſtituuntur in eſſe virtutis iſtius ſpeciei ſcilicet Religionis.

Officium Diuinum: tenentur recitare Eccleſiaſtici, etiam Regulares ſecundum ritum Breuiarii Romani reformati, exceptis Eccleſiis & Conuentibus in quibus conſtat aliud officium recitari ex conſuetudine 200 annorum, quibus licet tamen Romanum aſſumere. Omnes etiam obligantur legere Officium Defunctorum die animarum, & Litanias die Sancti Marci, & triduo Rogationum; non autem legere Officium Defunctorum ut notatur in rubricis, niſi vbi id vſu receptum eſt. Qui nulli Eccleſiæ eſt adſcriptus, ſed ordinatus Titulo patrimonii, probabilius tenetur ad ipſum Officium Romanum.

Reliqua practica de Officio ſiue Horis Canonicis traduntur infrà Tract. 4. capit. 4. *de Horis Canonicis.*

Votum eſt promiſſio Deo facta de meliori, ad hujus valorem requiritur. 1. Voluntas ſe obligandi. 2. Aduertentia quanta requiritur ad mortale. 3. Libertas. 4. Ea rei promiſsæ notitia vt non erret circa eius ſubſtantiam, aut principale motiuum. 5. Rei promiſſæ poſſibilitas, & honeſtas. Vnde non poteſt eſſe materia voti res mala, res indifferens, & res bona quatenus melioris impeditiua. 6. Denique in vouente requiritur poteſtas ſe obligandi. Hinc vota profeſſionis emiſſa ante annum ætatis 16. ipſo iure ſunt irrita.

Qui vouet rem *ab alterius voluntate* ſiue facto dependentem, tantum tenetur, quantum in ſe eſt, procurare executionem: non tamen tenetur iſte alter exequi. Hinc liberi non obligantur votis parentum eos Religioni offerentium. Votum *conditionale* obligat purificata conditione etiam turpi, non antecedenter. Voti *impletio* facienda eſt ſtatim moraliter, vel iuxta intentionem vouentis. Si tamen quidpiam pro nullo determinato tempore abſoluta voueris, teneris illud exequi cum primum commodè poteris: ſic tamen vt ad breue tempus illud differre non debeat mortale cenſeri.

Obligatio voti deſinit. 1. Deſitione materiæ. 2. Defectu conditionis adiectæ. 3. Irritatione, id eſt, ablatione obligationis voti ab alterius conſenſu dependentis. 4. Commutatione. 5. Diſpenſatione. Vnde pater poteſt ſimpliciter & directè irritare vota liberorum impuberum gubernationi familiæ efficientia, nō alia, vt ſunt votum caſtitatis, religionis, &c. *Prælatus regularis* poteſt irritare omnia vota à ſuis ſubditis emiſſa poſt profeſſionem religioſam, excepto voto ſtrictioris ordinis. Item, vota à ſuo prædeceſſore, imo & à ſeipſo approbata. Non tamen vota Nouitiorum, quæ ſuſpenduntur ante profeſſionem, per quam extinguuntur. Vnde ſi non emittatur profeſſio reuiuiſcunt, vti, & vota dimiſſorum è Societate ante ingreſſum emiſſa.

Poteſtas irritandi vota ſubditorum, etiam conuenit *Abbatiſſis*, cum ea poteſtas non ſit iuriſdictionis, ſeu gubernationis. Item, *Maritus* poteſt irritare vota vxoris repugnantia iuri, quod habet in eius corpus; quia in illis mulier viro eſt ſubiecta. *Pontifex* non poteſt irritare omnia vota Fidelium, cum eorum voluntates non habeat in omnibus ſibi ſubiectas:

Po-

Poteſt tamen ex iuſta cauſa cum ijs diſpenſare in votis de facto emiſſis, cum ſit circa res ſacras ſupremus in terris.

Quilibet poteſt propria auctoritate, etiam abſque cauſa, vota ſua *mutare in euidenter meliora*, ſi non ſint vota reſeruata: Hæc etiam reſeruata poteſt mutare in votum religionis: Mutare autem inequale, aut in minus bonum poteſt ſolus Superior: Quia talis commutatio eſt partialis diſpenſatio, quæ eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſed abſque aliqua cauſa, nec licitè, nec validè fieri poteſt.

Perſona in cuiùs fauorem facta eſt commutatio in æquale vel minus, poteſt, ſi velit, *redire ad prius votum*, non tamen, ſi propria auctoritate commutauerit in melius Votum reale factum *vni Eccleſiæ*, & huius nomine ab aliquo acceptatum, non poteſt à vouente commutari in melius faciendum alteri Eccleſiæ, quia prior Eccleſia acquiſiuit ius ad rem voto promiſſam per illam acceptationem. Si opus in quod facta eſt commutatio reddatur *impoſſibile* non tenetur ad prius votum redire.

Plura practica traduntur infrà de voto Tract. V. cap. 2. §. 3.

Status Religioſus, eſt ſtatus perfectionis per tria vota perpetua acquirendæ ab Eccleſia approbatus. Ad eum requiruntur, 1. Vota ſubſtantialia, eaque perpetua caſtitatis &c. 2. Traditio ſui à vouente irreuocabiliter facta Superiori. 3. Approbatio Pontificis ad talem ſtatum in Eccleſia conſtituendum.

Solemnitas votorum, non eſt de eſſentia Religionis. Conſtat hoc ex Decretis Pontificum Pauli III. Pij IV. & ipſius Tridentini approbantium Societatis inſtitutùm, ac præcipuè ex Bulla Gregorij VIII. edita an. 1584. quę incipit *Aſcendente Domino*, definientis, vota ſinplicia Societatis conſtituere verè ac propriè Religioſum, æquè ac facit profeſſio. Quia illos qui ea emittunt æque ligant religioni, licet non æque hanc illis obligent. Idem olim viguit in ordine S. Baſilij, Auguſt. & Benedicti, quod doctè probat *Baſilius Ponſius* Auguſtinianus *l. 7. de Matrim. à C. 12. ad 22.* vbi dici, temporibus Apoſtolorum omnes Religiones ſolis votis ſimplicibus conſtitiſſe, & Religioſos votis ſolutos à ſuis Prȩlatis dimitti potuiſſe, vt fit in Societate, cuius proinde inſtituti modus non eſt nouus in Eccleſia.

Illa autem *ſolemnitas* voti religioſi *diſtinctiua Profeſſionis* à quocumque voto ſimplici, conſiſtit in forma quadam fouendi ab Eccleſia prȩſcripta, & reddita efficaci ad varios effectus morales, qui ſunt, 1. Vouentem adſtringere religioni, vinculo vtrinque inſolubili 2. Inhabilitate ad matrimonium ſubſequens, & præcedens ratum dirimere. 3. Redere incapacem omnis Dominij. 4. Soluere cætera vota ſimplicia. *Ex iure Cap. Scr ptur.æ 4. de voto.*

Profeſſio ipſa Religioſa, eſt emiſſio voti ſolemnis in Religione approbata. Ad eius valorem requiritur, 1. Ætas 16. annorum ex Trid. 2. Annus probationis integer. 3. Libertas à coactione, fraude &c. 4. Animus profitendi. 5. Conſenſus Superioris. 6. Vt profitens ſit ſui iuris, liber, &c. Eadem requiruntur ad valorem votorum *ſimplicium* Societatis.

Qui emiſit profeſſionem inualidam poteſt iuxta *Trident. Seſſ. 15. cap. 10.* reclamare intra quinquennium à die profeſſionis, non poſt, niſi prius defuerit reclamandi poteſtas. Profeſſio Religioſa ex Declaratione varia, delet omnia peccata ante commiſſa quoad pœnam, quod extenditur ad vota ſimplicia Societatis: De quo fuſius *Suarez de Relig. Pellizarius &c.*

Pontifex diſpenſare poteſt in voto ſolemni caſtitatis Religioſæ; Quia tota vis, & ſolemnitas quam habet profeſſio, eſt ab Eccleſia. Patet 1. ex Boniſacio VIII. & ex Bulla Gregorij XIII. 2. Quia Pontifices in hoc voto ſæpè diſpenſarunt, vt cum Ramiro Rege Aragoniæ monacho alijſque apud Leſſium, Malder &c. & recentius cum Duce de *Ioiuſe* Capucino. Non poteſt tamen diſpenſare cum manacho in ſenſu compoſito, quod ſolùm volunt *Innocentius* III. *Cap. cum ad monaſterium* de ſtatu Monachorum, & alij docentes rem Deo conſecratam non poſſe deſacrari. *Character Sacerdotalis* eſt indelebilis, & ideò initiatus Sacerdotio auctoritate Pontificia fieri nequit ex Sacerdote nõ Sacerdos. Ita ex Theologis Societatis, alijſque docent plurimi de voto ſolemni, Contra *Sotum*, *Capreolum*, *Sylueſtrum*, *Eſtium*, *Syluium*, *& alios fauente is vt videtur D. Thoma quæſt. 189. art. 3.*

Per votum *Obedientiæ* Religioſus obligatur, 1. Ad ſeruandam Regulam in ſua religione receptam. 2. Ad obediendum Superiori, & quidem ſub mortali dum vtitur his terminis; præcipio tibi in nomine Domini, in virtute S. Obedientiæ, aut ſimilibus. In dubio præſumptio ſtat pro Superiore, adeoque illi obediendum eſt

Per votum *Caſtitatis* tenetur abſtinere ab omni actu caſtitate repugnante, idque ſub mortali ex vi voti. Per votum *Paupertatis* tenetur nihil habere, & abſumere, etiam

extra

extra ſuum monaſterium, tamquam proprium, ſeu independenter à Superiore, & hoc etiam ſub mortali peccato Sacrilegij in materia graui. Per ſe loquendo, illud cenſetur graue in Materia voti, quod eſt graue in materia furti. Varia repugnant paupertati in vna Religione, quæ non in alijs pro conſuetudinum varietate. Religioſi profeſſi ſucceſſionis in hæreditates iure communi ſunt incapaces, & monaſteria eorum nomine ex iure Belgico.

Plura practica traduntur infra Deuoto Tract. V. Cap. II. §. 3

CAPVT II.

De Beneficij Eccleſiaſtici Natura, Acquiſitione, Amiſſione, Dominio, *&c.*

Eccleſiaſticum Beneficium definitur, ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ, propter aliquod officium ſpirituale auctoritate Eccleſiæ conſtitutum. Vnde eius defectu Caſtellorum capellaniæ, non ſunt Beneficia, nec, per ſe loquendo, obligant ad Horas. *Seculare* beneficium eſt, quod ſecularibus, *Regulare* quod regularibus ex ſua inſtitutione confertur, vnde nec Seculare Regularibus, nec contra conferri poteſt abſque diſpenſatione: in dubio præſumitur Seculare. *Simplex* dicitur, quod nullam habet præeminentiam, nec iurisdictionem, vt Canonicatus: *Duplex* quod hæc omnia aut eorum aliquid habet, vt Papatus, Epiſcopatus &c. *Titulare* quod in Titulum perpetuum confertur, vnde non poteſt auferri abſque graui cauſa, tale ferè eſt quodlibet beneficium ſæculare.

Olim Clerici per modum vnius communitatis ſimul in communi viuebant ſub Epiſcopo ſibi, & ſingulis neceſſaria diſtribuente, vnde tunc nullum habebant Dominium redituum ſui Beneficij. Nunc habent Dominium bonorum patrimonialium, & quaſi patrimonialium, id eſt, acquiſitorum tamquam ſtipendium celebrationis &c. item illius partis prouentuum ſui Beneficij, quæ ipſis eſt neceſſaria ad honeſtam ſuſtentationem. Probabilius videtur eos etiam eſſe Dominos partis *ſuperfluæ*, cum iura abſolutè eis tribuant dominium fructuum ſui Beneficij, nihil diſtinguendo inter partem neceſſariam, & non neceſſariam. Deinde, Pars illa non eſt quoad Dominum, Eccleſiæ in communi, nec Pauperum; ergo Beneficiatorum. Ita recentiores communiter. *Sotus, Couar. Azor, Molina, Leſſius, Syluius, Vuigers, Malderus,* Contra plures *Canoniſtas* & Theologos antiquiores.

Clerici tamen *Beneficiati obligantur* ſub mortali partem fructuum congruæ ſuſtentationi ſuperfluam Pijs cauſis applicare; non tamen ex Iuſtitia, ſed ex Charitate, & obedientia, ex qua non oritur obligatio reſtitutionis in Beneficiarijs de ea aliter diſponentibus, nec in eorum hæredibus: Quia eiuſmodi obligationem Eccleſia numquam declarauit, nec imponenda eſt, niſi de ea conſtet, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis. Vnde cum Concilia & PP. dicunt bona Eccleſiaſtica eſſe res Dei, Patrimonium Chriſti &c. loquuntur de illis ante eorum diuiſionem, & de immobilibus, & mobilibus quę ſunt Eccleſiæ in communi, vt ſunt vaſa argentea, &c. Cum verò S. Auguſtinus, Hier. alij PP. expresſè dicunt, Clericos eſſe fures aut Sacrilegos ſi illis vltra neceſſitatem vtantur; vel loquuntur de obligatione charitatis ad vſus Pios, vel per exaggerationem, qualiter *S. Hier.* loquitur etiam de Secularibus eleemoſynas non erogantibus. *Ita plurimi hic apud Dianam, & fauet D. Thomas* Quæſt. 185. Art. 7.

Eccleſiaſtica bona immobilia & mobilia *pretioſa, alienari* non poſſunt ſine iuxta cauſa, & ſolemnitate. *Cauſa iuxta* huiuſmodi alienationis ſunt, 1. Vrgens neceſſitas. 2. Pietas. 3. Euidens vtilitas *Solemnitas* ad eius valorem requiſita conſiſtit in his, 1. Debet ea de re tractatus fieri in Capitulo. 2. Debet accedere conſenſus maioris partis Capituli. 3. Debet interuenire conſenſus Epiſcopi, vel Pontificis, ac Regis, quibus deficientibus inualida eſt etiam in foro externo, niſi ſit res modica, ac pertinens ad menſam Prælati, qui abſque ſolemnitate poteſt alienare mobilia non prætioſa, & renunciare iuribus acquirendis, non tamen acquiſitis. *Papa* non poteſt pro libitu alienare bona Eccleſiæ, cum non ſit eorum Dominus, ſed ſolùm adminiſtrator. Ita ex varijs *Iuris* Canonibus deducit prædicta *Leſſius, Layman, alijque.*

Si beneficiatus omittat Horas Canonicas poſt 6. menſes à poſſeſſione, tenetur ad reſtitutionem, ſecus ſi ante: Tunc tamen peccat mortaliter contra Religionem, non contra Iuſtitiam; Quia non videntur fundatores voluiſſe obligare ſub tanto onere. Horas negligens per 6 menſes à poſſeſſione, Beneficio priuandus eſt. Habens plura Beneficia ad horas ſeorſim ſufficiẽtia plura peccata cõmittit, & tene-

netur ad reſtitutionem fructuum, pro rata temporis, fabricæ, vel pauperibus loci faciendam: Poteſt tamen ſibi retinere partem proportionatam officijs non omiſſis, v. g. Sacramenta miniſtrandi, Beneficio annexis, pręſentiæ in Choro &c. *Ita docet Layman, alijque.*

Reſidentia, eſt aſſiduitas commorationis in loco beneficij animo præſtandi alicuius ſeruitij Eccleſiaſtici. Ad eam tenentur habentes curam animarum ex præcepto diuino à Pontificè indiſpenſabili: Poſſunt tamen ex cauſa Epiſcopi ſingulis annis abeſſe ad 3. menſes, non vltra; alias per ſe loquendo, peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem: Parochi verò per duos, Canonici poſſunt abeſſe per tres menſes, ſic tamen vt diſtributiones non faciant ſuas. Priuantur ſi abſint diutius, primo anno dimidia parte fructuum: Secundò omnibus iſtius anni fructibus. Omnia beneficia de iure communi ad reſidentiam obligant, ſunt tamen quædam ex fundatione aut conſuetudine libera ab iſta obligatione. Colliguntur prædicta ex *Tridentin. Seſſion.* 24. *Cap.* 12. *aliiſque.*

Beneficia acquiruntur 6. modis; 1. *Præſentatione*, & *inſtitutione*: Præſentatio etiam Laicis fieri poteſt & confert ius ad rem inſtitutio à ſolis Eccleſiaſticis. 2. *Electione* quę propriè locum habet in Prælaturis, & parit ius ad rem. 3. *Poſtulatione*, ad quam conſentire debent duæ partes tertiæ; non tribuit ius ad rem, adeoque eſt reuocabilis: & *Confirmatione*, quæ eſt beneficij collatio in eum, qui electus, vel poſtulatus eſt. 4. *Collatione libera*, id eſt, quæ procedit ex mero conferentis arbitrio. 5. *Reſignatione* in fauorem ſecuta collatione. 6. *Permutatione*, dum accedit Superioris approbatio.

Ius Patronatus eſt ius præſentandi aliquem ad beneficium vacans; tribus modis acquiritur, 1. *Fundatione*, ſeu donatione fundi, in quo ædificata eſt Eccleſia. 2. Eiusdem *Ædificatione*, 3. *Donatione* ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ. Ex his Titulis, poſſunt eiusdem beneficij plures eſſe Patroni, qui conueniant de preſentatione alternatim facienda. Tituli illi rectè exprimuntur hoc verſiculo.

Patronum faciunt, ius, ædificatio, fundus.

Patronatus Eccleſiaſticus conuenit perſonæ Eccleſiaſticæ, Laicus perſonæ laicæ. *Iura Patroni ſunt*, 1. *Præſentandi*. 2. *Honoris* in proceſſionibus. 3. *Defenſionis* Eccleſiæ. 4. *Alimentorum* in caſu inopiæ. *Transfertur* hoc ius, 1. Succeſſione hæreditaria. 2. Donatione. 3. Permutatione. 4. Venditione Domini cui annexum eſt ius patronatus.

Epiſcopus eſt *ordinarius collator* omnium beneficiorum ſuæ diœceſis, tam patronatorum, quàm liberorum: ſæpè tamen ex priuilegio hoc ius competit alijs. *Pontifex* verò cum ſit ſupremus Princeps & diſpenſator bonorum Eccleſiaſticorum, eſt collator omnium Beneficiorum tribus modis, 1. Iure præuentionis, id eſt, quando alicui confert gratiam expectatiuam ad Beneficium primò vacaturum. 2. Iure concurſus, id eſt, quando confert aliquod Beneficium vacans, etiam nulla interueniente Ordinarij negligentia. 3. Iure deuolutioni, id eſt, quando ex iuris diſpenſatione ob aliquam collatorum culpam ius conferendi ad Papam deuoluitur. Rarò iure illo concurſus vtitur Pontifex, ad vitandam confuſionem; ſed eius loco in varijs Eccleſijs ſibi ſeruauit certos menſes, cæteris Ordinario relictis.

Capitulum regulare, & ſæculare, ſecluſis cenſurarum impedimentis, habent ius electionis, in qua ſeruanda eſt forma Canonica, iuxta quam vocandi ſunt habentes ius eligendi etiam abſentes; pręſentium qui ob iuſtam cauſam accedere non poſſunt, exquirendum eſt ſuffragium.

Tribus modis fieri poteſt *electio*, 1. Per ſcrutinium, id eſt, collectionem ſuffragiorum, in qua neceſſe eſt, vt maior ac ſanior Pars Capituli in eundem conſentiat. 2. Per compromiſſum, id eſt, per poteſtatem eligendi vni vel pluribus commiſſam à Capitularibus. 3. Quaſi per diuinam inſpirationem.

Ad *capacitatem beneficij* requiritur, 1. Thorus legitimus. 2. Clericatus. 3. Ætas competens. 4. Cœlibatus. 5. libertas à cenſuris. 6. Probitas, ſcientia &c. Diſpenſatio Pontificis illegitimos reddit capaces cuiuſuis Benefici. Epiſcopus ſolùm poteſt cum illis diſpenſare ad minores ordines, & ab Beneficia ſimplicia, quibus non eſt annexus ordo Sacer. Conſtat hæc ex iurium diſpoſitione, De quibus non plura *infra Tomo II. Pars. III. Tract. I. in fine, circa Eccleſiaſtica Munia, Beneficia, &c.*

Clericatus ſeu *prima tonſura* eſt neceſſaria, ſic vt ea deficiente collatio Beneficij ſit nulla. Ordo quem Beneficium ex ſua inſtitutiones requirit, debet ſuſcipi intra annum, quod ſi beneficiatus omittat, peccabit mortaliter, poteritque ab Ordinario priuari Bene-

neficio. Ad *Epiſcopatum* requiruntur, 1. Ætatis anni 30. 2. Subdiaconatus. 3. Vt eo ſuſcepto intra tres menſes fiat conſecratio, ſub pœna iacturæ fructuum, & Epiſcopatus ſi vltra tres alios menſes negligatur. Ad *Abbatiam*, *Decanatum*, & ſimiles dignitates requiruntur anni 25. ſaltem inchoati, vti ad Beneficium parochiale. Ad Beneficia *ſimplicia* requiritur Annus 14. ſaltem inchoatus: & ad Canonicatum Eccleſiæ *Cathedralis* ordo ſacer, & annus 21. Vt monialis ſit capax Abbatiæ requiritur vt habeat annos ætatis 40. & 8. annis à profeſſione in monaſterio laudabiliter ſe geſſerit. Ipſo iure vacant Beneficia per *matrimonium* validè contractum, & per *profeſſionem*, id eſt, per vota religioſum conſtituentia: Vnde eorum reſignatio ante finem Nouitiatus ritè facienda eſt.

Quæſtiones aliæ circa acquiſitionem, ammiſſionem, permutationem Beneficij Eccleſiaſtici, traduntur in hoc Opere infra Tomo II. Part. III. Tract. I. *& præcidentibus de Simonia circa Beneficia Eccleſiaſtica, & alias res ſacras aguntur ex profeſſo huius Operis* Tomo II. Parte III. Tract. V. Cap. 12. *in fine*.

Hæreſes, & Errores.

Contra hanc Secundam Secundæ Theologiæ partem, recenſentur cum ſuis Auctoribus, ac Refutatione, in fine Tomi I. huius Operis ſub hoc Titulo, *Notitia Generalis* Dogmatum ab Eccleſia Damnatorum, ordine Alphabetico, ſub his Titulis in particulari. *Concilium, Fides, Deus, Chriſtus, Eccleſia, Euangelium, Apoſtoli, Hæreticus, Papa, Sacerdotium, Scriptura ſacra, &c.*

Item *de Fide, Spe, Charitate ſupra* Part. II. pag. 134. Item, de Iuſtitia, &c. in Titulis *Bellum, Inimicus, Iniuria, Iudex, Iuramentum, Lex, Mendacium, Occiſio, Reſtitutio, Simonia, Tyrannus, Vſura* ſupra *in Notitia Generali* inchoanti pag. 144.

Item, *De Iure, & iniuria, ſupra* Part. II pag. 140.

TERTIÆ PARTIS PARS PRIMA DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

§. I.

Incarnationis conuenientia , neceſſitas , effectus , proprietates , &c.

DE hoc *Incarnationis* myſterio, Quærit D. Thomas in ſumma Par. 3. Art. 1. *An fuerit conueniens verbum diuinum incarnari?* Reſpondet affirmatiuè, uti & alij Theologi. Quia per Deum in carne viſibilem cognoſcuntur attributa diuina per ſe aliàs inuiſibilia, v. g. Dei bonitas, iuſtitia, ſapientia, &c.

Neque *dicas* aſſumendo naturam humanam aſſumi etiam eius imperfectiones, adeòque peccabilitatem.

Reſp. enim, poſſe aſſumi imperfectionem ſiue malum pœnæ, non aſſumendo malum culpæ, cum culpa à malo pœnæ ſeparabilis ſit & Dei infinitæ ſanctitati repugnet.

Quæris idem art. 2. An *neceſſarium* fuerit Verbum Diuinum incarnari?

Reſp. Non fuiſſe neceſſarium *ſimpliciter* Quia potuit alijs vijs ac modis Deus finem ſuum aſſequi, fuit tamen neceſſarium *ſecundum quid*, ſcil. vt melius eum aſſequeretur, ad fidem, ſpem, charitatem, ſuique communicationem, & malorum remotionem. An ſine peccato *originali* Verbum incarnatum fuiſſet, infra dicemus.

Purus homo non potuit ſatisfacere pro tota natura humana. Quia peccatum eſt malitiæ infinitæ.

Quærit art. 4. An incarnatio facta ſit principaliter ad delendum peccatum originale, an ad delendum peccata actualia?

Reſp. Ad originale principaliter, quia peccatum illud eſt maius *extenſiuè*, ſcil. ad omnes; quamuis actuale ſit maius *intenſiuè*, quia eſt magis voluntarium, vtpotè propria ſingulorum peccantium voluntate commiſſum.

Querit art. 8. An *Vnio* Verbi ſit idem quod aſſumptio.

Reſp. negatiuè. Quia natura diuina rectè dicitur vnita, non tamen aſſumpta. Nam vnio importat relationem, ſed aſſumptio denotat actionem vel paſſionem. Hinc Pater, & Spiritus Sanctus vniunt, ſed non aſſumunt Filius vnit, & aſſumit. Item, Natura Diuina eſt vnita, non tamen aſſumpta.

Quæritur vlterius. An vnio Verbi diuini ad humanitatem, facta ſit in Natura ſiue eſſentia, an in Perſona diuina?

Reſpondent cum *D. Thom. Quæſt. 2. Art. 2.* Theologi, factam non eſſe in Natura; ſed in Perſona. Quia Natura ſignificat eſſentiam ſpeciei, Perſona totum habens naturam tamquam partem formalem, & ſui perfectiuam: ideòque ad hanc dicitur immediatè facta vnio hypoſtatica, vnaque eſſe in Chriſto perſona, vnumque ſuppoſitum.

Perſona, hypoſtaſis, ſubſiſtentia non diſtinguuntur conceptu intrinſeco, ſed tantum connotato.

Aſſumi potuit à Verbo hypopoſtaticè natura *Angelica*. Item natura irrationalis v. g. leonis aſſumi potuit in vnitatem ſuppoſiti, etſi ea non videret Deum. Potuerunt etiam aſſumi

duæ humanitates,aut vna humanitas cum natura Angelica. Non ideò tamen neceſſariò dicerentur illæ duo homines, ſed vnus cum duplici humanitate, vti docent Theologi communiter.

Non poteſt hypoſtaticè aſſumi natura habens, & ſimul retinens *propriam ſubſiſtentiam*, vti nec ab humanitate Chriſti ea retinetur.

Quoad *Meritum Incarnationis*. ne humanitas Chriſti, nec ipſe Chriſto de facto illam meruit, etſi abſolutè potuit per opera ſubſequentia. Nec Patres eam meriti ſunt, aut potuerunt mereri de condigno: quamuis poterant mereri de congruo illius circumſtantias vt fieret tali tempore &c.

Virgo etiam *Deipara* non meruit de condigno, ſed tantùm de congruo *maternitatem* Chriſti. Ita de merito communiter Theologi.

Quoad *Gratiam in Chriſto*. Fuit in illo gratia habitualis, & eiusdem ſpeciei cum gratia noſtra. Illa de lege ordinaria magis augeri non potuit: quamuis potuerit abſolutè. Ex vi iſtius gratiæ non potuit Chriſtus dici filius Dei Adoptiuus: quia non erat Perſona diuinitati extranea, quod requirit ratio adoptionis.

Fides non erat in Chriſto, vt illa dicit aſſenſum obſcurum rebus à Deo reuelatis præſtitum; fuit tamen fides in Chriſto alio ſenſu multiplici.

Gratia excitans & adiuuans de facto in Chriſto non fuit: cum illa non eguerit: etſi ad actus ſupernaturales indiguerit concurſu generali eiusdem ordinis ſupernaturalis.

Scientiam beatificam in hac vita habuit, quamuis non habuerit gloria corporis niſi poſt reſurrectionem. Per illam ſcientiam non videbat in Deo omnia poſſibilia: quamuis per illam videret quidquid nouit Deus ſcientia viſionis, non tamen eadem charitate. Habuit etiam ſcientiam per ſe infuſam ſupernaturalem à beatifica diſtinctam. Cognoſcebat quoque cogitationes cordium, & futura contingentia ab hominum libertate dependentia, vti ſæpiùs in Scripturis indicatur.

Voluntas in Chriſto duplex admittenda eſt, diuina ſcilicet & humana. Nec non liberum arbitrium tam quoad potentiam, quàm quoad actum. *Præceptum* etiam moriendi liberè acceptauit: quamuis non poſſet illud abſolutè omittere, ſuppoſito quod præceptum fuerit abſolutum: quod cum illius libera impletione fuſiùs conciliant Theologi.

Meritum in Chriſto propriè fuit per varios actus, vti per actum amoris Dei qui ſequebatur ſcientiam illius infuſam.

Meruit ſibi gloriam corporis, nominis ſui exaltationem, impaſſibilitatem animæ, reſurrectionem, aſcenſionem, aduentum vltimum, & quidquid in laudem illius factum eſt aut fit à creatura rationali. Non tamen meruit gloriam animæ, aut gratiam ſanctificantem, quia neceſſariò illi competebant ratione vnionis hypoſtaticæ.

Fomes peccati à Chriſto aberat tam in actu primo quàm ſecundo. Vti & *ignorantia* poſitiua, aut *error* in intellectu: quia non conſiſtebant cum ſtatu corporis & animæ diuinitati vnitæ. Nec refert quod in Scriptura aliquando dicatur quædam admirari: hoc enim non importat quod ſimpliciter ea ignoraret, ſe quod eſſent ipſius experientiæ inſolita.

Chriſtus fuit vere *Rex*, ſicut habuerit regiam poteſtatem, & Dominium radicale in omnes res mundi in actu primo, quamuis in actu ſecundo illam non exercuerit, niſi in paucis. Hanc enim poteſtatem ratio filiationis Dei per vnionem ad Verbum verè importat.

Non rectè dicitur Verbum Diuinum *prædeſtinatum* vt eſſet homo, ſed benè eſſe prædeſtinatum, ſiue decretum vt fieret homo; nempè per vnionem ad naturam humanam.

Adorari poteſt *Humanitas* Chriſti eadem adoratione latriæ quoad ſubſtantiam adoratur ipſum Verbum diuinum. Sed cum hoc diſcrimine, quod Verbum ratione ſui adoratur, Humanitas autem ratione Verbi ſibi per vnionem communicati.

Quo modo Imago Chriſti poſſit adorari, & imagines Sanctorum poſſint coli, traditur ſupra in Tomo I. Tractat. II. Cap. 12. pagin. 79.

§. II.

§. II.

Incarnationis ſubſtantia, vnio, meritum, motiuum, &c.

PRimò dicendum, per Vnionem hypoſtaticam duas eſſe in Chriſto naturas in Perſona Verbi ſubſiſtentes, naturam ſcilicet diuinam, & humanam, ſine vlla Naturarum, Voluntatum, aut Operationum confuſione: remanentibus etiam poſt vnionem Proprietatibus vtriuſque naturæ. Quod conſtat ex Concilio Calcedonenſis ſub Leone Magno anno 451. vbi definitur *Filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſe, inſeparabiliter agnoſcendum eſſe, nunquam ſublata differentia naturarum propter vnionem*, iuxta illud Ioannis primo. *Et verbum caro factum eſt.*

Secundò, Vnionem Verbi incarnati factam eſſe in Perſona, ſic nempe vt compoſitum reſultans ex vtraque natura ſit vna Perſona, adeòque in Chriſto vnicum eſſe Suppoſitum. Vt definitum eſt in Concilio Epheſino ſub Cęleſtino Pontifice.

Tertiò; ex eodem dicendum, Humanitatem Chriſti fuiſſe propriè, phyſicè, & perſonaliter vnitam Verbo, & non tantum habuiſſe cum eodem coniunctionem extrinſecam, moralem, aut accidentalem per amorem, & concordiam voluntatum, & operationem rerum mirabilium, vt volebant Neſtoriani.

Quartò, quoad Sanctitatem, & impeccabilitatem naturæ humanæ in Chriſto: Certum eſt inter Theologos, primò Chriſtum de facto nunquam peccatum qualecumque admiſiſſe: & hoc de fide ex illo *Petri 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Secundò certum eſt etiam Chriſtum non potuiſſe peccare in ſenſu compoſito, id eſt, remanente vnione. Tum quia fuit beatus à primo conceptionis ſuæ inſtanti, cum beatitudine autem non conſiſtit peccatum. Tum quia ex vi vnionis hypoſtaticæ communicatur humanitati Chriſti ſanctitas Verbi infinita, excluſiua omnis peccati.

Porrò, Quæſtio Theologica eſt, An potuerit etiam abſolutè in ſenſu diuiſo vnionis humanitas peccare: quod fieri non potuiſſe, docet communis conſenſus Patrum, & Theologorum apud Suarez hic *diſp.* 32. *Sect.* 2. & Vaſquez. *diſp.* 6. *cap.* 3.

Quintò, Dicendum cum D. Thoma, & meliori parte Theologorum, Vnionem hypoſtaticam eſſe aliquid realiter diſtinctum à natura diuina, & humana. Ita docet etiam Scotus, Suarez, alijque communiter, Contra Nominales, & aliquos Recentiores, Quamuis ipſe Occamus Princeps Nominalium ab illis in hoc diſſentiat in Tertium, Diſt. 1. quæſt. 1. *Dico*, inquit, *quod vnio addat aliquid vltra extrema vnita, quia hic non poteſt euadi per negationes, & connotationes.* Rationem aſſignat Diuus Thomas, quia poteſt eſſe Verbum, & hæc Chriſti humanitas, ſic tamen vt humanitas non ſit vnita Verbo: ergo illa duo eſſe inter ſe vnita importat aliquid vltra humanitatem, & Verbum.

Sextò dicendum, Actiones Chriſti meritorias habuiſſe vim merendi, & ſatisfaciendi in actu primo extenſiuè infinitam, ſiue valorem ſufficientem ad præmium, & ſatisfactionem infinitam. Ita cum alijs Suarez hic *diſp.* 1. *Sect.* 4. qui docet vim illam infinitam prouenire à Sanctitate increata Verbi, quæ cum ſit infinita, & humanitati vnita, actiones Chriſti infinitè dignificat. Quantò autem perſona eſt dignior, tantò maius præmium ipſius actioni, & obſequio reſpondet. Hinc ſequitur Chriſtum pro peccatis humani generis non tantùm condignè, ſed etiam copiosè, & abundè ſatisfeciſſe. Et patet ex Apoſtolo ad Rom. 5. *Non ſicut delictum ita, & donum ... vbi abundauit delictum, ſuper abundauit, & gratia.*

Septimò, quoad cauſam ſiue motiuum cur debuerit Verbum diuinum incarnari, Dicendum, cauſam principalem fuiſſe Reparationem generis humani, & Dei gloriam ex ea prouenientem. Patet ex Symbolo Nicæno, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælo.* Probabilis eſt ſententia Scoti cum pluribus alijs, Chriſtum venturum etſi Adam non peccaſſet, ſed in carne impaſſibili vt etiam in illo ſtatu eſſet Caput, & cauſa meriti omnium electorum. Sed communior eſt opinio D. Thomæ, venturum non fuiſſe niſi dependenter à peccato. Quia Scripturæ paſſim inſinuant peccatum, & maximè originale, fuiſſe motiuum principale Incarnationis.

Cœterum, cum peccatum mortale, contra Deum infinitæ dignitatis, ſit aliquo modo malitiæ infinitæ, pro condigna illius ſatisfactione neceſſaria erat Perſona dignitatis infinitæ qualis erat Chriſtus cum eſſet homo, & ſimul Deus. Et hinc vlterius ſequitur, nullam potuiſſe dari puram creaturam, quantauis ſupernaturali gratia ornatam, cui poſſibile foret pro peccatis humani generis ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere.

Porrò ſupra Tom. I. Tract. I. c. 3 demonſtratur, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia in qua ſalus per eum poſſit obtineri, ex ipſius Chriſti promiſſo infallibili, Eccleſiæ Romanæ antiquitate, vnitate, amplitudine, ſanctitate doctrinæ, & gloria Miraculorum, quæ in Eccleſia Romana, non alibi perſiſtunt.

§. III.

Communicatio Idiomatum.

COmmunicatio hæc idiomatum eſt prædicatio recta proprietatum, & actionum humanarum Chriſti de Deo, ac viciſſim diuinarum de homine. Eſt certè maximi momenti talium prędicationum notitia in hoc myſterio admodum ſublimi, in quo ſi quis in docendo, aut prædicando propoſitionem aliquam imperitè proferat, ſummæ inſcitiæ facile redarguitur.

Dicendum igitur primò, Communicationem Idiomatum in Chriſto neceſſariò admittendam. Quia cum Verbum ſit vnitum Humanitati, ſequitur etiam naturam diuinam, & humanam vnitas eſſe in Verbo in vnitate perſonæ, vti ſupra in §. 1. & 2. oſtendimus. Vnde fit vt de eadem perſona duæ naturæ, & earum proprietates in concreto prædicentur. Hinc reſultat in Chriſto duplex idiomatum prædicatio.

II. Ex prima illa duplicis naturæ Communicatione in vnica perſona, vera eſt hæc propoſitio, *Verbum eſt Deus*, & illa, *Verbum eſt homo*. Item, quia Verbum eſt Deus, vera eſt illa propoſitio, *Deus eſt homo*, in qua etſi nomen Deus videatur ſupponere indeterminatè pro ſubſiſtente in natura diuina, non tamen verificatur niſi de Verbo.

Illa propoſitio, Deus eſt homo, differt ab his, *Ieſus eſt homo*, & *Chriſtus eſt homo*. Quia Deus, Ieſus, & Chriſtus ſignificant quidem ibi perſonam, ſed diuerſimodè, quatenus ſcilicet *Deus* ſignificat Verbum vt ſuppoſitum naturæ diuinæ, *Ieſus* vt ſuppoſitum naturæ humanæ, *Chriſtus* verò vt ſuppoſitum vtriuſque. Vnde etiam ſequitur primam iſtarum propoſitionum eſſe contingentem, & duas alias eſſe neceſſarias.

Vera etiam eſt hęc propoſitio, *Deus factus eſt homo*, non tamen admitti ſolet illa, *Homo factus eſt Deus*. Quia vox, *homo*, ſupponit pro perſona, in Chriſto autem nulla alia eſt Perſona præter Verbum, quod nunquam incepit habere diuinitatem, hinc propriè dici non poteſt quod homo *factus* ſit Deus.

Altera eſt Communicatio Idiomatum ex *Proprietatibus* vtriuſque naturæ diuinæ, & humanæ. Hinc veræ ſunt *hæ propoſitiones*, Chriſtus eſt æternus, & temporalis, & finitus, & infinitus, &c. Nempe ratione diuerſarum naturarum, ſcil. diuinæ, & humanæ.

Dicendum non eſt ſimpliciter, *Chriſtum eſſe creaturam*, ſed tantum cum addito, ſecundum humanitatem.

Dici tamen ſimpliciter poteſt, *Chriſtum eſſe paſſum*, mortuum, ac ſepultum. Quia periculum non eſt quod de Chriſto ratione Perſonæ diuinæ propoſitiones iſtæ intelligantur.

Dicendum porrò, Etſi Prædicata quæ conueniunt naturæ diuinæ communicentur cum humana in propoſitionibus illis in *Concreto* expreſſis, non ideò quæ conueniunt Diuinæ dici poſſunt de natura humana in *Abſtracto*, aut contra. Vnde etſi ob vnitatem ſuppoſiti ſubſiſtentis in natura diuina, & humana rectè dicatur, Deus eſt homo, & Homo eſt Deus. Item certo ſenſu, *Deus eſt paſſibilis*, *Homo eſt impaſſibilis*, non tamen ideò dici poteſt, diuinitas eſt humanitas, aut diuinitas eſt paſſibilis, aut humanitas, aut diuinitas, aut humanitas eſt impaſſibilis.

Errant in his magnopere *Lutherani* dum docent, proprietates naturæ Diuinæ eſſe formaliter communicatas humanitati, vti dum dicunt, ſicut Verbum, ita & Chriſtum eſſe *vbique* vndè & dicti Vbiquiſtæ. Sed præter alia abſona, inde ſequeretur Chriſtum non potuiſſe ad alium, aliumque locum moueri, cum ſupponatur eſſe vbique. Atque ita nec natus fuiſſet in præſepio, nec ſuſpenſus in Cruce, nec fugiſſet in Ægyptum, nec è terris aſcendiſſet in cœlum, &c.

Quædam huc conducentia traduntur hic ſuprà de myſterio Trinitatis §. 1. & 2. pag. 13.

Hæreſes, & Errores.

CIrca totam Incarnationis materiam declarantur variæ *Hæreſes* in huius Operis *To. I. Part. II. poſt Controuerſiam X.* §. 5 135.

Item ſupra in *Notitia Generali Hæreſum Verba Chriſtus, &c.* pag. 148.

Porrò, Chriſtum pro omnibus etiam Reprobis mortuum eſſe, & oraſſe: Item pro omnibus gratiam, & auxilia ad ſalutem ſufficientia impetraſſe, fuſiùs probatur in eodem *Tom. I. Tract. II pag.* 65. §. 2. Et de *Gratia ſufficienti*, Controu. 5. pag. 124.

TER-

TERTIÆ PARTIS PARS SECVNDA DE SACRAMENTIS.

DE ſingulis Sacramentis in genere, & ſpecie tractatur ex profeſſo in huius Operis Tom. II. Part. III. à Tractatu II. vſque ad Tractatū V. qui eſt de Præceptis : & Tract. I. fuse de Attritione in Sacram. Pœnitentiæ. Item, de Sacramentis ſingulis contra Hæreticos, ſiue Sectas varias, in Parte I. Tract. II. cap. 11. pag. 67. pag. 72. pag. 78. & ſequentibus. Cap. 3. &c. de Euchariſtia, Miſſa, Communione ſub vtraque ſpecie, & Confeſſione Sacramentali, pag. 70.

Hic tantum reſtant addendæ in ſingulis quædam Quæſtiones præſertim ſpeculatiuę ad pefectum Theologię vniuerſę complementum, ſeruato materiæ conſueto in Scholis decurſu.

CAPVT I.

De Sacramentis in genere.

IN ſtatu *Naturæ integræ*, ſiue *Innocentiæ* de facto nulla fuerunt Sacramenta. Eſt Theologorum ſententia communis. Ratio eſt, quia Deus pręuidit ſtatum Innocentiæ in Adamo, & Eua breuiſſimo tempore duraturum; ergo non eſt credibile pro illo ſtatu inſtituiſſe Sacramenta quorum nullus futurus erat vſus: cum etiam in Geneſi vbi agitur de primorum Parentum creatione ac ſtatu, talium Sacramentorum mentio non reperiatur.

Dices, matrimonium Adami, & Eue vocari videtur Sacramentum *ad Epheſ.* 5.

Reſp. Sacramentum ibi latiùs ſumi pro quouis ſigno rei ſacræ; nec vllam Sanctitatem per ſe tunc attulit matrimonium, nec poſteà vſque ad Chriſtum, vnde nec Sacramentum fuit, quod eſt ſignum ſuo vſu ſanctificatiuum.

Sed *quæritur* porrò, An fuiſet inſtitutio, & vſus Sacramentorum in ſtatu naturæ integræ ſi ſtatus ille *perduraſſet*?

Reſp. Probabilius illa non futura, etſi hominum genus *in eo ſtatu perſeueraſſet*. Ita D. Thom. quæſt. 61. art. 2. pluresque Theologi, quos citat, & ſequitur *Amicus diſp.* 3. *num.* 14. Contra *Suarez*, *Lugo*, *&c.* Probatur, quia licet Deus poſſit velle quod eſt minus conueniens, v. gr. non creare mundum, quamuis creare ſit bonitati eius conuenientius; ex eo tamen quod nunc ſciamus Deum in iſto ſtatu daturum fuiſſe ordinariè homini alia dona ſpiritualia ſupernaturalia independenter à rebus corporeis, probabiliter inferimus illum ad hoc numquam vſurum fuiſſe Sacramentis illis ſenſibilibus.

Dices, Permanente in ſtatu Innocentiæ toto humano genere potuiſſent aliqui in particulari peccare; ergo pro his fuiſſet inſtitutum aliquod remedium, quo reſurgerent, ergo aliquod Sacramentum: illi enim per peccatum excidiſſent iam è ſtatu Innocentię, & incidiſſent in ſtatum illi ſimilem in quo nunc homines verſantur.

Reſp. Conceſſo ant. (cum gratis aſſeratur Adamo nón peccante omnes homines confirmandos fuiſſe in gratia, contra auctoritatem *D. Thom. 1. part. quæſt.* 101. *art.* 2. ac fere omnium Theologorum) negando tamen conſequentiam. Quia poſſet eſſe in illo ſtatu remedium peccati abſque Sacramento, nam &

Adam poteſt peccatum ſine Sacramento iuſtificatus fuit, & multi alij in natura lapſa abſque vſu Sacramenti per ſolûm actum contritionis iuſtificantur, quale remedium potuiſſet, & lapſis illis ſufficere.

In ſtatu *naturæ lapſæ*, ſuppoſita voluntate Dei de illa ſaluanda per fidem Chriſti redemptoris *neceſſarium*, vel omninò conuenientiuſ fuit *inſtitui Sacramenta*.

Probatur, quia in hoc ſtatu fides Chriſti redemptoris ſine aliqua externa reuelatione facta per res corporeas haberi nequit: in ſtatu verò innocentiæ Deus independenter à rebus corporeis, ſcientiam, aliaque doctrina ſpiritualia infundebat hominibus, ſicut & Angelis, de hoc enim ſtatu ait Apoſtolus ad *Roman.* 10. quomodo credent ei quem non audierunt? Ergo conuenientiſſimum erat vt cęrimoniæ huic fidei obeundæ coniuncta eſſet ſingularis aliqua vtilitas obeuntis, vtilitas autem illa debuit eſſe non corporalis, quia res ſacrę non debent ordinari ad queſtum aut commodum corporis; ergo vtilitas ſpiritualis, conſiſtens in aliqua Sanctitate vſu Sacramentorum conferenda.

Tempus legis naturæ dicitur illud, quod fuit à peccato Adami vſque ad legem Scriptam, quæ data eſt per Moyſen, non quod homines illo tempore nullam aliam legem, aut preceptum à Deo quàm ipſam naturam rationalem accepiſſent (ſtatim enim poſt diluuium præcepit Deus hominibus *Geneſeos* 9. ne carnem cum ſanguine comederent, quæ erat lex poſitiua) ſed quod nulla eſſet Dei lex ſcripta, hominesque regerentur ſolis naturæ legibus, paucisque præceptis diuinis, retentis per memoriam, ac traditionem.

Pro *iuſtificatione paruulorum in ſtatu legis naturæ*, non requirebatur applicatio aliqua externa, quæ fieret verbo, vel facto, ſed ſufficiebat fidem ab alijs illis applicari actu interno. Ita poſt *Bonauenturam*, *Richardum*, *Dominicum Sotum*, *& alios*, *Vaſquez*, Diſputat. 165. Cap. 3. *& Hurtado*, Diſput. 3. *difficultate* 4. *eſt quæ manifeſta ſententia S. Thomæ in* 4. Diſtinct. 16. qu. 2. a. 9. quæſtiuncula 2. & in 3. parte qu. 7. a. 4. ad 2. Quia Patres, ex quibus ſoli habemus ea quæ de iuſtificatione paruulorum in lege naturæ nouimus, non requirunt ſignum externum ſed ſola tali fide parentum aiunt eos ſolitos iuſtificari. *Gregor. lib.* 4. *moralium cap.* 30. quod, inquit, apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij. Ita & Patres alij.

Dices, Fides adulti non potuit prodeſſe paruulo, niſi applicaretur; atqui hæc applicatio fieri debebat per cæremoniam externam circa ipſum paruulum, ergo &c.

Reſpondendo, negando minorem, applicari enim fidem huic paruulo, nihil eſt aliud quam per fidem determinari Deum ad dandum huic gratiam remiſſiuam peccati; vt autem determinetur ad hoc Deus, non eſt opus cæremonia externa, ſed ſufficit actus internus determinatè verſans circa hunc paruulum, cum Deus actum internum videat, & ab eo poſſit moueri ad conferendum gratiam iuſtificationis.

Circumciſio, quæ fuit poſt legem Moſaicam, ſiue ſcriptam, per ſe, ſiue vi inſtitutionis ſuæ, non habebat vim iuſtificandi, vt iam habet Baptiſmus, ſed ſolùm inſtituta erat vt eſſet ſignum ſenſibile eorum qui erant de populo Dei. Ita *D. Thom. quæſt.* 70. *art.* 7. *Lugo diſputat.* 5. *num.* 4. *Hurtado diſputat.* 3. *difficultate* 9. *Leſſius de Sacram. quæſt.* 70. *artic.* 9. Contra *Scotum*, *Henriquez*, *Bonacinam alioſque*.

Sed *infantes maſculi* Hebræorum communiter iuſtificabantur per circumciſionem, ſumpta *materialiter*, prout ſcilicet illa ſigno iuſtificatiuo legis naturæ ſucceſſit. Circumciſio autem illa die octauo infantibus conferebatur. Ita *D. Thomas*, *alijque Scholaſtici*.

Vnde colligi poteſt, ſi ante diem octauum periclaretur infans, non debuiſſe præueniri tempus Circumciſionis, ſed fide v. gr. parentum ijs applicata potuiſſe ſaluari, ſicut fœminæ omnes, quæ non circumcidebantur. adultos verò iuſtificatos formaliter tantum per actum charitatis docet *Lugo hic diſp.* 5. *num.* 73. *&c.* contra *Scotum*, *Durandum*, *alioſque*.

Baptiſmum Ioannis aliquo modo extraordinarium fuiſſe Sacramentum, non vt Baptiſmum Chriſti, docent communiter Theol. quia inſtitutus à Deo, vt teſtatur ipſe *Ioannes*, qui miſit me baptizare, &c. ſcil. ad figurandum Chriſti baptiſmum. Quod ſaltem aliquid ſanctitatis externæ cauſaret, quemadmodum ablutiones aliæ ante à Deo per Moyſen inſtitutę, dubium non videtur, cum particularis fuerit Dei miſſio ad illum conferendum.

Septem ſunt Legis nouæ Sacramenta, & neque plura, neque pauciora, contra Hæreticos recentiores, qui ferè præter Baptiſmum, & Euchariſtiam, nullum agnoſcunt. Probatur autem ex conſenſu totius Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ in Concilio Florentino.

no &c. *De quibus ſupra huius Operis* Tom. I. Tract. II. cap. 11.

Sacramenta illa *cauſant gratiam* & characterem in inſtanti ſui *terminatiuo*. Quia iſto inſtanti, non ante, habent completam ſignificationem, & ſunt totaliter in facto eſſe. Hoc porrò inſtans, ex communi Philoſophorum doctrina de inceptione, & deſitione entis ſucceſſiui, dicitur *extrinſecum*, ſufficitque ad cauſalitatem moralem, quæ non requirit actualem exiſtentiam cauſæ dum cauſat effectum ſuum, ſcillcet gratiam in ſuſcipiente.

Neque ex eo quod Sacramentum non cauſet gratiam, niſi quando totum eſt in facto eſſe ſequitur, formam illius in præſenti expreſſam non poſſe verificari: Quia ad hoc ſufficit moralis coexiuentia cauſæ, & effectus, ſiue quod producatur effectus immediatè poſtquam prolata eſt forma iſtius effectus cauſatiua.

Dices, quid ſuſcipiens Sacramentum in illo inſtanti extrinſeco quo conferenda eſſet gratia moriatur?

Reſpondeo, non eſſe abſurdum admittere Sacramentum illo caſu carere effectu, cum deſit conditio requiſita ad operationem Sacramenti, nempè ſtatus viatoris pro illo inſtanti, quo Sacramentum debet operari: Adde, hunc caſum eſſe moraliter impoſſibilem, aut pertinere ad diuinam prouidentiam non permittere vt poſito Sacramento eo præcisè inſtanti moriatur.

Reuiuiſcit Baptiſmus informis, & probabilius alia Sacramenta obijce remoto, ad *remiſſionem culpæ*. Colligitur ex verbis *D. Auguſtini*, Sacramentum, & in homine iuſto, & in nomine iniuſto ſemper ſanctum eſt, quod neque æquitate alicuius augetur, neque iniquitate minuitur. Et ſanè aliàs iuſtificatio aliquando nec per Baptiſmum, nec per illius votum fieret, cuius oppoſitum ex Tridetino colligitur.

Reuiuiſcit etiam ad *remiſſionem pænæ*, quod neceſſario admittendum eſt quando baptizatus ſine attrittione de venialibus ſtatim moritur poſt Baptiſmum, cui vi Baptiſmi pęna poſt mortem remitti debet, teſtãte *Florentino*, quod baptizati morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum Cœlorum, & Dei viſionem perueniunt. Vnde etiam ſequitur quod reuiuiſcat ad remiſſionem *venialis culpæ*, ſine qua nunquam remittitur illius pœna: hæc tamen remiſſio habitualis venialium in reuiuiſcentia fit ſine ſacramentali gratiæ infuſione, cum obex venialium remiſſionem impediens, non ſit etiam obex gratiæ.

Porrò ex ratione D. Auguſtini pro Baptiſmo ſupra allata colligitur, quod ad omnem effectum reuiuiſcant etiam *Sacramenta cætera informia*; quod in multis credibilius fit ex eorum initerabilitate, aut abſoluta, aut ſaltem pro tempore aliquo, ne ſemel indignè ſuſcipiens ſemper effectu illorum carere debeat. Reuiuiſcunt veroſimiliter ad *maiorem* gratiam in homine tunc *magis diſpoſito*; ſic enim fit in prima ſuſceptione, adeoque conuenientius dicitur ſic fieri in reuiuiſcentia conſequenti.

Diſpoſitio neceſſaria ad reuiuiſcendum pro Sacramentis merè *viuorum*, eſt ſtatus gratiæ. Pro Sacramentis *mortuorum*, ſi obex ſit *negatiuus*, requiritur illa quæ ab initio ſuffeciſſet, adeoque ſaltem attritio: alias enim numquam ſe ſolis ad gratiam primam reuiuiſcerent. Si ad obicem negatiuum acceſſerit peccatum poſt ſuſceptionem commiſſum, opus eſt contritione vel confeſſione: cum nullum Sacramentum peccatis futuris tollendis ſubſeruiat. Eadem opus eſt, ſi obex in ſuſceptione fuerit *poſitiuus*, quale eſt peccatum prius natura vel concomitanter in ſuſceptione commiſſum: non poteſt enim tale peccatum per iſtud Sacramentum remitti: Quia forma non videtur cadere ſuper peccata, reſpectu quorum tunc impoſſibilis eſt retractatio.

Dum Sacramentum *mortuorum per contritionem vel confeſſionem reuiuiſcit*, gratia confertur duplex, & quidem ſimul natura: licet enim contritio, & confeſſio prius natura exiſtant, non tamen priùs agunt, quàm reuiuiſcat Sacramentum, eò quod huius effectus non prærequirat in ſuſcipiente ſtatum gratiæ, ſed tantum diſpoſitionem in actu primò talem, vt peccatum remittatur ſimul ex vi diſpoſitionis, & Sacramenti reuiuiſcentis.

CAPVT II.

De Baptiſmo, Martyrio, Confirmatione, Eucbariſtia.

§. I.

Baptiſmus, Martyrium, Confirmatio.

INſtitutio Baptiſmi probabilius tunc primum fuit, cum Chriſtus per diſcipulos baptizaret in Iudæa, vti refertur, *Ioan. 4.*

Obligatio tamen ſuſcipiendi Baptiſmum tantum cæpit poſt aduentum Spiritus Sancti, quan-

quando Apoſtoli cœperunt promulgare legem Euangelicam: Ideo Iudæus ante Chriſti paſſionem ſufficienter inſtructus de Doctrina obligabatur quidem ad credendum in Chriſtum, & Doctrinam eius admittendam vt veram: Non tamen ad deſerendam legem Moſaicam; Quia necdum erat à Chriſto abrogata, imò, & à Chriſto tunc obſeruata fuit.

Inſtituit Chriſtus Baptiſmum inchoatiuè, & velut in exemplari, quando baptizatus fuit à Ioanne: Completè autem cum diſcipulos miſit ad baptizandum. Primam partem tradunt Patres apud *Vaſquez*, & *Suarez*, hic de hoc agentes. Secunda verò ſuadetur ex eo quod inſtitutioni Baptiſmi nullum tempus aptius appareat.

Ad *valorem Baptiſmi* requiritur expreſſa inuocatio SS. Trinitatis, nec valet collatus in nomine *ſolius Chriſti*: nam *Matth. vltimo* expreſsè dicitur baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: idque declarat praxis Eccleſiæ tres perſonas ſemper exprimentis. Probabilius etiam eſt nunquam ſic fuiſſe collatum: idque colligitur ex *Canone* 49. Apoſtolorum, vbi præcipitur inuocatio SS. Trinitatis.

Dices, in *Actis* Apoſtolorum dicuntur aliqui baptizati in nomine Chriſti.

Reſp. ideò id dici, vel quia hoc nomen inſerebatur etiam formæ Baptiſmi v.g. dicendo, & Filij Ieſu Chriſti: vel dicendo in nomine Chriſti, idem eſſe, quod Baptiſmus in fide, & auctoritate Chriſti conferatur.

Martyrium eſt teſtimonium Fidei diuinæ vel in ſe, vel in opere alicuius virtutis morte confirmatum. Requiruntur tormenta de ſe mortis illatiua, & cauſa ſupernaturalis: & prout Martyrium *adultis* proprium eſt, requiritur etiam acceptatio voluntaria.

Infantes per ſolum Martyrium, ſine Baptiſmo aquæ ſaluari poſſunt: vt patet perpetua traditione Eccleſiæ, quæ à temporibus Apoſtolorum infantes Chriſti cauſa ab Herode occiſos ſemper vt veros Martyres coluit.

Neque *dicas* cum *Armacano*, infantes illos fuiſſe ante mortem iuſtificatos per *circumciſionem*: Cùm haud dubiè multi Ethnici Iudæis permixti fuerint, & multi ante octauum vitæ diem, quo fiebat circumciſio, interfecti fuerint. Neque hoc, ſi verum eſſet, vim argumenti noſtri eliderct; cum infantes illi non tantùm colantur vt Sancti, ſed etiam vt Martyres, adeoque vt participes ſtatus gratiæ virtute Martyrij.

Martyrium in adultis habet vim remittendi omnem culpam, & pœnam ex priuilegio, & velut ex opere operato. Conſtat ex communi fidelium ſenſu, & verbis Chriſti apud *Matthæum*, qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam. Habet autem hanc vim etiam ſecluſo actu charitatis, vt patet in pueris qui ſine vllo actu per Martyrium iuſtificantur. Deinde, alioqui malè diſtinguerent Theologi tria baptiſmata: cum ſic baptiſmus ſanguinis non diſtingueretur à baptiſmo flaminis, ſiue amoris Dei ſuper omnia, qui vim iuſtificandi per ſe, & ſolitariè obtinet.

Dices, 1. Apoſtolus aſſerit, nihil prodeſſe Martyrium ſine charitate.

Reſp. Tò *ſine* contrariè, non priuatiuè accipiendum eſſe, ita vt ſenſus; ſic nihil prodeſt Martyrium, ſi habuero odia, diſſenſiones, cupiditatem vindictæ, &c. quæ Martyrij vim impediunt.

Dices 2. *S. Auguſtinus* docet, Martyrium ſine Charitate non eſſe verum Martyrium, nec prodeſſe poſſe.

Reſp. intelligendum eſſe de charitate, non qua Deus diligitur ſuper omnia, ſed quà fidelis quiſque vniri tenetur cum vera Chriſti Eccleſia: explicari etiam poſſit in ſenſu ſupra aſſignato.

In adulto etiam requiritur, vt mortem acceptet ex *motiuo aliquo ſupernaturali*. Vnde qui mortem etiam ex Chriſti odio ſibi illatam ſuſtineret, ex ſolo vanæ gloriæ motiuo, non eſſet verè martyr. ex defectu motiui ad fidem, aut virtutem Chriſtianam pertinentis.

Acceptatio mortis non debet eſſe neceſſariò *voluntas actualis*, ſed ſufficit *habitualis*, id eſt, præterita non retractata: Quia ſatis eſt quod verè mors fuerit volita. Debet tamen illa excludere omnem voluntatem ſe *defendendi*: alioqui Martyr. non ſatis conformaretur Chriſto, qui inſtar Agni coram tondente ſe, obmutuit: Hinc milites, qui ex vera intentionem, Religionem tuendi pugnantes occiduntur, non ſunt verè Martyres. Ita Doctores communiter, & praxis Eccleſiæ, quæ merè tales martyribus non annumerauit: quinimò Phocæ Imperatori, & alijs tale Martyrij genus inducere volentibus ſemper reſtitit teſte *Baronio* in Notis ad Martyrologium Rom. ad diem 19. Aprilis.

In peccatore autem requiritur neceſſariò *aliqua pœnitentia*. Patet ex *Tridentino* docente ijs, qui actualia peccata commiſſerit, pœnitentiam quouis tempore fuiſſe neceſſariam ad iuſtificationem etiam per Baptiſmum obtinendam. Videtur tamen ſufficere pœnitentia *virtualis* incluſa in voluntate moriendi pro Chriſto, concepta ex motiuo vniuerſali

repugnante cuilibet peccato mortali, cuiuſcumque virtutis illud fuerit.

Ad *effectum Martyrij* non requiritur *Contritio* in peccatore ſed ſufficit *Auritio*. Quia hæc ſufficit ad Baptiſmum, cui non cedit Martyrium quoad vim iuſtificandi, iuxta Patres, & nominatim Clementem Romanum *lib. 5. Conſtitut. Apoſtol. cap. 7.* S. Cyprianum *Epiſtol. 73.* S. Auguſtinum *lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 5. & 8.* Quia, inquit, qui dixit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, dixit, & qui me confeſſus fuerit, &c.

Confertur gratia Martyrio reſpondens ex opere operato, non in inſtanti mortis *extrinſeco*, quia tunc aliquis poſſet ſaluari, qui in vita nunquam habuiſſet gratiam habitualem: Nec confertur in *vltimo vitæ* inſtanti reali; Quia probabilius eſt non dari inſtantia realia indiuiſibilia. Confertur ergo paulò ante mortem, quando Martyr. eo adductus eſt, vt abſque miraculo non poſſit amplius vti ratione, & ſenſibus, quia tunc Martyrium eſt moraliter conſummatum, & Martyr. poſuit pro Chriſto quidquid in humana vita eſt ſummè æſtimabile.

Quæſtio eſt ſingularis, & maximi momenti ac ſolatij pro Miſſionarijs, & alijs qui inter hæreticos aut Infideles in periculis & ærumnis verſantur: *Quæ & Qualis paſſio ad verum Martyrium requiratur.*

Reſp. cum *Suarez* de Relig. &c. Primo, Martyr. eſt cui Religionis cauſa mors immatura acceleratur miſerijs, inopia, fuga, &c.

Secundò Martyrij palmam magna ex parte conſequitur qui vſque ad mortem in tribulationibus, & laboribus pro Catholica fide conſtanter perſeuerat.

Tertiò in omni proprietate, & veritate Martyrium conſummatur, & ita ſolet Eccleſia eos colere, quibus, nauigatione, penuria, grauibus incommoditatibus ita corpus extenuatur, vt verè mors indefinaliter acceleretur. Horum ſingula probat fusè *Suarez* ex *S. Cypriano, Auguſtino, Chryſoſtomo, alijſque*.

Illos etiam qui in obſequio peſte infectorum ex charitate vitam ponunt vt Martyres à Fidelibus haberi docet *Baronius in Marurologio Romano*, de quibus fusè *Raynaudus*.

Idem tradit de vero Martyrio illorum qui hoc ſeculo in perſecutione Anglicana enecantur etſi perſecutores alios fingant prætextus, *Baronius in ſuis Annalibus* vbi agit de S. Thoma Cantuarienſi.

Paruulis ſiue pueris extra Martyrium, ante ſufficientem vſum rationis neceſſarius eſt Baptiſmus reipſa ſuſceptus: vt conſtat ex generali regula; Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. & Eccleſiæ traditione, quam hic ex S. Auguſtino, alijſque Patribus *Suarez*, & *Vaſquez*, fuſius adducunt.

Poſſunt *adulti* ſine Baptiſmo *aquæ* per Baptiſmum *flaminis*, ſiue contritionis perfectæ iuſtificari. Conſtat ex Scriptura *Prouerb. c. 8.* ego diligentes me diligo &c. *Ioan. 14.* qui diligit me diligitur à Patre meo, Item ex *Patr. Ambr. Auguſt. Bernardo*, & alijs paſſim.

Dices, ex dicto generali Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. colligitur ipſum aquæ Baptiſmum omnibus ad ſalutem eſſe neceſſarium.

Reſp. illud intelligendum de Baptiſmo in re, vel voto Baptiſmi incluſo in contritione ſiue amore Dei perfecto. Cum autem Ananias dixit Paulo, *Baptizare, & ablue peccata tua*, non ſignificauit Paulum non fuiſſe antea per charitatem iuſtificatum, ſed tantùm iuſtificatum fuiſſe ſub onere Baptiſmi poſtea ſuſcipiendi.

Extra periculum mortis certò imminentis, non licet *infantes infidelium* principibus infidelibus ſubiectorum baptizare. Quia Baptiſmus ille vel deberet exponi periculo prophanationis: vel deberent infantes illi abſtrahi à parentibus; neutrum autem licitum eſt: Chriſtus enim noluit religionem ſuam vi propagari, ſed libero vel Baptizandorum, vel Parentum conſenſu. Neque ſatis eſt quod parentes infideles conſentiant in Baptiſmum infantium ſuorum, niſi etiam eorum educationem Chriſtianam promittant, aut congruè fieri permittant.

Dices, Parentes infideles abutuntur ſua patria poteſtate nolendo prolis ſuæ Baptiſmum à Deo ad ſalutem inſtitutum: ergo poſſunt ad hoc à Principe cogi.

Reſpondeo abuſum patriæ poteſtatis circa *ſupernaturalia* non ſubiacere vindicatiuæ Principium poteſtati; niſi etiam repugnet legi naturali, aut bono Reipublicæ, quod non fit in caſibus prædictis. Nec refert quod aliqui Principes tulerint leges ſpectãtes ad ſupernaturalia. Quia id fecerunt ex commiſſione Eccleſiæ vel expreſſa, vel tacita, vel præſumpta: idque tantùm reſpectu fidelium ſubditorum.

Si tamen infantis Parentes infideles *mortui ſunt*, Principes fideles curare poſſunt vt baptizetur Infans & ſuo tempore in fide inſtituatur.

Infantes *Manciporum infidelium* poſſunt, & debent inuitis etiam parentibus baptizari, ſi ſubeant Dominis Chriſtianis: Ratio eſt, quod

poſſint abſtrahi à parentibus abſque parentum iniuria, ad procurandam eis educationem Chriſtianam, cum iure mancipij ad Principem pertineant.

Quæres, Quid ſi vnus parentum ſit fidelis, an poſſit infans altero parente infideli inuito baptizari.

Reſpond. poſſe, ſi ſpes ſit vt Chriſtianè educetur. Et ita ſtatuitur in iure, *Can. Iudæi, cauſa 18. quæſt. 1. & cap. ex litteris, de conuerſ. infidelium*.

Confirmationis Sacramentum, fuit à Chriſto immediatè inſtitutum, idque in vltima cœna, Quod expreſsè docet *Fabianus Papa Epiſtol. 2. cap. 1.* his verbis: In illa enim die Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes, ſicut à SS. Apoſtolis prędeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.

Ad *valorem* Sacramenti Confirmationis requiritur, vt Chriſma benedicatur ab Epiſcopo: ita vt nequidem ex commiſſionem ſummi Pontificis cenſeatur ſimplex ſacerdos validè Chriſma conficere. Neque contrarium benè infertur ex eo quod ex tali commiſſione poſſit ſimplex Sacerdos hoc Sacramentum miniſtrare: Quia hæc duo diuerſa ſunt. Ita cum *Sancto Thoma, Suarez, Henriquez, aliique communius*, contra *Scotum, Caietanum, Valentiam*, &c.

Materia proxima huius Sacramenti eſt, vnctio Chriſmatis in fronte facta per modum crucis: & frons iniungenda eſt immediatè ipſius Epiſcopi manu; Quia hoc Sacramentum debet perfici per aliquam manus iſtius impoſitionem. *Forma* illa Græcorum, *ſignaculum donationis Spiritus Sancti*, certò valida eſt. 1. Quia ante ſchiſma Græcorum forma eadem vſurpata fuit. 2. Quia in ſecunda Synodo generali eadem forma tradita fuit, neque in Concilio Florentino, aut alibi ab Eccleſia reprobatur, quod pluribus confirmat *Amicus his diſp. 13. num. 76. aliique*.

De Confirmatione Practica traduntur infra Part. III. Tract. 4. cap. 3.

§. II.

Euchariſtiæ Sacramentum.

DE *hoc Sacramento, Sacrificio Miſſæ, & Horis Canonicis, quæ ſunt Practica traduntur infra* Part. III. Tract. 4. cap. 4. & ſeq. Hic quæ porrò *ſpeculatiua* ſunt apponuntur.

Euchariſtia non conſiſtit in ſolis ſpeciebus etiam vt connotantibus corpus, & ſanguinem Chriſti: neque in ſolo corpore & ſanguine, ſed vtrumque intrinſecè importat. Quia vtriſque ſimul ſumptis tantum conuenit eſſe ſignum ſenſibile ſanctificans animam per modum cibi & potus ſpiritualis. Ita *Caietanus, Suarez, Vaſquez, & recentiores communius*.

Species Euchariſticæ dicuntur Sacramentum tantùm, quia ſignificant, & non ſignificantur, *Gratia ſanctificans* dicitur Res tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat. *Corpus* autem & *ſanguis* Chriſti dicitur Res & Sacramentum; quia ſignificant & ſignificantur: hæc enim ſignificantur per ſpecies, & ſpiritualem animę refectionem ſignificant.

Euchariſtia dicit eſſentialem ordinem ad verba conſecratoria, vt ſui *cauſam*, non vt ſui *partem*. Quando autem Florentinum, aſſignat *verba conſecrationis* pro forma huius Sacramenti, non eſt intelligendum de forma intrinſeca & permanente, ſed extrinſeca, & tranſeunte, à qua ſcilicet ſpecies conſecratę denominantur conſtitutæ in ratione huius Sacramenti.

Euchariſtia *ſub vtraque ſpecie* eſt vnicum ſpecie Sacramentum: Quia ſub vtraque ſpecie ordinatur ad vnum & eundem finem, videlicet ad ſpiritualem refectionem animæ. Sicut enim ex cibo & potu corporali fit vnica perfectio corporalis, ſic ex ſpirituali vnica refectio ſpiritualis conſtituitur.

Probabilius videtur quod *Aqua* vino mixta *immediatè conuertatur* in ſanguinem Chriſti. Ita *recentiores* communius, contra *Thomiſtas*. Prob. 1. ex *S. Ambroſ. lib. 4. de Sacrament. c. 4.* Ante, inquit, verba Chriſti, calix eſt vino, & aqua plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur. Et *S. Damaſ. lib. 4. de fide cap. 14.* ſic ait, Nonne poteſt panem ſuum ipſius corpus efficere, & vinum, & aquam ſanguinem? Prob. 2. ex vſu Eccleſiæ veteris, quæ multum aquæ ſolita fuit admiſcere, vti etiam fecit Chiſtus more regionis calidę: Non eſt autem vero ſimile tunc aquam mutari in vinum. 3. Quia verius videtur numquam aquam vino mixtam conuerti in vinum: experientia enim conſtat poſſe illam etiam poſt longum tempus à vino ſeparari. Hanc ſententiam fusè propugnat Areſius Epiſcopus in libro de hoc ſpecialiter edito.

Auctores antiqui agnoſcentes tantùm *mediatam* conuerſionem aquæ in ſanguinem, ſcilicet poſt tranſitum aquæ in vinum, explicari poſſunt de præuio aquæ tranſitu in vinum, non phyſico, ſed morali, eoquod aqua modica mixta vino, appareat eſſe vinum ſenſui externo.

In forma conſecrationis pronomen, *hoc*,

non

non demonſtrat panem, nec ſpeciem panis: alioqui enim falſa eſſet forma; falſum enim eſt quod panis, aut ſpecies panis ſit corpus Chriſti, ſed demonſtrat id quod *continetur* ſub ſpecie panis, videlicet corpus Chriſti: non quidem ſub explicita eius ratione; alioqui enim eſſet propoſitio identica; ſed ſub confuſa ratione, *contenti ſub ſpecie panis in fine verborum*. Idem de pronomine, *hic*, in forma calicis cum eadem proportione dicendum.

Et vi verborum ſolum Chriſti corpus immediatè, & directè ponitur ſub ſpecie panis; & ſolus ſanguinis ſub ſpecie vini; Quia id tantum requiritur ad illorum verificationem. Per *concomitantiam* autem ponitur etiam ſanguis ſub ſpecie panis, & corpus ſub ſpecie vini: & ſub vtraque anima, & diuinitas Chriſti, propter naturalem connexionem quæ eſt inter corpus, ſanguinem, & animam, & eorum vnionem cum diuinitate prout in Chriſto exiſtunt.

Quoad *paſſionem à cauſis extrinſecis*, Corpus Chriſti, prout exiſtit in Euchariſtia, non poteſt *naturaliter pati* ab agentibus extrinſecis vt igne, aqua, ictu, &c. Quia cum agentia illa ſunt corporea, non poſſunt habere alium influxum, quam quantitatiuum: non poteſt autem hic influxus recipi in ſubiectuo indiuiſibiliter exigente, qualiter ibi exiſtit corpus Chriſti.

Effectus alios Euchariſtiæ recenſet *Tridentin. Seſſ.*13.*Cap.*13. videlicet, liberationem à venialibus, & præſeruationem à mortalibus Et primum quidem cauſat ex opere operato, modò non inueniat in recipiente actualem aut habitualem effectum ad venialia: alterum autem mediantibus gratijs actualibus, quæ intuitu communionis prius factæ, dantur ad vincendam tentationem præſertim quæ in peccatum mortale inducat.

Sumptio vtriuſque ſpeciei ſimul non confert maiorem gratiam. Vnde, *Sacerdos ſumens ſanguinem* non accipit nouam gratiam ex opere operato: gratia tamen quæ datur in ſumptione corporis, confertur etiam propter ſumptionem ſanguinis mox futuram, quæ cum ſumptione corporis conſtituit vnicum Sacramentum. Ita Theologi communius, Contra *Alenſem*, *Vazquez*, *Præpoſitum*, *Meratium*, *Lugo*, &c. Colligitur ex *Trid. Seſſ.*21.*Cap.*3.

Nec refert, quod Clemens VI. dans *Regi Galliæ* poteſtatem communicandi ſub vtraque ſpecie, dicat ſe illi id concedere ad maius augmentum gratiæ; Quia vel loquitur vt Doctor priuatus ſequendo opinionem oppoſitam; vel certè intelligendus eſt de augmento gratiæ ex opere operantis, ratione maioris deuotionis quę in ſũptione ſimul calicis exercetur.

Sacrificium Miſſæ, ſumptum formaliter pro actione ſacrificandi, conſiſtit eſſentialiter adæquatè in conſecratione, vi cuius ponitur corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. Quia per conſecrationem vt talem immolatur hoſtia Deo, in quantum vi illius ponitur ſub ſpecie panis corpus Chriſti velut mortuum ſeparatim à ſanguine: & ſub ſpecie vini ſanguis velut effuſus. Vnde hæc corporis, & ſanguinis, quantum eſt ex vi verborum, & ſeparatio, dicitur à Patribus, Miſtica quædam Chriſti occiſio, & immolatio, qua vera illius in Cruce immolatio repræſentatur.

Neque ex eo quod Eccleſia curet vt nullo caſu Sacerdos omittat communionem ſequitur, eam eſſe de eſſentia ſacrificij: hoc enim facit, quia eſt aliquod eius extrinſecum complementum, & velut conſummatio quædam iſtius Sacrificij, quam proinde ſacrificanti non liceat omittere.

Sacrificium illud eſt ſimul Lautreticum, Euchariſticum, Propitiatorium, & impetratorium. Eſt *Latreuticum* in quantum offertur Deo in agnitionem ſupremi eius in omnes Dominij. *Euchariſticum*, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs. *Propitiatorium*, in quantum offertur in remiſſionem peccatorum, & ſatisfactionem pœnę eis debitæ. *Impetratorium* denique, in quantum tendit ad beneficium aliquod impetrandum per illius ſacrificij virtutem ſingularem à Deo illi annexam.

In quantum ſacrificium Euchariſticum eſt *Propitiatorium*, habet vim remittendi peccata, & *pœnas temporales* peccatis debitas. Et has quidem pœnas ſaltem partialiter remittit *immediatè ex opere operato*, ſi nihil obſtet ex parte ſubiecti: peccata autem mortalia tantum *mediatè*, mediantibus ſcilicet gratijs actualibus, quæ eius intuitu conferuntur, quibus peccator, pro quo ſacrificium oblatum eſt, perducitur ad pœnitentiam. Quia verò iſtæ gratiæ non ſunt ſemper efficaces, ideò non ſemper vi ſacrificij remiſſionem mortalium conſequitur is, pro quo offertur. Quantum attinet ad *remiſſionem venialium*, probabile eſt Miſſæ ſacrificium hunc effectum immediatè operari in eo pro quo oblatum eſt, ſi nullum affectum actualem aut habitualem erga ea retineat. Idque conforme eſt Tridentino *Seſſ.*22.*Cap.*1. aſſerenti per hoc ſacrificium remitti ea quæ à nobis quotidie committuntur, &c.

Huius

Huius ſacrificij virtus impetratiua eſt infinita in actu primo, ſiue quoad ſufficientiam, quandoquidem contineat Chriſti merita. Non eſt tamen infinita in actu ſecundo, ſiue, non monet actu Deum infinitè ad concedendum id quod petitur: alioqui enim poſtulatio eſſet ſemper efficax, & infalibilis, cuius conſtat oppoſitum.

Minor eſt vis *impetrandi* in actu ſecundo, quo *plura ſunt beneficia* quæ primariò petuntur, & plures *perſonæ* pro quibus primariò poſtulantur. Quia alioqui Sacerdos ſtipendium accipiens non teneretur primariò Miſſam Deo offere ad illud obtinendum, quod intendit qui ſtipendium dedit. Id autem non oritur ex defectu virtutis ad id ſufficientis, ſed ex libera Chriſti voluntate merita ſua limitatè applicantis. Idem dic de virtute huius ſacrificij ad *ſatisfaciendum* pro peccatorum pœna temporali.

Pro diſpoſitione illius pro quo ſacrificium offertur, vt *gratia actuales*, aliaue beneficia acipiat, non requiritur *ſtatus gratiæ*; vt patet ex eo quod iſtæ gratiæ ſæpe dentur ad recuperandum gratiæ ſtatum: hic tamen ſtatus gratiæ requiritur, ad remiſſionem pœnæ temporalis obtinendam; quia non eſt æquum, vt Deus aliquam pœnam remittat illi qui actu manet illius inimicus.

CAPVT III.

De Pœnitentia, extrema Vnctione, Ordine, Matrimonio.

§. I.

Pœnitentia, & extrema Vnctio.

P*Ractica de his fusè traduntur infrà, toto* Tractatu II. & ſequentibus.

De lege Dei ordinaria *non poteſt peccatum actuale remitti abſque Pœnitentia*. Eſt de fide ex Scriptura, vt *Lucæ* 13. *v.* 5. ſi Pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et declaratur in Tridentino *Seſſ.* 14. *Cap.* 1.

Pœnitentia tamen formalis non eſt abſolutè ad hunc effectum neceſſaria, ſed ſufficit *virtualis* incluſa in actu Charitatis. Patet 1. ex Scriptura hanc vim iſti actui tribuenti. *Prouerb.* 8. ego diligentes me diligo. Et *Lucæ* 7. remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 2. Ex Bullis Pij V. & Gregorij XII. damnantibus hanc Baij propoſitionem: Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, &c. poteſt eſſe ſine peccatorum remiſſione. 3. Ratione probatur, quia vis contritionis ad delenda peccata, oritur ex actu Charitatis, quem includit aut præſuponit: Dicitur autem actus Charitatis pœnitentia virtualis, in quantum continet votum pœnitentiæ debitæ peragendæ, & de facto vi iſtius Charitatis pœnitentiam formalem imperat, dum peccata actu occurrunt memoriæ pœnitentis.

Neque obſtant loca Scripturæ requirentia pœnitentiam formalem, quia intelligenda ſunt de eius neceſſitate in re, vel voto, propter alia loca ſat clara ſupra relata quibus vis iuſtificandi tribuitur actui Charitatis. Pro hac ſententia loca etiam Patrum Chryſoſtomi, Hieronymi, &c. *Vaſquez* hoc loco ſuſius adducit.

De potentia Dei obſoluta poteſt remitti peccatum abſque vlla pœnitentia ſeu formali, ſeu virtuali, per hoc ſolum quod Deus velit peccatori offenſam remittere. Quia in eo nulla apparet implicantia: ſicut homo homini quamuis non pęnitenti poteſt offenſam remittere ex pietate Chriſtiana.

Si *obijciatur S. Thomas* dicens id eſſe impoſſibile. Reſpondetur, intelligi debere de lege ordinaria, vti & Tridentinum, dum *Seſſ.* 6. *Cap.* 7. dicit iuſtificationem eſſe renouationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ; quia ſcilicèt in præſenti rerum ſtatu illa voluntatis actualis renouatio in peccatore ad iuſtificationem requiritur.

Contritio non debet eſſe *intenſiue ſumma*, vt ſufficiat ad remiſſionem mortalium extra Sacramentum. Vel enim deberet eſſe abſolutè talis quod repugnat: vel tantum reſpectiuè, quanta ſcilicet haberi poteſt hic, & nunc reſpectiuè ad præſens Dei auxilium: quod etiam dici non poteſt: alioqui enim peccator cum auxilio vt duo eliciens contritionem intenſam vt duo iuſtificaretur, & eliciens intenſam vt quatuor cum auxilio intenſo vt quinque non iuſtificaretur, quod videtur eſſe ab omni ratione alienum.

Nec certus aliquis gradus intenſionis requiritur in contritione vt iuſtificet extra Sacramentum: vt volunt aliqui recentiores poſt *Eſtium*, *Lupum*, *&c. Prob.* 1. ex Scripturis veniam promittentibus omnibus verè pœnitentibus: Vera autem pœnitentia non requirit certum gradum intenſionis, ſed ſufficit quod ſit appretiatiuè ſumma. *Prob.* 2. ex *Trid. Seſſ.* 14. *C.* 4. ſimpliciter tribuente contritioni vim iuſtificandi, dum Charitate perfecta eſt, hoc eſt, dum nititur motiuo Charitatis, nulla facta men-

tione intenſionis iſtius actus. 3. Eſt damnatis Baij propoſitionibus in hac materia.

Probatur idem ratione, 1. Quia Charitas habitualis, licet remiſſa, non ſtat cum mortali: ergo nec actualis. 2. Quia in certis caſibus datur præceptum de iuſtificatione per cõtritionem procuranda: atqui non datur præceptum de re ignota, qualis eſt contritio cum tot, aut tot gradibus, quorum intenſio à nullo poteſt dignoſci, aut quot ſufficiant deſignari.

Dicens contra, S. Auguſtinus *Lib. de nat. & grat.* ſic loquitur: Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt, Charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: Charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt: Ergo requirit Charitas gradus intenſos.

Reſp. non velle peccatorem necdum iuſtificari, cum incipit Deum diligere ſuper omnia & tantùm tunc cum iam peruenit ad intenſam Charitatem: ſed ſolùm vult creſcente Charitate, creſcere vitæ iuſtitiam ſeu ſanctitatem, quod bene conſiſtit cum eo, quod ante illud incrementum homo ſit verè iuſtificatus.

Contritio nullam temporis durationem exigit, vt iuſtificet peccatorem: Quia tota eius vis in eo conſiſtit; quod ſit perfecta conuerſio ad Deum: ergo illo inſtanti quo habetur iſta conuerſio iuſtificat peccatorem: idque apertè tradunt Scripturæ, & Patres; cum D. Thoma, & Theologis communiter.

Nec refert quod inſtantanea pęnitentia non ſit quidem proportionata ad plenè ſatisfaciendum Deo quoad pœnam; alioſque effectus: eſt tamen proportinata ad recuperandam eius gratiam: ſicut enim gratia Dei amittitur per inſtantaneam aduerſionem à Deo, ita conuenit vt recuperetur per inſtantaneam conuerſionem peccatoris ad Deum.

Merita bonorum operum per peccatum mortificata *reuiuiſcunt per pœnitentiam*. Colligitur ex Apoſt. *ad Hebr.* 6. non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri: & *ad Gal.* 3. tanta paſſi eſtis ſine cauſa, tamen ſine cauſa. Ratio eſt, quod merita per peccatum non deleantur, ſed tantùm impediantur: ac proinde ſublato impedimento reuiuiſcant. Cur autem potius peccata abſoluta deleantur per actum Charitatis, quàm merita per peccatum, id refundendum eſt in Dei bonitatem pronioris ad miſerendum, quam ad puniendum. Eſt Doctrina ita communis vt oppoſitam temerariam ac periculoſam cenſeat *Suarez, Amicus, Eannez, & plures allij*.

Peccata ſemel remiſſa non reuiuiſcunt per ſequentia, ſiue quoad culpam, ſiue quoad pœnam. Colligitur ex Scripturis aſſerentibus peccata per pęnitentiam abſolutè condonari. Idque diſertè docet Gelaſius Papa relatus *de pœnitentia diſt. 4. c. vlt. his verbis*: Diuina clementia remiſſa peccata ad vltionem vlterius venire non patitur. Eſt cum D. Thoma communis, & certa, contra *Gratianum de pœnitent. diſt. 4. Hugonem à S. Victore &c.*

Scripturæ quę ſonant Deum recordari peccatorum remiſſorum, intelligendæ ſunt de pœna eorum temporali, quorum videtur obliuiſci, dum differt ea punire, recordari vero, dum ea punit menſura pœnæ actu infligendæ perſequentes lapſus impleta, vltra quam decreuit punitionem non differre.

Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe *validum & informe* ex parte *abſolutionis*, vt ſatis conſtat. Neque ex parte confeſſionis: Quia vel eſt formaliter integra, vel non: ſi primum ſufficit ad valorem, & effectum Sacramenti: ſi ſecundum ad neutrum ſufficit. Neque etiam ex parte doloris, quod magis controuerſum eſt, quia non poteſt dolor ſufficere ad eſſentiam huius Sacramenti, niſi pariter ſufficiat ad eius effectum: cum enim hoc Sacramentum ſit eſſentialiter reconciliatiuum, exigit dolorem qui ſit ſufficiens diſpoſitio ad reconciliationem: Ita *Vaſquez, Laymann, Coninck, Amicus, cum Gabriele, Adriano, &c.* Contra *Thomiſtas* pleroſque quos ſequitur *Suarez, Toletus, Valentia, Lugo, &c.*

Neque eadem eſt ratio Pœnitentiæ, & Baptiſmi qui poteſt eſſe validus, & informis. Quia Baptiſmus, pro diſpoſitione ad effectum ſuum non includit aliquid requiſitum ad ſuam eſſentiam: ſicut includit hoc Sacramentum, videlicet dolorem de peccatis, quod de pœnitentia agnoſcit *D. Thomas Diſt. 23. q. 1. art. 4. q. 2.*

Confeſſio Sacramentalis eſt legitima accuſatio pęnitentis de peccatis proprijs facta Sacerdoti, vt ab ijs abſoluatur. Eſt *iure diuino* præcepta: vt conſtat, 1. Ex his Chriſti verbis, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. quorum retinueritis retenta ſunt. Hæc enim poteſtas retinendi peccata non poſſet ad vſum redigi, ſi non eſſet neceſſaria Confeſſio. 2. Ex pluribus Concilijs, ijſque antiquiſſimus in quibus hæc veritas definita eſt. 3. Ex vnanimi PP. conſenſu apud Bellar. 4. Denique ex perpetuo vſu Eccleſiæ non ſolum Latinæ, ſed etiam Græcæ; qui vſus nunquam fuiſſet inductus, niſi confeſſio fuiſſet iure diuino pręcepta. *De quo plura in Controuerſijs huc ſupra* Tomo I. Tract. II. c. VI. pag. 72.

Confeſſionis præcepto obligantur omnes, qui poſt Baptiſmum moraliter peccauerunt. Quãdonam autem præcisè vrgeat extra mortis articu-

ticulum, aut graue eius periculum, difficile eſt determinare. Vnde merito Eccleſia præcepto ſuo determinauit, vt non differatur vltra annum.

Alia de Confeſſione traduntur infrà ad praxim diffuſè Tomo II. Part. III. Tract. III. Cap. I. & ſequentibus.

Satisfactio Sacramentalis non cauſat gratiam ſanctificantem ex *opere operato*: Quia ante ſatisfactionem habetur tota eſſentia Sacramenti pœnitentiæ: Ergo & totus effectus gratię Sanctificantis: nec refert quod ſit pars Sacramenti, quia eſt tantùm pars integralis, non eſſentialis.

Illa tamen ſatisfactio *cauſat ex opere operato aliquas gratias actuales* aduerſus relapſum, Quia non tantum imponitur in vindictam peccatorum, ſed etiam in remedium, in eum autem finem opus eſt grstijs actualibus. Cauſat quoque ex opere operato aliquam remiſſionem *pœnæ temporalis* peccatis debitæ. Quia partialiter ſaltem in eum finem imponitur. Vt tamen iſtum effectum habeat, debet fieri in ſtatu gratiæ: Quia inimicus Dei indignus eſt, vt eius ſatisfactio ad illum effectum à Deo acceptetur.

Satisfacit tamen *obligationi* pœnitentiæ impoſitę qui ſatisfactionem iniunctam implet in ſtatu peccati. Quia Confeſſarius imponens ſatisfactionem pœnitenti, hoc tantùm intendit, vt pęnitens opus in ſatisfactionem iniunctum exequatur, abſtrahendo à ſtatu gratiæ. *Ita communius.*

Extremæ Vnctionis Sacramentum inſtitutum fuit à Chriſto poſt reſurrectionem ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ, cuius eſt quædam conſummatio, vt ait: *Trid. Seſſ.* 14. *in proemio de extrema Vnctione.* Itaque in loco *Iacobi* de hac Vnctione non habetur prima inſtitutio huius Sacramenti, ſed tantùm illius promulgatio. Et vnctio illa infirmorum, de qua *Marci* 6. fuit tantùm figura extremæ Vnctionis quæ poſteà inſtituenda, & ad vim Sacramenti eleuanda fuit.

Benedictio olei per Epiſcopum facta probabiliter non eſt de eſſentia huius Sacramenti; Quia, teſte Arcudio, Presbyteri Græci ex antiqua conſuetudine benedicunt oleum infirmorum: nec vnquam de hac re reprehenſi ſunt ab Eccleſia Latina: Et in hac ſententia dicendum eſt Florentinum, & Tridentinum pro materia huius Sacramenti aſſignare oleum ab Epiſcopo benedictum, quia iſta benedictio eſt ad minimum neceſſaria neceſſitate præcepti in Eccleſia Latina in qua à ſolis Epiſcopis ea exercetur.

Diſpoſitio ad hoc Sacramentum in *homine iuſto* requiſita, tantùm eſt intentio ſeu voluntas ſaltem interpretatiua illud recipiendi. Cenſetur autem hæc voluntas interpretatiua includi in vita Chriſtianè acta. In illis autem qui ſibi conſcij ſunt peccati mortalis prærequiritur confeſſio, aut contritio, ſi deſit copia confeſſarij. Non poteſt alius quam *Sacerdos* eſſe miniſter extremæ Vnctionis: quod certum eſt ex Florentino, & Tridentino *Seſſ.* 14. *Cap.* 3. *& Can.* 4.

Cætera de hoc Sacramento traduntur infrà Tomo II. Part. III. Tract. IV. Cap. 6.

§. II.

Ordo, & Matrimonium.

ORdinem *eſſe verum Srcramentum*, de fide conſtat ex Concilio Calcedonenſi, Florentino, & Tridentino *Seſſ.* 23. *Can.* 3. Et fuſiùs probatur ſupra in Controuerſijs *Tomo I. Tract. II. Cap.* 11. §. 3.

Quamuis admittatur quod Chriſtus vſus fuerit *determinata* materia, & forma dum Apoſtolos ordinauit; non ſequitur, quod non reliquerit Eccleſiæ determinationem materiæ, & formæ in particulari. Quia non omnia quibus determinatè vſus eſt, ſunt propterea de eſſentia Sacramenti. Sic in conſecratione panis determinatè vſus eſt, vel azymo, vel fermentato pane: & tamen neuter determinatè neceſſarius eſt ad validam conſecrationem, cum admittamus Græcos in fermentato validè conſecrare.

Epiſcopalis Ordo iure diuino maior eſt ſimplici Sacerdote, non tantùm dignitate, ſed etiam ordinis poteſtate. Habetur de fide ex *Trid. Seſſ.* 23. *Can.* 6. *& Can.* 7. item ex PP. apud *Bellar.* dicentibus Epiſcopos ſucceſiſſe Apoſtolis: Presbyteros autem 70. Diſcipulis: illos poſſe generare Patres per ordinationem Sacerdotum: hos tantum filios per Baptiſmum, quæ cum alijs prærogatiuis fuſius demonſtrant.

Epiſcopus per ſe eſt ſolus Miniſter ordinarius cuiuslibet *ordinationis*. Ita expreſsè Florentinum in *Decret. de Sacram.* & quidem reſpectu Epiſcopatus, & Presbyteratus ſic eſt Miniſter, vt abſolutè nullus præter ipſum poſſit validè iſtos ordines conferre. Alios autem Ordines poteſt etiam ſimplex Sacerdos conferre, ex commiſſione ſummi Pontificis. *Reliqua de Ordine traduntur infra ſuo ordine cum cæteris Sacramentis.*

Quoad

Quoad *Matrimonium*, illicita eſt in *Lege Euangelica Polygamia*, ſiuè pluralitas vxorum. Eſt de fide ex *Tridentin. ſeſſ.24.cap.2.* deduciturque ex *Matth.19.* ſi enim vt Chriſtus illic aſſerit, mœchatur, qui dimiſſa priore vxore, alteram ducit, multo magis mœchatur qui priore retenta adiungit alteram vxorem.

In lege etiam *Naturæ* illicita fuit polygamia ab ipſo initio mundi, iure ſaltem diuino poſitiuo. Patet ex prima Matrimonij celebratione *Geneſ.1.* vbi Deus primo homini vnicam dedit vxorem, dixitque vt vir adhæreret vxori, non vxoribus, eſſentque duo in carnem vna, non plures, quibus dictis pluralitatem vxorum ſatis clare excluſit.

Dices, in antiqua lege Santiſſimi Patriarchæ leguntur habuiſſe ſimul plures vxores.

Reſpondeo. Id factum eſſe ex ſpeciali Dei diſpenſatione, qui poteſt ſaltem indirectè diſpenſare in iure naturæ, tribuendo ius aliquod, ex cuius defectu aliquid erat iure naturæ illicitum. Sic quamuis homicidium, vel occupatio rei alienæ ſint iure naturæ illicita; poteſt tamen Deus vtrumque licitum reddere dando alicui ius in vitam, aut bona alterius, tanquam ſupremus eorum Dominus. Sic ergo potuit polygamiam lege naturæ illicitam, reddere Patriarchis licitam, diuidendo ius in plures vxores, quod ex natura rei vxor vna in corpus mariti totaliter obtinebat.

Matrimonium vt eſt *Sacramentum*, rectè definitur ſignum ſenſibile gratiæ Sanctificantis, quo vir, & mulier conſenſu perpetuo coniunguntur. Quod ſit propriè Sacramentum fide certum eſt, 1. Ex *Florentino in Decret. de Sacrament.* recenſente matrimonium inter ſeptem leges nouæ Sacramenta: & ex *Tridentin. ſeſſ.24. Can.1,* dicente anathema contrarium aſſerentibus. 2. Ex communi conſenſu Eccleſiæ. 3. ex PP. Ambroſ. Chryſoſt. Auguſtin. & alijs apud Bellarminum in Controuerſijs, de Matrimonio: & hic ſuprà in *Tom.I. de eodem Sacramento contra Hæreticos modernos, pag.84.*

Inſtitutio huius Sacramenti facta fuit à Chriſto, vel in Cana Galilææ, dum præſentia ſua nuptias honorauit *Ioan.2.* vel dum indiſſolubilitatem mâtrimonij ſtabiliuit *Matthæi 19.* vel denique poſt Reſurrectionem, vti de tempore inſtitutionis varij variè opinantur.

Matrimonij Miniſter non eſt Parochus, ſed ſunt ipſi contrahentes. Ita cum *Sancto Thoma Theologi communiter*. Colligitur 1. Ex *Florent. in Decret. De Sacrament* vbi dicit, cauſam efficientem Matrimonij regulariter eſſe mutuū conſenſum per verba de præſenti expreſſum atqui contrahentes ponunt conſenſum, & illo mediante efficiunt matrimonium: Ergo, & Sacramentum, quod non diſtinguitur ab ipſo contractu eleuato ad eſſe Sacramentale. Colligitur 2. efficaciter ex *Tridentin. Seſſ.24. Can.1.* definiente abſque vlla exceptione matrimonium Chriſtianorum eſſe Sacramentum: debuiſſet enim excipere matrimonium Clandeſtinum, ſi Miniſter huius Sacramenti eſſet Parochus. Et *cap.1. de reformat.* docet Clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta fuiſſe rata, & vera matrimonia quamdiù Eccleſia ea irrita non fecit Atqui matrimonia dicuntur rata ratione Sacramenti, vt declaratur Cap. *quanto de diuortijs*: Ergo Miniſter huius Sacramenti ſunt ipſi contrahentes non Parochus.

Neque refert, quod Euariſtus Pontifex ſcribens ad Epiſcopos Africanos dicat coniugia aliter præſumpta quam cum benedictione Sacerdotali non eſſe coniugia, ſed adulteria: Nam dicendus eſt loqui ſecundùm præſumptionem fori externi reputantis matrimonium illud eſſe inualidum, quod probari non poteſt. Tum etiam fuiſſe irrita matrimonia Clandeſtina, *Pontius de Matrimon.* pluribus argumentis probare conatur.

Mutuus contrahentium conſenſus neceſſarius eſt ad valorem Matrimonij. Ratio eſt, quod matrimonium conſiſtat in contractu: de eſſentia autem contractus ſit mutuus conſenſus. Porrò conſenſus ille debet eſſe verus, & non fictus. 2. Plenè deliberatus. 3. Signis exterioribus expreſſus, quia debet ab altero acceptari. 4. Liber à coactione ſeu metu graui cadente in virum conſtantem, nam hic metus inter impedimenta matrimonium dirimentia reputatur.

Conſenſus conditionatus ad valorem ſufficit ſi conditio ſit de præſenti, vel præterito, eaque ſubſiſtat. Si autem ſit de futuro contingenti ſuſpenditur valor Matrimonij vſque ad euentum conditionis, quem tenentur contrahentes expectare. Adueniente autem conditione probabilius videtur, quod matrimonium reddatur validum abſque nouo conſenſu. In praxi tamen ad maiorem ſecuritatem curandum eſt, vt renouetur conſenſus ille ad matrimonium requiſitus.

Si *conditio* adiecta repugnet *naturæ* aut *fini* matrimonij, irritum eſt matrimonium,

ex

ex Cap. *ſi conditiones*, *de conditionibus adiectis*. Si autem non repugnet, ſed ſit turpis aut impoſſibilis habetur pro non adiecta, *cap. eodem*. Id tamen intelligendum eſt ſecundùm præſumptionem fori externi: alioqui enim, ſi quis intendiſſet nullo modo contrahere niſi ſubſiſtente tali conditione, non valeret matrimonium defectu conſenſus debiti, & non completi.

Quando baptizatorum matrimonium eſt *conſummatum*, *nullo caſu diſſolui poteſt quoad vinculum*. Eſt de fide ex *Florentino in Decret. de Sacrament.* Et ex *Tridentin. Seſſion. 24. Canon. 7.* Et ex perpetua praxi Eccleſiæ. Dixi, quoad vinculum; Quia quoad thorum, & cohabitationem ſolum poteſt per diuortium ex variis cauſis.

Baptizatorum matrimonium *Ratum*, ſeu non conſummatum diſſoluitur per *ſolemnem profeſſionem* in Religione approbata Eſt de Fide ex *Trident. ſeſſ. 24. can. 6.* Idem antea decretum fuerat ab *Alexandro III. cap. verum*, & *cap. ex publico, de conuerſione coniugatorum*. Religioſa autem profeſſio vim habet ſoluendi matrimonium ratum, non iure *naturali*, nec *diuino* ſed *Eccleſiaſtico*: alioqui enim idem præſtarent ſimplicia vota ſocietatis Ieſu, cum verè, & propriè Religioſum conſtituant ex Pontificum declaratione.

Diuortium eſt ſeparatio coniugum quoad thorum, & habitationem manente vinculo coniugij. Licitum eſt ob coniugi ſiue viri, ſiue fœminæ *adulterium*. Non ſufficit tamen ſuſpicio, aut etiam probabilitas, ſed requiritur moralis aliqua certitudo adulterij commiſſi.

Licitum eſt diuortium, non tantum ob adulterium ſed etiam propter *alias cauſas*, ver gr. ob compartis ſæuitiam, furorem, lepram, aut alium morbum contagioſum, apoſtaſiam à fide, &c. Non poteſt tamen id fieri priuata auctoritate, ſed opus eſt auctoritate legitimi iudicis Eccleſiaſtici. Patet *ex cap. finali, de conuerſione coniugatorum*. Et *cap. illa*, *de diuortijs*.

Conſenſus mutuus coniugum ſufficit ad ſeparationem non tantum quoad *thorum*, quod certum eſt ſed etiam quoad *habitationem*. Ad hoc tamen poſtremum opus eſt Ordinarij iudicio, & approbatione.

Moraliter certus de nullitate matrimonij ſui non poteſt debitum petere, aut reddere. Qui autem contraxit cum dubio de valore matrimonij *manente dubio*, non poteſt debitum petere: tenetur tamen reddere comparti petenti quæ bona fide contraxit. Patet ex *capit. Dominus*, *de ſecundis nupſijs*. Quod ſi vterque cum tali dubio contraxerit, neuter poteſt petere aut reddere: Quia manente tali dubio exponerent ſe periculo peccandi.

Si quis *poſt matrimonium* bona fide contractum incipiat *dubitare* de eius valore, tenetur ad diligentem veritatis inquiſitionem, & durante dubio non poteſt debitum petere: tenetur tamen reddere ob periculum faciendi contra ius alterius. Ita ſtatuitur *cap. inquiſitioni tuæ*, *de ſenten. excommunicat.* Quod ſi poſt debitam inquiſitionem nondum ſiut rationes ſufficientes ad iudicandum matrimonium eſſe probabiliter validum, idem dicendum vt ſuprà, ſi autem tales adſint, poteſt etiam debitum petere, quia ſtat pro illo poſſeſſio bonæ fidei.

Qui tunc cognouit *conſanguineam uxoris ſuæ* in primo, aut ſecundo gradu non poteſt debitum petere ob nouam affinitatem contractam, poteſt tamen, & debet reddere. Idem dic de coniuge obſtricto caſtitatis voto, donec à voto ſuo liberetur. Qui autem contraxit matrimonium obſtrictus voto ſuſcipiendę Religionis, aut Ordinis ſacri, & grauiter quidem peccauit ſic contrahendo, & matrimonium conſummando: ſed poſt conſummationem poteſt petere, & reddere debitum, quamdiù compars ius retinet illud petendi. Ita Doctores communiter.

Diſpenſatio non cadit in impedimenta *iure naturali dirimentia*, vt ſunt error circa perſonam: ligamen prioris coniugij: amentia: impotentia ad copulam, &c. in quibus non poteſt etiam Papa diſpenſare. In ijs autem impedimentis, quæ ſolo *iure Eccleſiaſtico* matrimonium dirimunt: poteſt diſpenſare, non tamen licitè abſque iuſta cauſa. Et in hoc caſu cenſenda eſt inualida diſpenſatio, vtpote ſubreptitia; cum non ſit præſumendum voluiſſe Pontificem facere, quod ei licitum non fuit.

Cauſæ legitimæ diſpenſandi hæ potiſſimum ab auctoribus numerantur. Extinctio magnæ litis, pax conſanguineorum, euitatio ſcandali, conſeruatio illuſtris familiæ in eodem ſemine, excellentia meritorum petentis diſpenſationem: & his deficientibus ſupplere poteſt mulcta pecuniaria proportionata in cauſas pias, aut bonum publicum.

Epiſcopus etiam ob grauem cauſam poteſt ex tacita Pontificis licentia poſt contractum matrimonium diſpenſare in prædictis impedimentis, ſi adſint ſequentes conditiones

1. Si impedimentum ſit occultum , matrimonium autem publicum . 2. Si denunciationes aliæque ſolemnitates non fuerint culpabiliter omiſſæ . 3. Si bona fide initum fuerit matrimonium . 4. Si Separatio non poſſit fieri abſque ſcandalo . 5. Si nimis difficilis ſit recurſus ad Pontificem , aut eius Nuncium , aut alium habentem expreſsam diſpenſandi facultatem. Ita *Auctores communiter*.

Cætera Practica de Matrimonij impedimentis , revalidatione , diſpenſatione , etiam Pænitentiariæ Romanæ traduntur fusè infra Tract. IV. Cap. VIII. vſque ad finem.

Hæreſes , & Errores.

CONtra hanc Theologiæ Partem Tertiam de Sacramentis , adducuntur cum ſuis Auctoribus ac refutatione in fine Tomi I. huius Operis ſub titulo , *Notitia generalis* Dogmatum ab Eccleſia damnatorum , ordine Alphabetico, pag. 144. & ſeq. ſub his titulis particularibus, *Sacramentum , Baptiſmus , Aqua , Abſolutio , Confeſſio , Contritio , Confirmatio , Euchariſtia , Miſſa , Nuptiæ , ſiue matrimonium , Ordo Pænitentia Sacerdotium , Vnctio Extrema.*

Item , *ſuprà Part. II. Contr.* 10. *§.* 6. *pag.* 135. *De Sacramentis , & eorum effectibus.*

COL-

COLLECTIO BREVIS

CONTROVERSIARVM THEOLOGICARVM MODERNARVM,

quæ etiam in Belgio inter Partes varias in Scholis, aut libellis præcipuè ſunt agitatæ, & quarum materiæ ſuis locis hic annotatis tractantur.

D*E PRÆDESTINATIONE, ET GRATIA, An Prædeſtinatio ſic facta ſit, vt Deus ex maſſa damnata, ante omnem præuiſionem meritorum, vnum elegerit ad gloriam, & alium in Maſſa damnata reliquerit. Et ſic vt Doctrina oppoſita dici poſſit cenſurata? Vide ſuprà* Part. 2. Controu. 3. pag. 120.

An etiam ſic, vt aliquibus ex his Deus neget etiam gratiam ſufficientem. Vide ſuprà Part. 2. Controu. 5. §. 3. pag. 124.

An rectè dicatur Chriſtum pro omnibus non eſſe mortuum? Tract. 2. cap. 2. pag. 65. 66. & ſeq.

An GRATIA quæ datur in ſtatu naturæ lapſæ ad ſingulos actus ſalutares debeat eſſe per ſe, & intrinſecè efficax, & victrix, per hoc quod maior ſit hic, & nunc delectatio gratiæ, quam concupiſcentiæ oppoſitæ? ſuprà pag. 63. & pag. 128.

Et an porrò rectè, & propriè dicatur, in hoc ſtatu non dari gratias verè ſufficientes? ſupra pag. 123.

Et hinc Gratiam quæ eſt ſufficiens v. gr. ad conuerſionem ſemper conuertere, quæ verò non conuertit eſſe ſufficientem.

Item, fieri non poſſe vt ex duobus gratia æqualiter interius exteriuſque præuentis vnus conuertatur, alius minimè? Ibid.

De Libertate. *An Libertas in eo ſolo conſiſtat, quod voluntas ex aduertentia rationis ſe determinet ad agendum ex quocumque id oriatur principio?*

Et hinc rectè dicatur, maximam eſſe in Beatis ad Dei amorem quem in cœlo exercent libertatem? ſuprà pag. 63. & alibi.

An potentia quam importat libertas requiſita ad actus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, ſit naturæ, non gratiæ.

De ignorantia inuincibili iuris naturalis. *An hæc in vllo detur: an ſi detur ſit inexcuſabilis, & quod fit ex tali ignorantia ſit verè, & formaliter peccatum? Infrà* Tract. I. *ſub initium, Principio primo.*

De probabilitate. *An rectè, verè probabile cum dubio confundatur. Infrà* Tract. I. *Principio 16.*

An regulariter in dubio pars tutior eligenda. Infrà Tract. I. Princ. 3. & ſeq.

An rectè dicatur, quod Probabilitas in nullo ferè caſu ſit recta regula conſcientiæ ex ea vlterius formandæ. Infrà Tract. I. cap. 2. *de probabilitate opinionum*, §. 3. & ſeq.

De Charitate, & Attritione. *An omnes actiones noſtræ liberæ aut morales ſub peccato referri debeant in Deum per Charitatem aut perfectam, aut ſaltem per Charitatem imperfectam, ſiue per amorem beneuolentiæ prædominantem Dei propter ſe dilecti? Infrà* Tract. I. cap. 3. q. 21 §. 2. & ſeq.

Hinc vlterius, an rectè aſſeratur, quod Attritio nulla ex timore gehennæ, ſecluſa omni tali Dei dilectione, ſit diſpoſitio ſufficiens ad iuſtificationem etiam cum Sacramento ſiue Baptiſmi, ſiue Pœnitentiæ? Ibidem §. 3.

Et quod in Sacramento ne quidem ad iuſtificationem ſufficiat aliquis amor Dei propter ſe dilecti, niſi pœnitens, habeat tamen dilectionem Dei prædominantem, etſi non per ſe iuſtificantem.

Et

Et quod actus v.gr. coniugalis ſit peccatum quoties exercetur ex alio quouis motiuo quantumvis dono abſque caſta Dei propter ſe dilectione? Ibidem.

De Confeſſione, Abſolutione, cæteriſque. *An poſt integram Confeſſionem peccatorum non liceat Sacerdoti pœnitentem abſoluere, niſi prius ſatisfactionem iniunctam expleuerit? Supra* Tom. I. Part. II. *poſt Controuerſ.* 10. *in fine* punct. 4.

An extra caſum neceſſitatis, differenda ſit Abſolutio, niſi de interna pœnitentis conuerſione ſufficienti Sacerdos habeat iudicium moraliter certum? Ibidem punct. 6.

An peccatori habenti conſuetudinem peccandi, etſi in cæteris diſpoſito, differenda ſit Abſolutio niſi adſit caſus neceſſitatis, aut ſigna conuerſionis omninò extraordinaria? Ibidem *Et infrà* Tom. II. Part. II. Tract. 1. Quæſt. XV.

Et an dilatio illa ſit neceſſario continuanda donec integra pœnitentis emendatio conſequatur? Ibid. *ſupra* punct. 7. & ſeq. *item infrà* Tom. 2. Part. 2. Tract. 4. Cap. 5. *de Pœnitentia*.

An dici poſſit non ſatisfacere Parochianos qui Confeſſionem Paſchalem inſtituunt apud Regulares: aut qui Dominicis, & Feſtis Miſſam non in ſua Parochia ſed alibi audiunt? Infrà Tract. 1. cap. 3. Quæſt. 23. & 24.

An Infantes non Baptizati cruciandi ſint pœna ignis æterni? ſupra Tom. 2. Part. 1. pag. 25.

An Pontifex *cenſendus ſit fallibilis in quæſtione Facti definienda, vt de ſenſu Auctoris, aut Sancti Canonizati gloria adepta? ſupra* Tom. 1. Part. 1. pag. 37. 40.

An ſufficiat admittere propoſitionem à Pontifice *definitiuè damnatam, eſſe falſum in aliquo ſenſu fortè incomperto aut indeterminato? V. ſupra*, & pag. 67.

An Recentiorum *auctoritas in Moralibus quæſtionibus condemnanda? Infrà* Tract. 4. Cap. 1. In fine.

Sunt & aliæ Quæſtiones aliquæ modernæ cum prædictis Controuerſijs Scholaſticis ferè connexæ, aut minùs communes, quæ etiam in huius Operis Indice generali ſuis locis facilè reperiuntur.

Decreta, & Bullæ Doctrinæ Theologicæ, maximé Modernæ, in Tomo præcedenti, & ſequenti ſuis locis integrè expreſsè.

BVlla dogmatica Leonis *X. Pontificis*, *contra ſingu'os Articulos Mart. Lutheri, & ſequacium, &c. Supra in* Tract. 1. Tract 3. Artic. 5. pag. 105.

Bulla *Martini V. Pont. damnans articulos Ioannis Vvicleſi, &c.* Ibidem: pag. 107.

Decretum *Sixti V. per Calatinum Nuntium Apoſtolicum de Sententia docente prædeſtinationem poſt præuiſa merita; expreſſum ex parte ſuprà* pag. 205.

Bulla *integra Vrbani VIII. a no 1641. confirmans Conſtitutiones Pij V. & Gregorij XIII. contra Propoſitiones Michaelis Baij: ſuprà* Tom. 1. pag. 38.

Conſtitutio *Alexandri VII. & Innocentij X. contra Propoſitiones Ianſenij, ſuprà* Tom. 1. pag. 141.

Decretum *Alexandri VII. Clero Gallicano de ſenſu ab Auctore ibidem intento, &c. ſuprà* Tom. 1. pag 43. *Declaratio facta Deputatis Accad. Louan.* pag. 142.

Litteræ, *Poſtulatio, & ſubſcriptiones Epiſcoporum Galliæ ad Innoc. X. Pontif. de Ianſenij Doctrina, ſupra* Tom. 1. pag. 54.

Bulla *Alexandri VII. de Immaculata Deiparæ Conceptione*, Tom. 1 pag. 141.

Decreta *in Gallia recenter circa Puncta quædam auctoritatis Pontificiæ: ſupra* Tom. 1. pag. 52. In Tomo 2. Tract. 1. & ſequentibus *infrà*.

Decreta duo *integra* Alexandri VII. *prohibentis propoſitiones* 45. Tract. 1. cap. 1. *poſt Principia practica*.

Decretum *integrum* Innocentij XI. *prohibens propoſitiones* 65. Ibid.

Bulla Cœnæ, *& Caſus illius*, Tract 4. Cap. 4.

Ex decreto, , *Decretalibus*, *Clementinis*, *Extrauagantibus*, *& extra corpus Iuris, Excomunicationes, & Caſus Pontifici reſeruati*: Ibid. §. 2. & ſeq.

Decretum Alexandri VII. *vetans cenſura notari ſententiam docentem ſufficientiam Attritionis ex metu gehennæ in Sacramento, &c. infrà* Tract. 1. Quæſt. 21 §. 3. in fine.

Decretum Innocentij XI. *declarans in particulari Indulgentias arrogatas, & ſubrogatas*. Tract. 3 Cap. 7. in fine.

Facultates Miſſionum *aliæque declaratæ* Par. 3. Tract. 2. Cap. 5. §. 1.

Declaratio Sixti IV. *aliorumque contra impugnantes priuilegia Regularium*, Tract. 1. Quæſt. 25.

Declaratio *Praxis*, & *Facultatis Pœnitentiariæ Romanæ*, *infrà* Tract. 4. Cap. 8. §. 5.

Declaratio, & Regulæ Tridentini *circa Libros prohibitos in quauis claſſe*, *in* Tract 6. circa med.

Bulla Pij V. *exponens formam profeſſionis Fidei pro conuertendis ab Hæreſi, &c.* Tract. 3. Cap. 8.

Innocentij XI. Decretum *circa Communionem quotidianam: formam deferendi Euchariſtiam, & confeſſionem venialium Sacerdoti non approbato, infra* Tract. 4. Cap. 4. §. 4. in fine.

Vide alia diplomata ſingularia, & ſelecta ad calcem huius Operis apponenda.

TOMI SECVNDI PARS II.

R. P. RICHARDI ARSDEKIN

Soc. Ieſu Sac. Theol. Profeſſoris.

THEOLOGIA PRACTICA VNIVERSA,

COMPLECTENS BREVI AC CLARA METHODO,
Actuum Humanorum Principia, Reſolutiones Practicas, ac Modernas, etiam Paſtorales: ac Regulares.

DE RELIGIONE, ET VIRTVTIBVS, DE SACRAMENTIS & Cenſuris: De Iure, & Iuſtitia: De Peccatis, & Vitijs: De Legibus, & Præceptis, cum omnibus nouis Decretis, ac cæteris in omni Parte Theologiæ: Miſſionarijs etiam Apoſtolicis, ac Curatoribus Animarum apprimè accomodatis.

QVIBVS IN FINE ACCEDIT IVRIS CANONICI, CIVILIS, ALIARVMQVE Scientiarum Idæa, Regulæ, Auctores, ac Fori Eccleſiaſtici Praxis multiplex: Item, Scriptores Selectiſſimi Theologiæ, Controuerſiarum modernarum, Interpretes Scripturæ, Hiſtorici Sacri, Concionatores, Aſcetici, Scriptores moderni, ac ſinguli prædicti cum ſuis Scriptis in omni genere materiæ diſtinctè expreſſi.

Ac In Tomo III. ſequenti, Apparatus Practicus pro omni prorſus Functione, etiam materiæ Concionum, Catecheſis, Conuerſationis, &c. Miſſionarij Apoſtolici ac Curatoris animarum.

VENETIIS, M. DC. XCIX.

Apud Ioan. Iacobum Hertz.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX BREVIS
TRACTATVVM

Huius II. Theologiæ Partis, quæ eſt Operis tertia.

TRACTATVS I.

DE *Actuum humanorum Principijs, Conſcientia, Reſolutionibus Particularibus ac modernis.*

Cap. I. *In Actibus Humanis, Damna Laxitatis, & Rigoris informandæ Conſcientia.*

Principia Practica ad Conſcientiam ritè, & ſecurè formandam.

De Ignorantia inuincibili, vincibili, Conſcientia perplexa, ſcrupuloſa, dubia, probabili, practicè certa, &c.

De Lege, Metu, Deliberatione, Conſenſu, opinionum delectu, &c.

Decreta *recentiora, & integra Alexandri VII. circa Prop. 45. & Innocentij XI. circa 65. Propoſitiones prohibitas.*

Cap. II. Controuerſiæ generales Recentiorum, *de opinionum Probabilitate.*

Cap. III. Controuerſiæ particulares modernę, *de probabilitate variarum opinionum in particulari, per quæſtiones 25.*

Cap. IV. Reſolutiones particulares: *Ad Paſtorales Munus, Perſonam, & Priuilegia præcipuè pertinentes, per Quæſtiones 13.*

Cap. V. *De Religione. Quæſtiones præcipuæ circa Munia, & Beneficia Eccleſiaſtica, electionem dignioris, valorem collationis, beneficiorum acquiſitionem, amiſſionem, permutationem, &c.*

De Reſignatione Beneficij, & ſub onere penſionis, &c.

De Eccleſiaſticorum immunitate à vectigalibus, aliſque oneribus, &c.

De Decimis Eccleſiaſticorum.

De Aſylo, priuilegio Fori, Canonis, &c.

Cap. VI. *De Regularibus, Reſolutiones ſingulares.*

De Regularium Nouitiatu, Profeſſionis religioſa, Obligatione votorum Paupertatis: Caſtitatis, Obedientiæ, & alijs Regularium Conſtitutionibus.

TRACTATVS II.

DE *Sacramentis in Genere: eorumque Materia, Forma, Miniſtro, Suſcipiente, Valore, Effectibus, Charactere, &c.*

Cap. I. *De Abſolutione in Sacramento Pœnitentiæ.*

Cap. II. *De Iuriſdictione requiſita: Approbatione Confeſſarij, &c.*

Cap. III. *De impedimentis abſolutionis per Reſeruationem, Cenſuram, &c.*

Cap. IV. *Caſus Epiſcopus Reſeruati, ac ſingulorum Expoſitio, Caſus, & Excommunicationes reſeruatæ Pontifici in Bulla Cenæ, Decreto, Decretalibus, Clementinis, Extrauagantibus extra corpus Iuris, &c. ac poteſtate Epiſcopi in prædictis.*

Cap. V. *Pro Facultate abſoluendi à Reſeruatis, Cenſuris, aliſque Caſibus ad quos debeat aut poſſit Confeſſarius, aut Pœnitens recurſum habere.*

Vbi pecculiariter adducuntur Facultates Miſſionum ſingularum Angliæ; Hiberniæ, Hollandiæ, aliarumque, quoad ipſos Caſus, loca, & perſonas in particulari.

Facultates etiam extra Miſſiones Regularibus concedi ſolitæ.

Summula Caſuum à quibus etiam Priuilegiati vi ſic abſoluere nequeunt.

Caſus in particulari quos Regularium Superiores ſibi poſſunt reſeruare.

TRACTATVS III.

Cap. I. II. DE *Confeſſione Sacramentali, Satisfactione, Indulgentiis, Iubileo, ac Indulgentijs particularibus Miſſionum, &c.*

De Indulgentijs Abrogatis, & Subrogatis recenti Decreto Innocentij XI. Cum Praxi ſpeciali Hæreticos diſponendi, & per Fidei Profeſſionem illic expreſſam reconciliandi, &c.

TRACTATVS IV.

Cap. I. DE *Sacramentis reliquis inſpecie.*

Cap. II. *De* Baptiſmo, *eiuſque materia, Forma, Vnitate Diſpoſitione ſuſcipientis, Miniſtro, Patrinis, &c.*

Cap. III. *De Sacramento* Confirmationis, *cum cæteris eò pertinentibus.*

Cap. IV. *De Sacramento* Euchariſtiæ, *eiuſque*

Materia, Forma, Miniſtro, Diſpoſitione, Præcepto, &c.

De Sacrificio Miſſæ, Stipendio, & alijs ad hoc Sacrificium ſpectantibus. Cum Decreto recenti de frequenti communione, de modo Euchariſtiæ ad ægros deferendi, &c.

De Horis *Canonicis per ſingula.*

Cap. V. *De Sacramento* Pœnitentiæ.

Cap. VI. *De Extrema* Vnctione.

Cap. VII. *De Sacramento* Ordinis, *eiuſque materia, Forma, Conditionibus requiſitis, Priuilegijs, Irregularitatibus, Impedimentis.*

Cap. VIII. *De* Matrimonio, & Sponſalibus. *De matrimonij valore, Miniſtro, Vſu, Impedimentis. Et de illo reualidando, & contrahendo in partibus Hæreticorum. De illius diſpenſationibus, & illarum praxi in Pænitentiaria Romana.*

TRACTATVS V.

D*E Iure, Præceptis, Peccatis, & Legibus.*
Cap. I. *De* Primo *Decalogi præcepto. De Charitate Dei, & Proximi, eiuſque Præcepto, obligatione, & peccatis Charitati oppoſitis.*

Cap. II. *De pertinentibus ad* Secundum *præceptum Blaſphemia, Iuramento, Voto, &c.*

Cap. III. *De* Tertio *præcepto, Feſtorum obſeruatione, Ieiunio Eccleſiaſtico, &c.*

Cap. IV. *De* Quarto *præcepto obligatione liberorum erga Parentes, & Parentum erga liberos, &c.*

Cap. V. *De* Quinto *præcepto, Homicidio, Mutilatione, &c.*

Cap. VI. *De* Sexto *præcepto, Luxuria, & varijs illius ſpeciebus.*

Cap. VII. De Septimo, Octauo, Nono, Decimo *præcepto, ſiue de Iure, & Iuſtitia, de Furto, Rapina, &c.*

Cap. VIII. IX. &c. De Contractibus *in genere, De Donatione, Promiſſione, Commodato, Depoſito, Mutuo, Vſura, Emptione, Venditione, &c.*

De Simonia, *eiuſque natura, & ſpecie multiplici.*

De Teſtamentis, *eorumque valore, ac conditionibus.*

Cap. XIV. De Reſtitutione, *poſſeſſores, & Damnificatore bonæ, aut malæ Fidei.*

Qualiter reſtituendum pro Homicidio, Stupro, Adulterio, Famæ læſione, &c.

De Titulis à Reſtitutione excuſantibus.

Quomodo, & quando ad Reſtitutionem tenetur Index, Aduocatus, Teſtis: & de eorum Forma in Iure procedendi, &c.

TRACTATVS VI.

R*Eſolutiones ſingulares ad Hæreſim, & Par*tes Hæreticorum, *ac* Curatores animarum *vbique pertinentes.*

Deducuntur Reſolutiones illæ per Quæſtiones plurimas, *& nunc exquiſitiſſimas in omni genere Materiæ.*

De Miſſione *etiam* Caſtrenſi *ac* Nauali *Reſolutiones maximè ſingulares exponuntur ac reſoluuntur.*

Appendix. *Praxis varia, ad breuem facilemque Directionem Confeſſarij, & Diſpoſitionem Pænitentis.*

TRACTATVS VII. ſiue APPENDIX.

I*Dea Scientifica, Complectens Iuris Canonici, ac Ciuilis, ſcientiæ Philoſophicæ Mathematicæ, cum annexis. Principia, Regulas, Axiomata, Auctores, ac fori Eccleſiaſtici Notitiam ac Normam multiplicem.*

Accedit nunc, 1. Notitia, & Catalogus Scriptorum ſelectiſſimorum etiam huius Seculi Controuerſiarum omnis generis, contra Hæreticos modernos. 2. Interpretum in totam, & partes ſacræ ſcripturæ. 3. Scriptorum Hiſtoriæ ſacræ, ſiue Eccleſiaſticæ. 4. Concionatorum verbi diuini in ſingulis Dominicis, Feſtis, &c. Aſceticorum ſelectiorum in omni genere materia. Denique Scriptorum Anglicè editorum in quouis facultate ac materia.

In Tomo III. ſequitur Apparatus practicus Materiæ ac Formæ ad omnes prorſus Functiones Miſſionarij Apoſtolici, aut Curatoris animarum, etiam in Concione, Cathecheſi, Meditatione, Conuerſatione cum omni hominum ſtatu, Aſſiſtentia ægris, moribundis hæreticis, &c. Documentis, & remedijs contra ſingula peccata in particulari. Adduntur etiam in forma Eccleſiæ Ritus neceſſarij pro ſingulorum Sacramentorum adminiſtratione: cum alijs recentius adiectis in hac Editione.

THEO-

THEOLOGIÆ PRACTICÆ AC MORALIS

TRACTATVS I.

De Actuum Humanorum Principiis, & Conſcientia ex illis formanda, cum Reſolutionibus Particularibus ac Modernis in vario ac præcipuo genere Quæſtionum.

SVMMVLA Materiæ; & Ordinis huius Tractatus primi, *Laxitatis, ac Rigoris damna in actibus humanis*. Ignorantia *inuincibilis, vincibilis, &c.* Conſcientia *Scrupuloſa, Dubia, practicè certa.* De probabilitate *opinionum informanda conſcientia, diffuſè. De Lege, Metu, Deliberatione, Conſenſu, &c.* Decreta *integra Alexandri VII. & Innocentij XI.*

Controuerſiæ generales Recentiorum de Probabilitate. Controuerſiæ particulares modernæ, per Quæſtiones 25. in quauis materia ſelectiſſimæ.

Reſolutiones ad munus Paſtorale *pertinentes: Quas ſequitur materia de* Relatione *Beneficiis, Decimis, Priuilegiis Fori, Canonis, &c. Ac de* Regularibus *eorumque Statu Votis, Conſtitutionibus, &c.*

SPECVLATIVA Principia de Actuum humanorum natura, libertate, bonitate, malitia, diuiſione, &c. Traduntur ſupra in prim. ſecundæ c. 1. pag. 18. & ſeq.

CAPVT I.

Principia, ſiue Dictamina generalia, & Conſcientiæ directiua pro Reſolutionibus particularibus ritè formandis vitato Laxitatis ac Rigoris exceſſu.

De Laxitate, ac Rigore, eorumque damnis in vſu Principiorum moralium.

PRincipiis rectè formandæ conſcientiæ deo extrema ſummopere obſiſtunt, quæ hoc potiſſimum tempore multum agitantur. Primum eſt, ſtudium nimiæ Laxitatis, alterium, ſtudium nimij Rigoris in Regulis morum vel ſtatuendis, vel applicandis. Vtriuſque damna, & incommoda hic paucis declarantur. Deinde traduntur Principia in quibus illa extrema deuitantur, & viæ mediæ ac ſecuræ inſiſtitur.

Damna & Indicia nimiæ Laxitatis in vſu Principiorum formandæ conſcientiæ.

INdicium nimiæ Laxitatis eſt, receſſus ab obligatione quam Patres, aut probati Theologi, aut Fideles communiter admittunt,

tunt. Quando fit dum Theologus quiſpiam, aut curator animarum in caſu particulari excogitat leues ratiunculas ad eximendum ab aliquo præcepto, à viris probatis vſu, & conſuetudine paſſim recepto, vt eſt, abſtinentia ab ouis in quadrageſima; reſtitutio ſummæ notabilis per modica furta ablatæ, &c. Talis enim extendit immunitatem obligationis vltra limites à præcepto ex communi iudicio conſtitutos: in qua extenſione indebitá, Laxitas, vti Phyſica, ita, & moralis propriè conſiſtit. Damnatur illa in Scripturis ſub nomine *viæ latæ*; & de ea præſcribitur Prouerbiorum c. 22. v. 28. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.*

II. Signum eſt Laxitatis, ſectari ſingulariter opiniones carni, & ſanguini, & cupiditati fauentes quantumuis tenui rationis, vel auctoritatis fundamento ſubnixas. Sic enim procedentes non ſe legi, ſed potius legem ſibi conformare ſtudent.

III. Indicium, & cauſa nimiæ in opinando Laxitatis, vti, & ſæpè Rigoris, eſt affectatio inordinata Nouitatis. Sunt enim qui à via trita, ſicut alij à detritis veſtibus, abhorrent: neutrum eſt ſinceræ modeſtiæ, aut moderationis argumentum.

IV. In hos etiam ſcopulos non raró impellit, ſtudium partium, ſiue contradicendi illis Auctoribus quibus ex cauſa aliqua minus afficiuntur: ideóque ſtatuunt in partem illis oppoſitam ſibi totis viribus incumbendum eſſe: quos animo iam præoccupato vel nimis laxos, vel nimis rigidos facilè imaginantur, vt habeant quod oppugnent. Vnde fit vt qui tales ſunt, potius cæco voluntatis impetu, quàm rationum ductu ferantur; ideoque in alterutrum extremum facilè impingant.

Incommoda verò per hanc opinandi Laxitatem incurrunt maxima. I. Periculum eneruandi Leges ſiuè diuinas, ſiuè humanas, & ab earum ſcopo ſæpius aberrandi. Si enim ad excutiendam legis, ſiuè præcepti obligationem, ſufficeret leuis aliquis rationis, vel auctoritatis prætextu, rari eſſent qui ea ſeriò, & conſtanter implerent.

II. Illa via incurritur periculum non tantùm tranſgreſſionis materialis, ſed etiam formalis, ſiuè malæ fidei. Qui enim id vnum agit, vt quærat leuia, & ſtraminea obligationis effugia, arguitur ille non habere ſerium animum obtemperandi ſiuè in ſe, ſiuè in alijs quorum conſcientias dirigit: vti de ſeruo pigro, & infideli in Euangelio exprimitur.

III. Qui alios docendo, affectant extremam in opinando licentiam, vereri debent ne ſe, aliosque pedetentium in maiora præcipitia inducant. Sic enin natura comparatum eſt, vt qui audacter magis quàm fidenter plurimas legum obligationes pro leuibus, aut nullis ducunt, paulatim etiam in grauioribus eas immodicè laxent aut contemnant, iuxta illud. *Qui ſpernit modica paulatim decidit.* Neque verò exiſtimandum eſt Hæreticos in materia fidei aut morum, aut alios qui ab inſtituto ſuo deficiunt, ſubitò ſibi id faciendum cenſuiſſe; ſed cum cœpiſſent primò in aliquibus iudicio ſuo fræna indebitè laxare, paulatim ad extremam errorum perniciem perueniſſe. Sic de Manichæo refertur, qui negabat Deum ſubſtantiæ corporeæ auctorem eſſe cum primò cuidam Chriſtiano perſuaſiſſet, Deo indignum eſſe pulicem creare, animalculum tam vile, & homini moleſtum: hoc impetrato, vlterius progreſſus facilè perſuaſit, idem dicendum eſſe de muſca, quæ pulicem parum excedit: & hoc conceſſo, idem ſentiendum eſſe de paſſerculo, & ſic gradatim obtinuit vt Chriſtianus ille demum admitteret, Deum nec etiam elephantis, nec vllius animalis auctorem eſſe.

IV. Damna alia Laxitatis in opinando, eaque plurima præ alijs neruoſa breuitate pridem perſtrinxit Goſuinus NiKel. Societ. Ieſu Generalis agens de pernicie laxiorum opinionum in præcepto voti religioſæ paupertatis, in ſua Epiſt. 1. Inſtituti pag. 540. Vt, inquit, „non omni probabilitatis ſpecie careant illiuſ„modi opiniones, an eas operæ pretium eſt paſ„ſim diſſeminare, vt error, & ſcrupuli paucis „eximantur, plurimis ingerantur? Neque eius „inſcitiæ ſunt omnes vt non ſatis intelligant „quàm incertò duci abducendos ſe commit„tant à recta, & regia via, cum in paupertatem „audent quidpiam eorum, quæ certis quibuſ„dam ratiunculis fieri impunè poſſe audiunt: „videntque ſtare ex aduerſo, & contradice„re, non modò ſapientum virorum conſen„ſum & vocem; ſed verò etiam Præpoſito„rum Generalium decreta, qui haſce com„menticias, & noxias opiniones procul à So„cietate ablegarunt .... Et poſt plura inculcat cum *S. Auguſtino Serm. 22.* de verbis Apoſtoli, *Melior eſt fidelis ignorantia, quam temeraria ſcientia.* Decreta Societatis de fuga laxarum opinionum, generatim patent ex Congregat. General. 11. Decreto 22. & ſæpius alibi.

Hanc veri nominis Laxitatem multùm aduerſati ſunt alij viri ſancti, & verè perfecti. Quæ tamen detorquenda non eſt ad illam *benignitatem* opinandi, atque animas dirigendi,

quam

quam viri maximè ſancti ſemper præ oculis habuerunt. Vt de hac ſana, ac probata *Benignitate* prætercam innumeros, inſtat omnium erunt Conſtitutiones S. Dominici, Fundatoris toto orbe celeberrimi ac ſapientiſſimi Ordinis prædicatorum, in Gloſſa prologi ad litteram L. *Declaramus quod tria ſunt præcipuè, quæ ſalutem animarum impediunt..... Tertium eſt auſteritas in conſilijs, & opinionibus terrentur, enim homines in tantùm, vt ſalutem propriam negligant; quapropter relaxanda eſt, quantum fieri poterit Rigiditas, & auſteritas in conſilijs ac homines benignè tractandi ſunt.*

Damna nimij Rigoris in vſu Principiorum formandæ conſcientiæ.

NImius Rigor hic intelligitur, qui Leges & Principia formandæ conſcientiæ ita extendit vt obligationes indebitas, ſiuè paſſim incompertas hominibus imponat: moderatus enim rigor vtilis eſt.

Nocet Rigor ille plurimùm, 1. Per repugnantiam cum lege Chriſti, grauiora ſcilicet Chriſtianæ legis onera inducendo, quàm à Chriſto fuerint intenta, qui apertè pronunciat *Math.* 11. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Idemque de lege Chriſti declaratur 1. *Ioan* 3. Mandata eius grauia non ſunt.

Grauiſſima verò illa præcepta forent, ſumpta cum alijs hactenus ſecutis, ſi accederet fortè obligatio in omnibus ferè quæ circa illa in quæſtionem veniunt rigidiora, & tutiora ex præcepto ſequendi, & exequendi. Quia quo rigidior eſt interpretatio, eo lex euadit grauior, nam per eam extenditur illius obligatio ad plurimos cauſas particulares de quibus incompertum eſt ſub lege contrahendi.

II. Rigor ille tot præcepta multiplicaret, quot ſunt opiniones, aut ſuſpicione falſæ præceptum exiſtere, quando verè non exiſtit in facto particulari. Ille autem opiniones, dubia, & ſuſpiciones ſunt aſſiduò plurimæ.

III. Tot etiam noua onera per ſe iniungeret, quot ſunt opiniones à parte rei falſę circa interpretationem de mente, ſenſu, & obligatione legum ſingularum: tales verò opiniones eſſe innumeras nemo dubitat; cum nemo quantumuis doctus, de mente legis, & legiſlatoris ſit interpres infallibilis. Similia incommoda ſequi in officio iudicis, aduocati, & actoris etiam in materia iuſtitiæ facilè deprehendes.

IV. Nemo etiam auderet ſecurè iudicio ſui Confeſſarij, aut Parochi acquieſcere, dum illum ab aliqua obligatione v. gr. reſtitutionis, aut ieiunij hic, & nunc exemplum declararet. Quia rigidius, & ſecurius eſſet etiam tunc obligationem ſubire, & exequi, cum poſſit Confeſſarius in iudicando errare: plura prætereo huiuſmodi incommoda particularia conſideranti obuia.

V. Si denique hoc onus ſequendi rigidiora poſſim extaret, multum ſuperaret vires imbecillitatis humanæ, atq; inde peccata formalia multiplicarentur innumera. Quia conijceret homines in moralem neceſſitatem committendi plurima peccata alias non committenda Neceſſitas enim hæc manifeſtè coniungitur cum onere grauiſſimo vitandi omnes actus, & omiſſiones in quibus aliqua peccati formido appareret. Cum autem huiuſmodi occaſiones forēt innumerę inſiſtēdo tali rigori, fieri moraliter non poteſt, in hominū imbecillitate communi, & promiſcua, quin inde peccata formalia magnoperè multiplicentur. Quanto enim frequētior occaſio, & perſuaſio peccati tanto difficilior eſt reſiſtentia, & inde lapſus crebriores.

Vnde vlterius colligitur, rigorem talem diuinæ legi non conformari, cuius finis eſt peccata in hominibus imminuere, potius quam ea multiplicari.

Quin, & nimio Rigori indulgendo, plurimæ etiam Hęreſes, & errores in Eccleſiam inductæ fuerunt: Quales ex multis ſunt hæ: Relapſos ad pœnitentiam non recipiendos. Baptizatos ab hęreticis neceſſariò rebaptizandos, vt voluit *S. Cyprianus*. Aliqua peccata eſſe irremiſſibilia ab vllo Sacerdote, vt *Armeni*. Item hæ: Non peracta pœnitenia confitentes abſolui non debent, *Petrus de Oſma*, Quilibet timor gehennæ facit hominem hypocrytam, & magis peccatorem, *Lutherus*. Motus concupiſcentiæ etiam in voluntarij ſunt vera peccata, *Caluinus*. Non licere carnibus veſci, *Manichæi*. Solos bonos eſſe in Eccleſia, *Donatiſtæ*. Non licere Eccleſiaſticis habere poſſeſſiones *Vuiclefus*. Et neminem ſaluari niſi ſit pauper. Epiſcopum peccantem hoc ipſo amittere Epiſcopatum, idem *Vuiclefus*. Fidem amitti quouis peccato mortali *Lutherus*. Illicitum: omninò eſſe Chriſtianis iurare. *Vualdenſes*, Item, Bellum gerere, *Anabaptiſtæ*. Illicitas eſſe ſecundas nuptias, *Nouatiani*. Illicitum Chriſtianis coram Iudice petere reparationem iniuriæ, *Lutherus*.

Addi etiam poſſint dogmata quædam recentiora in Ianſenio damnata quæ deprehendes in errorem impegiſſe per immodicum ſentiendi rigorem. Scilicet hæc, Aliqua Dei præcepta etiā iuſtis eſſe impoſſibilia: Ad peccandū

ſiuè

ſiue demetendum in hoc ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem à neceſſitate: Chriſtū pro omnibus mortuum non eſſe, Eadem ratione damnatæ variæ propoſitiones Baianæ, exempli tantùm cauſa: Nullum eſſe peccatum ex natura ſua veniale, ſed ſic mereri pœnam æternam: Omne quod agit peccator, vel ſeruus peccati peccatum eſſe: Omnia opera infidelium eſſe peccata. Hominem peccare damnabiliter in eo quod neceſſariò facit: & aliæ quæ ſingulas conſideranti facile occurrent.

Damnati ſunt etiam in hoc genere Libelli varij, vt à Clemente IX. Rituale Aletenſe &c. qui inducere volebant antiquam, vt aiebant, pœnitentiæ canonum ſeueritatem, alioſque ſentiendi, & exequendi rigores.

Hæc, aliaque plurima, quamuis in nimio ſentiendi Rigore conſiſtant, non ideò illa minus erronea, & ad animarum noxam tendentia meritò ſemper cenſuit Eccleſia, quam omni æuo horum ſingula vehementer turbarunt. Vnde porrò patet Eccleſiam non tantum à nimia Laxitate, ſed etiam à nimio Rigore poſſe perturbari, quamuis Rigor apud viros perfectos magis gratum nomen obtineat, ſed qui in *obſeruando*, non *opinando* præcipuè conſiſtit.

Vt autem clarius appareat, per viam iſtius immodici rigoris, quanta Fidelibus obligationum moles, quamque portatu difficilis accreſcere poſſit.

Notandum ſedulò eſt, ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ, quàm leue cenſeri poſſit fidelium onus in legum numero, ſi cum præſenti conſeratur. Vltra legem naturæ in Decalogo omnibus communem, Legum à Chriſto, & Apoſtolis latarum ſummula ferè conſiſtebat in quinque præceptis Eccleſiæ, & ſuſceptione quorumdam Sacramentorum. Quantùm contra aliquos decertarunt Apoſtoli, ne vel vna lege circumciſionis, ſemel tantum in vita, Chriſti fideles grauarentur? Ab illo autem tempore expende, quanta acceſſerit Legum, & præceptorum multitudo. 1. In quindecim vaſtis Tomis Conciliorum. 2. In tot voluminibus Bullarum Pontificiarum. 3. In omnibus Tomis ſiue Oceano iuris Canonici. 4. In tot vaſtis voluminibus iure Ciuilis, cuius etiam Leges plerumque in conſcientia obligare agnoſcimus. His adde tot Leges particulares Antiſtitum in ſua diœceſis, Principum in ſuo regno, aut territorio, Prælatorum Capitulorum & Superiorum Regularium, pro omnis perſonis ſibi ſubiectis. Quanta hæc quamque multiplicia conſcientiæ vincula ac grauamina.

Nunc porrò aduerte, nullam eſſe harum omnium Legum ac Præceptorum de qua in actionibus, & circumſtantijs particularibus non poſſint centena obligationis dubia exoriri. Si ergo in his omnibus iudicandum eſſe in Rigore pro obligatione tamquam tutiori, quæ ſæpè à parte rei nulla ſubeſt, inducerentur obligationes indebitæ multo plures quàm ſit numerus omnium illarum legum ac præceptorum quæ ſupra recenſui. Quàm immenſa forent hæc fidelium grauamina, & conſcientiarum vincula pro tota communitate hominum, ex illo Rigore orta, nemo non videt. Dixi, pro tota communitate hominum, barbaris, ruſticis, plæbeis, &c. nam quod dentur aliqui viri perfecti, quibus nullus grauis eſt Rigor, huc non pertinet.

Vnde in prædictis valdè obſeruandum eſt, hic Rigorem piæ ac ſtudioſæ obſeruantiæ; quæ ad voluntatem præcipuè pertinet, minimè improbari: Imò nec vllius *Auctoris* aut *Scholæ* doctrinam in particulari redargui, nam omnes in vitando illo extremo rigoris exceſſu qui hic ſolus exprimitur, libenter conſentire exiſtimo.

Ex his igitur omnibus tantum intendo declarare, quantum Theologo incumbendum ſit, vt in formandis, & applicandis Regulis ſiue principijs conſcientiæ, & morum, vti à nimia Laxitate, ita etiam à nimio Rigore ſedulò caueat. Huic nos documento inſiſtentes, & ab vtroque extremo declinantes, viam mediam, tutam, ac probatam in ſequentibus principijs ac Reſolutionibus retinere ſtudioſè conabimur.

Principium primum.

De dictamina Conſcientiæ, & ignorantia inuincibili.

S*Emper tenetur quilibet ſequi dictamen ſuæ Conſcientiæ, quamdiu, re examinatâ, nulla in oppoſitum dubitandi ratio occurrit* Hoc eſt. Si homo ſine ſua culpa abſolute iudicet hic, & nunc ſe obligari ſub peccato ad aliquid agendum, vel omittendum: actu peccabit, ſi ſe iſti iudicio non conformet; & non peccabit, ſi conformet; quamuis aliàs à parte rei contingeret actionem, aut omiſſionem illam aliqua lege eſſe prohibitam.

Ratio eſt, quia Conſcientia noſtra eſt proxima

xima regula voluntatis, deriuata à prima regula omnium actionum humanarum, nempè à Lege diuina, & æterna, vt docet *S. Thom.* 1. 2. *Quæſtion.* 19. *Artic.* 3. Ergo qui agit ſecundum dictamen Conſcientiæ, naturali regulæ, à Deo ſibi conſtitutæ, ſe conformat.

Hinc fit vt omninò exiſtimans ſe obligari ad ieiunium die Dominico, teneatur à cibis vetitis abſtinere. Et contrà, iudicans non eſſe abſtinendum à carnibus die Veneribus, non peccet ſi carnibus veſcatur, quamdiu non poteſt ab illo errore ſe expedire.

Ignorantia inuincibilis.

SVnt quidam hoc tempore qui negent hoc Principium valere in actibus qui procedunt *ex Ignorantia inuincibili* iuris naturalis, vt ſi mentiaris ignorans mendacium eſſe peccatum, aiunt te per hoc à delicto non excuſari. Hanc doctrinam tradidit Ianſenius in ſuo *Auguſtino Tom. 2. de ſtatu Nat. lapſæ lib. 2. c. 2.* illam ſuſcepit cum paucis defendendam Sinnichius in *Saule Exrege lib. 1. cap. 196.* Eamdem fouere conatur alius recentior, ſed quaſi vmbram captans, ambigendo an talis ignorantia detur in rerum natura, credit tamen probabile eam dari, & à peccato non excuſare.

Sed contra, ignorantiam illam dari, & à peccato formali excuſare, probat inuicta ratio, communius auctoritas, & ipſe S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. cap. 19. *Non* inquit, *tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Quin & ipſa ratio cum Auguſtino docet, in eo quod caueri non poteſt deeſſe voluntarium ſiue liberum ſine quo nequit peccatum admitti: caueri autem non poteſt malitia quæ ſic ignoratur vt de ea nulla prorſus animam ſubeat cogitatio. Fruſtra autem opponitur, hanc ignorantiam in nobis ex libero Adami peccato profluxiſſe, niſi etiam velis nobis ad peccatum imputari ea quæ contra legem naturæ ex cecitate, amentia, aut concupiſcentia ex peccato Adami profluente nolentes incurrimus; quod nemo ſanè admiſerit, qui nolit hinc in alium errorem deuolui, qui negat libertatem à neceſſitate ad peccandum requiri, quod in Propoſ. 3. Ianſenij, & alijs pridem damnatum eſt. Nec vmquam oſtendetur, cur minus à peccato excuſet ignorantia inuincibilis iuris naturæ, & ex ea geſta, quàm ea quæ eſt iuris diuini, aut poſitiui, quæ pariter ex Adami peccato profluxit, quàm tamen aduerſæ doctrinæ defenſores à delicti reatu omninò eximunt. Suademus tamen, & nos à Deo poſtulari illuminationem cordis, &c. ad eam præueniendam.

Denique, ſi doctrina illa vera foret, ſequeretur aliquando dari caſum, in quo quidquid agas vel omittas neceſſariò ſtatueris peccati reus. Vt ſi inuincibiliter iudices ad liberandum innocentem re hic, & nunc ad peierandum obligari; ſi peieres, formaliter peccas, quia ignorantia hæc à formali peccato non excuſat, vt ipſi volunt: ſi non peieres, peccas contra conſcientiam dictantem te nunc ad peierandum teneri.

Sequeretur ſecundò, aliquos Sanctos Patres qui ex inuincibili ignorantia errores aliquos in materia iuris naturæ docuerunt, vel operando ſecuti fuerunt, damnandos eſſe, ſi ante mortem errores illos debitè non retractarunt. Tertio, cum in quæſtionibus iuris naturę aliter in multis opinetur ac doceat tota Schola Thomiſtica, aliter tota Scotiſtica, neceſſariò alterutra tãta quanta eſt, in formali peccato continuò verſabitur. Neque minus illis iniurius eris, ſi ignorantiam illam vincibilem affirmes, quaſi tot, taleſque iſtorum Ordinum viri integerrimi ad veritatem aſſequendam ſe non ritè diſponant. Eſt tamen quidam recentior qui oſtendit ſe hunc bolum tam craſſum velut culicem facilè deglutire, quidni, & camelum.

Ex dictis ſatis liquet, Ea quæ fiunt ex ignorantia inuincibili iuris naturæ, nec eſſe homini libera, nec ad peccatum imputari poſſe: ac proinde doctrinam aſſerentium eam à peccato non exſcuſare, principium eſſe dirigendę conſcientiæ non magis idoneum, quam ſit iſtud: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; quod omninò damnatum eſt, ac ſupra refutatum Tom. I. Tract. II. cap. 2. §. 2.

Principium II. Ignorantia vincibilis.

C*Onſcientia vincibiliter erronea non excuſat abſolutè à peccato operationem aut omiſſionem, quæ ex illa ignorantia procedit.*

Ratio eſt, quia cùm ſit in hominis poteſtate conſtitutum præuio veritatis examine errorem illum vincere, & deponere, operatio mala quę inde ſequitur, ſaltē in ſua cauſa, eſt illi indirectè voluntaria, & ad culpam imputabilis. Potuit enim cauſam illius depellere, quam tamen amouere neglexit. Ignorantia enim

enim *vincibilis* eſt quę depelli potuit, & debuit *inuincibilis* quæ pro hominis arbitrio vinci non potuit, vti cum D. Thoma tradit *Vvigger. 12. Quæſt. 7. Art. 8. Malderus, alijque Theologi*.

Hinc fit, vt quis peccet atteſtando rem falſam, quàm putat eſſe veram, ſi ante à neglexerit veritatem inquirere: Item, vt delinquat omittendo Sacrum; etſi iudicauerit diem non eſſe Feſtum, ſi noluit in cognitione Feſtorum debitam curam adhibere. Et ſic de cæteris.

Nota tamen, peccantem ex ignorantia vincibili non ſemper comittere nouum peccatum formale diſtinctum à præterita omiſſione inquiſitionis deditæ. Vt, ſi quis pridem ſua culpa neglexerit inquirere, an tali die ſoleat eſſe ieiunium, & poſtea ignarus ieiunij iſto die carnes commedat, non incurrit ille tunc nouum, & formale peccatum contra præceptum ieiunij, de quo ipſi illo tempore nihil in mentem venit. De ignorantia vincibili in punctis Fidei, an, & quomodo conſtituat hæreticum, vide ſupra de Fide pag. 35.

Conſcientia perplexa, & ſcrupuloſa.

QVi ita perplexus eſt, vt vtrumque oppoſitorum iudicet eſſe peccatum, eoque errore nec per ſe, nec per alium expedire ſe poſſit, eligere tenetur quod ipſi minus malum apparet. Quia in illo caſu alia non ſuppetit via, bona fide conſcientiam formandi. Vt ſi aliquis die feſto ſolus aſſiſtens moribundo; exiſtimet ſe peccare ſiue ægrum deſerat ſiue ſacrum omittat, debet eligere potius Sacrum omittere, ſi iudicet illud præceptum minus obligare ſicut verè minus obligat, quàm præceptum charitatis proximi.

Quod ſi nec hoc ipſum determinare poſſit, quid ex duobus apparet minus malum, *quidquid egerit peccatum non incurret*. Quia cum abſolutè neceſſarium ſit rem vel facere vel omittere, ſi ſic conſtitutus peccaret, ex neceſſitate peccaret, quod omninò repugnat.

Licitum eſt operari cum conſcientia ſcrupuloſa, an aliquid ſit peccatum, manente etiam ſcrupulo, dummodò iudicetur eſſe ſcrupulus, & tanquam talis contemnatur: Vt ſi cui ſoleat inhærere apprehenſio peccati, ſi in die ieiunij moderato potu ſe reficiat.

Quia ſcrupulus conſiſtit in vana apprehenſione, & inde orta anxietate, nè ibi ſit peccatum, vbi nullum ſubeſt. Atqui cum illa apprehenſione conſiſtit prudens iudicium, quod illa non obſtante licitè operetur: ergo poteſt etiam manente ſcrupulo illum contemnere, & iſti iudicio ſe conformare. Sic enim procedendo nulli ſe peccandi periculo exponit: quia cum ſcrupulus ex leui aut inani fundamento procedat, non tollit iudicium practicum, & ritè fundamentum de licita operatione.

Vt autem hoc iudicium magis in particulari fundetur, iuuat tam pœnitentem, quam eius Confeſſarium reflectere ad *notas, & ſigna* conſcientiæ ſcrupuloſæ. 1. Quod aliorum iudicijs acquieſcere non audeat. 2. Quod ex leui apparentia iudicium de eadem re frequēter mutet. 3. Quod habeat reflexiones impertinentes circa innumeras rei circumſtantias. 4. Quod aduertatur ſiue ab ipſo, ſiue à Confeſſario, quod ſoleat in rebus ſuis eſſe nimis inquietus, anxius, & perturbatus. 5. Quod deprehendatur antea ſæpius talia apprehendiſſe ſine fundamento: etſi aliquando circa caſus alienæ conſcientiæ ſatis reſolutè, & intrepidè procedat.

Remedia præcipua vt conſcientia ſcrupuloſi ad rectam normam reducatur. 1. Aſſueſcere ad pellendum timorem ſcrupuli, contrarium audacter operari ſic enim clauus clauo pelli debet 2. Nihil iudicare mortale, niſi id certò ſciat. 3. Cauere otium, & vagas cogitationes quæ mentem ſcrupulis infeſtant. 4. Eligere virum probum, & prudentem cuius iudicio firmiter adhæreat, nec illud apud ſe in examen inducat. 5. Aduertere quod poſſit ſe conformare communi iudicio, & conſilio Theologorum, Quod ſcilicet, dum angit ſcrupulus nec ſuppetit aliunde conſilium, poſſit ſe ad quam vult partem liberè reſoluere, niſi certò illi conſtet eſſe peccatum. Item, quod ex Confeſſionibus prętēritis nihil teneatur repetere, niſi certò ſciat eſſe mortale, & ſe illud ritè confeſſum non eſſe: quod certò illi conſtare non poteſt quamdiu dubitat. Ratio horum eſt, quia periculum aliquod remotum peccati materialis, vel integritatis in confeſſione, non debet euitari cum tam graui incommodo hærendi in illa anxietate perpetua, alijſque malis quibus homo multum ſcrupuloſus inuoluitur; cum ab illis difficultates etiam minores aliquando excuſent.

Quinimò poteſt actus eſſe virtutis veræ, Deo gratiæ, ac meritoriæ prædictis modis ſcrupulis reſiſtere. Quia poſſunt ſcrupuli plurima

rima impedire bona, & plurima procurare mala tam in ſe, quam in proximo, niſi illis reſiſtatur. Imò ex his poteſt fieri, vt *maior ſit ſcrupuli materia, ſcrupulis non reſiſtere*.

Itaque tenentur plerumque illi perito Cõfeſſario acquieſcere, & ſua apprehenſione poſtpoſita illius ſe iudicio conformare. Quod conforme eſt ipſi S. Auguſtino, qui Paulino ſuadet, vt iſtiuſmodi *Intricationes animi* cum perito ſprituali medico communicet. Et exploratum ſatis eſt, pleroſque ſcrupuloſos etiam doctiſſimos (quorum ipſe aliquos noui) hoc vnico remedio potuiſſe curari.

Quin & ego addo, vt bonas illas, & ægras animas ad illam curationem efficacem magis impellam, *Tales volendo ſic euitare peccata, in plura peccata incurrere*. Quod breuiter declaro. Illi ad innumera non præcepta tamquam ad vera præcepta, & peccata hærent. Et tamen obnoxij ſunt fragilitati humanæ ad labendum, ſicut ſunt omnes homines. Ergo ſic exponunt ſe frequentioribus formaliter peccandi periculis. Quia illis ex ſuis ſcrupulis centeni peccandi caſus, & perſuaſiones occurrunt, à quibus alij homines iudicij recti, & non ſcrupuloſi, ſunt omnino immunes. Hoc ſaltem motiuum ſolidè conſideratum debet illos, etiam ex ſuo genio, efficaciter adigere, ne dictum remedium reſpuendo, dum vitant ſtulti vitia, in contraria currant.

Cœtera quæ de his ſupra tradidi conformia ſunt communiori Doctorum ſententiæ apud *Nauarrum in prælud. num. 9. Sanchez 1. moral cap. 10. Filliucium, Peſantium, Valentiam, Breſſerum*, & alios qui hanc materiam latius tradiderunt.

Principium III. In Dubio quomodo agendum.

Q*Vi operatur cum Conſcientia practicè dubia, committit peccatum eiusdem ſpeciei cum eo de quo dubitat*. Dicitur autem *practicè dubia* quando pergit dubitare, non tantùm de bonitate obiecti, ſed etiam de honeſtate ſuæ actionis hic, & nunc exercendæ. Exempli gratia, ſi quis dubitans an ſibi licitum ſit hic, & nunc in die feſto ſtudere, pergit nihilominùs ſtudio incumbere, incurrit idem peccatum quod ex Feſti violacione contraheret.

Ratio eſt, quia talis exponit ſe periculo peccandi, cùm non habeat determinatum iudicium quod operatio ſua ſic licita potiùs, quàm illicita. Tenetur proinde actionem ſuam ſuſpendere, donec re vlterius examinata dubium deponat, & licitam eſſe ſuam actionem ex prudenti ratione concludat.

Quibus autem Regulis homo in Dubio conſtitutus poſſit ſe reſoluere ad dubium deponendum, & licitè agendum, ex ſequentibus principijs magis in particulari intelligitur.

Principium IV. Dubitanti fauet poſſeſſio.

I*N dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Hanc *Regulam* plurimi Theologi intelligunt non tantùm de poſſeſſione alicuius rei, aut iuris, ſed etiam libertatis, id eſt: Quando poſt diligens examen dubium adhuc perſeuerat, licitum eſt homini quam velit partem amplecti modi infra explicandis. Quia per ſolum dubium nemo cenſetur de conſueta poſſeſſione & vſu ſuæ libertatis deturbari. Quod ſi è contra, poſſeſſio præcipiendi præſumatur ſtare pro lege, aut præcepto, non cenſetur homo poſſidere ſuam libertatem à legis obligatione ſolutam.

Ratio autem dictæ Regulæ ſiue exiomatis eſt quod cuiuſlicitum ſit vti ſua libertate quam à Deo accepit ad agendum, & non agendum, quamdiu poſt diligens examen non conſtat illum ea poteſtate eſſe priuatum: ſicuti licitè retinet alia ſua bona quamdiu non probatur ea alteri eſſe deuincta; hoc autem non ſatis probatur, quamdiu res intra dubium hæret.

Quod autem dicitur, *In dubio tutior via eligenda*, rectè notat cum alijs *Doc. Louanij Vuigerus 1. 2. q. 19. art. 3. nu. 50.* Regulam illam ſine limitatione acceptam non ſemper eſſe præcepti: & aliquando tantùm eſſe coſilij docet *Nauarrus, Bonacina, Sanchez, Layman*, & plures alij.

Sed quia aliquando dubium eſt pro qua parte ſtet ipſa poſſeſſio, an pro lege, aut voto, aut libertate, &c. vt hoc reſoluatur ſtatui poteſt hæc Regula: In dubio, quid, vel quis ſit in poſſeſſione, iudicandum eſt poſſeſſionem pro eo ſtare pro quo eſt præſumptio iuris: ſi verò dubitetur pro quo ſtet ipſa præſumptio, iudicandum ſtare pro eo qui onus probandi reijcit in alium, vt eſt Reus, cui ſufficit crimen, vel obligationem negare, quàm Actor debet probare. Quod ſi præſumptiones ſint ex vtraque parte, præualere debent validiores. Si verò ſint vtrimque æquales, ita iudicandum eſt, ac ſi nulla præſumptio eſſet. Eſt autem ipſa *Præſumptio iuris*, ſuſpicio quædam vero ſimilitudinis à iure approbata, vt in dubio eam tamquam aſſenſum verum, & pru-

& prudentem ſequamur, donec veritas aliunde innoteſcant.

Addo hic vlteriores rationes, quibus oſtenditur prædictum principium tam in materia Iuſtitiæ, quam omnium aliarum Virtutum locum habere, & in hoc eamdem eſſe de illis rationem.

Primò, Ideo in materia Iuſtitiæ potior eſt conditio poſſidentis, ſic vt ſequi quis poſſit partem minus tutam, rem ſibi retinendo, quia ius dubium eſt vtrimque æquale inter poſſidentem, & non poſſidentem, & inſuper pro poſſidēte accedit quod ius actualis poſſeſſionis ſit certum, adeoque hoc potiori iure vincit ius dubium alterius non poſſidentis. Atqui eadem ratio æquè militat pro poſſeſſione libertatis in materia cuiuslibet alterius virtutis, vt in materia dubij præcepti, voti &c. Ergo eodem modo vtrobique procedendum eſt.

Minor probatur: Quia in dubio, v.g. præcepti, eſt æquale ius parte voluntatis vt non obligetur, & ex parte præcepti vt ei obedientia præſtetur; & inſuper ſupra hoc ius vtrimque dubium, ex parte voluntatis accedit ius certum poſſeſſionis ſuæ libertatis, qua per obligationem vtrimque dubiam priuari non poteſt: adeoque ſua illi libertas integra, & ab obligatione immunis perſeuerat. Alioqui deberet pro obligatione prorſus dubia, & quæ nullo modo probari poteſt, ſpoliari ſua certa, & naturali libertate, & cogi ad ſubeundum totum onus, quod tunc ſubeundum eſſet, quando obligatio eſſet certa, & manifeſta; quod non videtur æquum, aut rationi conſentaneum. Ius etenim certum hoc eſt, Volenti imponere obligationem priuantem libertate incumbere onus iſtius obligationis probandæ, quæ nunquam per dubium probari poteſt.

Secundò, quia iudicandum eſt eodem modo in foro interno, quo in externo, quando externum non innititur alicui falſæ præſumptioni cognitæ, vti tradunt paſſim Doctores, etiam Iuris, cum *Baldo*, *Nauarro*, *Conar. Mart. Ledeſma*, *Suare*, *Salas &c.* apud *Sanchez*, *in præcepta lib.1. cap.* 10. Atqui in foro externo, quando conſtat dubiam eſſe obligationem, nemo ad eam adſtringitur, ſed pro libertate, & iure poſſeſſoris iudicatur. Quia fauorabilior eſt cauſa Rei, quam Actoris: & actore non probante plenè, reus abſolui debet. Ergo idem in foro interno iudicandum eſt dum agitur de obligatione conſcientiæ.

Hanc doctrinam ſuſius tradunt Doctores plurimi apud *Sanchez*, *ſupra num.* 11.16. & 36. qui docent, Dubium an vouerit, aut iurauerit, aut tunc vſum rationis habuerit, ad nihil teneri: & ſolius Conſilij eſſe hic ſequi partem tutiorem. Et latius idem probat Suarez 3. *par diſput.*40. *ſect.*5. & 6. vbi ait, incredibile ſibi eſſe, quod in dubio iuris, & in omni dubio facti neceſſarium ſit amplecti partem tutiorem: & *num.*15. ait falſum eſſe, & ſine fundamento, poſſeſſionem in ſola iuſtitiæ materia ſuffragari.

Quædam quæ in contrarium adducuntur maximè depromi ex aliquibus locis iuris non ritè explicatis, oſtendit *Sanchez ſupra*, vbi ea diſſoluit *nu.*15. Cęterum in *iure* nihil frequentius accurrit quam huiuſmodi *Regulæ*; In pari cauſa, poſſeſſor potior haberi debet. Semper in dubijs benigniora præferenda ſunt. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus iuſtius, quam tutius eſt. Cum ſunt partium iura obſcura, reo potius fauendum eſt, quam actori. Hæc enim in omni materia à periculo indebiti grauaminis, & formalis ſæpius admittendi, hominem longius amouent.

Ad hoc *Principium* Theologo valdè reflectendum eſt. Nam viam oppoſitam tenendo, imponeret ipſe hominibus centius plura præcepta, quam ſint omnia præcepta quæ conſtat à Deo, aut Natura, aut Eccleſia, aut Republica illis imponi. Mirum hoc prima fronte videbitur, ſed clarum eſſe demonſtro. Quia circa quodlibet Præceptum aut legem, in actionibus particularibus poſſunt dubia centum, & multò plura varijs paſſim hominibus ſuboriri vt aſſiduè occurrunt plurima, etiam viris doctis. Si igitur illi vniuerſi quoties dubitant, debeant obligationem certam ſubire & tutius ſequi, manifeſtum eſt quod debebunt centuplo plures obligationes particulares, & incompertas ſuſtinere, quam ſit numerus omnium præceptorum aut legum generalium certò obligantium. Porrò vt ex prædictis principijs particulares caſus ſolidè deducantur, ad ſequentia aduertendum erit.

Principium V. Dubium, An Lex ſit lata.

Qvi dubitat de aliqua Lege, an ſit lata, vel de Voto, an ſit emiſſum, reſoluere poteſt, ſe tali legi, aut voto non obligari.

Quia vt lex, vel votum obligationem inducant, debent ſic proponi vt prudenter præſumatur ea verè exiſtere: cum autem in caſu id præſumi non poſſit, dubitans manet in poſſeſſio-

ſeſſione ſuæ libertatis. Hinc, ſi cras ſit ieiunium, & dubites an ſit hora duodecima noctis, poteſt carnibus veſci. Quia non conſtat legem ieiunij pro illa hora eſſe latam, adeòque voluntas retinet poſſeſſionem ſui arbitrij vt iſta hora carnibus vtatur.

At ſi conſtet legem, aut votum exiſtere, ſed tantùm dubitetur an illis *ſatisfaceris*, ad ſatisfaciendum obligaris: Quia tali caſu lex, & votum eſt in poſſeſſione. Hinc fit vt indubitatus Sacerdos plenè dubitans an Hores legerit, eas perſoluere teneatur: Vti & alij caſus particulares ab illo principio dependentes, quod tunc lex ſit in poſſeſſione, & melior ſit conditio poſſidentis.

Principium VI. Dubium, an caſus particularis ſit Lege comprehenſus.

QVi certus eſt de Lege lata, ſed dubius eſt an caſus occurrens lege illa comprehendatur, rectè reſoluit ſe quoad illum caſum non obligari.

Quia præſumptio quoad hoc punctum eſt pro libertate, non autem pro lege, cùm poſt diligens examen maneat dubium, an in lege caſus ille contineatur. Exempli cauſa, Preceptum eſt die Dominico abſtinere ab opere ſeruili: dubium manet an pingere ſit opus ſeruile; non teneor à pingendo abſtinere.

Si autem conſtet caſum lege contineri, ſed dubium ſit an illi *ſatisfactum*, teneris ſatiſfacere. Hinc certus de peccato, dubius de confeſſione, ad confitendum tenetur: quia ſic lex confitendi eſt in poſſeſſione.

Principium VII. Dubium, an Lex acceptata, aut abrogata.

QVando conſtat de Lege, ſed dubium eſt an fuerit recepta, aut poſtea abrogata, pergit illa dubitantem obligare. Quia pro lege, quam conſtat exiſtere, ſtat præſumptio, & poſſeſſio iuris vt ei obtemperetur; ac proinde allleganti, eam ab initio non eſſe acceptatam, aut aliquando fuiſſe abrogatam, incumbit probatio illius quod allegat, quàm cùm dubius exhibere non poſſit, manet ea lege adſtrictus. Quamuis in dubio de legis *Acceptatione* probabile ſit eam non obligare, cùm plures doceant leges ſaltem ciuiles ſine populi acceptatione eſſe inualidas, vti tenent plerique Canoniſtæ, *Ita Nauarrus, Azor. alijque citati à Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 3.*

Principium VIII. De Fine legis ceſſante.

QVando conſtat finem adęquatum legis ex toto ceſſare, ceſſat etiam totaliter eius obligatio: vti cum communi docet *Suar. Couarr. Ariaga de leg. d. 27. ſect. 6.* Ratio eſt, quia lex ordinatur tamquam medium ad procurandum bonum aliquod publicum, vel priuatum, vel malum auertendum: ergo quando obſeruatio legis ad hæc nullo modo conducit ceſſat habere rationem talis medij.

Exempli cauſa: ſi lex lata ſit vt nemo egrediatur ciuitate ob metum hoſtis, deſinit obligare, ſi conſtet hoſtem procul abeſſe.

Hinc etiam inferunt aliqui probabile eſſe, apud *Arriaga ſupra*, alioſque. Ceſſante fine adæquato legis in caſu particulari, probabile eſſe pro eo caſu ceſſare legis obligationem. Quia quando ratio adæquata legis ex toto ceſſat, deſinit etiam tota eius obligatio, ergo dicendum eſt illam in vno caſu deſinere, in quo adæquatus eius finis euaneſcit. Et hinc infertur, ceſſare in caſu indiuiduo legem correctionis fraternæ, quando ex alterius admonitione nulla correctio ſperatur.

Principium IX. Dubius de Debito, De Solutione, & alijs.

QVi dubius eſt, poſt diligens examen, an aliquid alteri debet, nihil tenetur ſoluere. Quia iniqua eſſet ſolutio certa pro debito incerto, vt habet conſenſus communis.

Verùm, qui *certus* eſt de debito, & tantùm *dubius eſt an perſolueris*, à ſolutione non eximitur, *Suarez, Vaſquez, Dian. Part. 2. Tract. 6. reſolut. 49.* Eo enim caſu pro debito ſtat poſſeſſio. Si tamen ipſe ſimul creditor de accepta ſolutione dubitaret, opinantur alij, debitorem ad nihil teneri, *Tanner. 1. 2. diſtinct. 2. quæſt. 6. d. 4.* &c. Alij docent pro qualitate dubij ad partem obligari, *Layman, Dian. Part. 4. Tract. 6. reſolut. 32.* &c. quod haud dubiè tutius eſt.

Hinc ſi *depoſitarius*, aut *commodatarius* dubitet an culpa ſua amiſerit rem quam depoſitam aut commodatam accepit, non tenetur ad reſtitutionem pro ea præſtandam. Quia vterque eſt in poſſeſſione libertatis, neque lex vlla reſiſtit, neque culpa præſumitur, niſi caſus ſit talis in quo culpa interuenire ſolet: quod etiam docet *Scilder* de conſcientia *pag. 42.* & *Bardi pag. 594*

Si *mutuatarius* aliquid mutuanti dederit ſupra

pra ſortem, ſiue valorem rei mutuatæ, & dubium ſit an gratuitò donauerit, non licet mutuanti illud accipere. Quia lex, pro mutuo nihil accipiendi, niſi gratuita donatione, eſt in poſſeſſione; non præſumitur autem donatio: vt etiam docet *Leſſius*, *Bardi*, *alijque* contra *Caietanum*.

Dubitans an *Cenſum* debeat, non tenetur ſoluere, niſi creditor antea ſit in poſſeſſiones exigendi: Quia alter eſt in poſſeſſione libertatis non ſoluendi, nec in tali dubio præſumitur cenſum deberi: ita etiam *Scilder* ſupra *pagin.* 464. *&c.*

Qui dubitat de *ætate*, *doctrina*, aut de alia ſimili conditione requiſita ad *Ordinem* ſacrum, aut aliquod Officium, non poteſt licitè illum Ordinem, vel Officium poſtulare. Quia Lex requirens talem conditionem eſt in poſſeſſione, & conditio non præſumitur poſtulanti ineſſe, niſi id ab eo probetur, quam dubius probare non poteſt. *Aliud* eſt de quibuſdam conditionibus quę quaſi naturaliter inſunt, vt innocentia, quæ præſumi ſolet. Hoc pluribus ritè confirmat *Scilder ſupra*, quamuis ex principijs à nobis nonnihil diuerſis.

Principium X. Dubium Poſſeſſoris ſuperueniens.

Nihil *obeſt dubium ſuperueniens bonæ fidei poſſeſſori.* Quia, vt ex dictis colligitur, debet ei poſſeſſio fauere. Hinc ſi emiſti equum bona fide, & poſtea dubites an fuerit Petro ablatus, retinere potes, ſi nihil certius occurrat. Contraxiſti matrimonium bona fide, exoritur dubium de valore, poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſi dubium permaneat, licebit debitum coniugale reddere alteri parti bona fide petenti: licere etiam tibi petere, cum multis docet *Thom. Sanch. & Dicaſtillo de Iuſt. lib. 2. Tract. 2. diſp. 5. d. 8. n. 221. & Diana p. 3. tr. 3. reſol. 15. citans. 8. Auctores valde probatos*, qui ibi apud eum videri poſſint.

Principium XI. Dubius de Legis Iuſtitia.

In *dubio de ſola Legis Iuſtitia ſubditus ei parere tenetur*. Quia legiſlator poſſidet Ius præcipiendi, à quo ſubditus per ſolum iſtiuſmodi dubium non probat ſe eſſe exemptum. Quod verum eſſe, etiamſi contra legis iuſtitiam occurrant etiam rationes probabiles, docet hic *Suarez cum pluribus*.

Principium XII. De Legum interpretatione.

In *Legum interpretatione, odia ſunt reſtringenda, fauores ampliandi. Reg. iuris 15.* Hoc eſt, quæ odioſa & pœnalia ſunt, non debent extendi vltra proprium, & rigidum verborum ſenſum: ſecus, quando leges gratiam aliquam largiuntur, & dubitatur de aliquo an verbis legis comprehendatur, iudicandum eſt potius eum comprehendi. Præſumitur enim legiſlator ad fauores quam ad pœnas eſſe propenſior. Hinc in dubio an Cenſuræ verba te comprehendant, iudicandum eſt non comprehendere.

Ad hæc Principia reuocari poſſunt variæ iuris vtriuſque Regulæ, quas circa finem huius 3. Partis ſimul collectas adduco.

Reliqua Principia de Legis aut Præcepti obligatione.

Lex à præcepto diſtinguitur, quod *Lex* definiatur, Recta agendorum ratio, à publica poteſtate communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuò obligandi: *Præceptum* vero ſiue mandatum tendat tantum ad perſonas ſingulas, & cum illis extingui ſoleat.

I. Lex vt obliget, debet eſſe honeſta, iuſta, poſſibilis, pro communi vtilitate lata, conſtans ac perpetua. Hæc enim legis finem, & naturam conſtituunt.

II. Poteſtas Legis obligationem tollendi illius eſt cuius eſt legem inſtituere: vt legiſlator, & illius in eadem poteſtate ſucceſſor.

III. Tollitur etiam oblibatio legis humanæ, per conſuetudinem legitimè prǽſcriptam in ea non obſeruanda. Præſcriptio illa compleri ſolet per decem annos in lege ciuili, per quadraginta in lege Eccleſiaſtica recepta.

IV. Vt lex ſub mortali obliget, requiritur ad hoc intentio legiſlatoris, & materiæ capacitas. Hinc fit vt legiſlator poſſit rem grauem ſub leui culpa præcipere.

V. Lege humana non cenſetur per ſe præcipi aut prohiberi *actus mere internus*: ſed tantum quando actus internus requiritur, vt externus humano modo procedat. Inde fit vt dum hæreſis anathemati ſubijcitur, non cenſeatur comprehendi hęreſis mere interna, ſiue quæ non prodit in vllum actum externum, vt fuſius infra Tract. VI.

VI. Finis ſiue intentio præcepti, non cadit ſub præceptum. Hinc etſi ieiunium præcipiatur ad macerationem corporis, ſatisfit tamen

præ-

præcepto quamuis ex ieiunio nulla corporis maceratio ſequatur.

VII. Qui ob ſolum Metum opus præceptum exequitur cenſetur tamen præcepto ſatisfacere. Vt ſi ſeruus piger adigatur ad Sacrum die feſto audiendum, aliàs non auditurus.

VIII. Lex in præſumptione fundata ceſſat obligare, ſi de contraria veritate poſteà conſtet. Quia præſumptio cedit veritati. Fundatur autem lex illa in præſumptione, cuius formale motiuum, & conditio intrinſeca eſt præſumptio de alicuius rei veritate. Vt ſi lex inſtituatur ad euitandum aliquod malum, cuius periculum nullum eſſe, aut fore deprehenditur.

IX. Leges poſitiuæ ordinariè non obligant cum periculo vitæ, mutilationis, grauis infamiæ, aut grauis iacturæ bonorum temporalium. Hinc in tali periculo non obligamur ad præceptum Ieiunij Eccleſiaſtici, ad Sacrum in die feſto, ad Confeſſionis integritatem, &c.

Dixi, *ordinariè*; nempè niſi ex neglectu legis maius Reipublicæ incommodum timeatur, quàm æſtimari debeat periculum, aut iactura priuata. Item, niſi tranſgreſſio legis ceſſura ſit in contemptum Poteſtatis legiſlatricis, aut Fidei, aut Religionis detrimentum. Quia vbi hæc concurrunt, ipſa lex naturæ exigit vt legis poſitiuæ obſeruatio damno proprio præferatur. Hinc, non obſtante graui periculo, illicita eſt comeſtio carnis die ieiunij, ſi in præcepti Eccleſiaſtici, aut Religionis contemptum illa poſtuletur. *Ex quibus Principijs facilè alia plurima in particulari deduces.*

Principium XIII. & XIV. De ijs quæ ex Metu fiunt.

I.

Metus alius eſt iuſtè incuſſus, alius iniuſtè. Item, Alius eſt metus cadens in *virum Conſtantem* qui etiam dicitur grauis, & probabilis qualis eſt metus mortis, magni cruciatus, exilij, diuturni carceris, grauis infamiæ, amiſſionis magnæ partis bonorum aut fortunarum, aut aliorum his æquiualentium. Alius eſt metus cadens in *virum non conſtantem*, qui dicitur leuis, & vanus metus vtpotè qui oritur ex leuioribus cauſis, conſiderata ſimul perſonæ qualitate, ſexu, ætate, &c. ex cuius diſpoſitione, & imbecillitate metus poteſt iudicari grauior, qui in alijs meritò leuior cenſeretur.

I. Ad euitandum culpam formalem nullus metus cenſetur iuſtus, aut cadens in virum conſtantem, ſi propter illum aliquis in peccatum etiam veniale conſentiat, ſed ſæpè in ordine ad euitandam obligationem ex promiſſione, aut contractu excuſat metus cadens in virum conſtantem. Vt ſi quis ob talem metum, debitum incucienti remittat, aut illi promittat matrimonium.

II. Metus non tollit voluntarium: quia non ſolet tollere conſiderationem malitiæ, aut honeſtatis rei agendæ aut omittendæ: minuit tamen peccati malitiam, & pœnam: quia minuit in agendo libertatem.

III. Vis, & coactio propriè, & ſimpliciter dicta quæ membris exterioribus infertur, tollit ab illis actionibus omne voluntarium, omnemque culpam: & ſic Patres dicunt per violentiam ſtupri animam nequaquam maculari.

IV. Contractus, & promiſſiones ex Metu qui ab *extrinſeco* incuſſus non fuit, ſed tantum ab *extrinſeco conceptus*, omni iure valere cenſetur: Vt ſi ſpondeas Religionem profiteri, vt decretum iure mortis ſupplicium, vel in mari naufragium effugias, ſponſione illa obligaris.

V. Promiſſiones verò, & contractus directè extorti per Metum grauem ab extrinſeco prouenientem, valent quidem iure naturali, & ciuili, cum in illis non deſit conſenſus abſolutus: attamen ſecundum æquitatem arbitrio Metu paſſi reſcindi poſſunt. Vnde ſi latroni grauem Metum ad hoc incurrenti pecuniam, aut equum promittas, potes à promiſſio liberari.

II.

Metus in violatione Præcepti negatiui.

Nullus Metus excuſat à violatione præcepti naturalis negatiui prohibentis rem intrinſecè malam. Hinc ob Metum mortis non licet vnquam mentiri; aut aliquo ſigno fidem negare. Repugnat enim rem eſſe intrinſecè malam, id eſt, à malitia inſeparabilem, ſi poſſit in aliqua circumſtantia honeſtari.

III.

Metus in violatione Præcepti poſitiui.

M*Etus grauis ſæpè excuſat à præcepto poſitiuo tam diuino, quàm humano.*

Hinc cum periculo vitæ, aut grauis infamię, non teneris obſeruare integritatem Confeſſionis, aut explere votum, aut ſuccurrere proximo in extrema neceſſitate corporali.

Verùm in *extremo* neceſſitate ſpirituali non obſtante mortis metu, teneris v.gr. baptizare infantem certò moriturum, aut abſoluere peccatorem moribundum, quando conſtat alia via non poſſe iuuari. Ad hæc tenetur etiam in *graui* neceſſitate Parochus, cui ea cura ex officio incumbit.

Principium XV. Violatio præcepti indirecta *quomodo ſit peccatum.*

N*On violas præceptum, qui ponis cauſam, ſiue actionem indifferentem, ex qua præter intentionem ſequitur effectus malus, & æquè immediatè bonus, quando huius bonitas, illius malitiam elidit.*

Ratio eſt, quia talis non intendit directè effectum malum in ſe, vti ſupponitur. Neque illum intendit indirectè in ſua cauſa, cum illius cauſam aſſumat tantùm in ordine ad effectum bonum, & ſolùm permiſſiuè ſe habeat ad effectum malum per accidens ſecuturum, quem non tenetur cum omiſſione æqualis boni, & ſuo incommodo impedire. Eſſet enim illa generalis, & frequens obligatio humano commercio nimis oneroſa; vti fuſius declarat *Sanch. in præcepta l. 1. cap. 7.*

Hinc I. Licita eſt Mercatori venditio gladij, etſi timeat indè ſecuturam iniuſtam alterius læſionem; aut vini, ex quo videt fortè alios inebriandos: ſi nequeat ſine notabili detrimento gladium, aut vinum ementi negare.

II. Licitum quoque eſt Duci in bello iuſto turrim hoſtilem euertere, etſi videat innocentes in ea concluſos eadem ruina inuoluendos eſſe.

III. Poſſunt famuli equum parare, & officia quædam alia remotiora præſtare, licet cogitent Dominum ſuum obſequio illo ad peccata vſurum. Quia ex omiſſione iſtius obſequii ſequeretur ordinariè in famulos grauis indignatio, aut percuſſio, quæ efficitur malum ex eorum actione ſecuturum ipſis non imputetur.

IV. E contrà, ad peccatum imputatur effectus malus, qui præuidetur ſecuturus ex cauſa ſecundum ſe indifferenti, quando non adeſt ratio proportionata, quæ cauſam illam poni requirat, vel quando actio hic, & nunc non habet alium vſum niſi malum. Quia agens tunc cenſetur iuxta morale iudicium hominum intendere iſtum malum vſum ſeu effectum. Hinc illicitum eſt apponere hoſpitibus cibum, quo videntur violaturi ieiunium quando ad hoc nullus vrget Metus incommodi grauioris: Non licèt etiam alium iuuare ad aſcendendum per feneſtram, qui præſumitur furtum, fornicationem, aut aliud graue peccatum intendere, & ſic de cæteris. Confirmantur hæc ex propoſitione 51. ab Innocentio XI. reprobata, *Famulus qui ſubmiſſis humeris, &c.*

Quæres: quomodo poſſit Confeſſarius violationem præcepti *mortalem*, à *veniali* peccato diſcernere.

Reſpondeo: Peccatum mortale à veniali optimè diſcerni per Regulas ſequentes. *Primò*, ex *grauitate materiæ* prohibitæ aut præceptæ colligitur grauis obligatio: materia autem *grauis* cenſeri debet quam prudentes ſolent multùm æſtimare, ſiue in ſe, ſiue in ordine ad finem à legislatore intentum; v.gr. exercere opus ſeruile ſine neceſſitate per notabilem partem diei feſti, non autem per vnam horam. *Secundò*, ſi legislator vtatur verbis grauiter prohibentibus in materia non leui, v.gr. *mandamus; diſtricte prohibemus, vel præcipimus*: poteſt enim, ſi velit, & id declaret, materiam grauem leuiter prohibere. *Tertiò*, mortalis eſt violatio præcepti cui additur *grauis pœna*, aut *cenſura* Eccleſiaſtica, aut quando aliquid præcipitur, in *virtute* ſanctæ obedientiæ. *Quartò*, ex parte pœnitentis; cenſentur Rudes mortaliter peccaſſe, quando oſtendunt ſe dum peccarent rem grauiter apprehendiſſe aut magnam conſcientiæ turbationem; & remorſum habuiſſe, vix enim norunt hi rudes alio indicio formalem peccati ſui malitiam explicare.

Regulæ porrò annotandæ, de Deliberatione *intellectus, &* Conſenſu *voluntatis ad mortale, aut veniale requiſitis.*

I. A*D peccatum quodcumque incurrendum requiritur aliqua malitiæ moralis conſideratio*, id eſt, ad eam aduertere, aut aduerſionem debitam ſponte non impedire. Hinc etſi intellectus ſatis aduertat rationem delectabilis, aut vtilis, & inculpatè nihil cogitet

tet de malitia ſuæ actionis, nullum omninò peccatum commitet, quamuis actio illa longo tempore duraret. Ratio eſt, quia ad culpam requiritur libertas, nequit autem eſſe libertas ſine rationis aduertentia, & deliberatione, liberatio verò nulla poteſt eſſe circa malitiam amplectendam quamdiù hæc non cognoſcitur. Vt ſi quis in die ieiunij, nihil de præcepto cogitans, aduertit tamen cœnam ſibi iucundam, & vtilem, nullum peccatum cœnando committit.

II. Si inſit ſubiecto *duplex malitia*, & tantùm ad vnius ſpeciei malitiam aduertatur, circa hanc ſolam peccatum admittet, non circa alteram. Vt ſi quis rem ſacram furetur, & aduertat ad malitiam furti; non autem ſacrilegij, ſolum furti peccatum committet. Quia non adfuit principium ſufficiens de hac poſteriori malitia deliberandi.

III. *Ad peccatum mortale* plena conſideratio malitiæ grauis requiritur. Vel, conſideratio malitiæ in genere, quando abſque debito examine malitiæ leuis aut grauis ad agendum aliquis temerè ſe reſoluit: Vel de his dubitans ad agendum procedit. Primum ad mortale requiritur: quia cum peccato lethali diſſolutio amicitiæ diuinæ, & pœna æterna debeatur, alienum eſt à recta ratione credere tanto, & tam pleno ſupplicio hominem abſq; plena, & perfecta conſideratione obnoxium fieri. Secundùm etiam declaratur: quia qui ſic, ſine examine procedit, manifeſto ſe peccati mortalis periculo exponit: Et tantùmdem facit ac ſi diceret, ſibi perinde eſſe ſiue Deum grauiter ſiue leuiter offendat.

Dixi in primo, *plena conſideratio*, non enim ſufficit ad mortale ſemiplena, & imperfecta conſideratio malitiæ etiam in ſe grauis: qualem habent qui nondum à ſomno plenè excitati in motibus venereis, aut pollutione malitiam tantum imperfectè, & confusè animaduertunt, quamuis hæc ſufficiat ad veniale: plena autem conſideratio comparatur cum ea quam habet de illis homo iam plenè, & perfectè à ſomno excitatus, & talis requiritur ad mortale. Et ita differentiam hanc, ſæpè in praxi difficilem, explicat *Caietanus* in Summa, verbo, Delectatio, & *Vaſquez* Diſp. 107. Cap.4.

IV. *Ex parte voluntatis*, ad peccatum mortale plenus, & perfectus voluntatis conſenſus requiritur: ſicut diximus de perfecta conſideratione ex parte intellectus. Et ratio eadē eſt, quia ſine tali conſenſu non cenſetur incurri Dei inimicitia, & pæna æterna; cum etiam in commercio, & contractibus humanis infinities leuioris momenti, frequenter ſoleat conſenſus ille perfectas conſiderari. Hinc poſita etiam plena conſideratione intellectus, ſine hoc conſenſu voluntatis dari nequit lethale peccatum. Quia vbi ſunt plures iudices, ordinati, ſententia finalis ſpectat ad iudicem ſupremum. Ratio autem ſuperior eſt in anima ſupremus Iudex, & conſenſus plenus ad mortale requiſitus, & ſententia finalis in tribunali conſcientiæ. Ita etiam *D. Thomas*; *Caiet.* alijque hic cap.2.q.15. art.4. Vt autem hæc in praxi, & actibus particularibus clarius diſcernantur, notandæ porrò ſunt Regulæ ſequentes.

V. Quando rei prauæ appetitum aduertens, *ſe ita diſpoſitum ſentit*, vt quamuis facile eam rem actu exequi poſſet, nō exequeretur metu peccati, ſignum habet ex quo iudicet, aut conſenſum nullum, aut tantum imperfectum, & venialem ad fuiſſe. Quia cum potentia executiua promptè ſubſit voluntati talis diſpoſitio indicat voluntatem nondum ſe ad conſenſum determinaſſe.

VI. Quando *motus prauus* in aliquam rem tempore vix perceptibili inſurgit, & cum primum occurrit eum rationi aduerſari, voluntas curam adhibet illum expellendi, per hoc datur indicium iudicandi nullum fuiſſe conſenſum perfectum ſiue mortalem. Quia cum præcedere debeat conſideratio, ſiue diſcurſus intellectus de rei malitia, ſpatium temporis ſaltem breue ad deliberandum requiritur, cum conſenſus peccaminoſus non poſſit eſſe indeliberatus.

VII. Non ſatis colligitur *conſenſus in peccatum* ex ſola delectationis ſenſibilis perſeuerantia poſt plenam illius conſiderationem. Quia appetitus ſenſitiuus quo delectamur, non eſt plenè ſubditus voluntati vt ipſa imperante ſtatim deſiſtat, ſicut ipſi ſubiectus eſt motus manus, linguæ, & ſimilium membrorum.

VIII. *Quando qui dubitat*, an dormiens an vigilans, an ſui compos, an ad alia vehementer diſtractus, aliquid voluerit, dixerit, aut fecerit, argumentum habet maximum non plenæ deliberationis, aut conſen ſus perfecti ad mortale requiſiti. Quia plenus vſus rationis non impeditę, homines de ſuis actibus certiores redd ere ſolet: adeoq; ſi plenus ille vſus rationis tunc ad fuiſſet hominem de ſua actione dubium non reliquiſſet. Et hoc argumentum tanto certius eſt, quanto magis is qui dubitat, peccatum timere, & abhorrere ſolet. Sicut qui morbum multum timet, etiam longius diſtans; facilius apprehendit ſe infici, quam alius audientior infecto proprius aſſiſtens.

H 2 Ex

Ex his principijs multùm lucis hauriet tam pœnitens, quàm prudens Confeſſarius, vt diſcernat peccata à non peccatis, mortalia à venialibus, reſeruata à non reſeruatis cum nulla cenſeantur reſeruata quę defectu deliberationis, aut conſenſus non ſunt mortalia.

Principium XVI. De probabili, & quomodo Dubium à Probabili diſtinguendum?

VAldè accuratè notandum eſt; magnam eſſe differentiam inter dubium (de quo ſupra actum eſt,) & opinionem, ſiue ſententiam probabilem quam differentiam non ſatis etiam nunc aliqui diſcernunt.

Dubium eſt ſuſpenſio iudicij circa rem propoſitam, ſic vt nequeat intellectus affirmare ita eſſe vel non eſſe. Hoc autem oritur aliquando ex penuria rationis pro vtraque parte, vt cum dubitatur, an Stellæ ſint pares, an impares: aliquando ex æqualitate aliqua rationum pro vtraque parte occurentium, vnde fit vt intellectus nequeat ſe ad alterutram partem determinare, quamdiu æqualitatem rationum actu expendit: quamuis voluntas ſtante illa motiuorum ęqualitate, aliquando poſſit aliunde intellectum ad vnius tantum partis aſſenſum inclinare.

Opinio autem probabilis eſt, quæ nititur ratione, vel auctoritate graui, quamuis ex ſe non certa, ex qua ſcilicet homo prudens in rebus magni momenti concludere ſolet.

Vnde patet primò, opinionem dici probabilem *intrinſecè* quando pro motiuo habet rationes ab auctoritate diſtinctas: probabilem verò *extrinſecè*, quando ſola auctoritas mouet ad aſſenſum.

Patet ſecundò, Opinionem verò probabilem debere niti motiuis, *quæ per ſe ſufficiant* vt intellectus poſſit determari ad eliciendum pro vna parte iudicium prudens, quamuis incertum, & ineuidens, eo quod motiua iſtius iudicij non ſint tam euidentia vt poſſint intellectum de rei veritate certum reddere. *In dubio* autem motiua tam ſunt exigua; aut ex vtraque parte tam ęqualia, vt ſi inter ſe conferantur, nequeant pro vlla parte aſſenſum generare, aut conſcientiam ad prudentem actionem per ſe dirigere.

Itaque *vlterius examen*, quod diximus adhibendum, dum conſcientia hæret dubia, ad hoc plurimum ſeruit, vt maioris momenti rationes inueniantur, quæ ſufficiant ad formandum opinionem probabilem, qua poſſit homo ſe à dubio expedire, & ad operandum prudenter, & practicè reſoluere.

Principium XVII. & XVIII. Operatio quando licita ex Opinione verè probabili, & minus probabili.

L*Icita eſt plerumque operatio, vel omiſſio quæ procedit ex opinione verè probabili.* Dixi *plerumque*, quia ad hoc quædam in ſequentibus ſunt obſeruanda & excipienda.

Ratio huius patet ex ipſa *definitione*, & natura opinionis probabilis, & ex communi hominum æſtimatione. Nemo enim operationem illam vituperio dignam exiſtimat, *quam ex graui rationis, vel auctoritatis fundamento licitam eſſe iudicauit*, quando poſt diligens examen ad maiorem veritatis certitudinem peruenire non potuit. Sic enim viri prudentes in rebus magni momenti procedere ſolent.

De communi illo Prudentium iudicio in omni genere hominum ritè diſpoſitorum, patet primo ex communi conſenſu Doctorum, qui in hac ſententia omni tempore conueniunt, quorum vltra centum, & ſexaginta adferri poſſint qui in ſuis Scriptis eam tradiderunt, quibus tantum pauci ſunt qui repugnant moderni.

Secundò. Idem conſenſus reperitur in tota Reipublicæ Hierarchia. Nam clarum eſt pleraque Principium, Superiorum, ac Magiſtratuum præcepta in imponendis gabellis, ſiue alijs obſequijs, & legibus, fundari ſæpè in ſola probabilitate de honeſtate rei hic, & nunc præceptæ. Quod ſi hæc non ſufficeret, ſequeretur illos non poſſe licitè præcipere vlla alia, quàm quæ omninò certò ſcirent obiectiuè eſſe honeſta, & legitima: adeoque pauciſſima poſſent licitè præcipere. Quia ex illis quæ per ſe certò honeſta ſunt, pauca, vt obtineantur, præcepto indigent. Sequeretur inſuper, *ſubditos* non poſſe obtemperare quoties directè certum non eſſet, honeſta omninò eſſe quę à Superioribus pręcipiuntur. Et ſanè tutius eſſet in his omnibus non præcipere, & non obtemperare, ſi nullo modo poſſent licitè probabilitati de obiecti honeſtate ſe conformare.

Tertiò, in omni tribunali, nullus Cauſidicus, aut Aduocatus dubitat ſe honeſtè ac prudenter procedere, defendendo Cauſas propter rationes quæ probabile iudicium generant de earum iuſtitia, aut honeſtate.

Quartò, Medici omnes, ſi non habeant medicinas quas iudicant certò profuturas (quod *rariſſimè* contingit) non dubitant adhibere medicamenta, quæ iudicant probabiliter ad

ægri

ægri ſanitatem conducere, quamuis non ſine formidinem partis oppoſitæ. Neque ſunt qui in hac praxi ſceleris eos condemnent.

Quintò, Mercatores paſſim in ſuis contractibus, & nauigationibus, Artifices, & Agricolę in ſuis Commercijs iudicant ſe prudenter operari, quando probabilem tantùm habent ſpem lucri, etſi nulla adſit certitudo lucri obtinendi, ſed potius formido non leuis de oppoſito. Hos verò omnes ſi in hoc imprudentes, & peruerſi iudicij eſſe contendas, receptos orbe toto mores, & inditum paſſim hominibus rationis dictamen abolere neceſſe eſt.

Si igitur hæc probabilitas communi hominum iudicio ad prudentem operationem ſufficiat in rebus illis, ex quibus etiam illorum fortuna, ſalus, & ſtatus dependet, quomodo eadem ſufficiens non erit, vt actiones humanæ prudentes, & moraliter honeſtæ, & rationi conformes cenſeantur? quod latius exponitur paulò infrà inter Controuerſias recentiorum Cap. 2.

Licitum eſt ſequi opinionem verè probabilem, relicta etiam aliquando opinione oppoſita *probabiliori, & tutiori*: ſecluſa tamen certa iniuria, periculo proximi, vel lege, aut conuentione in contrarium, aut periculo grauioris mali, & ex cauſa, & alijs de quibus cap. 2. infrà. Hæc ſententia eſt communis, & à longè maxima Theologorum parte ſemper recepta adeò vt pro ea cum S. Antonino, Maldero, Vuigers, ſupra centum Auctores citari poſſint, vt infra oſtendam.

Ratio huius clara eſt, Primò, quia qui ſequitur ſententiam graui auctoritate, vel ratione non leuis momenti innixam, non agit temerè, ſed prudenter procedit, agendo communi more hominum prudentium: Atqui opinio minus probabilis nititur auctoritate graui, vel ratione non leuis momenti; de tali enim ſententia minùs probabili hic agimus: Ergo qui iuxta illam operatur, non agit temerè, ſed vt ſolent procedere in ſuis rebus viri prudentes: prudenter autem operando nemo cenſetur peccare.

Secundò, Conſtat multò probabiliorem eſſe auctoritate Doctorum hanc ſententiam, quod liceat aliquando ſequi minùs probabilem, minuſque tutam, quam opinionem, quæ id negat. Ergo omnibus expenſis amplectendo opinionem minùs probabilem, reflexè ſequor ſententiam probabiliorem, quæ docet licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem.

Tertiò, quia eſſet onus parum conforme infirmitati humanæ, ſi cuiuis ſub reatu Peccati incumberet in rebus agendis ſemper inquirere. Vtra duarum opinionum ſit probabilior, & quoad omnia tutior. Imò ſæpiſſimè cogerentur homines actionem rectè inchoatam interrumpere, quoties ſcil. de nouo ſe offerrent aliquæ rationes, quæ *facerent* opinionem, quæ anteà videbatur minus probabilis, modò apparere probabiliorem. Rationes hę fuſiùs deducuntur infrà *Tract. I. Cap. 2. & ſequentibus*.

Hinc etſi probabilius ſit legem purè pœnalem in materia graui obligare ſub mortali, vti cum 19. alijs docet *Suarez*, licitè tamen ſequeris opinionem contrariam cum *Nauarro*, & 7. alijs probatis auctoribus, ſic ſentientibus. Vndè ſimilia reſolues plurima.

Dixi ſuprà, *ſecluſa certa iniuria proximi aut lege, aut conuentione in contrarium, aut periculo grauis mali*, &c. Quia illa impediunt vſum opinionis ſpeculatiuè probabilis, eo quod efficiant ne tunc poſſim habere iudicium practicè certum de honeſtate meæ operationis. Hinc licet mihi ſit probabile feram eſſe non hominem quàm video moueri in ſylua, ſi tamen probabilius, aut etiam probabile ſit eſſe hominem, non poſſum me licitè ad iaculandum in eam reſoluere; ideq; propter periculum grauioris mali, quod in adimenda hominis vita conſiſtit.

Principium XIX. De conſcientia
Practicè certa.

Qui operatur cum opinione verè probabili, poteſt reflexè ſic procedere vt habeat conſcientiam practicè certam, quod licitè operetur.

Ratio eſt. Quia poteſt eſſe certus quod opinio, quà nititur, ſit probabilis, id eſt, nitatur motiuis grauibus, ex quibus viri prudentes in rebus magni momenti operari ſolent. Atqui certus eſt quod prudenter agendo non poſſit peccare. Ergo practicè ſecurus eſt ſi ſic procedat, quod hic, & nunc operando peccatum non admittat. Illa enim concluſio eſt practicè certa, & ſecura, quæ ex præmiſſis certis ac indubitatis deducitur: Et quamuis de materiali honeſtate obiecti non ſit ſecurus, certus tamen eſt de formali honeſtate ſuæ actionis. Vndè ſi probabiliter ieiunus, iudices tibi hic, & nunc bonum eſſe communicare, hoc ipſo practicè certum eſt tibi licitum, & bonum eſſe ad Communionem accedere, etſi aliàs ſpectata rei exigentia, ſiue ex cauſa tibi non ſatis nota, communio illa prohibita foret.

Neque hoc eſt dictamen aliquod nouum, aut à Theologis excogitatum, ſed ipſi naturę rationali inſitum, & iuxta quod procedunt paſſim homines nullis Theologiæ principij, ſed ſolo rationis lumine inſtructi, dum circa res per ſe non euidentes operantur, etſi ad ratiocinationem ſuam diſtinctè non reflectant. Sic agricola dum hæret incertus, an propter periculum pluuiæ liceat hic, & nunc in die Feſto fænum, aut ſegetem colligere, adit ſuum Parochum, & ab eo reſolutionem poſtulat. Parochus pro captu ſuo reſoluit id licere, quamuis à parte rei periculum pluuiæ tam magnum non ſit vt vere excuſet. In hoc caſu agricola determinat ſe vt credat Parocho, quamuis motiuum illi credendi multis de cauſis ſit fallibile. Et tamen certum eſt, quod in hac agricolæ diſpoſitione, liceat illi in die feſto laborare; & hoc ipſum euidenter cognoſcit: quia rationis ductu procedit ad hunc ſyllogiſmum, & concluſionem euidentem. Licitum eſt mihi omne obiectum quod poſt idoneum examen prudenter iudico non eſſe prohibitum. Atqui ego poſt idoneum examen apud meum Parochum, an tali die colligere fænum ſit prohibitum, prudenter iudicio illud non eſſe prohibitum. Ergo hic, & nunc mihi licitum eſt velle tali die fænum colligere. Hæc concluſio eſt vltimum dictamen conſcientiæ, ex præmiſſis euidentibus, certum, & euidens, cui voluntas in operando ſe rectiſſimè conformat. Quod ex natura rei etiam vlterius declaratur. Si poſt operationem illam Agricola à quopiam interrogetur: quomodo auſus fuerit in die feſto fænum colligere? Non reſpondebit, quia mihi certum erat pluuiam ſecuturam, aut Paſtorem meum in hoc à vero non aberrare. Sed dicet, quia poſito illo probabili pluuiæ periculo, & Paſtoris reſponſo, certò iudicaui, & concluſi, & tunc licitum eſſe fœnum colligere. Ecce certitudo conſcientiæ non ponitur in ipſo obiecto circa quod agendum eſt, ſed in euidenti, & vltimo dictamine conſcientiæ de licita operatione hic, & nunc exercenda.

Porrò ſimili modo omnes paſſim homines, recti ac ſinceri, quoties operationis malæ arguuntur; ex ipſo rationis dictamine hanc excuſationem tamquam legitimam depromunt: Omnibus vt potui conſideratis, & motiuis non leuibus inductus, concluſi ſic mihi faciendum eſſe; ſi erraui, non eſt mea culpa. Et in hoc, quoad forum internum conſcientiæ, tam ipſi, quàm alij non dubitant ſe prudenter acquieſcere.

Huius principij euidentia oſtenditur etiam à priori in ordine ad iudicium diuinum. Quia non habemus à Deo aliam Regulam proximam actionum noſtrarum, quàm prudens dictamen conſcientię noſtrę: & ſecundùm hoc à Deo iudicabimur, non ſecundùm obiectiuam rei veritatem, à qua viri probi, & ſancti ſępe aberrant, etiam dum meritoriè operatur. Ergo quando poſt debitum examen ex congruis motiuis prudenter iudicamus aliquid licitum eſſe, & hoc ipſum reflexe cognoſcimus, inde nobis euidenter conſtat, illud Regulæ nobis à Deo conſtitutæ rectè conformari, ac proinde honeſtum, & licitum eſſe. Hoc autem eſt quod principium illud importat: ergo manifeſtè conſtat de illius principij euidentia.

Et hæc eſt vnica certitudo conſcientię quę ad operandum circa obiecta magis vel minus probabilia formari poteſt: & quę ritè elucidata facilimè amouet lapidem offenſionis, ſiue ſuſpicionis de modo minus ſolido in illis procedendi: quod, & pluribus exponitur infrà de Controuerſijs generalibus, *Cap. 2. § 1. pag. 91. & ſequentibus.*

Principium XX. Quid in probabili de Adminiſtratione Sacramentorum.

IN Adminiſtratione Sacramentorum, non licet ſequi ſententiam ſpeculatiuè probabilem circa valorem Sacramenti, quando non deeſt poteſtas ſequendi tutiorem.

Hinc illicitum eſt baptizare infantem in ſolo digito, vel aqua roſacea, aut niuali, quando aliter fieri poteſt: etſi ſpeculatiuè, id eſt, conſiderata ratione vel auctoritate, ſi probabile Baptiſmum in digito validum eſſe.

Item, non licet moribundo conferre abſolutionem probabiliter tantum valituram, quando certior impendi poteſt.

Ratio eſt primò, quia dignitas Sacramenti poſtulat, vt quis merè pro ſuo arbitrio non exponat ſe periculo conficiendi Sacramentum inualidum: nam hæc res eſt maxi momenti, & religionis materia digniſſima. Inde fit, vt ſi Sacramentum ſit inualidum, tranſeat in rem profanam: ergo ſequendo opinionem tantùm probabilem abſquę neceſſitate violat virtutem religionis, exponendo eatenus Sacramentum inualiditati.

Dices, tunc miniſtrum Sacramenti procedere prudenter, ſi pręcisè ſpectetur virtus religionis, vt fit in alijs materijs, dum ſequimur ſententiam probabilem: ergo hic idem dicendum eſt. Reſpondeo diſparitatem eſſe, quod

quod in alijs materijs non agatur de rei valore, & quidem rei digniſſimæ, ſed tantùm de operatione noſtra, vt fiat citra culpam formalem, etſi fortè non vitetur malum materiale. Longè autem maior oritur obligatio, dum periclitatur valor rei ſacræ, quàm quando incurritur periculum rei tantùm materialiter malæ; quia licèt opinio probabilis poſſit reddere actionem licitam, non poteſt tamen *Sacramentum facere validum*, ſi contingat requiſita ad materiam, formam, aut valorem deeſſe.

Ratio eſt Secundò, quia Sacramenta ordinantur ad ſingulare bonum ſuſcipientium: ergo repugnat charitati conferre Sacramentum incertum; quando certum commodè conferri poteſt: etenim ſic proximus exponitur, cum ſuo graui damno, præſenti periculo, ne priuetur gratia, & effectu Sacramenti, qui à vera materia, forma, & valore dependent: De quo periculo ſpectat ad Miniſtrum admonere ſuſcipientem, ſi cum opinione merè probabili extra neceſſitatem Sacramentum ſibi adminiſtrari deſideret.

Ex dictis etiam patet, quàm meritò ab Innocentio XI. damnata ſit propoſitio I. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi ſententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

Principium XXI. Quid poſſit in probabili Iudex, Aduocatus, Medicus, Ius incertum, &c.

Reſpondeo ad primum: Quando circa ius litigantium opiniones ſunt vtrimque diuerſæ, tenetur Iudex ſequi opinionem propriam, vel illam quæ ipſi, omnibus expenſis, videtur eſſe probabilior. Ita docet *Sotus*, *Valentia*, *Bardi*, *Banez*, *Thomas Sanchez*, *Scildere de* conſcientia pag. 147. Contra *Ioannem Sanchez*, *Oniedum*, *Salas*, & alios qui tradunt ſaltem licere Iudici ſequi alienam opinionem contra propriam in materia ciuili, & quæſtione iuris, niſi vbi lex, aut conſuetudo id vetat.

Ratio cur Iudex teneatur ſequi probabiliorem, hæc eſt. Quia non habet poteſtatem aliter iudicandi quàm voluerit Reſpublica, aut alijs à quibus ſuam poteſtatem accepit: Atqui illi omninò cenſendi ſunt voluiſſe vt iudicaret iuxta id quod omnibus expenſis ipſi videretur probabilius. Hoc enim maximè expediebat, ne locus eſſet largitionibus, aut acceptioni perſonarum. Vix enim de aliqua cauſa litigatur, in qua vtrimque probabilitatis aliqua non occurat. Et hoc videntur Iudices promittere quando officium ſuſcipiunt, vt colligitur ex Authentica ad legem, *Rem non nouam* apud *Scildere ſupra*. Vnde etiam proſcripta eſt ab Innocentio XI. *Propoſitio* 2. in Decreto quod poſt paucas paginas infra inſerimus.

Quando autem vna pars non apparet altera iuſto probabilior, debet Iudex vel rem inter litigantes ex æquo diuidere, vel, ſi diuidi nequit, aliter vtrique parti ſatisfacere. Niſi fortè alter litigantium vel ſit poſſeſſor, vel ſit reus, cui etiam contra actorem fauet poſſeſſio. Excipi etiam ſolent cauſæ quæ vocantur piæ, & priuilegiatæ, quales ſunt cauſæ pro matrimonio, dote, libertate, pupillo, pro quibus iudicandum eſt, cæteris paribus, etiam contra reos: quia Ius poſitiuum ita diſponit.

Reſpondeo ad ſecundum: *Aduocatus* poteſt licitè defendere cauſam quæ ipſi videtur minus probabilis, modo ſpes affulgeat fore vt ea cauſa Iudici probetur. Ita communius docent Theologi. Quia per hoc nec clienti, nec parti contrariæ iniuriam facit, non magis quam ſi ipſe cliens tali caſu ſuam cauſam apud Iudicem ageret. Aduocatus enim controuerſiam non definit, ſed Iudici eam relinquit, quem meritò ſupponit, omnibus auditis, ex æquo & bono iudicaturum.

Reſpondeo ad tertium: *Medicus* tenetur adhibere ſuo ægro medicinam certam, relicta alia probabiliter tantum profutura, ſi certam ad manum habeat, & ſine ſuo, & egri incommodo adhiberi poſſit. Ratio eſt, quia primò Charitas ad hoc obligat, vt conſideranti facilè patet. Secundò, obligat Iuſtitia, ſi ſit Medicus mercede conductus: quia inter ægrum, & medicum intercedit hoc pactum ſaltē implicitum, vt applicet remedia quæ videntur ſecuriora, & probabilius profutura. Hic ergo intercedit conuentio, quam ſupra *Princ.* 19. diximus poſſe obſtare vſui ſententiæ ſpeculatiuè probabilis.

Quod ſi non inueniantur remedia certa, tenetur Medicus adhibere illud quod videtur ipſi ſecurius omnibus ſpectatis. Hoc enim meritò importat tacita conuentio qua quiſque cenſetur paciſci cum ſuo medico: & ipſi M , dici quando ægrotant idem volunt ſibi ab alio præſtari. Nec fruſtrà addidi, *omnibus ſpectatis*, tenetur enim Medicus conſiderare non tantum

eum ſuas rationes, & experientias (quæ nimis ſæpè vltra communem potiunculam, & lanceolam parùm procedunt) ſed etiam auctoritatem, & experientiam aliorum peritiorum : hoc ſanè ſtudium, & hanc curam æger à medico quem conducit ſuo iure expectat.

Quando autem contigit *deſperatam* eſſe vitam ęgri, niſi applicetur medicina de qua ęquè incertum eſt, an ſit profutura, an nocitura, poteſt ea adhiberi, vt docet cum comuniori *Thomas Sanchez*, *Laiman*, *Bonacina*, *Scildere de conſcientia*.

Reſpondeo ad quartum: Non licèt homini priuato auctoritate propria occupare rem ab alio *bona fide poſſeſſam*, quamuis probabile, vel probabilius ſit rei Dominium ad illum pertinere. Ita habet ſententia communis, *contra Ioan. Sanchez diſp.* 33. *num.* 42. Ratio eſt: Quia bonę fidei poſſeſſor iuſtè rem poſſeſſam defendit contra priuatum eam eripere volentem, non minus quàm ſciens rem certò eſſe ſuam: quod verum eſt, etiamſi inceperit dubitare an verè res eſſet ſua: idque conſtat ex iuris Reg. 36. digeſt. de reg. iuris: *Bona fides tantumdem poſſidenti præſtat quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt*. Ergo priuatus propter ius ſuum probabile non poteſt bonæ fidei poſſeſſori rem eripere. Niſi enim hoc leges inhiberent incertiſſima paſſim eſſet rerum poſſeſſio, & mutuis rapinis perpetuo obnoxia.

Docent plerique, idem dicendum etiam de Regibus probabile tantum ius habentibus ad inuadendum aliquod regnum, vel prouinciam. Contra tamen adferuntur Auctores non pauci. Res igitur decidi poteſt per iudicium: vel arbitros: quod ſi altera pars iudicio ſtare nolit, propter hanc iniuriam inuadi poteſt.

Principium XXII. Regulæ pro Opinionis delectu.

PRo notitia, & delectu opinionis verè probabilis, vt ſecuriùs procedatur, magni momenti erunt Regulæ ſequentes.

I. Si duo treſue Scriptores ſiue antiquiores, ſiue recentiores ſententiam doceant, quam alij paſſim cenſent improbabilem, non debet illa probabilis æſtimari.

II. Etſi reperiatur auctor vnus, alterue, aut plures aliquid obiter aſſerere, quaſi per transennam, ſine vllo iſtius materiæ examine, per hoc non redditur ſententia illa probabilis, præſertim ſi alius, qui eam materiam ex profeſſo tractauit, contrarium doceat.

Item, Quando Auctor aliquis cognoſcitur ſolitus affectare opiniones nouas, ſingulares, aut laxiores, ſi in eo reperias ſententiam quæ prima fronte apparet paradoxa, ſiue à communi ſenſu plurimum diſcrepare, etſi alios pro ea citet, non rectè eam ſententiam iudicas probabilem, niſi eam vlteriùs apud alios, non ſimiles examines. Prudenter enim ſuſpicari potes, talem Auctorem pro ſuo genio magis nouitati, quam veritati ſtuduiſſe.

Idem dicendum, quando pro ſententia aliqua duos treſue Auctores citatos reperies apud aliquem Scriptorem, qui deprehenditur ſæpè in citando parum eſſe fidelis: ideòque conſulendi ſunt alij vt formetur iudicium prudens de probabilitate iſtius opinionis.

III. Quando auctor doctus, & probus non tantum vt veram docet, ſed reflexè, & in terminis affirmat, ſententiam aliquam omnibus conſideratis eſſe probabilem, alijs id præcisè non negantibus, meritò credis certitudine morali, & humana illam eſſe talem; eumque ea de re Doctorum iudicia maturè examinaſſe: eòque magis ſi ipſe ſenteniam contrariam doceat; tunc enim vel maximè apparet, illum ex priuato erga ſuam doctrinam affectu non iudicare.

IV. Quando auctor, qui ſolet eſſe in citando, & examinando valdè accuratus, adducit quatuor vel quinque probatos, aut magni nominis auctores pro aliqua ſententia, prudenter iudicas illam eſſe probabilem. Meritò enim, & illius fidelitati in citando, & horum iudicio in aſſerendo fidem adhibere potes, cum ſupponantur eſſe graues, & probati auctores. Quod alij etiam de paucioribus admittunt. An, & quando poſſit vnicus Auctor ſufficere, dicam infra *de prob. opin. c.* 2. §. 4.

V. Notandum porrò pro ijs, qui libris deſtituuntur, pro quibus potiſſimum ſcribimus. Quando a viro graui, cui meritò fidem negare non potes, tibi abſque ſcripto ſerio affirmatur, ſententiam aliquam eſſe probabilem, rectè & prudenter iudicas illam eſſe talem. Illius enim auctoritas reſpectu tui eſt omninò grauis, nec habes rationem dubitandi, quin de ijs, quæ ad probabilitatem requiruntur, ſit ritè inſtructus, & informatus. Sic ruſticus rectè credit, & acquieſcit ſuo Parocho, aut Confeſſario, dum ſententiam aliquam probabilem eſſe affirmat.

Prin-

Principium XXIII. An, & quomodo opiniones aliquando Probabiles, poſſint per Cenſuras aut aliter fieri Imbrobabiles.

DIcendum primò, Prælatos Eccleſiaſticos tam Seculares, quàm Regulares poſſe ob iuſtas cauſas ſuis ſubditis prohibere, ne certas Propoſitiones doceant, ſuſtineant, aut in praxim externam deducant, etſi non deſint alij probati Auctores qui doctrinam illam vt probabilem recipiunt.

Quia Prælati reſpectu ſuorum ſubditorum habent iuriſdictionem, vt in materia etiam indifferenti ferant leges eorum directioni conducentes, qualis poteſt eſſe abſtinentia ab vſu doctrinæ, quæ prudenter iudicatur illis nocitura, etſi ea non ſit alijs interdicta.

Dico Secundò, Huiuſmodi prohibitio, aut cenſura, alios præter eorum ſubditos obligare non poteſt, quo minus doctrinam ab ijs prohibitam doceant; eamque in praxi ſequantur.

Quia iſta cenſura aut prohibitio, doctrinæ veritatem non attingit, ſed tantùm vim habet alicuius præcepti vt alios ab eius vſu coerceat, præceptum verò Prælati vltra eius ſubditos extendi non poteſt.

Dico tertiò, Eadem ratio eſt de cenſura alicuius Doctoris, aut Academiæ, quæ illius tantùm Facultatis Academicos ad obtemperandum obſtringit: doctrinam verò per ſe non reddit improbabilem, ſed vim habet priuatæ auctoritatis, qualem obtinent alij Auctores paris dignitatis, & eruditionis, qui de eadem doctrina ſuum ſuffragium tulerunt. Hinc ſicut Sedes Apoſtolica (quæ ſola in reliquam Eccleſiam magiſterium exercet) aliorum ſæpe Doctorum ſententias damnat aut interdicit, ſic ipſas Prælatorum aut Academiarum cenſuras non rarò grauiori cenſura caſtigat, & erroneas eſſe declarat, vt probant non pauca quæ præſto ſunt ſuperiorum temporum exempla.

Et hoc quidem Cenſurandi munus proprium eſſe Romano Pontifici, rectè docet Facultas Theologica Academiæ *Louanienſis* in Iuſtificatione ſuæ Cenſuræ editæ contra aliquas Propoſitiones de Prædeſtinatione, Gratia Chriſti &c. *Anno.* 1588. *vbi pag.* 6. ſic loquitur.

Et Cenſuræ quidem illi nomen dedimus, non quaſi damnationis auctoritatem nobis ſumentes, quam Sacroſanctæ Apoſtolicæ Sedis proprium eſſe non ignoramus, ſed Scholaſticum tantùm ferētes iudicium ſententiamque noſtram dicentes, aut vt verius loquamur, non aliud quam fraternam correptionem interponentes &c. At quomodo eadem iterum, & quidem ſub nomine Cenſuræ, quamuis mandato Sixti V. pridem irritæ, nouis typis quaſi rediuiua nuper lucem aſpexit?

Itaque ſciendum eſt, hoc modo opiniones, quæ aliquibus Auctoribus viſæ ſunt probabiles, aliquando fieri omninò improbabiles: nempè ſi conſtet illas, non ab homine tantùm priuato, ſed ab Eccleſia, vel Pontifice aliqua Cenſura notatas eſſe, aut prohibitas omninò doceri, aut in praxim deduci.

Tales ſententias in doctrina morali, non ita pridem ab *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* ritè proſcriptas, ad communem vtilitatem, & doctrinam hic vna cum Decretis appono, vt omninò ſciatur etiam in Miſſionibus, vbi occaſiones occurrent, ab earum vſu, & praxi cauendum eſſe.

Cenſeo tamen eaſdem propoſitiones non fuiſſe certò, & practicè probabiles, imò varias ex illis, etiam ante prohibitionem, fuiſſe omninò improbabiles. Sed de his latiùs infra, vbi reſpondemus ad obiectiones moueri ſolitas contra veram, & practicam probabilitatem. Decreta ipſa integra Alexandri VII. & Innocentij XI. hic fideliter ſubijcimus.

ALEXANDRI VII.

Decreta duo contra Propoſitiones 45.

Feria V. die XXIV. Sept. M. DC. LXV. in Congregatione Generali S. Romanæ, & vniuerſalis inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram Sanctiſſimi D. N. D. Alexandro diuina Prouidentia Papæ VII. ac Eminentiſſimis ac Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalis, Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. audiuit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes; partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim nouiter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus

bus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Euangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ coruptela. Quare ne vllo vmquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definiuit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius peruerti contingeret; idem Sanctiſſimus D. N. vt oues ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam reuocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: qui tantùm negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis vſque ad hanc diem infra ſcriptis propoſitionibus, ſuper vnaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. *Homo nullo vnquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.*

2. *Vir Equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

3. *Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Iulij in Conſiſtorio ſacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.*

4. *Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

5. *Quamuis euidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.*

6. *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.*

7. *Modus euadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt illum abſoluere abſque onere denunciandi.*

8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani VIII.*

9. *Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.*

10. *Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus Sacrificijs ſtipendium accipere, & Sacrificium vnum offerre, neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam iuramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.*

11. *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans vitæ periculum, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.*

12. *Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.*

13. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.*

14. *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

15. *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius Pœnitentiam adimpleat.*

16. *Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

17. *Eſt licitum Religioſo vel Clerico calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.*

18. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.*

19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehenſam.*

20. *Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eo quod ſit pœna.*

21. *Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.*

22. *Non eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente*

non

non exigit illam pro collatione beneficij , ſed veluti pro emolumento temporali , quod tibi conferre non tenebatur .

23. *Frangens ieiunium Eccleſiæ , ad quod tenetur , non peccat mortaliter , niſi ex contemptu vel ex inobedientia hoc faciat , puta quia non vult ſe ſubijcere præcepto:*

24. *Mollities , ſodomia , & beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimæ , adeoque ſufficit dicere in Confeſſione , ſe procuraſſe pollutionem .*

25. *Qui habuit copulam cum ſoluta , ſatisfacit Confeſſionis præcepto , dicens commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitatem , non explicando copulam .*

26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles , poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio .*

27. *Si Liber ſit alicuius iunioris , & moderni , debet opinio cenſeri probabilis , dum non conſtet reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem .*

28. *Populus non peccat , etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam .*

Quibus peractis , dum ſimilium propoſitionum examini cura , & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decreuit, prædictas propoſitiones , & vnamquamque ipſarum , vt minimum tanquàm ſcandaloſas eſſe damnandas , & prohibendas, ſicut eas damnat ac prohibet: ita vt quicumque illas , aut coniunctim , aut diuiſim docuerit , defenderit , ediderit , aut de eis etiam diſputatiuè , publicè aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem , à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus , cuiuſcumque conditionis , dignitatis ac ſtatus etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis , ne prædictas opiniones , aut aliquam ipſarum ad praxim deducant .

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ , & vniuerſalis inquiſitionis Not. &c. Loco Sigili . *

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1665. indictione tertia die verò 2. Menſis Octobris . Pontificatus verò Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo , ſupradictum Decretum affixum , & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum , Cancellariæ Apoſtolicæ , ac in acie campi Floræ , ac in alijs locis ſolitis , & conſuetis vrbis , per me Carolum Molanum eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ , & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem .

Feria V. Die XVIII. Mart. M. DC. LXVI. in Congregatione Generali S. Romanæ , & vniuerſalis Inquiſitionis , vt ſupra .

SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die xxiv. Septembris proximè elapſi , quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò , & accuratè vſque ad hanc diem infraſcriptis alijs quadrageſimum quintum numerum implentibus , per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos,& Reuerendiſſimos DD. Cardinales aduerſus hæreticam prauitatem Generales Inquiſitores , eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit .

29. *In die ieiunij , qui ſæpius modicum quid comedit , etſi notabilem quantitatem in fine comederit , non frangit ieiunium .*

30. *Omnes Officiales , qui in Republica corporaliter laborant , ſunt excuſati ab obligatione ieiunij , nec debent ſe certificare , an labor ſit compatibili cum ieiunio .*

31. *Excuſantur abſolutè à præcepto ieiunij omnes illi , qui iter agunt equitando , vtcumque iter agant , etiamſi iter neceſſarium non ſit , & etiamſi iter vnius diei conficiant .*

32. *Non eſt euidens , quod conſuetudo non comedendi oua , & lacticinia in Quadrageſima obliget .*

33. *Reſtitutio fructuum ob ommiſſionem Horarum ſupplere poteſt per quaſcumque eleemoſynas , quas ante beneficiarius de Fructibus ſui beneficij fecerit .*

34. *In die Palmarum recitans officium Paſchale , ſatisfacit præcepto .*

35. *Vni-*

35. *Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.*

36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti privilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.*

37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.*

38. *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confiteri quàm primum, eſt conſilium, non præceptum.*

39. *Illa particula,* quam primum *intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.*

41. *Non eſt obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgo* Regalo, *dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.*

42. *Licitum eſt mutuanti aliquid vltra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus.*

43. *Annum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.*

43. *Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.*

45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, vſque dum adhibita diligentia corrigantur.*

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decreuit prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vt minimum, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat ac prohibet: ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuiſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputatiuè, publicè aut priuatim tractauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (prætorquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumque conditionis, dignitatis ac ſtatus etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus, Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Not. Loco ✠ Sigilli.

INNOCENTII XI.

Decretum contra Propoſitiones 65.

Feria V. Die 2. Martij M. DC. LXXIX. In generali Congregatione S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo D. N. D. INNOCENTIO diuina Prouidentia Papa XI. Ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. INNOCENTIVS Papa XI. prædictus, ouium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregantis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxijs à fel. record Alexandro VII. Predeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diuerſis, vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim nouiter adinuentas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpius diſcuſſis eorundem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis: Idem Sanctiſſimus D. N. re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit pro nunc ſequentes propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas, vllatenus approbare.

1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex conuen-*

tio, aut periculum grauis damni incurrendi, hinc ſententia probabili tantùm vtendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. *Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem.*

3. *Generatim dum probabilitate, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca quamtumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

4. *Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenijs per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.*

7. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.*

8. *Comedere, & bibere vſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.*

9. *Opus Coniugii ob ſolam voluptatem exercitum omni pœnitus caret culpa, ac defectu veniali.*

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

11. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

12. *Vix in Sæcularibus inuenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.*

13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci effectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas.*

15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſecutas.*

16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.*

17. *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.*

18. *Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno.*

19. *Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.*

20. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.*

21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.*

22. *Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.*

23. *Fides laxè dicta ex teſtimonio Creaturarum ſimiliuè motiuo, ad iuſtificationem ſufficit.*

24. *Vocare Deum in teſtem mendacij leuis non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem.*

25. *Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit leuis, ſiuè grauis.*

26. *Si quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſiuè interrogatus, ſiuè propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec eſt periurus.*

27. *Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.*

28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad magiſtratum vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

29. *Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta, Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

30. *Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel faſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.*

31. *Regulariter occidere poſſum furem, pro conſeruatione vnius aurei.*

32. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.*

33. *Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario*

con-

contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas addeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in cathedram vel præbenda contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu, homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium mouet aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt: etiam reſpectu einſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem quàm futuram, poteſt creditor aliquid vltra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.

42. Vſura non eſt, dum vltra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum, ſi exigatur tanquam ex iuſtitia debitum.

43. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam; ſibi noxiam, falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motiuum conferendi vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſicut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, ad Eccleſias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparatiuo pro poſitiuo, vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta; vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Vnde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum coniugata conſentiente marito, non eſt Adulterium; adeoque ſufficit in profeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor, ſimul à diuerſis celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter abſoluere dimidiatè tantum confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis ver. grat. poteſt contingere

in

in die magna alicuius Feſtiuitatis, aut Indulgentiæ.

60. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.*

61. *Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.*

62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis aut honeſta non fugiendi occurrit.*

63. *Licitum eſt quærere di[illegible] ximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi.*

64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumuis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.*

65. *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.*

Quicunque autem cuiuſuis conditionis, ſtatus & dignitatis, illas vel illarum aliquam, coniunctim vel diuiſim, defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputatiuè, publicè aut priuatim tractauerit vel prædicauerit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctę Obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Chriſti Fidelibus cuiuſcunque conditionis dignitatis, & ſtatus etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima, nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem, vt ab iniurioſis contentionibus Doctores ſeu Scholaſtici, aut alij quicumque imposterum ſe abſtineant; & vt paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute S nctæ Obedientiæ eis præcipit, vt tam in libris imprimendis, aut manuſcriptis, quàm in theſibus, diſputationibus ac prædicationibus caueant ab omni cenſura, & nota, nec non a quibuſcumque conuincijs contra eas propoſitiones, quæ ad huc inter Catholicos hinc indè controuertuntur, donec a S. Sede recognitæ ſuper iiſdem propoſitionibus iudicium proferatur.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ; & vniuerſalis Inquiſitionis, Notarius. Loco ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1679. *Indictione ſecunda, die verò* 4. *Menſis Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi D. N. Innocentii Diuina prouidentia Papæ XI anno tertio, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, &c. per me Franciſcum Perinum.*

NOTA I.

PRopoſitionum iſtarum ferè ſingulas in *Operis huius* decurſu tractari. Monſet au- [illegible] Congregatio accipiendam eſſe vnamquamque ipſarum, [illegible] ſufficere poteſt vna particula vitioſa vt aliqua propoſitio mereatur prohiberi; ſic etiam àliqua particula adiecta, omiſſa, vel limitata, efficere poſſet vt eadem ſic tota a ſe, vel a prohibitis diuerſa.

NOTA II.

AD quæſtionem quæ a pluribus mouetur. Quomodo ſupra prohibeatur *in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione Diuini Iudicij* (quæ eſt formula peccatum mortale ſemper importans) ne quis opiniones prædictas, aut *aliquam earum ad praxim deducat*. Quandoquidem aliquæ ex dictis aliquando materiam tantùm venialem continere poſſint, vt in propoſitione 8. comedere aut bibere ad ſatietatem, &c. & prop. 9. opus coniugij exercere, ob ſolam voluntatem, & prop. 27. de amphibologia in materia leui; & prop. 37. quando famulus ſurriperet rem leuem ad compenſationem ſalarij, &c.

Reſpondendum videtur: In his, & ſimilibus mortale illud peccatum non conſiſtere in eo ſimpliciter quod quis aliquid iſtorum in praxim deducat, ſed quod ſimul velit in eo huius Decreto prohibitionem aut declarationem contemnere, aut tamquam inualidam repudiare quod ad materiam leuem accedens conſtituit peccatum graue, & ſic aptum prohiberi in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij.

NO-

NOTA III.

SÆpius quæri: An inter prædictas propoſitiones variæ quæ ſunt Copulatiuæ, cenſeantur cenſuratæ ſecundùm omnes partes iſtius copulatiuæ? Cenſurabiles enim eſſent etſi vna tantùm pars eſſet falſa, aut illicita. Exemplum ſit, in hac propr. 32. prohibita: Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemur, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos *poſſeſſuros ſperamus*. Damnabilis enim erat iſta copulatiua etſi primum membrum eſſet verum, imò & ſecundum, ſed tantùm tertium membrum eſſet falſum. [illegible] tamen videtur, Regulariter in ſimilibus ſingula membra cenſurari aut prohiberi, niſi ex alijs ſignis conſtet de alia mente Legislatoris, vt fieri poſſit, ſi ex aliquo Auctore fuiſſet talis propoſitio verbatim deſumpta, & priùs de illo ſolo membro ipſe, aut alius fuiſſet accuſatus, aut notatus. De puncto ſimili dum ſpeciatim controuertitur, conſuli ſolent probati Theologi, aut ſacra Congregatio.

CAPVT II.

Controuerſiæ Generales Recentiorum, de Probabilitate opinionum.

§. I.

Exponitur ſtatus Controuerſiæ, & communis Auctoritas pro recto ac licito vſu Probabilitatis.

COntrouerſia de licito vſu opinionis probabilis, relicta etiam probabiliori (quam ſupra definimus, & explicuimus) vix ante hæc tempora mota, aut mota fuit: de illo vſu paſſim antiqui dubitationem aut diſputationem non inſtituerunt. Placuit tamen quibuſdam, doctrinam illam, tanquam aliquibus Scholis modernis præ alijs propriam, multis modis inſectari. Inter primos Scriptores Societatis noſtræ extitit *Gabriel*, *Vaſquez*, hic tamen diſertè notat 1. 2. *diſp.* 62. *cap* 4. *num.* 14. doctrinam illam in Scholis longè antè ſua tempora communem fuiſſe. Ante illum idem notauit *Michael Salonius* Tom. 1. de iuſt. q. 63. art. 2. cont. 2. concluſ. 4. aſſerens, Multos ac grauiſſimos Doctores ita ſentire, ac maximè ex diſcipulis S. Thomæ. Et verò ante Societatem pridem eam doctrinam tradidiſſe reperitur ex Schola Thomiſtica *Barthol. Medina* 1. 2. q 19. art. 6. concl. 3. Lud Lopez p. 1. Inſtruct. c. 120. concl. 3. agens de Confeſſario abſoluente iuxta pœnitentis opinionem minus probabilem. Franc. Victoria in ſumma de Confeſſ. num. 177. Thomas Mercado de Contradict. l. 2. cap. 5. Dom. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. ad 5. vbi reſoluit, Confeſſarium licitè procedere cum omiſſione opinionis probabi- [illegible] Barthol. de Ledeſma in Summario de pœnit. diffic. 14. concluſ. 5. Cui fortè inter antiquiores accenſeri poſſit Petrus Ledeſma in Summa p. 2. tract. 8 cap. [illegible] vbi ante concl. 12. aſſerit etiam hanc ſententiam tenere Medinam, & Orellanam, & multos alios Doctores, ac præcipuè diſcipulos Sancti Thomæ.

His conſentiunt paſſim hodiè ex eadem Schola viri eruditione eximij, & nobis notiſſimi. Nec non ex Schola ampliſſima Doctoris Subtilis Scriptores celeberrimi, quibus non leuè pondus recentius adiecit auctoritas grauiſſima Reuerendiſſimi *P. Henrix*, vti & *P. Van Sichem* in Belgio Prouincialis, qui in Theſibus celeberrimis Louanij defenſis 10. Septembris anno 1669. hanc de probabilitate doctrinam plurium teſtimonio ſolidè confirmat, & poſtremò theſi 33. adducit *Alexandrum Alenſem* qui in ſua ſumma Theologica ſæpè ſententiam probabilem, etiam minus tutam ſequitur, ac proponit. Illam autem Summam iuſſu *Alexandri IV.* Facultas Pariſienſis examinauit & appenſis ſeptuaginta duorum Magiſtrorum ſigillis approbauit, ipſeque Alexander IV. Pontificio diplomate confirmauit. Quomodo confirmauit ſecurè, ſi ſententiam probabilem, & minus tutam nunquam ſecurè ſequamur.

Vt verò rem hanc ex aliorum teſtimonio, ac diſertis verbis ſummatim perſtringam *Barthol. de Ledeſma* de Sacram. Pœnit. diſt. 14. concl. 5. pronunciat hanc doctrinam eſſe veriſſimam, *& probari ex vſu vniuerſali omnium* Stephanus Spinola opuſc. de libera, & prudenti electione agibilium, in præfatione aſſerit eſſe, *Recentiorum omnium calculo, & vniuerſali pænè populorum vſu confirmatam*. Hier. Garcias in Summa tract. 1. diffic. 5. dub. 2. n. 5. docet, *tam communem, & ſecuram* eſſe iſtam concluſionem, vt ſolus Machado pro ſe allecget

ſet 45. recentes Auctores. Nec pauciores profert Paſqualigus Theatinus deciſione 5. iudicans: Hanc ſententiam eſſe *certiſſimam*, & in materia morali poſſe *demonſtrari*. Neque hæc vnius Gentis, aut Scholæ vox eſt: Cum pluribus ex *Gallia* Yſambertus, ex *Hiſpania* Monteſimus, ex *Italia* Bonacina, vno ore pronunciant, hanc eſſe *Communem Theologorum ſententiam*. Adeò vt Angelus Boſſius Clericus Regularis Tom. moral. varior. ad tit. 1. in appendice, non dubitet affirmare: apud quoſcumque doctos, & ſimul probos, in toto orbe Chriſtiano nihil magis decantatum, quam licitum eſſe in operando ſequi quamcunque opinionem probabilem, dummodo ſit probabilis, etiam minus tutam, vbi non agitur de valore facti, vel de damno inſequendo, &c. ſed de ſola honeſtate operationis.

Denique vt ſummatim procedam, pro hac ſententia, quam ex *Boſſio* iam expreſſi, adducere poſſim cum noſtro *De Camps* in lib. de quæſtione Facti, extra Scriptores Societatis, *Epiſcopos* decem, Doctores *Sorbonicos* quatuor nec plures ex illis noſtro ſæculo de hac quæſtione ſcripſerunt. Adde ex alijs Ordinibus Religioſis ſimul ſumptis Auctores omninò ſexaginta. Et ex cæteris Orbis Chriſtiani Doctoribus clariſſimis, viginti duos. Quod ſi velimus omnium ſimul Auctorum etiam Societatis numerum inire, pro noſtra ſententia centum quinquaginta nouem adducit *Saraſa* in part. 2. nec pauciores pro ea recenſet *Terillus* in quæſtion. 22. qui vt fidus, & oculatus ſit teſtis, illos à ſe lectos affirmat, auctor eximiè doctus, & religioſus, & pro illuſtranda re litteraria longiori æuo digniſſimus.

Mirum ſanè paucos Recentiores, qui contra probabilitatis vſum inſurgunt ex toto Scriptoribus, vnum ſibi vel alterum tanquam probabilitatis Auctores exagitandos ſuſcepiſſe, ac ſi in cæterorum omnium Scriptis peregrini fuiſſent.

At voluenda illis erant ſaltem Pontificum oracula, ne nimis incautè per auctoris priuati atus ſupremæ Sedis auctoritas aliquid pateretur. Licitum eſſe amplectendi opinionem probabilem omiſſa tutiori ſaltem minus probabili, ſenſerunt illi Pontifices, qui in voto ſolemni Caſtitatis de facto diſpenſarunt, ſcilicet, Allexander III. Honorius II. Cœleſtinus III. Clemens II. &c. Qui tantùm eſt probabilis opinio quod Pontifex habeat Poteſtatem diſpenſandi in ſolemni voto Caſtitatis. Hanc tamen ſententiam ſequi non dubitarunt, omiſſa tutiori quam docet D. Thomas, & plures alij, nimirum non poſſe Pontificem in ſolemni Caſtitatis voto diſpenſare. Tutius ſane foret Pontificem, negando diſpenſationem, ſe non exponere periculo vſurpandi poteſtatem ſibi indebitam, & Religioſum non collocare in periculo deinceps peccandi contra votum caſtitatis; quod fiet, & quidem in materia quæ eſt contra legem naturæ, ſi fortè probabilis opinio quam ſecuti ſunt illi Pontifices à parte rei non ſubſiſtat.

Poſſim quoque hic adducere auctoritatem, & exemplum in luce Eccleſiæ notiſſimum, illorum Pontificum, qui non dubitarunt in matrimonio rato diſpenſare, quod tamen per Pontificem ſolui non poſſe, *opinionem eſſe probabiliſſimam, & eam Theologos communiter tenere*, affirmat Sanchez lib. 2. de matrimon. d. 14. num. 1. citatque pro ea Scotum, & Scotiſtas, pluresque alios, cum Domin. Soto, qui lib. 7. de Iuſt. q. 2 art. 5. eam habet ita certam, vt vix velit oppoſitam eſſe probabilem. Vnde manifeſtum eſt primò: Opinionem quam in diſpenſando ſecuti ſunt Pontifices tantùm eſſe probabilem: ſecundò illam eſſe minus tutam, cum multò tutius foret non diſpenſare in matrimonio quod conſtat fuiſſe ratum & validum, & per omiſſionem diſpēſationis nullum erat periculum alicuius legis violandæ. Diſpenſationem verò in matrimonio rato conceſſiſſe reperitur Gregorius VII. Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. Gregorius XIII. Pius IV. & Pius V. Idemque feciſſe Adrianum VI. olim Louanij Doctorem fatetur Sinnichius in Saul. Exr. cap. 17. pag. 227. quamuis ipſe Adrianus aliquando docuerit illam poteſtatem Pontifici non competere.

Neque dicas: Forte hunc, & alios exiſtimaſſe ſententiam minus probabilem quam in praxi ſequebantur, fuiſſe reuera probabiliorem. Illud enim *forte*, non forte, ſed valdè imbecillum eſt effugium: Solent enim Pontifices in iſtiuſmodi grauis momenti Reſolutionibus etiam præcipuæ notæ, ac doctrinæ Theologos conſulere. Quomodo ergo niſi temerè affirmabimus, neque hos, neque Pontificem ex illis ſententiam magis, minuſque probabilem cognouiſſe, & in hoc poſt maturam inquiſitionem actu erraſſe?

Facile foret eandem ſententiam probare ex iure Canonico Cap. *Laudabilem* de frigidis, & maleficiatis, vbi Cœleſtinus III. naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, ſi

ſrigiditas prius probari non poterat, conceditur cohabitent ad triennium; atqui poſt copulam per biennium fruſtra attentatam, multò probabilius eſt *ſub finem* trienni ſubeſſe impedimentum impotentiæ, adeoque matrimonium eſſe nullum; & multò tutius foret à thoro coniugali abſtinere, & vtrimque caſtè viuere, idque in materia iuris naturæ, in qua Pontifex nequit diſpenſare. Et tamen in caſu illo coniuges licitè ſe mutuo tangunt, & copulam tentant, idque à Pontifice poſitiuè permittitur: non aliam certè ob cauſam, quàm quia vſque ad finem triennij manet probabilitas potentiæ ad copulam quamuis illa ſit multo minor quàm probabilitas impotentiæ, appetente fine triennalis experimenti.

Declaratio huius Doctrinæ ex ſacris *Litteris*, & ſanctis *Patribus* maximè hic prolixa foret. Vt tamen vtrumque breuiſſimè conficiam, aliqua Scripturæ loca iuxta antiquorum Patrum, & Doctorum expoſitionem hic adijcio.

Prouerbiorum 3. 5. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Locus hic ex S. Hieronymo ſic habet. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ tuę inquit, innititur, qui ea quæ ſibi agenda vel dicenda videntur Patrum decretis præponit. Eodem modo interpretatur S. Dorotheus ſer. 5. Item S. Antoninus 1. Part. Tit. 3. cap. 10. §. 10. Qui & addit locum Eccleſiaſtici, *Noli eſſe nimius iuſtus, qui perit in iuſtitia ſua*. Quomodo verò, hoc ſenſu prudentiæ ſuæ non innititur, &c. ſi quis hoc æuo repugnat communi Doctorum conſenſui aſſerentium licitum eſſe ſequi opinionem directè minus probabilem minuſque tutam, iuxta modum quem ex illis ſupra oſtendimus.

Rurſus illud Chriſti Matth. 25. *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea humeris hominum, &c.* In quem locum *Hugo de S. Richardo*, ſic appoſitè pronunciat. Si erramus, nonne melius eſt propter miſericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem deficere pœnitentem.

Adde ſi placet ex *Geneſ. cap.* 10. Quomodo Abimelech non peccauit formaliter vti patet ex contextu, abducendo Saram vſorem Abrahæ, &c.

Et 4. *Reg. cap.* 5. Eliſæus rogatus à Naaman, vt curuante ſe Rege in templo Remmon, liceret & ſibi Regem, ſuſtentanti ſe incuruare &c.

Denique *Lib. Iudithæ cap.* 8. illa quæ egit Iudith circa Holoſernem, in quibus iuxta Scripturas non peccauit.

Prolixum foret hic plura alia Scripturæ & Patrum loca recenſere. Friuolum autem foret, porrò requirere, vt hi diſertè profiteantur, ſe non niſi ex ſententia minùs probabili, & incerta proceſſiſſe; cum è contra ad ipſam operationem non niſi ex concluſione practicè *certa* proceſſerint, agendo ſecundùm noſtra principia ſuperius explicata, pag. 84.

§. II.

Elucidatur ex dictis vlterius, Quo modo aliquis poſſit prudenter, adeòque licitè operari aliquando, ex ſententia minus probabili, minuſque in ſpeciem tuta.

DEmonſtratur via maximè clara, & facili; ex prudentia & honeſtatis talis operationis tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Quia vt voluntas prudenter intellectui imperet aſſenſum intuitu aſſequendæ *veritatis*, quod eſt proprium bonum intellectus, non requiritur maior cura & perfectio quam ab eadem voluntate exigitur in ordine ad proprium obiectum, quod eſt *bonum*. Atqui vt in electione proprij obiecti voluntas prudenter agat, neceſſe non eſt ſemper vt eligat bonum quod cognoſcit eſſe præſtantiùs, ſed ſufficit vt eligat illud quod verè bonum eſt. Ergo vt voluntas prudenter determinet intellectum ad aſſenſum, non tenetur illum ad partem probabiliorem alligare, ſed ſufficit ſi ad partem minus probabilem ſuo imperio illum determinet. Sic enim magis promouet bonum intellectus, quàm ſi illum ab omni iuditio ſuſpenderet: & cum magna ſpe obtinendæ veritatis ſic procedit, cum ſupponatur pars illa, etſi minus probabilis, eſſe tamen verè, & certò prabability, hoc eſt, illis motiuis innixa, quæ per ſe virum prudentem ad aſſenſum meritò mouere poſſint. Nam etſi eligeret partem quæ apparet magis probabilis, non niſi etiam cum aliqua formidine illi aſſenſum præbere poſſit, cum ſic cuiuis aſſenſui probabili intrinſeca.

Et verò quis eſt qui illos peccati aut imprudentiæ arguat, qui etiam cum iuramento ritè ſe determinant ad amplectendum vel tradendum doctrinam ſui Magiſtri, vt Doctoris Angelici, etſi fortè quando ipſis in ſuis Magiſtris appareant aliquæ ſententiæ oppoſitis minus probabiles, quia hoc magis conducit ad Doctoris alicuius præſtantiſſimi doctrinam, & Scholam promouendam.

D.—

Declaratur vlterius hæc doctrina in ordine ad quæſtiones morales. Quæſtio ſit, an licitum ſit pingere in die feſto, Probabilius eſt id non licere, minus probabile id licere. In hoc caſu voluntas ſpectato ſuo fine, ſiue bono ſibi proprio prudenter determinat intellectum ad probabilem aſſenſum, quod liceat pingere in die feſto. Quia ſic ex vna parte plurimum promouet ſuum bonum, & libertatem in pingendo ſi velit, & ex oppoſita parte nihil patitur detrimenti; quia adhuc retinet ſuam libertatem etiam ad non pingendum, tamquam ad opus Conſilij ſub peccato non obligantis. Quod autem per hoc plurimum promoueat bonum ſuum patet, quia ſic aufert à ſe obligationem abſtinendi ab illo opere atque ita remouet periculum peccandi, cui aliàs ſubiaceret: & cui ſe vltro exponeret, ſi intellectum ad oppoſitum aſſenſum determinaret, quæ etiam omninò ad prudentiam pertinent.

Quod ſi inſuper reflectat, quàm incerta ſit maior rei probabilitas in ordine ad determinatam obiecti veritatem: & quàm difficile ſit motiua, omnia tam extrinſeca, quàm intrinſeca vtriuſque partis ęqua lance ſic pōderare, vt maior probabilitas certò attingatur: item, quam ſæpe contingat id poſtea verius deprehendi, quod minus probabile apparebat, facile perfectò iudicabit ſe non imprudenter agere, ſi opinioni, etſi minus, verè tamen probabile ſe conformet. Certum autem eſt, Deum neminem violatę legis reum habere, qui prudenter iudicat illam hic, & nunc ſuæ actioni non aduerſari, quod per opinionem etiam minus probabilem aliquando iuſta ex cauſa fieri poſſe hactenus demonſtratum eſt.

Quidquid huic demonſtrationi *obijcietur* non poteſt aliud concludere, quàm quod *perfectius* aget voluntas imperando aſſenſum, & vſum partis probabilioris, quod tamen ſemper verum non eſſe ex dictis, & infra dicendis facile colligitur. Sed vt omninò verum id eſſet, quomodo ſic inferes: Iſtud eſt perfectius, ergo numquam licebit voluntati imperare aut ſequi ſententiam minus probabilem, quia hoc eſt minus perfectum? Manifeſtum autem eſt nullum dari præceptum ſemper amplectendi perfectiora aut tutiora, alias opera quæ ſunt Conſilij ſic in Præcepta verterentur.

Porrò, Radicem præcipuam, ex qua pullulant aliæ impugnationes huius ſententiæ, conemur breuiter, & clarè detegere, hoc modo. Dicunt: *Prudentis eſt eligere tutius*. Hoc ſanè non rectè: ſed ſic: Prudentis eſt eligere tutum, & Prudentioris vel Prudentiſſimi eſt, eligere tutius vel tutiſſimum. Ad omnem autem Prudentiam non datur pręceptum: ſed ſimpliciter ad operationem Prudentem, & hæc ſola hic exigi poteſt: Nonne hoc manifeſtum? Nunc quæro vlterius: Quare electio opinionis minus probabilis in concurſu probabilioris non poſſit eſſe tuta? Quia, inquis, *Opinio probabilior eſt tutior*, Rectene ſequitur; Opinio probabilior eſt tutior; ergo probabilis non eſt tuta? Obedienta eſt melior quam victima, ergo victima non eſt bona. Nonne defectus huius ſequelæ facile percipitur.

Progredior porro, & inquiro: An opinio probabilior ſit *abſolutè tutior* minus probabili, vti ſupponis? Manifeſtum eſt non eſſe: ſed tantum in hoc vnico tutior apparet, quod magis videatur attingere veritatem obiecti, etſi fortè in re eam nullo modo attingat. Aliunde verò electio opinionis minus probabilis eſt certò tutior: nempe ex eo, quod eligendo minus probabilem, in eximenda obligatione præcepti, vitentur pericula plurima formalis peccati, quæ paſſim fierent ex perſuaſione obligationis ſub peccato circa innumera præcepta, forte etiam in re non obligantia. An ergo tutius non eſt vitare frequens periculum formalis peccati, quo Deus certò offenditur, quàm periculum aliquod materialis peccati, quo Deus certò non offenditur, & cuius periculum non tenetur homines quouis modo vitare, vt eligendo ſtatum religioſum, vel abdicando officia, & beneficia, quod per ſe notum eſt? Et ob has conſiderationes in titulo addidi, *in ſpeciem* minus tuta. Ex quibus ſatis patet, nihil obſtare quo minus electio illa prudens, & tuta cenſeatur, pręſertim cum non ſiſtatur in hoc iudicio *directo* de probabilitate obiecti, ſed in concluſione *practica*, & certa de honeſtate actionis, quę iam magis explicabitur.

Itaque ex his ita ſtabilitis de prudenti aſſenſu partis minus probabilis circa honeſtatem obiecti, nunc vlterius facile oſtenditur quomodo inde perueniatur ad *certitudinem practicam* de honeſtate noſtræ actionis, & de ea conſcientia omninò certa formetur. Nititur enim hoc euidenti ſyllogiſmo: Certum eſt hanc opinionem minus probabilem, v. gr. quod liceat pingere die feſto, eſſe verè probabilem, adeoque verè prudentem. Supponitur enim niti motiuis ad fundandum aſſenſum ſufficientibus, nam alias probabilis non eſſet. Atqui prudenter agendo certò non poſſum peccare. Ergo certum eſt licitum mihi eſſe, pingere in die feſto.

ſto. Vtraque premiſſa eſt clara, ergo certa eſt conſequentia in debita forma ex illis deducta. Atque hoc eſt vltimum dictamen certificans intellectum de honeſtate ſuæ electionis, & operationis terminatæ ad partem ſpeculatiuè quidem minus probabilem, ſed quoad honeſtatem operationis practicè certam. Nec alia certitudo directa ad operandum, in rebus vtrimque probabilibus, vlla ex parte inueniri poterit.

Ex his quæ deduxi exiſtimo meritò poſſe obſeruari: Inter hanc doctrinam, & illam quam tradunt alij qui eam ſtudiosè oppugnant, valdè modicum, & fortè nullum in re fore diſcrimen, ſi velint ad eam animo ſat pacato attendere: 1. Docent illi ad formandā in praxi conſcientiam, iudicium certum eſſe neceſſarium: idem admittit hæc ſententia, quæ requirit iudicium vltimum certum de honeſtate actionis, vti iam in priori ſyllogiſmo oſtendi. 2. Admittere etiam debent illi, opinionem minus probabilem fundare poſſe iudicium prudens de obiecti veritate, non obſtante formidine quæ opinioni ineſt de oppoſito: nam hanc ipſam formidinem inuoluit definitio omnis opinionis verè probabilis, etſi motiuis ad prudentē aſſenſū ſufficientibus niti debeat. Quod ſi in formando de obiecti veritate prudenti iudicio illa formido obeſſet, nulla opinio, etiam probabilior, imò nec moralis certitudo ſufficeret, quia hæc etiam aliquam formidinem, & fallibilitatem admittit. 3. Neceſſarium eſt etiam illos diſtinguere inter iudicium de veritate obiecti, & iudicium de honeſtate actionis: ad illud formandum illi, qui Probabiliſtæ vocantur, dicunt probabilitatē minorem poſſe ſufficere, nō verò ad iudicium practicum de honeſtate noſtræ actionis. Certum autem, & alijs eſſe debet, quod iudicium prudens, & certum de honeſtate actionis poſſit conſiſtere cum obiecti directi falſitate à parte rei: aliàs nec moralis quidem certitudo ad honeſtam, & prudentem actionem ſufficeret. Nam falſitas obiectiua ſtare poteſt cū morali etiam iudicij certitudine, cū hęc quoq; admittat aliquē gradum fallibilitatis.

Ex quibus patet, inter vtramque partem in re ipſa, & in praxi agendi, non ſubeſſe quantum pretēdunt diſcordiam, ſed potius in modo loquendi: atque in actionibus particularibus pleroſque probabilitatis defenſores nihil ſibi licitum cenſere, quod alij non æquè in praxim reducunt.

Has igitur concordiæ mutuæ leges ſtatuamus. Primò, vt dicatur vtrimque, ad licitè operandum requiri dictamen conſcientiæ moraliter certum; in quo de facto Partes cōſentiunt. 2. Vt in operando, pro morali certitudine, non accipiatur maior probabilitas quod aliqui faciunt, qui volunt ſic perſuadere ſe non niſi certa complecti. 3. Vt Minor probabilitas in concurſu maioris, agnoſcatur eſſe vera probabilitas diſtincta à dubio, quod iuxta prædicta, ſic manifeſtè declaro. Si enim maior probabilitas ſemper tolleret minorem probabilitatem ſibi oppoſitam, ſequeretur etiam minorem probabilitatem ſępè tollere maiorem probabilitatam oppoſitam, quod neutra pars admittet. Statuamus enim maiorem probabilitatem inuoluere Sex gradu apparentiæ de veritate obiecti, & oppoſitam minorem probabilitatem Quatuor gradus apparentiæ veritatis eiuſdem obiecti. Si maior probabilitas debeat tollere illos quatuor gradus tanquam ſibi oppoſitos, ergo etiam minor probabilitas, quæ conſtat quatuor gradibus, debet elidere quatuor gradus maioris probabilitatis ſibi oppoſitæ, quæ ſex gradibus conſtat; ergo tantùm relinquit duos gradus, qui ſoli non ſufficiunt ad conſtituendum iudicium probabile de obiecti veritate. Ergo ſi nullo modo admittendum ſit, quod minor probabilitas tollat oppoſitam maiorem, pari ratione admitti non poteſt quod maior probabilitas ſemper elidat minorem, & in intellectum ex ea parte tantum dubium relinquat. Quomodo verò quoduis iudicium, etiam minus probabile, à dubio diſtingui debeat, dilucidè oſtenditur ſupra in *Tract.1. in Princip* 16.

Denique pro veritate, & vſu huius doctrinę ſufficiet adducere breuiter communem praxim Eccleſiæ, quæ clarè patet primò, ex iure Canonico in cap. *Laudabilem* de frigidis, & maleficiatis: Vbi coniugibus naturaliter frigidis, ſi id prius probari non poterat, conceditur experimentum triennale, in quo poſt copulam per biennium fruſtra attentatam, multò probabilius eſt ſubeſſe impedimentum impotentiæ adeoque matrimonium nullum eſſe, ac tutius à copula tentanda abſtinere: de quo in §. præcedenti.

II. Idem manifeſtum eſt in eo, quod illicitum non ſit ſe determinare ad formandum iudicium internum de Conceptione non immaculata Virginis Deiparæ, quamuis illa opinio iam apertè minus probabilis cenſeatur.

III. Omni æuo Sancti Patres, & Eccleſiæ Prælati docuerunt, & inculcarunt, quod Religioſus, vt perfectus ſit, debeat Prælato obedire in omnibus quæ manifeſtè non repugnant legi diuinæ, aut Eccleſię determi-

nationi. Ac proinde ſi Superior ordinet rem probabiliter licitam ſubditus debet obedire, etſi oppoſitum ipſi appareat in ſe probabilius, & tutius; quod etiam extendunt ad Ordinationes ſub præcepto non obligantes. Certum autem eſt, præceptum vel ordinationem Superioris non reddere licita, quæ ex ſe eſſent illicita. Ac proinde alios etiam in agendo poſſe prudenter formare Conſcientiam practicè certam circa ea quæ apparent directè minus probabilia, minuſque tuta.

IV. Idem oſtenditur in Pontificibus Romanis qui vt diximus in §. ſuperiori, in praxi ſæpe ſecuti ſunt partem minus probabilem minuſque tutam, dum diſpenſarunt in voto ſolemni caſtitatis quod minus probabiliter licere, cum Diuo Thoma docent paſſim Thomiſtæ, & alij non pauci agnoſcunt. Neque per hoc illi Pontifices opinionem minus probabilem reddiderunt certam aut probabiliorem. Nam S. Thomas qui poſtea vixit, & eorum geſta non ignorauit, contrariam docuit, & alij poſteriores. 2. Pontifices plurimi, vt Pius V. Gregorius XIII. alijque varij diſpenſarunt ſæpius in matrimonio rato, quod fieri non poſſe *S. Bonauentura, Scotus*, & Scotiſtæ communiter cum pluribus docent, & non pauci probabilius admittunt, & haud dubie tutius oppoſito: De quo plura ſupra in §.1.

V. Eadem doctrina declaratur recepta in materia Iuſtitiæ, in qua etſi opinio ſit minus probabilis, quod res ad me pertineat, non ideo teneor illam alteri tradere pro quo ſtat opinio magis probabilis. Quia, inquiunt, non debeo præſtare ſolutionem certam pro debito incerto. Quod non minus locum habere videtur, Quando obligatio legis eſt incerta, & pro ea ſolutio ſiue executio certa exigitur, dummodo conſcientia practicè certa formetur, iuxta normam ſupra aſſignatam.

Sed in prædictis ſemper obſeruandum: Vſum opinionis minùs probabilis locum non habere, vbi agitur, non tantùm de honeſtate actionis, ſed inſuper de valore operis, vt in adminiſtratione Sacramentorum extra neceſſitatem, vel vbi intercedit certa alterius iniuria, aut lex, aut conuentio procedendi ex certioribus, vt in Iudice, ac iuſta cauſa, & alijs, quæ magis declarantur infra in ſolutione obiectionum prætertim in §.4.

Ex his patet, tam ratione, quam praxi in omni genere hominum prudentiſſimorum, ſententiam hanc, quam vocant benigniorem, ſemper locum, & vſum habuiſſe: & cum illa conſiſtere viam prudenter formandi conſcientiam in operando practicè certam, & ſecuram.

Via veritatis obiectiuæ vnica eſt, & in tramite indiuiſibili conſiſtens, quam certò attingere paucis datum. Nonne igitur æquè laxitatis arguendus, tam qui ad ſiniſtram per nimium ſentiendi rigorem, quam qui ad dexteram per nimiam benignitatem ab hoc indiuiſibili tramite declinat? Nonne æquè iniuſtum, ligare ad indebita, quam à debitis abſoluere? Vt ergo laxi non ſimus, vtrumque caueamus.

§. III.

Diſſoluuntur aliquorum Theologorum argumenta.

OBijcies primò. Qui ſequitur opinionem minus probabilem, minuſque tutam, incurrit maius periculum peccandi, quam ſi amplecteretur opinionem probabiliorem, ac tutiorem. Hoc verò exiſtimari debet illicitũ vt quis ſciens, volenſque ſe violandæ legis periculo exponat.

Reſpondeo, negando antecedens, & id quod gratis ſupponit. Nego inquam: illum qui opinioni ſiue magis, ſiue minus probabili adhæret, iuxta prædicta, vllum peccandi periculum adire: Fruſtra igitur de maiori periculo diſputatur, vbi nullum incurritur. Certus enim eſt ſe prudenter, adeoque licitè agere, quando procedit ex opinione quam conſtat eſſe verè probabilem, ſiue niti ratione vel auctoritate non leuis momenti: qui autem prudenter agit non poteſt formaliter peccare, etiamſi contingeret obiectum circa quod verſatur, eſſe materialiter malum, ſiue aliqua lege prohibitum. Nullum igitur hic incurritur periculum peccati formalis: omne autem periculum peccati materialis ſemper euitare nulla lege iubemur, vti etiam ex reſolutione, & diſpenſatione ſummorum Pontificum ſupra demonſtraui.

Inſtat tamen iterum Vvendrochius hoc Syllogiſmo, vt ipſe arbitratur, grauiſſimo, ſed nullius ponderis, ſi rectè libretur. Ille, inquit; contra conſcientiam agit, qui id facit quod conſcientia iudicat non eſſe faciendum. At cum aliquis probabilius eſſe cenſet, aliquid eſſe illicitum quam licitum, vtique etiam probabilius eſſe iudicat fugiendum id eſſe, quàm faciendum. Ergo qui ſic affectus operatur, procedit ille contra lumen ac iudicium ſuæ conſcientiæ.

Reſpondeo, admiſſa maiori, falſam eſſe minorem quæ ſubſumitur, nec minus fallacem eſſe conſequentiam quæ inde deducitur. Falſum, inquam eſt, quod probabilius cenſeat id ſibi fugiendum eſſe, quam faciendum imò certò ſtatuit actionem ſuam, hic & nunc licite exercendam, dum probabili ratione, adeoque prudenter iudicat legem non obſtringere, nec eam ſibi ſatis innoteſcere. Itaque imperitè ſupponit VVendrochius hæc duo ſemper eſſe connexa: obiectum quocumque modo iudicari malum, ſiue lege prohibitum, & actionem quæ tendit in obiectum ſemper iudicari illicitam: cum tamen ſæpe contingat legis prohibitionem tam imperfecto iudicio innoteſcere, vt prudenter concludere poſſim me illa non obligari.

Obijcit idem tertiò, argumentum deſumptum ex ſequela in materia fidei periculoſa. Si licet alicui, contra propriam opinionem quam iudicat probabilem, ſequi alienam ſententiam æquè aut minùs probabilem, eique tutò acquieſcere: ergo etiam Hæreticus, qui eo deuenit vt veritatem Eccleſiæ Romanæ iudicet eſſe probabilem, poterit nihilominus ſuæ hæreſi adhæreſcere, & immori; quam nempe ob auctoritatem ſuorum Miniſtrorum æquè, aut etiam minus probabilem eſſe decernit.

Reſpondeo, negando conſequentiam, Quia hæreticus ille non poteſt bona fide ſiſtere in iſta opinione probabili, quia poteſt vlterius inueſtigando notas veræ Eccleſiæ, veritatem fidei certò deprehendere: adeoque imprudenter acquieſcit opinioni tantum probabili illius rei, in qua poteſt certitudinem attingere, dummodo in veritate inueſtiganda moralem diligentiam adhibeat. Inſuper, in materia fidei peculiare eſt, quod ipſe error materialis, annexa habeat incommoda maxima, in carentia Sacramentorum, aliorumque mediorum ad ſalutem conducentium. In alijs autem actionibus merè ad humanos mores, & commercium pertinentibus, cum non detur via ad certam rei veritatem perueniendi quocumque ſtudio inquiratur, prudenter acquieſcit animus veritatis probabiliter inuentæ, cum non poſſit morali diligentia veritatem certam, & indubitatam attingere.

Fateor autem in quauis materia, ſi cum morali, & moderata diligentia promptum ſit ad certam rei veritatem penetrare, licitum non eſſe ſiſtere in opinione tantum probabili: atque ita conſequenter aſſero, in die ieiunij fas illi non eſſe veſci carnibus qui ex diuerſo pulſu campanarum probabile iudicat nondum adeſſe horam noctis duodecimam, ſi ex inſtrumento mathematico quod in promptu habet, certò poſſit horam noctis explorare. Nihil igitur ex hac ſententia incommodi redundat, in quo vel ipſe VVendrochius, vel eius aſſeclæ aliquam laxitatis, aut malæ fidei ſpeciem redarguant.

Obijcies quartò, cum *Sinnichio*, dictum Christi, *Ego ſum veritas*, non autem dicit, ego ſum probabilitas. Ergo non licet ſequi opinionem merè probabilem.

Reſpondeo in ſimili forma: Dixit Chriſtus, *Ego ſum oſtium*, non verò, ego ſum feneſtra. Ergo neceſſe eſt ſemper intrare per oſtium, nunquam per feneſtram. Dico igitur, hanc obiectionem poſſe in ipſum auctorem retorqueri. Si enim ex eo quod Chriſtus dixerit, *Ego ſum veritas*, illicitum ſit amplecti opinionem probabilem, nefas etiam erit ſequi ſententiam probabiliorem, aut moraliter certam, ſæpe enim contingit illis non ſubeſſe veritatem, cum iudicium quod nobis apparet moraliter certum poſſit falli, & omni veritate deſtitui.

Inſtat tamen ex auctoritate *S. Auguſtini* lib. de vtilit. credendi *cap.* 11., Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus auctoritati, quod opinamur errori. Ergo opinio ad nihilum valet niſi vt à veritate aberremus. Quia, inquit Sinnichius, opinantem latet veritas etiam dum adeſt, adeoque ſic agit ac ſi veritas ſemper abeſſet.

Reſpondeo, *S. Auguſtinum* loqui de opinione longè diuerſa à iudicio probabili, de quo hoc loco diſceptamus, vti patet eius verba attentius expendenti eodem *capit.* 11. „Tria, inquit, alia hominum genera pro„fectò improbanda ac deteſtanda, primum „eſt opinantium, id eſt, eorum qui ſe ar„bitrantur ſcire quod neſciunt. Vbi diſertè oſtendit ſe agere de opinione quæ adiunctam habet æſtimationem falſam, eorum ſcilicet qui putant ſuam *opinionem* eſſe *perfectam ſcientiam*, quod ſemper eſt erroneum: opinioni autem de qua agimus, nemo niſi fatuus eiuſmodi perſuaſionem adiungit, cum agnoſcant omnes opinionem eſſe aſſenſum incertum, & à ſcientia omnino diuerſum. Neque verum eſt quod adiungitur. *opinantem ſic agere ac ſi veritas ſemper abeſſet*. Quia etſi ille iudicet ſe opinando poſſe falli, non exiſtimat tamen ſuæ opinioni falſitatem actu ſubeſſe, imo probabile iudicat ſuam opinionem veritati conformem eſſe, ſeque cum probabili veritatis notitia pruden-

ter

ter procedere. Qua ergo veri ſpecie dici poteſt, illum qui opinatur, falſitatem implicitè ſemper amplecti, atque ita agere ac ſi veritas omninò abeſſet.

Obijcies quintò cum *Mercoro*. Si licitum foret ſequi ſententiam merè probabilem, Adam & Eua manducando pomum vetitum immunes fuiſſent à violatione præcepti diuini: quia poterant pro ſe obtendere ſententiam probabilem, quæ docet legem pœnalem non obligare in conſcientia, cum *Nauarro*, *Leſſio*, *Valentia*, *alijſque*: præceptum autem primis parentibus impoſitum, prolatum eſt in forma legis pœnalis: *In quacumque die manducaueritis, moriemini*. Ergo excuſandi ſunt primi parentes à peccato formali, & poſteri ab originali, ſi norunt ſibi formare conſcientiam artificio ſententiæ probabilis.

Reſpondeo, negando illud Aſſumptum, quod pluſculum præfert ſalis, quam ſcientiæ. Siquidem ignorat Adamum, & Euam nullam habuiſſe opinionem ſiue probabilem, ſiue improbabilem in primo illo ſtatu innocentiæ, vt disertè docet *D. Thomas* q. 18. de veritate artic. 6. vbi ſic concludit: Ex quo patet quod ſolum in eo primo homine nulla falſa opinio fuiſſet, ſed pęnitus nulla opinio in eo fuiſſet, & quidquid cognouiſſet, ſecundum certitudinem cognouiſſet, in ſtatu ſcilicet illo innocentiæ perſeuerans. Quinimo tam clarè conſtabat illis de voluntate diuina, vt perſuaſio illa, qua pertrahente de fructu vetito comederunt, cenſeatur etiam formalis infidelitas, ex plurium Patrum ſenſu, vt tradit *Bellarminus* in Tomo 4. de amiſs. gratiæ, & ſtatu peccati cap. 6. Corruit igitur tota baſis huius Machinæ contra vſum probabilitatis iam inde ab Adam, fruſtrà quæſitæ.

§. IV.

Obiectiones particulares contra vſum ſententiæ probabilis in concurſu ſententiæ æque aut magis probabilis.

NOnnulli modò ſunt, etiam ex illis qui docent licitum eſſe vſum prædictum ſententiæ probabilis, qui tamen negant illum ſubſiſtere in concurſu ſententiæ oppoſitæ æquè, aut magis probabilis. Nos autem, principijs iam poſitis inſiſtendo, omnino exiſtimamus, & hic demonſtramus, Doctrinam illam ſic generaliter ſumptam, veram non eſſe, ac ſolidis fundamentis deſtitui, vti patere poterit ex diſſolutione, & explicatione principalis fundamenti iſtius ſententiæ.

Opponunt igitur *Primò*: Maior probabilitas, vti, & probabilitas vtrimque æqualis, elidit oppoſitam probabilitatem minorem, aut etiam æqualem. Ergo non licet in operando ſequi ſententiam minus aut æqualiter probabilem in concurſu ſententiæ magis, aut æquè probabilis.

Reſpondeo negando aſſumptum, prout patet ex dictis §. præcedenti. Porrò pro maiori elucidatione dico, rarò admodum hunc caſum in praxi locum habere: quia valdè rarus eſt, & ſingulariter doctus, qui ex principijs intrinſecis poteſt ſufficienter diſcernere, quęnam ex duabus ſententijs probabilibus ſit probabilior, ſiue, an rationes ſint verè tales quæ elidant probabilitatem ſententiæ oppoſitæ. Quod à fortiori dicendum de ſententia vtrimque æquè probabili. Videmus enim experientia aſſidua inter doctiores, id quod vni probabilius apparet, alteri minus probabile videri. Vnde patet quam eſſet ipſis etiam doctis onus intolerabile, ſententiam magis probabilem inueſtigare, & certò inuenire, anteaquam poſſint licitè operari. Cum igitur hoc ſit tam incertum, difficile non eſt iudicium de maiori probabilitate *ſuſpendere*, & vni parti verè probabili ſe prudenter accommodare, deſinente actu *Comparatiuo*, vt infrà pag. hacce.

Sed ponamus virum doctum rationibus vtrimque ſtudioſè ponderatis, vnam partem iudicare probabiliorem, ſic vt oppoſitam probabilitatem elidat. Vel id iudicat euidenter, vel tantum probabiliter. Si euidenter, ſic vt oppoſitam probabilitatem totam manifeſtè elidat, & tollat, iam ea pars eſt illi moraliter certa, eamque ſine dubio præferre debet.

Si autem iudicat eſse probabiliorem, & oppoſitam probabilitatem elidere, iudicio tantùm probabili, adeoque incerto, poteſt prudenter iudicium illud ſuſpendere, & iudicare ſe fortè errare, vti etiam inter doctos ſæpè contingit; atque ita iudicium reflexum formare, ſe prudenter acturum etiamſi alteram partem quæ paſſim probabilis habetur, in operando ſequatur. Et hoc locum habet etiam quando opinio apparet extrinſecè probabilior, quia adhuc non conſtat quod illa quæ maiori fulcitur auctoritate melioribus rationibus ſtabiliatur, cum alij has, alij illas præferant.

Rationes autem ſuſpendendi iudicium de

maiori alterius partis probabilitatem, & ſequendi aliam minus probabilem, poſſunt eſſe ſequentes.

Primò, quia neque conſtat, neque credibile eſt extare præceptum generale inueſtigandi, & ſequendi partem probabiliorem, propter difficultates maximas quę indeſequerentur in commercio humano. Quando enim poſtea occurreret noua ratio contra ſententiam quæ antea videbeatur probabilior, oportet reſcindere contractum ex ſententia probabiliori initum: reuocare conſilium ex illa datum: reſarcire reſtitutionem ob maiorem probabilitatem pridem factam, aut non factam, &c. vti notaui ſuprà Tract. I. Princ. 14. Imò ferè hęc pręſtanda eſſent quoties prodit nouus Auctor qui oſtendit partem illam non eſſe probabiliorem: aut quando peritus Iudex in pari cauſa fert ſententiam contra opinionem quæ tibi in agendo aut conſulendo viſa eſt probabilior. Certum denique eſt, nullum dari pręceptum generale ſequendi ſemper tutiora, vt in Conſilijs Euangelicis, & alijs innumeris oſtendi poteſt.

Secundò, ſi pro ſententia probabiliori daretur talis obligatio, ſæpè tolleretur in Republic. omnis ſubordinatio, ac recta gubernatio. Dum enim Superior imperabit aliquid probabiliter licitum, & oppoſitum ſubdito videbitur eſſe probabilius, & rationes oppoſitas elidere, non licebit illi de maiori probabilitate ſuum iudicium ſuſpendere, aut ſuo Superiori obtemperare conformando ſe illius ſententiæ minus probabili, ſi illicitum ſit in concurſu probabilioris ſequi ſententiam minus probabilem. Quod quam pernicioſum foret, & omnis diſciplinæ laxatiuum nemo non videt: vti etiam inſinuatum eſt ſuprà.

Tertiò, ſi per maiorem probabilitatem ſemper elidatur minor, ſic vt non liceat dicto modo præſcindere, & minus probabilem amplecti: Inde ſequetur, non licere etiam ſequi ſententiam magis probabilem: Probatur ſequela, ex dictis ʃ. Superiori poſt medium.

Vbi *notandum*, illos Auctores huic doctrinæ non aduerſari, qui nolunt licere ſequi minus probabile vt tale, ſiue in eo ſiſtendo: ſed ſtatuunt, ſuam cuique opinionem eſſe probabiliorem, aut verè probabilem non eſſe. Sic enim, aiunt, accedente inſuper proprio iudicio aliundè de obiecti iſtius probabilitate poteſt aliquando opinio quæ alias videtur minus, vel æquè probabilis intrinſecè, reddi probabilior reſpectu talis perſonæ: Vnde conſideranti patet, illos qui ſic procedunt potius in aliqua ſpeculatione aut modo; quàm in re, & praxi diſſidere à doctrina ſupra explicata, & vtrumque procedendi modum, ſi ita fiat, optimè conſiſtere, & ad reſolutionem practicè certam deducere.

Inſtabis: Quando pro vtraque parte apparent motiua æqualia, pro neutra parte ſunt motiua ſufficienter grauia vt eliciatur aſſenſus directè probabilis. Ergo non poteſt intellectus vni parti prudenter adhærere.

Reſpond. diſting. antecedens. In tali caſu non ſunt motiua ſufficienter grauia pro vna parte, *ſtante in intellectu iſto actu formaliter Comparatiuo iſtorum motiuorum*, tranſeat: deſinente iſto actu formaliter Comparatiuo, & intellectu conſiderante motiua vnius partis *Diſparatè*, cum rationibus extrinſecis in ordine ad formandum iudicium vltimò practicum, nego: iuxta modum, & rationes ad ſuperiorem obiectionem explicatas. Fateor etiam, exceſſum maioris probabilitatis poſſe in tantùm excreſcere, vt minor probabilitas oppoſita tandem euaneſcat: ſed de iſto caſu hic non agimus, vti ſupra ſæpius monuimus.

Opponunt ſecundò: Prohibita eſt ab Innocentio XI. propoſitio hæc 3. *Generatim dum probabilitate, ſiuè intrinſeca, ſiuè extrinſeca quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Ergo non licet ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliori.

Reſpondeo, negando conſequentiam: quæ ſic concludit: Non licet ſequi *probabilitatem quantumuis tenuem*: Ergo non licet ſequi vllam probabilitatem *quantumuis non tenuem*, relicta probabiliori. Vide quæſo, an conſequens illud in antecedente contineatur. Certè non magis quàm hic Pater præcepit filio (ob periculum lapſus) ne ambulet in extrema crepidine ripæ fluminis: ergo præcepit filio ne vſpiam ambulet in ripa fluminis.

Dico igitur, nuſpiam nos docere (vt ex ante dictis liquet) quod generatim liceat ſequi ſententiam probabilem: varios etenim excipimus caſus, ver. gr. quo agitur de valore Sacramenti extra neceſſitatem, vel quo certa iniuria, periculum proximi, lex, aut conuentio in contrarium adeſt. Et ratio eſt, quia in ſimilibus quamuis opinio quædam ſit ſpeculatiuè probabilis, non tamen eſt practicè talis.

Adde, dici non poſſe iuxta communiorem, & à nobis aſſignatam notionem probabilitatis dari aliquam opinionem, *quantumuis tenuem*, id

ideſt, tenui prorſus fundamento ſubnixam,& tamen *à probabilitatis finibus non exire*.

Quinimò hæc doctrina ex ſuperiori *obiectione* videri poſſit potius nouum robur aſſumere. Quia declarando licitum non eſſe operari ex probabilitate *quantumuis tenui*, ſatis inſinuatur, probabilitatem *certam*, *& minimè tenuem* nullo modo improbandam eſſe : ad hoc enim limitatio illa deſeruit. Quin etiam cautum fuit, ne actio ex illa ipſa tenui probabilitate cenſeretur reprobanda, niſi addendo, *quantumuis tenui*, & niſi dicatur, *generatim*, ac etiam *ſemper* cum ea prudenter agi. Vide an exceptiones illæ non potius firment regulam doctrinæ quæ oppugnatur, & ſuperius expoſita eſt.

Opponunt tertiò: Propoſitiones ab Alexandro VII.& Innocentio VI. prohibitæ, erant ante prohibitionem probabiles, quamuis oppoſitæ eſſent probabiliores,& tutiores;& tamen omnes,& ſingulæ prohibentur tamquam ſcandaloſæ,& in praxi pernicioſæ:ergo ſignum eſt, non licere ſequi ſententiam probabilem, relicta probabiliore,& tutiore: quia alioqui illæ propoſitiones non potuiſſent eatenus prohiberi.

Reſp. primò, propoſitiones illas non fuiſſe certò,& practicè probabiles:quia, vt conſideranti patet, non nitebantur motiuo graui, ex quo vir prudens,& circumſpectus in rebus magni momenti concludere ſolet: & nos quoque in decurſu huius Tomi illud ipſum de quibuſdam oſtendimus. Imò variæ earumdem propoſitionum, etiam ante prohibitionem; fuerunt omninò improbabiles : manifeſtè enim diſcrepant à Sacris litteris,Conciliorum,Pontificumque decretis, & Sanctorum Patrum, ac Theologorum placitis. Præterea reſponſum hoc noſtrum ſupponunt apertè dicti Pontifices, præcipuè Alexander VII. in proemio Decreti ſui : neque enim ea, quæ obiectio illa tantopere exaggerat, locum habent in propoſitionibus certò, & practicè probabilibus.

Reſp.ſecundò, diſſimulato antecedente negando ſequelam : nam inde tantum ſequitur, opiniones, quæ ſunt probabiles, reddi poſſe omninò improbabiles, ſi ab Eccleſia vel Pontifice prohibeantur omninò doceri aut in praxim deduci; vti etiam ſupra inſinuatum eſt. Imò ſententia quædam efficitur abſolutè improbabilis, ſi quis etiam priuatus inueniat nouam, & ſolidam rationem, quæ manifeſtè elidat rationem oppoſitam. Ad probationem dico, opiniones quæ antea non ſunt ſcandaloſæ, reddi tales, dum incipit conſtare eas à Sacris Scripturis, aliiſque de quibus in reſponſo anteriori, alienas eſſe : prout conſtat præcipuè, dum Eccleſia aut Pontifex, præuio examine eas aliqua cenſura notat, & taliter notatas prohibet. Ex quo tamen vniuerſaliter non rectè inferes propoſitionem illam antea non fuiſſe probabilem, & tutam: imò, & probabiliorem, imò & communem, Nonne ſat notum eſt philoſophiæ peritis axioma Ariſtotelicum : *Falſa ſæpè ſunt probabiliora veris?* Nemo certè peritus ſupponit probabilitatem eſſe prædicatum obiecto intrinſecum, & inſeparabile : norunt omnes illam ſe tenere ex parte noſtri intellectus tali motiuo inſtructi, vti in omni Dialectica docetur.

Neque ex reſponſione hac poſteriori inferas, ſimilem prohibitionem obeſſe ſaluti fidelium, quin potius prodeſſe : quilibet enim tenetur, pro reuerentia legi diuinæ debita, allaborare, vt aſſequatur rerum agendarum veritatem, non tantùm ſpeculatiuam, ſeu etiam (ſi fieri poſſit) obiectiuam, imò Deus ſubindè etiam ob materialia peccata homines punit id eſt, ad hoc affligit, vt ipſi, ac præſertim Principes,& Prelati, ea non negligenter indagent,& extirpent; vti patet in Abimelech *Geneſ.* 20. &c.

Annotatio.

HInc æquo Iudici ſtatuendum relinquo, quàm parùm recta ſit hodie quorumdam in Schola vnius Auctoris præ aliis accuſatio. Si nempe horum aliquis ſententias aliorum aliquas etiam meritò impugnauerit, v.gr. Baianas aut ſimiles, hoc ipſum in diſplicentiam non modicam trahitur, vti ex præteritis nimis notum eſt. Si è contra, aliquam aliorum Auctorum ſententiam, poſtea improbatam, cum multis agnouerit probabilem, ſtatim illi vni, non aliis, ſententia iſta imputatur,& adſcribitur, quamuis etiam multis modis illam limitauerit, aut etiam contrariam tradiderit. Hoc, inquam quam rectum,& ſincerum ſit nihil ſtatuo, ſed æquo lectori in rebus paſſim modernis vtiliter conſiderandum committo.

Poſtremò congeruntur varia loca, partim ex iure Canonico, partim ex auctoritate Patrum, & Doctorum deprompta, quæ contra vſum ſententię probabilis fruſtra intorquentur: eo quod non pertineant ad ſtatum huius controuerſiæ, in multis ab aliquibus non ſatis examinatę, qui ſępe inter probabile, & dubiũ non diſcernunt, & conſilium amplectendi tu-

tutiora cum præcepto confundunt. Hæc autem ſummoperè cauenda ſunt in hac quęſtione, qua nulla eſt per Theologiam vniuerſam ad praxim magis neceſſaria, ideoque hic paulò latius deducenda fuit.

§. V.

An, & quomodo aſſertio vnius Auctoris poſſit reddere ſententiam probabilem, ſic vt eam practice liceat amplecti?

HÆc quęſtio magna contentione vtrimque agitata, non adeò videretur peregrina, si illi qui ſuſtinent partem negatiuam, ſatis attenderent quid alij affirment. Certum eſt primò: Non ſatis eſſe ad probabilitatem opinionis, quòd contineatur in libro alicuius iunioris aut moderni Scriptoris, et ſi non conſtet eam à Sede Apoſtolica reiectam eſſe vt improbabilem. Conſtat hoc ex propoſitione 27. ab Alexandro VII. damnata 24. Septemb. an. 1666.

Non ſufficit etiam opinionem aliquam obiter aut ex incidenti traditam eſſe ab vno Auctore ſiue antiquo, ſiue recenti, præſertim si alij oppoſitam ex profeſſo docuerint, præter alia ſuperius annotata.

Dico tamen primò: Cenſeri debet opinio omninò probabilis quæ ab vnico auctore multum perito, ac probo traditur, in re quam nemo omninò præter illum tractauit, si ipſe iudicet eam non repugnare ſenſui communi, & alijs nihil in ea appareat quod abſurdum iudicetur.

Et probatur: Quia quod nititur motiuo plerumque connexo cum veritate, illud merito, & prudenter cenſetur probabile. Atqui Auctoris multum periti, ac probi aſſertio dicto caſu eſt tale motiuum. Quia vir probus rarò mentitur, & pollens doctrina ſæpius veritatem attingit, rarius in errorem labitur: Ergò illius aſſertio in caſu prudenter cenſetur eſſe certo probabilis. Cumque ſolus rem ex profeſſo examinauerit, nulla eſt oppoſita auctoritas, quæ elidat vim huius motiui, quod ab iſtius viri aſſertione, & iudicio deſumitur. Et hæc ratio videtur non minus euidenter id quod aſſumpſi probare, quam vni artifici prudenter credendum in arte quam ipſe vnus exercet, nisi conſtet ipſius reſolutionem ex siniſtro affectu procedere, quod de Auctore probo non præſumitur, nisi aliunde probetur.

Sed quid si Auctor ille in dicto caſu tantùm dicat Reſolutionem quam tradit, sibi videri omninò probabilem, non verò abſolutè certam, & euidentem.

Reſpondeo, hoc etiam caſu eam vt probabilem prudenter recipi poſſe. Id enim euincit ratio iam tradita, de ipſius aſſeueratione cum veritate potius quàm falſitate connexa: eoque magis quod facilè ſit de probabilitate iudiciũ certum proferre; quod nempe aſſertio nitatur ratione vel auctoritate, non leuis momenti, quæ prudentem aſſenſum mereatur.

Quæres, quid ſi Auctor ille, vel alij, tantùm aſſerant, ſibi probabile videri aſſertionem aliquam eſſe probabilem?

Reſpondeo, quæſtionem hanc, ſi termini penetrentur, nedum non habere adeò difficilem quam aliqui apprehendat. Quid enim eſt aliquid probabiliter videri probabile, quàm omnibus expenſis poſſe iudicari adeſſe ſufficientem rationem vel auctoritatem, ex quibus mereatur determinatum aſſenſum; Hæc autem ſi adſint, obiectum apparet reflexè ſaltem probabile, hoc eſt, mereri prudentem, & determinatum aſſenſum, & intellectum non debere circa illius probabilitatem dubium, aut ſuſpenſum hærere.

Quod ſi contingat intellectum hærere, & ſiſtere in ſolo iudicio de probabilitate probabilitatis partis minus tutæ, illicitum eſſe inde procedere ad operationem meritò docet *Card. Lugo* de fide diſp. 1. ſect. 1. *Honoratus Fabri* in Dial. de Opin. probabili citans *Breſſerum* de conſcien. lib. 3. cap. 5. *Merulam*, *Maſtrium*, *Spinulam*, *Medinam*, 1. 2. quæſt. 19. articul. 6. Quibus accedit *Baldellus* lib. 4. diſp. 10 num. 5. nec non P. *Ant. Terillus* in fundam. Theol. Mor. pag. 300. Non deſunt tamen qui ſententiam prædictis oppoſitam tradunt, & illis forte conſentirent plures, qui negant requiri ipſum dictamen vltimum moraliter certum, vt quis abſque formali peccato opinioni probabili ſe conformet, quam ſententiam tenet *Vaſquez* 1. 2. diſp. 62. cap. 9. *Anton. Perez* certam. 10. cap. 2. *Vericelli* Tom. 1. Quæſt. Mor. Tract. 2. quæſt. 11. num. 2. *Petrus de Tapia* in Catena moral lib. 1. quæſt. 8. art. 12. Neque D. Thomam aliter ſentire de eo qui probabiliter, & cum formidine iudicat, ſed tantum de eo qui dubitat, cenſet *Barth. Medina* 1. 2. q. 19. art. 6. §. *ſi quis*: Sed illa opinio nobis in praxi laxior apparet, quia non tenuem, & incertam, ſed ſolidam, & certam probabilitatem requirimus. His obiter notatis, ad quæſtionem in titulo propoſitam.

Dico ſecundò, Poteſt vnicus Auctor ſententiam aliquam reddere probabilem, contra com-

communem aliorum opinionem, ſi rationibus in contrarium allatis ſolidè reſpondeat, & pro ſua parte nouas adferat rationes, quæ tantùm habeant momenti, vt aptæ ſint mouere virum peritum, & probum abſque paſſione ad recedendum à communi, & nouam vnius opinionem recipiendum.

Probatur ratione ſatis euidenti: Quia in re morali conſenſus Auctorum communis non eſt adeò certus, quin abſolutè falli poſſit: Supponimus enim rem non eſſe per ſe euidentem, aut à Deo reuelatam. Ergo fieri poteſt vt aliquis ſagaci ingenio rem inueſtigando latentem errorem deprehendat, eumque refutet, & vera ſolidaque ratione oppoſitam veritatē confirmet, ac in lucem proferat. Hoc ſi fortè aliquis reipſa præſtiterit, noua illa vnius Doctoris ſententia contra communem, digna erit vt probabili aſſenſu ab intellectu benè diſpoſito recipiatur. Et verò multæ de facto ſunt ſententiæ in Theologia, Philoſophia ac Matheſi, quæ olim communi conſenſu receptæ, poſteà, errore per nouum Auctorem ſufficienter detecto, è Scholis euanuere. Quod etiam facilè deprehendes locum habere in ipſis qui communem hactenus de probabilitate doctrinam reijciunt. Non alia certè de cauſa, quam quia ſibi perſuadent ſuorum aliquem cœpiſſe detegere communem illum Caſuiſtarum errorem, eumque ſolidè refutaſſe, & argumenta in lucem protuliſſe quibus oppoſita doctrina illi omninò præferri debeat.

De cætero, ſufficere quandoque poſſe vnius Doctoris auctoritatem ad conſtituendum opinionem quam in praxi ſequi liceat, tradunt auctores plurimi, quorum plerique multò minori quam nos limitatione vtuntur. Ex his viginti quatuor adducit *Vericelli* Tom. 1. Quæſt. Moral. Tract. 2. ſingularium q. 5. inter quos eſt Angelus, Sylueſter, Sanchez, Vaſquez, Molfeſius, Paſqualigus, Rolandus, Villalobos, Clauis Regia, &c. Accedit Thomas Hurtadus Reſol. Moral. Tract. 4. cap. 8. num. 911. Affirmas vnum Doctorem claſſicum ſufficere quandoque ad conſtituendum opinionem probabilem, pro ſe adducens inſuper Baldellum, Martinez, Bonacinam, Reginaldum, Curielem, Suarium, Paſqualigum, à quo referat alios innumeros in eandem ſententiam citari decis. 630. His addit idem Hurtadus in Append. ad Tract. 10. c. 3. num. 33. Magiſtrum S. Thomã, Pontium, Torrez, Malderum, Syluium, &c. Ex quibus ſaltem patet non eſſe peregrinum, incidere poſſe caſum, quo poſſit aliquis, re debitè ponderata, ſe vnius Auctoris opinioni conformare, quamuis id rariſſimè contingat quando plures auctores vtrimque concurrunt.

Ex dictis porrò colligitur, poſſe euenire vt nec quinque, nec decem Auctores ſufficiant, vt opinio aliqua ſit practicè probabilis. Quando præſertim plures, & melioris note Auctores communi conſenſu, & abſque paſſione, aut partium ſtudio pronunciat, iſtam opinionem abſolutè, & in praxi eſſe improbabilem. Aut quando deprehenditur talem opinionem alicui Pontificum Decreto omninò aduerſari. Sicut ex vtroque capite nunc improbabilis eſt ſententia docens, abſolutionem Sacramentalem abſenti collatam eſſe validam, quàm ante declarationem Clementis VIII. Auctores multi, & graues docuerunt, Quia in his, & ſimilibus deficit tunc fundamentum prudentis aſſenſus.

Hinc quoque manifeſtum eſt, probabilitatis defenſores non metiri opinionis licitum vſum, aut probabilitatem, ex ſolo Auctorum numero. Multò minus paſſim docere, illud omne eſſe practicè certùm, quod eſt ſpeculatiuè probabile, quod aliqui ipſis imperitè non affingerent, ſi Theologorum modernorum doctrinam communem ſatis intelligerent.

§. VI.

Qui & quales ſint pauci recentiores Scriptores, qui communem de probabilitate doctrinam impugnant.

MAgno impetu in probabilitatis Auctores inter primos inſurrexit *Montaltius* in ſuis Epiſtolis, quas vocat Prouinciales; *Vvendrochius* in Notis ad Epiſtolas Prouinciales, quibus diſputationem de probabilitate annexuit; ac *Paulus Irreneus* in ſuis Diſquiſitionibus. Sed quam parum felix fuerit horum trium conatus, euentus docuit. Montaltij Epiſtolæ Prouinciales condemnatæ ſunt, ac legi aut retineri prohibitæ per Bullam Alexandri *VII.* datam 6. Septembris anni 1657. quæ etiam Louanij publicata fuit. Vvendrochij liber, cum opere dicti Montaltij, ac Irrenæi, flammis publicè traditus eſt decreto Regis Galliæ edito Pariſijs 23. Septembris 1660. Decretum illud anteceſſit, contra hos triumuiros, Cenſura plurium Epiſcoporum, Doctorum, ac Profeſſorum Facultatis Pariſienſis 7. Septembris 1660. quæ declarat in eorum ſcriptis propugnari errores in Ianſenio ab Eccleſia damnatos, eaque paſſim ſcatere maledicentia, qua nulli hominum conditioni parcunt:

cunt: Ac proinde decernit Opus illud eſſe dignum pœna libellis famoſis à Iure conſtituta.

Scripſit quoque *Vicentius Baronius* librum, qui inſcribitur Theologia moralis, aduerſus Probabilitas. Contra illos etiam ſtylum armauit *Thomas Hurtado* in ſuis Reſolutionibus Moralibus. Sed quàm hi parum ſolidis nitantur principijs, vel inde ſatis prodiderunt, quod vterque in plurimas ex propoſitionibus ab Alexandro VII. damnatis impegerint, vt apertè detexit *D. Nicolaus de Bois* in Tractatu pereruditο quo dictas propoſitiones elucidauit, & ſuis quamque Auctoribus adſcripſit. His acceſſit gallicè Theologia quædam moralis edita ſub nomine *Curatorum Frantiæ*, quæ adeò ab ipſo Controuerſiæ ſtatu aberrat, vt nec ſibi nec prędictis Auctoribus ſatis cohęreat. Multa quoque contra probabilitatis vſum ſuo Sauli Exregi inſeruit Eximius *D. Sinichius*, ſed iſta D. Gulielmus le Maire fusè euentilauit. Inter Iuriſconſultos pridem, Illuſtriſſimus *Proſper Fagnanus* aduerſus probabilitatis vſum calamum ſtrinxit; Antonius quoque *Merenda* Iuriſconſultus, in ſuo libro de Conſilio eamdem doctrinam vehementer impugnat. Quamuis non videatur Fagnanus omni probabilitati abſolutè aduerſari, dum num. 448. ſic reſoluit: Auctoritas vnius grauis Doctoris „reddit opinionem probabilem, & eſt fundamentum ſufficiens eam tenendi, & ad praxim deducendi, ſi in contrarium nullus occurat Doctor, & vtrimque ſint rationes „æquè probabiles.

Poſtremò, Benignam ſententiam oppugnauit *Iulius Mercorus* Mantuæ Inquiſitor in ſua Baſi Theologiæ Moralis, qui in hac Controuerſia diſcutienda ſedulus, & moderatus fuit nec in praxi à ſententia communi multum recedere videtur. Adeò vt apud Vvendrochium illi obijciatur, totum ex illius aſſertis efficaciter ſtabiliri, quod in alijs reprehendit, ac proinde illum in *Appendice de probabilitate*, ex profeſſo impugnat. Sed nec Vvendrochij doctrinam ferre potuit ipſe Vicentinus Baronius, quam inſectatum part. 2. art. p. 340.

His æqua lance perpenſis, facilè eſt iudicare, hos paucos Scriptores, nec omnes ſibi conſtantes, nec inter ſe in oppugnando probabilitatis vſu cohęrentes fuiſſe: Nec videri quempiam eorum habere conditiones à nobis ſupra requeſitas, vt vnus Auctor nouus reddat opinionem ſuam probabilem contra communem aliorum ſententiam.

Veniemus nunc ad particulares quæſtiones, de quibus etiam in ordine ad praxim hoc tempore ſingulariter diſputatur aut diſputatum fuit, vt etiam de ſtatu, & ratione controuerſiæ vtrimque conſtare poſſit.

CAPVT III.

Controuerſiæ ac Quæſtiones maximè ſingulares, etiam modernæ, in vario genere materiæ moralis.

Summula materiæ Quæſtionum huius Cap. 3. Quæſt. 1. 2. 3. *Reſtrictio mentalis. Negatio criminis in iudicio. Carentia omnis attentionis in Horis Canonicis.* Quæſt. 4. 5. 6. *Deſiderium mortis, aut morbi alieni. Nauis incenſio in pugna nauali. Neceſſitas qualis ſubueniendi proximo.* Quæſt. 7. 8. 9. *Simonia ex pacto gratitudinis. Exercem copulam coniugalem ſola cauſa ſedandæ libidinis. Furta modica in ordine ad reſtitutionem.* Quæſt. 10. 11. 12. 13. *Excuſatio à ieiunio in cauſa non neceſſaria. Contrahens matrimonium cum voto caſtitatis. Inebriatio ad grandis malis præuentionem. Teſtamentum aliud priori ſubſtitutum.* Quæſt. 14. 15. 16. *Abſolutio Conſuetudinarij, item Recidiui Sigillum Sacramentale in ordine ad officium, & prælaturam.* Quæſt. 17. 18. 19. 20. *Approbatio in vna diœceſi an valeat in ordine ad alias. Approbatio iniuſtè negata quid valeat. Peccata dubia in ordine ad confeſſionem. Communio ſine confeſſione conſcij mortalis.*

Quæſt. 21. 22. 23. 24. 25. *Attritionis ſufficientia ad Sacramentum, fusè. Amoris beneuoli neceſſitas. Parochiani obligatio in ordine ad Sacrum, confeſſionem, communionem in parœcia. Approbationis Regularium qualiter per Epiſcopum valeat reſtrictio, &c.*

QVÆSTIO I.

Quinam Auctores, & qua ratione docuerint licitum vſum Reſtrictionis purè, aut non purè mentalis, & de alijs eo pertinentibus?

REStrictio dicitur *purè mentalis*, quando nec verba ſecundùm ſe ſumpta, nec ſimul cum circumſtantijs externis ſenſum verum recipiunt, ſed tantùm coniuncta cum alijs verbis quæ ſola mente ſubintelliguntur. Vt ſi benè pranſus dicam, me hodie nihil comediſſe in mente intelligendo, nihil carnium.

Hanc

Hanc reſtrictionem illicitam eſſe docent plerique Auctores noſtræ Societatis, vt *Layman* Lib. 4. Tract. 3 cap. 13. nu. 7. *Conrinck* de actib. ſupern. l. 1. diſp. 10. dub. 3. *Card. Lugo* de fide, *Ripalda*, & paſſim alij: nec vllum vidi noſtrorum Profeſſorum multis annis quibus Louanij docui, qui illic contrarium tradiderit. Vnus fuit à pluribus annis P. Leonardus Leſſius qui in opere celeberrimo quod edidit de Iure, & Iuſtitia lib. 2. cap. 42. dub. 9. num. 47. ſecutus eſt *Nauarrum*, & illos tantùm qui docent licitum eſſe aliquando, & iuſta de cauſa, vti reſtrictione purè mentali. Neque ipſius doctrina in praxi diſſidet à communi ac vera ſententia, quæ agnoſcit licitum eſſe vti reſtrictione non purè mentali, quando ſcilicet circumſtantiæ externæ conſignificant id quod in verbis prolatis non exprimitur: ſed tantùm differt ab illis in explicatione, & probatione ſuæ ſententiæ. Nam in omni caſu quo *Leſſius* docet licitam eſſe reſtrictionem mentalem, eoquod verba exterius prolata poſſint coniungi, & ſenſum integrare cum alijs verbis ſola mente intellectis, alij admittunt eadem verba licitè proferri, eo quod ſenſum verum conficiant, non cum verbis ſola mente occultatis, ſed cum circumſtantijs externis loquentis, aut interrogantis, & alia iuſta cauſa, propter quam licitum ſit verbis non exprimere, quod externis circumſtantijs ſufficienter importatur. Hanc autem iuſtam cauſam *Leſſius* ſemper requirit, & hæc ipſa eſt circumſtantia externa propter quam licitum ſit verbis reſtrictis vti ex ſententia communi etiam plurium qui Leſſium vehementer impugnant. Vt ſi Confeſſarius interrogatus de Petro homicida dicat, Petrum confeſſum non eſſe homicidium: Alij dicent id licitum eſſe propter iuſtam cauſam, quæ facit vt perſona confeſſarij loquentis æquiualeat his verbis, ſic vt tibi debeam dicere; Leſſius autem docet licere ſic loqui, quia adeſt iuſta cauſa vt ſola mente intelligantur eadem verba, ſic vt tibi debeam dicere.

Hinc patet quam iniquè aliqui Leſſij doctrinam traducant tanquam in praxi pernicioſam, & deſtructiuam commercij humani. Quod præ cæteris magno ardore, ſed viribus exiguis contendit *Ioannes Barneſius* natione Anglus, Ordine Benedictinus, qui non tantùm Leſſio iniurius, ſed etiam Ordini ſuo rebellis fuit, contra quem infami libello delbacchatus eſt, & carcere punitus. Alter Leſſianæ doctrinæ hoſtis præcipuus eſt *Thomas Hurtado*, Ordinis Clericorum Regularium minorum in Reſol. de vero Martyrio reſol. 70. digreſſ. 6. ſect. 2. qui imperitè affirmat, nullum ante tempora Leſij reſtrictiones purè mentales defendiſſe, quod quàm apertè falſum ſit mox patebit. His vtinam ſocium ſe non adiunxiſſet *Sinnichius* in ſuo Salue Ex rege l. 1. c. 104 §. 392. vbi contra Leſſium præ cæteris, tamquam magnum Reſtrictionum mentalium patronum, vt loquitur, multa diffusè conglomerat, qui tamen, ſi alios Auctores ſtudiosè expendiſſet, facile reperiſſet plures ante, & poſt Leſſium, qui multò magis huic doctrinæ patrocinati fuerunt.

Reſtrictiones ſiquidem purè mentales, quas Leſſius paucis tradidit, pridem ex profeſſo defendit: *Nauarrus* Commentario in Caput. *Humanæ aures.* Et in ſua Summa Cap. 12. num. 8. 9. 14. 18. &c. Citat quoque Leſſius pro licito earum vſu, ſe multò antiquiorem, *Syluestrum*, *Angelum*, *Adrianum* poſtea Pontificem, *Ioannem Maiorem*, deinde *Toletum*, & *Valentiam*. Quod ſi voluiſſet eſſe magnus reſtrictionum mentalium patronus, poterat in eandem ſententiam adducere, *Paludanum*, *Capreolum*, *Almainum*, *Greg. Arimenenſum*, &c. Quibus, ex recentioribus, acceſſere Peſantius, Rodriquez, Salonius, Philiarchus, Ludou. Lopez, Sayrus, Portel; Gazęus, Bonacina, Barth. Medina, & alij, qui vel vniuerſim, vel in particulari caſu reſoluunt iuſtam ob cauſam licitam eſſe reſtrictionem, quam non aliunde quam ex verbis mente ſubintellectis conflatam, & probatam eſſe volunt.

Ex quibus facile colligas qui ſint, & ab initio fuerint Auctores illius ſententiæ: & quàm iniquè imputetur illa Scriptoribus Societatis, qui ad cæteros comparati exiguo prorſus numero eam tradiderunt. At, inquies, quorſum Societati prę alijs obtruditur doctrina tam inuidioſa? Malo ego huius cauſam ab alijs excogitari; qui libenter ſuum cuique relinquo.

Cæterùm reſtrictio, quæ eſt purè mentalis vti à nobis paſſim reiecta, ita nunc ab Innocentio XI. eo modo reprobatur qui exprimitur ſupra in propoſitione 26. Ratio eſt quia, & debitæ ſinceritati, & commercio humano varijs modis meritò inimica reputatur, vt fuſius cum alijs ſupra noſter *Layman*, *Coninck*, *Azor*, *Rebellius*, *Ripalda de fide diſp. 4. num. 68. Card. Lugo de fide diſp. 4. ſect. 5. num. 62.*

Qui & ritè oſtendunt quo modo ex iuſta cauſa licitè quandoque vſurpari poſſit reſtrictio illa *non pure mentalis*: quæ ſita in circumſtantijs externis quæ verbis æquiualent,

& cum

& cum ijs conſignificant, & veram ſenſum efficiunt, vt hic ſupra explicui, addito exemplo v.gr. Confeſſarij qui de conſpiratione Pœnitentis in Principem à Principe interrogatus poſſit dicere, neſcio. Sunt tamen aliqui, ſed pauci, moderni qui id licitum negent, ſed volunt interrogatum à Principe præſertim non Catholico debere dicere, non poſſe ſe ad illud interrogatum reſpondere. Sed certum videtur reſponſum illud ſuſpicionem non modicam ingenerare de confeſſione iſtius conſpirationis, adeóque cum confeſſionis ſigillo non conſiſtere.

Quæres, An licitum eſſet *Miſſionario* inter Chinenſes infideles more Gentis adhibere Idolo externam adorationem, ſed intentione clam directa ad Deum vt repræſentatum in Imagine Crucifixi penes ipſum floribus contacta, aut propè idolum occultata.

Reſpondeo negatiuè: Nam in profeſſione fidei ob grauia quæ redundant incommoda, omnis ſimulatio, reſtrictio, & æquiuocatio interdicta eſſe debet. Grauis eſt accuſatio Thomæ Hurtado, & aliorum qui poſt illum hanc praxim quibusdam apud Chinas Miſſionarijs affinxerunt. Illam abundè deterſit Decretum generalis Inquiſitionis Romanæ editum Anno 1656. quod extat apud P. Theophilum Rainaudum de Miſſis Sinenſibus, vbi fabulam illam apertè refutat. Extat quoque Louanij dum hæc ſcribo, teſtimonium authenticum Dominici Mariæ Sarpetri Ordinis Prædicatorum, qui præſens apud Sinenſes Miſſionarium egit.

QVÆSTIO II.

An debeat cenſurari, aut improbabilis haberi hæc propoſitio, Reus, & Teſtis non obligatur ad mentem Iudicis reſpondere, ſi dubitent an legitimè à Iudice interrogentur?

Reſpondeo, Nullam ſaltem extare legitimam iſtius doctrinæ cenſuram. Illam diſertè tradit apud *Dianam* Part. 3. Tract. 5. Reſol. 91. Sotus, Bannez, Medina, Salas, Leſſius, Henriquez, quibus addit Villalobus Tom. 2. Tract. 16. diff. 1. num. 6. Caietanum Adrianum, Aragonium, Salonium, & alij alios. Et ſequitur ex Principio à pluribus admiſſo, non teneri ſubditum obedire Superiori cuius dubia eſt juriſdictio aut poteſtas, eo quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis ſuam libertatem.

Porrò *Malderus* 2. 2. cap. 3. dub. 1. abſolutè affirmat probabile eſſe, Reum non teneri crimen capitale fateri, ſi non ſit in eo deprehenſus, aut conuincendus, & ſpem habeat euadendi. Et minori limitatione *Petrus à Nauarra* l. 2. de reſt. cap. 4. nu. 142. ſic pronunciat: Piè & probabiliter exiſtimo in cauſa criminali, præcipuè capitis, poſſe Reum in conſcientia veritatem ſecluſo mendacio contegere. Idem cum Reginaldo, Ioanne Sanchez, & Leſſio docet Rodriquez, Spatarius, Portel, Salzedo, Peyerinus, apud *Dianam* Part. 2. Tract. 15. Reſol. 27. Accedit *Cardinal de Lugo* de Iuſt. Tom. 2. D. 40. Sect. 1. num. 14. qui ait Turrianum immeritò hanc ſententiam improbabilem dixiſſe. Multoque acrius in hoc Turrianum, & Texedam caſtigat *Diana* Part. 10. Tract. 13. *Texeda*, inquit, & *Turrianus* nimis audacter re gerunt in cenſurandis Doctorum virorum opinionibus .... Opponitque, Texedæ iudicium grauiſſimum M. Serra 2. 2. quæſt. 69. art. 1. dub. 1. Ego inquit abſolutè hanc ſententiam ob auctoritatem auctorum citatorum, & argumenta facta, probabilem eſſe iudico: Eamdemque recentius *Franc. Bonæ Spei* admittit communiorem eſſe Theologorum doctrinam, *de iuſtitia* d. 4. dub. 3. num. 57.

Quæres porrò, An hæc ſententia quam Auctores omninò probabilem agnoſcunt, de Reo negante crimen capitale ſemiplenè probatum intelligi debeat de ſolo periculo vitæ, an etiam de quouis damno multum graui, vt eſt exilium, triremes, grauis iactura bonorum, aut famæ? de Fide hic non agitur.

Reſpondeo, etiam in his caſibus probabilem cenſeri à *Nauarra* l. 2. de reſtitut. cap. 4. num. 127. referente etiam pro eadem Panormitanum, Syluestrum, Angelum, Armillam, &c. Illemque docet *Em. Rodriquez*, in Summa, ac probabilem aſſerit *Suarez*, *Sà*, *Leſſius*, *Vega*, & plures alij. Non ita tamen vt aliquis horum exiſtimet licitum eſſe mediante mendacio crimen contegere. Premiſſis non obſtantibus, arbitror doctrinam illam haud temerè tradendam populo præſertim rudiori, ob incommoda ea non ſatis intellecta facile ſecutura.

QVÆSTIO III.

Quid cenſendum de ſententia quæ tradit, non requiri attentionem internam, vt ſatisfiat præcepto recitandi Horas canonicas.

AVctoritatem ſufficientem huic ſententię conciliare nititur aſſertio variorum Scriptorum, qui cenſent attentionem internam non ſpectare ab ſubſtantiam Horarum ab Eccleſia præceptam: modò non exerceatur aliud opus externum quod per ſe excludat omnem attentionem internam. Non negant tamen interuenire peccatum veniale, aut etiam mortale ſi adſit grauis irreuerētia, aut contemptus officij diuini. Ita docet *S. Antoninus* P.3. Tit.13. Cap.4. §.7. citans etiam Hoſtienſem, & Vmbertum. Item *Syluester* in Summa v. Horæ quæſt.11.n.13. *Angelus* verb. Horæ n.27. Euagatio, inquit, quæ eſt aduertentis, & ſolum ſecundum actum interiorem, licèt ſit temeraria, & grauis, non tamen eſt mortale, niſi propter contemptum. *Durandus* in 4.d.15.quæſt.12. num.6. *Valreius* in Differ. vtriuſque fori v. Horæ differ.1. vbi pro ſe citat plurimos. De hac quæſtione agens *Herinx* Tract. de Relig.d.2. quęſt.4. num.40. & referens non ſuam ſed aliorum ſententiam, Cenſeo, inquit, valdè probabile ab Eccleſia nō pręcipi attentionem internam, ſed ſolum externam. Denique *Leander a SS. Sacramento* Tom. 2. de Sacr. Tract.6.d.13 quæſt. 13. citans inſuper pro eadem Ioan. Medinam, Archidiaconum, Ægydium, Dianam: Sine metu, inquit, probabilem eſſe affirmo cum Leſſio, Henriquez, Victorello, Layman.

Verùm etſi hæc ſententia ſpectata forte ſola auctoritate probabilis alicui videri poſſit & idonea vt ſcrupuloſis ſubueniat, qui facilè imaginantur ſe in recitatione Horarum nullam habuiſſe attentionem: exiſtimo tamen ſpectata ratione illa non ſubſiſtere. Negari enim non poteſt quin Eccleſia diuinum Officium præcipiat prout eſt oratio ſiue precatio, non vt eſt ſola verborum recitatio ſine vlla mentis ad Deum eleuatione. Atqui oratio neceſſariò inuoluit aliquam mentis applicationem, vel ad ſenſum verborum, vel ad eum cui oratio perſoluitur; nemo enim dicet illum orare Deum, qui ſola voce recitans Pſalmos Dauidicos curat ſibi prælegi aliquam hiſtoriam, ad quam totam mentis attentionem conuertit. Ergo qui magna parte Officii diuini ſponte caret omni prorſus attentione interna, non perſoluit orationem quam præcipi Eccleſia; adeòque etiam inde reus eſt grauis peccati, propter officium diuinum non debitè perſolutum.

QVÆSTIO IV.

An licitum ſit, ſaltem probabiliter, in animo deſiderare, aut à Deo poſtulare mortem, aut morbum alterius, ſi damna ab illo iniquè inferenda non poſſint aliter euitari.

REſpondeo, non paucos eſſe qui eam doctrina admittunt, modò hæc duo accedant; *Primò*, vt illud deſiderium non oriatur ex affectu inimicitiæ, quo alteri optetur malum vt ipſi malum eſt, ſed tantum ex deſiderio propriæ, & alienæ incolumitatis, aut vtilitatis ab alio iniquè impediendæ, ſine alia cooperatione externa. *Secundò*, vt damnum auertendum tanti ſit momenti, vt poſſit cum alterius morte æquiparari. Et hanc ſententiam docet *Sotus* de Iuſt. lib.5. Quæſt. 12. *Petrus Hurtado* in 2.2. Tom.2. de Char. Diſp.153. Sect.4. item *Ioannes de la Cruz* in direct. Par.1. de homicidio Dub.3. *Zanardus*, *Conradus*, *Caietanus*, & ipſe *D. Thomas* 2 2. Quæſt. 76. Art.1. Corp. ſic loquitur: *Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum, nec erit maledictio per ſe loquendo ..... Contingit autem, malum aliquod dici imperando, vel optando ſub ratione duplicis boni: quandoque quidem ſub ratione iuſti, & ſic Iudex, &c. quandoque vero dicitur aliquod malum ſub ratione vtilis puta cum aliquis optat, aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipſe melior efficiatur, vel vt ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet.* Similiter idem in 3.d.30. q.1.art.1. ad 4.

Ratio autem huius eſt, quia motiuum propriæ vtilitatis aut incolumitatis conſeruandę non eſt per ſe malum, & affectus mortis alienæ procedere poteſt non ex vindicta, ſed ex motiuo honeſtatis, & iuſtitiæ, ne ſcilicet alter peccet, & Deum vlterius offendat grauia damna iniuſtè inferendo. Sic, ſi quis furorem amentis declinare non poſſit, licitum eſt hominis illius mortem optare: nulla in hoc deſiderio intercedit inimicitia. Ex quo patet huiuſmodi votum poſſe tendere in ſolam indemnitatem propriam, & ab omni vindictæ labe defæcari.

Decet tamen ab huiuſmodi deſiderio homines dehortari, ob periculum, ne dilabantur lterius ad effectum inordinatum odij, aut vin-

vindictæ. Habēt interea ex hac doctrina quod timeant viri potentes, ne iniqua vexatione pauperum ſuſpiria, & iuſtas ad Deum preces in ſe commoueant, nam deſiderium pauperum exaudit Dominus.

Dices doctrina hęc videtur proſcripta ab Innocentio XI. in propoſitione 13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

Reſpondeo, negando aſſumptum. Non enim admittunt Theologi prædicti probabilem ſententiam tam indefinitam, vt contineatur in propoſitione damnata, neque ob temporale emolumētum: moderationes adhibent (quemadmodum in principio inſinuaui) magna dignas conſideratione. Quæ omnes neque explicitè neque implicite adhibentur in iſta propoſitione: Non explicitè, quia tantum cauetur ne fiat *ex diſplicentia perſonæ*; non implicitè videlicet per hæc verba: *Si cum debita moderatione facias*, quia expreſsè dicitur (quod dicti Theologi non admittunt) fieri id poſſe *ob aliquod temporale emolumentum*, illud non exponendo vlterius, quod tamen neceſſe fuiſſet & quidem magis, quam excipere affectum *inimicitiæ*: de hoc quin ſit maius, dubitare nemo poteſt; aliud autem propriæ vtilitatis an, & quouſq; permiſſum ſit intendere, non ita paſſim notum. Itaque ſi auctor quicumque propoſitionis damnatæ capere eam voluiſſet in ſenſu illorum Theologorum, vtique etiam vſus fuiſſet iiſdem expreſſe modificationibus, quibus hi vtuntur: quod cum non fecerit, ſignum eſt per hæc verba: *Si cum debita moderatione facias*, tantum caueri, ne fiat cum immoderato ardore, vel periculo prolabendi in actionem externam: & propter hæc, aliaque, digna fuit illa prohiberi.

Cœterùm ex dictis manifeſtè ſequitur, nequaquam licere filio expetere mortem patris ſui ob hæreditatem optimam inde ſibi obuenturam: Etenim parens iniquè non impedit vtilitatem illius, vtendo bonis ſuis quamdiu viuit. Præterea dedecet vel maximè hominem, optare mortem illi; à quo poſt Deum vitam accepit, emolumento quocumque temporali, quod inde conſequeretur non obſtante, &c. Vnde etiam damnata eſt ab Innocentio XI. Propoſitio 14. huic doctrinæ contraria.

QVÆSTIO V.

An in prælio nauali licitum ſit militibus, ignem pulueri nitrico inijcere, & ſe mari committere, ne ipſi, cum naui, & opulenta præda in hoſtium manus deueniant?

Reſpondeo, probatis Auctoribus videri id licitum eſſe, ſi hæ conditiones obſeruentur. *Primò*; ne id fiat ea intentione vt quis ſe ipſum directè occidat, ſed ne hoſtis iniquus pręda ditetur, & ſi fieri poſſit, propria vita ſeruetur. *Secundo*, vt nulla ſit ſpes nauim, aut vitam aliter conſeruandi, nec in eo ſtatu ſit vt de animæ ſalute deſperetur. hanc ſententiam docet *Leſſius* de Iuſt. & iure lib. 2. cap. 9. Dub. 6. ſed & probabilem cenſet *Marchantius*, *Trullench*, *Prado*, *Velaſco*, *Vvigers*, de Iuſt. Tract. 2. cap 2. Dub. 18. *Malderus*, & *Diana* Part. 5. Tr. 4. Reſolut. 26. & alibi: Contra plures qui exiſtimant hanc eſſe directam ſui occiſionem, quæ numquam licita eſt.

At contrarium probatur, quia ſine directa ſui occiſione licitum eſt adhibere ignem pulueri tormentario ad euertendam arcem aut mœnia hoſtilia, etſi quis videat ſe arcis ruina, aut alio modo interimendum, vt admittit *Caietanus*, & *Syluester* verbo bellum 2. Quæſt. 3. Item in naufragio qui arripuit tabulam, qua poſſit vitam ſuam ſeruare, licitè eam concedit viro principi, aut etiam inſigni amico, eſtò videat ſe fluctibus abſorbendum, vt docet *Victoria*, aliique apud *Dianam* Part. 5. Tr. 4. Reſp. 24. Laudat quoque *S. Ambroſius* lib. 1. de Offic. c. 40. factum Eleazari l. 1 Machab. cap. 9. qui vt turrim ligneam hoſtibus refertam, & elephanti impoſitam euerteret, elephanti ſe ſuppoſuit eumque gladio confodit, cuius tamen lapſu ipſe quoque obruendus erat.

Nec leue pondus huic ſententiæ adiicit mandatū Philippi IV. Regis piiſſimi, quo prę-cepit Ducibus nauiū Indicarum vt ſi nequeāt aliter hoſtes euadere, naues perforent, vt ſubmergantur, ne præda tam opulenta in hoſtium poteſtatem deueniat, quibus ſuas vires contra Regem multum roborarent. Hoc verò Rex iuſtiſſimus haud dubiè non præcepiſſet niſi ea de re viros doctos ac ſapientes conſuluiſſet.

Vnde patet, etſi hæc ſententia ob periculū abuſus ſuadenda non ſit, non eſſe tamen omninò damnandos, ſi qui, cum conditionibus initio appoſitis, eam improbare noluerint.

QVÆSTIO VI.

Quæſtio multum agitata eſt: An, & in qua neceſſitate teneatur diues ex ſuperfluis ſui ſtatus proximo ſubuenire?

RArò locum vllum habebit hæc quæſtio, ſi per ſuperflua, cum quibuſdam, intelligas ea quæ non requiruntur ad meliorandum ſtatum præſentem, aut acquirendum nouum vt v.gr. ex mercatore fiat nobilis, aut ex Canonico Decanus, ex Decano Epiſcopus &c. Per ſuperflua igitur hic intelligo ea bona, ſine quibus præſens vitæ ſtatus in quo iam conſtitutus es, ſat commodè ducitur.

Reſpondeo ad queſtionem: Primò, quemlibet grauiter obligari, ex ſuperfluis ſtatui præſenti, ſuccurrere *graui* neceſſitati ſui proximi. Hoc enim ad minimum requirunt Scripturæ illæ quæ grauiter exprobant, diuitibus neglectum miſericordiæ, in ſubleuanda fame, ſiti, & nuditate proximi.

Dico etiam ſecundò, grauiter peccare diuitem cui decretum eſſet ex ſuperfluis ſuo ſtatui, in *Communibus* pauperum neceſſitatibus nullam eleemoſinam erogare. Hanc quoque aſſertionem probant eædem Scripturæ, & communior Doctorum conſenſus.

Sunt tamen aliqui auctores qui negant in hoc caſu grauem obligationem incumbere. Nec deſunt alij qui pro hac ſubuentione nullum præceptum, ſed tantùm conſilium admittunt. Pro hac doctrina adducit *Diana* Part. 2. Tract. 16. Reſol. 26. Syluestrum, Alenſem, Armillam, Paludanum, Gabrielem, Nauarrum, nec non D. Antoninum, Molfeſium, Medinam, Toletum, & Malderum. Huc etiam adduci poſſunt illi qui negant incumbere grauem obligationem ſubueniendi in graui neceſſitate, vt eſt *Gabriel*, & *Alenſis*, eamq; doctrinam probabilem vocat *Malderus*, apud *Dianam* loco citato. Quamuis illud ſuſtineri videatur abſque motiuo ſufficienti, ob rationes ſupra aſſignatas.

Quæres, An probabile ſit, in extrema etiam proximi neceſſitate præcepto ſubueniendi ſatisfacere eum, qui egenti mutuum concedit, cum obligatione reddendi ſi ad lautiorem fortunam perueniat? Doctrinam hanc in praxi probabilem abſolutè cenſet, & docet *Martinus Nauarrus* in Summa c.24.n.5. & fuſius c.17.n.61. Adrianus poſtea Pontifex illius nominis VI. in 4. de Reſt. pag. 64 col. 4. Couarruuias in Reg. Pecc. Part 2. §. 1. n. 4. citans Almainum, & Medinam. Denique auctor recentior *Franciſcus Bonæ Spei* approbat doctrinam illam vt rationi conſentaneam, quando dicta neceſſitas moraliter certò præuidetur non niſi aliquo tempore duratura.

QVÆSTIO VII.

Quid ſentiendum de opinione quæ docet, Non eſſe Simoniam, obligare ſe pacto expreſſo conferendi ſpirituale pro temporali ex gratitudine, alio titulo non inuoluente commutationem iuſtitiæ.

REſpondeo, opinionem illam eſſe improbabilem præſertim poſt dãnatas ab Innocẽtio XI. Propoſitiones 65. inter quas Propoſitio 42. 45. & 36. fauere videtur iſti opinioni.

Adde niſi in quæſtione ſub mortali id prohiberetur, facilè eluderetur lex Eccleſiæ prohibens ſimoniæ vitium: tradens enim vel accipiens temporale occaſione ſpiritualis; excuſari ſic ſemper poſſet ab omni peccato mortali, cum facilè vltra æquitatem propria cupiditas impellat. Alia ratio, quæ communiter à Doctoribus adfertur, habetur infra Part. 3. Tract. 5. c. 12. in fine. Et pluribus hanc doctrinam confirmat Suarez *Thom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 45. n. 9.* Layman *lib. 4. Tract. 10. cap. vlt. §. 2.* Azorius, Fillicius, alijque reprobantes pactum illud, do, vt te obliges ex gratitudine daturum.

QVÆSTIO VIII.

An, & qui Theologi admittant, excuſandum eſſe ab omni culpa etiam veniali, qui exercet copulam coniugalem ex ſola cauſa ſedandæ libidinis.

REſpondeo, plures id admittere, ſi copula illa ſit moderata, & alios fines poſitiuè nõ excludat, vt eſt procreatio prolis, aut perſolutio debiti coniugalis. Quamuis enim videantur aliqui moderni cum *Sinnichio* hãc doctrinam nouæ laxitatis accuſare, pridem tamen pro ea *Sanchez* de Matrim. l. 9. d. 9. adducit plures, & præſtantes Theologos, *Caietanum, Durandum, Richardum, Maiorem, Almainum, Nider Philiarchum, Anglezium, Palacios, Perezium, Nauarrum, &c.* Negari enim non poteſt quin vſus matrimonij inſtitutus ſit etiam ad ſedandam libidinem, & ad vitandum hoc modo periculum incontinentiæ, vti colligi poteſt ex verbis Apoſtoli, *Melius eſt nubere quam vir.*

Sed *quæres porrò*: An vſus coniugij propter ſolam delectationem ſit neceſſariò peccatum ſaltem veniale?

Reſpondeo, prohibitam eſſe partem negatiuam ab Innocentio XI. Propoſitione 9. Ratio eſt, tum quia delectatio non rectè ſtatuitur homini cauſa integra exercendi illum actum, qui præcipuè ordinatur ad alios fines honeſtos quos excludit, per affectum illum immoderatum. Tum quia illa voluptas carnalis plurimùm perturbat corpus, ac deſtituit mentem ſuſtinentis; vt proinde à ratione alienum omninò ſit eam ſic per ſe inſtar bruti appetere. Itaque, omiſſis aliorum opinionibus, tradunt hanc doctrinam, ad mentem illam Pontificis, *S. Gregorius Magnus* in Reſp. ad 10. Interrog. Auguſtini Anglorum Epiſcopi, & l. Paſtor. curæ P. 3. Admon. 28. *S. Auguſtinus* citatur pro eadem lib. de bono coniug. c. 6. 10. 11. l. 3. contra Iul. c. 21. l. 1. de Nupt. & Concup. c. 4. *S. Petrus Damiani* l. 1. Epiſt. 15 & *S. Thomas* 4. Sent. d. 31. q. 2. a. 3. in Corp. Quos paſſim ſequuntur Auctores noſtræ *Societatis*, *vt Card. Toletus*, *Præpoſitus*, *Coninck*, *Tannerus*, *Amicus*, *Dicaſtillo*, *Henriquez*, *Fagundez*, *Sanchez*, alijque, qui accuratè citantur apud *Vuilhelmum Sandæum* in Confut. triumuir. ad Propoſitionem 9.

QVÆSTIO IX.

An, aut quomodo admitti poſſit, illum qui interpolatis vicibus per furta modica, & tantùm venialia ad ſummam notabilem peruenit, non obligari ſub mortali ad totius ſummæ reſtitutionem?

VT autem illa furta ſint tantum venialia, requiritur, vt dum minuta quantitas ſurripitur, non ſit intentio progrediendi ad aliam, & aliam, quæ ſimul ſumpta compleat ſummam notabilem: requiritur etiam, vt in illa vltima acceptione non aduertat ſurripiens ſe complere materiam grauem.

Reſpondeo igitur ad quæſtionem, id ſimpliciter admitti non poſſe. Ratio eſt, quia qui grauiter læſit ius alterius, debet illud etiam ſub graui peccato reparare: ſicuti enim natura dictat non poſſe alteri inferri iniuriã ita quoque dictat eam ſi illata ſit, eſſe compenſandam. Iam autem ille de quo hic, grauiter læſit ius alterius, perueniendo eatenus ad ſummam notabilem; cum per hanc, licet paulatim acceptam, damnum verè magnum intulerit proximo rationabiliter inuito: adeoque moraliter illa furta minuta dici poſſunt vna ſumma totalis. Sic docent, & probant fuſius noſtri paſſim, *Suarez*, *Azor*, *Rebellus*, *Vallentia*, *Salas*, eoſdem citans in *t. 2. q. 88. d. 16. ſect. 27.* Sanchez *l. 1. in decal. c. 4.* Reginaldus *Tom. 2. c. 1. q. 4.* Vaſquez *Tom. 1. diſp. 146. c. 2.* alijque.

Dices primò, Summa notabilis ſimul, longe maioris æſtimationis eſt, & magis vtilis ad vſus humanos, v. g. ad emendam pro opportunitate rem notabilem, quam eadem ſumma accepta per partes poſt certa interualla, vti patet in cenſibus, & in ſolutione, quę præſtari debet diuerſis terminis v. gr. poſt ſingulos annos pars tertia, vel quarta: ergo etiam lex naturæ magis prohibet acceptionem rei notabilis ſimul, quam eiuſdem per partes: Ergo is in caſu non obligatur ad reſtitutionem ſub mortali.

Reſpondeo, idem tantum ſequi, quando minuta ſucceſſiue accipiuntur, eo maiorem quantitatem requiri ad materiam notabilem, quo maius eſt interuallum temporis inter ſingulas acceptiones: nos verò ſupponimus per minuta furta, & tantum venialia ablatam eſſe materiam notabilem in ratione damnificationis, proportionate ad interuallum. Quod quidem ſi valde exiguum aut non adeò magnum ſit, non requiritur ad materiam grauem maior quantitas, dum paulatim accipitur, quàm dum ſimul; eo quod tum illa eiuſdem ſit æſtimationis aut æque plerumque vtilis ad vſus humanos: Aliud eſt dum interuallum multum notabile intercedit.

Dices Secundò, cum in qualibet acceptione ſurripiens non peccauerit niſi venialiter, non videtur obligari poſſe ad reparationem omnimodam ſub graui peccato: pœna namque debet eſſe proportionata culpæ.

Reſpondeo Primò ſubinde aliquis obligatur ſub mortali ad reſtitutionem rei alienæ, qui antecedenter ne quidem venialiter peccauit, vt patet v. g. in eo, qui comperit ſe detinere ſummam notabilem alterius in ſe vel in æquiualenti: hic enim ſine dubio peccaret grauiter, ſi eam non reſtitueret. Neque obligatio iſta proprie eſt pœna, ſed potius onus quòd vi damni inique illati oritur, non vt obligato male ſit, ſed vt damnificato ſatisfiat.

Reſpondeo Secundò, negando aſſumptum: ad obligationem ſub graui reſtituendi ſummam notabilem, etiam per partes acceptam, ſufficit, quod quælibet eius pars ablata fuerit deliberatè: nã ſic æque læditur proximus (vti ſuppono) in bonis ſuis, quàm ſi eadẽ ſũma ablata fuiſſet ſimul. Ad peccatum autem mortale inſuper requiritur, vt ſummam iſtam

io-

intenderit auferens vel ſaltem præuiderit: Deus namque in iraſcendo ſeu puniendo reſpicit potiſſimum qualitatem voluntatis prauæ; in obligando ad compenſationem; qualitatem noxæ alteri illatæ. Itaque pro magnitudine damni inique illati, grauis vel leuis obligatio neceſſariò exurgit, non pro magnitudine peccati: aliàs qui rem prauam alteri abſtuliſſet cum peccato mortali, vel quia putabat eſſe magni valoris, vel quia habebat intentionem auferendi ſucceſſiuè plura vſque ad ſummam grauem, teneretur ſub mortali rem illam paruam reſtituere, quod tamen à vero alienum eſt.

Ex dictis colligitur primò, illum de quo in quæſtione, obligari ſimiliter ad redditionem, etiam ſi quantitas ſic accepta conſumpta fuerit: nam manet tunc equidem verum, quòd intulerit proximo per iniuriam graue nocumentum; ad quod parum referre ſolet, ſiue res ipſa ſic accepta conſumpta ſit, ſiue non. Si tamen ea extaret, teneretur is ſub mortali ad reſtitutionem, non tantùm ratione iniuſtæ acceptionis, ſed etiam ratione iniuſtæ detentionis quantitatis notabilis ex minutis conflatæ: proximus enim vtroque modo grauiter damnificatur.

Colligitur ſecundò, non exurgere obligationem magnam, quando illa minuta furta ſic accepta ſunt, vt in morali æſtimatione vna ſumma totalis, aut notabilis damnificatio cenſeri aliquo modo nequeat; prout fit, dum inter quodlibet furtum, per ſe leue, ſpatium longi temporis intercedit. Quod etiam ſpecialiter locum habere poteſt in talibus furtis leuibus domeſticorum circa ea quę aliàs in vſu communi ſic conſumerentur aut perirent vt Dominus leuem ex ijs iacturam ſuſtineret, adeoque non cenſetur plerumque rationabiliter eſſe grauiter inuitus.

Cæterum ſententiam prædictis oppoſitam tradiderunt multi; ſed hanc rectiùs probari patet ex prædictis, vti, & ex ijs quę habentur infra Part. 3. Tract. 5. cap. n. 7.

Quæres porro: An licitum ſit, non tantùm in *extrema*, ſed etiam in *graui* neceſſitate *furari*, aut potius *ſurripere*, quantum neceſſe eſt ad ſubleuandum neceſſitatem.

Reſpondeo, partem affirmatiuam etiam pro *Graui* neceſſitate, prohibitam eſſe ab Innocentio XI. Propoſitione 36. Ratio eſt, quia licet alius teneatur per ſe proximo in graui neceſſitate ſubuenire, non tamen ex iuſtitia, vti tenetur in extrema neceſſitate. Colligitur hoc ex ipſa diuiſione bonorum in principio mundi: illa namque à Deo ad vſum hominum condita, diuidi non potuerunt niſi hac conditione, vt quilibet in extrema neceſſitate ex illis accipere poſſet quantum neceſſe eſſet ad eam ſubleuandam: ex lege enim naturali obligatur homo vitam ſuam conſeruare, quamdiu poteſt. Hoc autem non habet locum in quæſtione, ſiquidem ibi non agitur de periculo ſaltem propinquo mortis.

Præterea, facultas ſurripiendi in graui neceſſitate, noxia valde foret generi humano: daretur enim occaſio furandi, cum frequenter fingerent ſibi neceſſitatem grauem pauperes ad accipienda aliena, quale inconueniens non ita occurrit in facultate accipiendi in neceſſitate extrema.

Attamen cenſeo, illum qui tantùm per accidens incidit in grauem neceſſitatem, & aliũde potens eſt, vel erit pro re in neceſſitate ablata facile ſatisfacere, poſſe auferre quantum eo tempore indiget, cum voluntate compenſandi prima opportunitate, ſi indigentiam manifeſtare nequeat abſque notabili incommodo. Ratio eſt, quia Dominus eſſet irrationabiliter inuitus circa iſtam ablationem, in talibus circumſtantijs, & citra ſuum ſingulare incommodum.

QVÆSTIO X.

An cenſeri ritè poſſit, illum excuſari à ieiunio, qui poſuit cauſam non neceſſariam v. g. luſum pilæ, aut etiam cauſam illicitam, ex qua præuidet ſecuturam grauem corporis defatigationem?

PArtem affirmatiuam, ſaltem ab auctoritate, probabilem reddit conſenſus pluriũ Auctorum, qui tradunt ſic defatigatum excuſari à pręcepto ieiunij poſt fatigationem ex tali labore contractam, adeoque poſſe comedendo vires reparare: quamuis videatur peccaſſe *in cauſa*, aſſumendo laborem cum ieiunio non conſiſtentem. Tradit enim in primis *Paſqualigus deciſione* 230. hanc eſſe doctrinam communem: idemque colligitur ex ijs quæ notat *Diana* Part. 10. Tract. 14. reſol. 11. & *Leander* de 5. præceptis Tract. 5. d. 8. q. 156. denique *Sylueſter* idem docet V. ieiunium n. 24. Addit, inquit Petrus de Palude, quod ſi peregrinatio non eſt neceſſaria, peccat illam aggrediẽs indiſcretè: ea tamen aggreſſa, licet incompoſſibile ieiunium frangere, ſicut infirmo ex ſua culpa, durante infirmitate. Quibus in hoc accedit *Eſcobarius*, ac *Fillincius*.

Sed neque peccare contra legem ieiunij

ponendo cauſam defatigationis aliunde illicitam, ex qua præuidebatur ſecuturum impedimentum ieiunij diſertè docet *Bonacina* To. 2. d.2. q. 8. p.1. n. 16. ac *Leander* ſupra agens etiam de labore quęrendi concubinam, citatq; pro ſe *Medinam*, *Dianam*, *Filiucium*, *Petrum de Ledeſma*, & alios. Exiſtimant enim hi nihil fieri contra huiuſmodi præcepta poſitiua, per hoc quod aliquis velit ſe ponere in eo ſtatu aut circumſtantia ad quam vis pręcepti ſe non extendit; vt licitum eſt ſe transferre ad locum vbi ieiunium non obligat, etiam eo fine vt quis à ieiunio eximatur, & genio liberius indulgeat.

Verum his non conſentio, quia exiſtimo hæc præcepta non tantum exigere vt quiuis non impeditus ea obſeruet, ſed etiam vt quis ſine debita cauſa eorum obſeruationi impedimentum non apponat. Quamuis admittam, impedimento iam illicitè poſito, per ipſam comeſtionem ſubſequentem nullum peccatum admitti. Et idem eſt de violatione Feſti per omiſſionem Sacri, quando aliquis labore illicito, aut crapula ita ſe grauauit, vt tempus Sacri ſomno aut infirmitati inſumere neceſſariò debuerit.

Quæres porrò: An eximatur à ieiunio, qui noctu nequit dormire niſi ſumpta cœna.

Reſpondeo talem non eximi, etſi magnam noctis partem cum notabili incommodo inſomnem ducat, dummodò poſſit iuuari alio modo, nempe ſi differat refectionem vſque in veſperam, ſumendo in prandio (quamuis præter vſum) ſolam collationem: Eccleſia enim permittit tantùm, cuiuis non impedito, vnicam cibi refectionem in die ieiunij, non determinando præciſè illius tempus. Sin autem tamdiu ieiunare nequeat abſq; graui detrimento, tunc iuxta generalem intẽtionem Eccleſiæ eximitur à ieiunio. Ratio deprompi poteſt ex D.Thoma in 4.d.15.q.3.a.2. vbi docet, *Bonum ſtatum virtutis conſiſtere in conſeruatione vitæ, & valetudinis, ſufficienti ad opera quæ quis facere debet*. Et poſtea docet generaliter, *Omne id excuſare à lege ieiunij, cum quo ſimul, & ieiunio prædictus ſtatus conſeruari non poteſt*.

Plures quidem Auctores, quos adducit *Diana* P.1.Tr.9.Reſol.51. docent præfatum abſolutè liberari præcepto ieiunij, adeòque non teneri in prandio ad ſolam collationem, ex eo quod nemo teneatur (vt ipſi dicunt) inuertere ordinem refectionis ab Eccleſia conſtitutum. Verùm hoc non tam eſt probare, quàm ſupponere vt certum id, de quo agitur in quæſtione. Deinde negamus (vt prædictum) ordinem refectionis ab Eccleſia conſtitutum eſſe: ſolum ille habetur ex generali iam conſuetudine, à qua recedere licitum eſt ob iuſtam cauſam. Sic mercatores, alijq́ue in ſimili cauſa vt negotia ſua peragere poſſint, differunt ſæpè, & benè comeſtionem ordinariam in veſperum, ſumentes circa meridiem tantum collationem.

QVÆSTIO XI.

An ſatis probabile videatur, ligatum voto ſimplici Caſtitatis, ſi contrahat matrimonium ſine diſpenſatione, peccare mortaliter in prima tantùm petitione debiti, non ſequentibus.

Ratio dubitandi eſt, quod conſummato matrimonio per primam petitionem debiti, non poſſit amplius ſeruari caſtitas, ac teneatur alteri parti petenti debitum reddere, quod videtur non minus caſtitati aduerſari quàm debiti petitio; ergo deinceps ſe habet erga coniugem ac ſi caſtitatem non vouiſſet, cũ iam ſit in eo ſtatu conſtitutus. In quo nõ poſſit caſtitatẽ ſeruare. Atq; hinc nõ pauci Auctores hanc ſententiã docẽt, ac probabilẽ cẽſent apud *Mendo* in ſtatera opin. diſſert. 5. quæſt.21. &c.

Reſpondeo tamen, etſi forte dicta opinio à Doctorum auctoritate non ſit improbabilis, nihilominus ſpectata ratione dicendum videtur, obſtrictum voto Caſtitatis ſi matrimonium contrahat, non poſſe aut prima vice, aut deinceps ſine graui peccato poſtulare debitum coniugale, niſi prius voti diſpenſationem obtineat, vti nobiſcum docet Card. *Toletus* lib.4. ſum. cap. 18. *Valentia*, *Henriquez*, *Em. Sà*, *Coninch*, *Reginaldus*, *Layman*. & alij paſſim Societatis auctores apud *Thom. Sanchez* lib. 9. de matrim. diſp.33. n.5. Et probatur, quia votum caſtitatis includit obligationem præcepti negatiui, cum promittat abſtinere ab omni actu venereo; præceptum autem negatiuum pro omni tempore, & ſtatu durare cenſetur; ergo etſi tali voto adſtrictus, ratione vinculi fortioris, ac iuris à comparte per matrimonium acquiſiti, comparti petenti debitum reddere, non poterit tamen illud poſtulare, cum ſit ipſi liberum ab hac poſtulatione abſtinere nec ad eam per matrimonij vinculum adſtringatur. Et confirmatur ex *Cap. Quanto, de iure iurando*, vbi declaratur iuramentum obſeruandũ eſſe in quantum poteſt; cum ergo caſtitas, ex parte vouẽtis ſeruari poſſit, ſaltem per abſtinentiam à petitione debiti;

vrget ſemper obligatio voti vt ab eadem abſtineatur. Hinc qui in caſu debitum petijt, debet id diſtinctè in confeſſione explicare, cum ſit circumſtantia Sacrilegij, quæ continet malitiam ſpecie diuerſam.

QVÆSTIO XII.

An cenſeri poſſit, licitum eſſe inebriare aliquem qui decreuit magnum aliquod malum patrare, ſi nequeat alio modo impediri?

RESpondet, cum alijs, Leſſius de iuſtitia lib. 4. cap. 3. dub. 4. num. 33. his verbis: *Hoc caſu videri licitum pronocare ad æquales hauſtus, & alterum inebriare hoc eſt, potu conſopire.* Idque probat hac ratione: Licitum eſt ſuadendo alium inducere ad minus malum, vt impediatur à grauiori malo quod admittere decreuit, vt docet communior opinio: Sed in hoc caſu nihil aliud fit quàm ſuadere, & inducere ad talem ebrietatem vt grauius malum euitetur: ergo hæc inductio non eſt illicita. Fauet huic reſponſo *Caietanus* in 2. 2. quæſt. 150. art. 2. & *Syluester* in Summa, verbo *Ebrietas*, vbi docent non peccare eum qui per modum medicinę neceſſariç alium inebriaret ad corporis ægritudinem depellendam, quia is non tendit in potum vt delectabilem, ideòque non peccat contra temperantiam. Vnde inferendum videtur à fortiori idem licere ne anima in ſtatum multo deteriorem prolabatur. Repugnat verò huic ſententiæ *Layman* Tom. 1. Lib. 3. Sect. 4. num. 6. negans licere alium inclinare ad minus malum, ſi non ſit pars mali maioris ad quod alius ſe de facto determinauit. Reſponderi tamen poſſit minus malum ſemper in maiori eminenter contineri, ideòque non deſunt qui putant ſententiam illam probabilem iudicari.

Sed potiùs exiſtimo oppoſitum dicendum, præſertim de ebrietate formali. Moueor: quia formalis Ebrietas cenſetur eſſe intrinſecè mala, ac proinde numquam licita: cùm per eam homo contra naturam reddatur ſimilis bruto in actionibus ſuis, etiam dum vigilat. Dum dormit, ſimilis quidem eſt, at iuxta naturam: quia ſomnus tam vni, quàm alteri neceſſarius ad vitam conſeruandam, vtrique conſequenter naturalis cenſetur.

Dices, homo priuatur æquè vſu rationis per ſomnum ac per ebrietatem, ergo ſicut licitè poteſt etiam arte procurare illum, ita & poterit hanc procurare.

Reſpondeo, negando antecedens: per ſoporem enim ſic capitur quis mente, vt nihilominus queat ad eam quouis momento redire, nempè ſi expergiſcatur, aut ab aliquo excitetur, quod locum non habet in ebrio.

Inſtabis, minus malum eſt priuatio ad tempus rationis, quàm patratio v. gr. homicidij, ergo ad hanc auertendam licitum erit inebriare eum, de quo in quæſtione.

Reſpondeo, negando ſequelam: priuatio rationis quamuis ſecundùm ſe non ſit peccatum, tale tamen eſt efficere eam per intemperantiam, aut modum à natura alienum: nam per ebrietatem (vt ex ante dictis patet) redigimur ad talem ſtatum, vt pro aliquot horis abſolutè nec ſalutem noſtram operari, nec actionem vllam humanam, quantumuis neceſſariam, ritè exercere valeamus. Non ſunt aut facienda mala, vt eueniant bona.

Adde, quod ſcelus ab alio deſignatum, videatur in caſu impediri poſſe, offerendo illi potionem ſomniferam, abſque eo quod hoc aduertat.

QVÆSTIO XIII.

An qui Teſtamentum aut aliud inſtrumentum publicum, & legitimum amiſit v. gr. de ſua nobilitate, patrimonio, &c. poſſit priuatim aliud ſimul conficere?

ILlum per hoc non peccare ſaltem grauiter, cum pluribus docet *Mendo* in Statera diſſert. 13. quęſt. 17. *Nauarrus* in ſumma lat. c. 17. n. 168. Et fauent alij qui admittunt non eſſe falſarium qui mutat Scripturam in aliqua re dummodò veritati innitatur, ita *Ilius Clarus*, *Alciatus Menochius* de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 20. n. 53.

Ratio eſt, quia neque hic intercedit dolus, neque vlli iactura infertur, ſiquidem aliud inſtrumentum illi ſimile, & legitimum antecedenter extabat, quod fortuitò amiſſum fuit, ac proinde nullum ius nouum ex ſecundo confertur: ergo noui inſtrumenti ſubſtitutio, cum nulli obſit, & proſit conficienti, non poteſt ex ea parte eſſe iniurioſa.

Fatendum tamen eſt; in foro externo illum fore puniendum qui tale inſtrumentum confeciſſe deprehenderetur; quia forum externum non præſumit illud inſtrumentum in locum alterius ſubſtitui, ſed de nouo ſubornari, ideòque actionem hanc tamquam per leges prohibitam puniret. Hic autem agitur de foro conſcientia, in quo, ſecluſo ſcan-

ſcandalo, aut alio incommodo extrinſeco, aſſerunt hanc actionem nullam iniuriam continere.

Dixi in reſolutione, non peccare, *ſaltem grauiter*; Quia non pauci in confectione, & vſu iſtius inſtrumenti admittunt incurri peccatum veniale contra veracitatem ſiquidem illud proferens intendit vt falsò credatur eſſe inſtrumentum quod primò auctoritate publica confectum fuit. Alij verò aiunt illam deceptionem ſequi tantùm per accidens, & præter intentionem conficientis nouum inſtrumentum, quæ per ſe non tendit ad deceptionem, ſed ad conſeruandum ſuas fortunas aut famam, alias ſine ſua culpa, ſed caſu fortuito amittendam, idque cupit fieri per illud inſtrumentum non tamquam primum, ſed tamquam conforme veritati, & æquitati, quæ in eo continetur.

QVÆSTIO XIV.

Quid agendum in Miſſione, vbi rara eſt præſentia Paſtoris, de abſolutione Sponſi, qui ipſo die Nuptiarum deprehenditur vagæ libidini aſſuetus, in confeſſione qua ſe ad Sacramentum matrimonij ſuſcipiendum diſponit?

RESoluere videtur contra alios paſſim nouus Auctor in ſua *Methodo remittendi, & retinendi peccata* p. 115. differendam eſſe iſtius Sponſi abſolutionem donec tandem ipſo actu conſtet ſecutam eſſe vitæ emendationem, niſi fortè præbeat ſigna pœnitentiæ extraordinaria. Quia in conſuetudinarijs vix reperitur conuerſio vitæ repentina. Et quidquid ex illa dilatione ſequetur turbarum, aut incommodorum, non poteri Paſtori imputari.

Reſpondeo tamen, hanc dilationem non eſſe conformem communi praxi, aut ſententię Doctorum paſſim receptæ ac probatę niſi præter ſubitaneam illiuſmodi conuerſionem, adſit in pœnitente ſpecialis ratio cur de præſenti illius diſpoſitione prudenter dubitare oporteat. Nam abſque huiuſmodi ratione imprudens eſt Confeſſarij dubitatio, dum pęnitens affirmans ſe ex animo, & ſeriò de peccatis dolere, firmumque habere propoſitum emendationis, ac paratum eſſe remedia in hunc finem à Confeſſariò preſcribenda amplecti. Neque præter hæc aliud à Tridentino ad legitima pœnitentis diſpoſitionem requiritur. Quod ſi aliquid horum in pœnitente minùs perfectum apparet, pro idoneo remedio non eſt ſtatim differenda abſolutio, ſed proponenda ſedulò alia motiua, quibus illa diſpoſitio perficiatur. Si verò nihil iſtorum deſideretur, quorſum cum tantis incommodis in tempus futurũ, & incertum prorogãda abſolutio?

Si prætendis periculum relapſus: An non vides periculum illud dilata abſolutione magis inualeſcere? Sic enim pœnitens aduertens ſe in priſtino ſtatu relictum, & nondum gratiæ reſtitutum multò facilius peccatis ſuis noua peccata accumulabit, ſperans omnia ſimul vnica abſolutione abolenda: qui ſi ab initio abſolutus fuiſſet, maiorem cautelam adhiberet, ne nouo flagitio acceptum gratiæ ſtatum amitteret. Quin & ipſa gratia Sacramenti, ad reſiſtendum tentationi, maiores ei vires ſuppeditaret.

Denique praxis contraria, præſertim in caſu propoſito, manifeſtè aduerſatur conſilio Apoſtoli, qui pro remedio contra relapſum in libidinem hortatur 1. ad Cor. 7. *Si ſe non continent, nubant*; cum è contrario praxis illa nouitia pręſcribat, vt prius diſcant ſe continere, quam nuptijs pro incontinentię remedio vtantur. Quid verò aliud hoc eſt, quam velle ægrum prius à morbo integrè conualeſcere, quàm ipſi liceat pharmacum ſanando morbo idoneum adhibere?

Huic omninò contraria videtur methodus abſoluendi quæ traditur in Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. vbi docet, Chriſtum voluiſſe lapſos in peccata ſe ſiſtere tamquam reos in tribunali pœnitentiæ, *vt per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties de admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari*: Declarat igitur vniuerſim, & ſine exceptione, pęnitentes etiam relapſos poſſe toties ritè conuerti, & toties à Sacerdote abſolui, quoties de peccatis verè pœnitentes ad ipſum confugerint. De hac autem pęnitentia ſufficienti non poteſt aliunde certus eſſe Cõfeſſarius, niſi ex verbis, & teſtimonio ipſius confitentis, futuram vitæ emendationem toto animi affectu promittentis. In tribunali enim pœnitentię peccator non ſolum agit partes rei, ſed etiam accuſatoris, & teſtis: ideòque illi credendum, non tantùm quando ſe accuſat vt reus, ſed etiam quando affirmat vt teſtis ſe de peccatis dolere, & emendationem ſeriò proponere, niſi ex ſignis moraliter certis conſtet contrarium.

QVÆSTIO XV.

Quid dicendum in communi de alijs Conſuetudinarijs qui more ordinario confitentur ſe ex prauo habitu in idem peccatum ſæpè relapſos fuiſſe?

RESpondeo, Etſi aliquando poſſit eſſe res conſilij vt talis benignè differatur, nihil tamen vetat ſine delatione tales abſolui, ſi ſincerè aſſerant ſe ex animo de peccatis dolere, ac ſpondeant emendationem, nec recuſent media congrua contra illam peccandi conſuetudinem; niſi apud eundem Confeſſarium eadem promiſſa nimis ſępè fefellerint. Quamuis huic praxi noua quorumdam Methodus, & doctrina reclamet, de qua alibi. Interea aduertant illi, Sacramentum pœnitentię inſtitutum eſſe propter hominem, non autem hominem propter Sacramentum, ac proinde Chriſtum male aliquali periculo exponi Sacramenti valorem, quam hominis Salutem æternam: hęc autem, dilata abſolutione, diſcrimen incurrit, ſiue ex morte improuiſa in ſtatu peccati, ſiue ex deſperatione pœnitentis non facile ad Confeſſarium redituri, ſi experiatur poſt confeſſionem cum robore, & pœnitudine inſtitutam, ſe in eodem ſtatu relinqui, & abſolutionis beneficium fruſtra implorare.

Aduertant etiam, lucrum ingens ex merito, & fructu bonorum operum, & indulgentiarum, & Euchariſtię, quibus pęnitens priuatur, quamdiu in ſtatu peccati ſine abſolutione relinquitur. Denique huiuſmodi ſeueros animarum Curatores interrogo, An ipſi, aut alij Confeſſarij non ſint homines, qui poſſint ſubinde praua aliqua peccandi conſuetudine laborare? Id nemo inficiabitur. Quid in hoc caſu illis fiet? An abſolutio deneganda donec tandem forte ſe emendauerint? Interea remanebunt incapaces licite baptizandi, celebrandi, abſoluendi, & alia Sacramenta conferendi ſuo populo, cui tenentur inſeruire. Neceſſe igitur erit, vt vel gregem ſuum debito animarum ſubſidio deſtituant, vel illis per alios deſeruiant, vel certè vt abſolutionis beneficium quod alijs negant, ſibi velint ſine tali dilatione conferri. Vnicum his malis ſupereſt remedium, vt depoſito errore ac rigore noxio, iuxta legem charitatis, & iuſtitiæ, alios in tribunali pœnitentiæ eo modo tractent quo ſe ipſos tractari cuperent.

Sed quid de *Recidiuo*, qui aliquoties promiſit emendationem, v g. concubinam dimittere, nec tamen promiſſa vt potuit impleuit? Reſpondeo, talem dimittendum tanquam indiſpoſitum, niſi noua, & extraordinaria ſeriæ emendationis ſigna exhibeat.

Cæterum, vt ſupra dixi, non eſſe lege ordinaria differendam Conſuetudinarijs abſolutionem donec actu vitam emendent, docent tanto numero Theologi, vt ex ijs poſſim omninò triginta rectè lectos, & examinatos ex varijs Scholis proferre, inter quos eſt *Suarez* de Religione Tom. 2. Lib. 3. de Iuram. Cap. 8. *Lugo* de Pœnit. Diſp. 14. Sect. 10. *Dicaſtillo* de Pœnit. Diſp. 10. num. 575. *Syluius* celebris Doctor Duacenus 2. 2. q. 13. art. 2. ad 2. *Baſſæus* Tom. 1. verbo, Iuramentum, num. 2. *Leander* à SS. Sacramento Diſp. 7. Tract. 5. q. 34. *Candidus* Diſquiſ de Pœnit. 24. Art. 27. Dub. 7. &c. Quibus accedit recens, & doctus auctor *Ioannes Boſco* de Pœnitent. Diſp. 7. Sect. 4. & ex eadem Recollectorum Schola Louanienſi *Gulielmus Herinx* qui præclaris meritis Inſulam Ipreſem decorauit.

QVÆSTIO XVI.

An poſſit verè probabile cenſeri, confeſſarium, qui in Sacramentali confeſſione nouit Pœnitentem ad officium vel prælaturam indignum eſſe, poſſe illi in electione gratuita, & ſecreta ſuum ſuffragium denegare?

PArtem affirmatiuam Auctores non pauci omnino vt probabilem in praxi ſuſtinere non dubitant. Docent eam cum *D. Thoma* quodlib. 5. q. 6. art. 14. *Paludanus* diſt. 31. quæſt. 3. *Sotus* de Secreto quæſt. 4. poſt. concl. 4. *Petrus de Ledeſma* in ſumma cap. 22. dub. 3. poſt concl. 5. *D. Antoninus*, *Nugnus*, *Deza*, *Medina*, *Mar. de Ledeſma*, *Tabiena*, & *Syluester*, apud Thomam *Hurtado* Tom. 2. Tract. 12. cap. 1. num. 1369. Pro eadem ſententia ferè quadraginta Auctores refert noſter *Sanchez* de matrim. lib. 3. diſp. 15. n 2. Hos ſequitur apud *Dianam* 3. p. Tr. 4. Reſp. 76. *Portel*, *Nauarrus*, *Guttierez*, & alij quos recenſet, & ſequitur *Leander, à SS. Sacramento* de Pænit. Tomo 1. Tract. 5. Diſp. 10. Quæſt. 84. Quia, cum ſuffragium ſit occultum, cenſent neque violari ſigillum confeſſionis, neque Sacerdotem priuari ſuo iure quod habet extra Sacramentum denegandi indignum ſuum ſuffragium. Quinimò aliqui apud *Sanchez* ſupra, docent ad denegandum teneri, ſi id iudicet bono publico expedire.

Nihilominùs, ſepoſita auctoritate iſtorum Theologorum, & conſiderato fine Sacramenti Pœnitentiæ, hanc opinionem vt per ſe pro-

babilem non admitto. Manifeſtum namque eſt confeſſarium non ſolùm obligari ad ſeruandum ſecretum, ſed etiam non poſſe ſic vti ſcientia confeſſionis, vt vſus cedat vel in apparens nocumentum pœnitentis; cùm ſic ipſa confeſſio redderetur perquàm ſuſpecta, & odibilis. In quæſtione autem, vſus iſte cederet in nocumentum pœnitentis: & per eum vſum ſibi ſuſpectum, æquè ac per fractionem ſigilli, fideles retrahi poſſint à plena, & candida peccatorum ſuorum confeſſione.

Hinc pro regularibus vniuerſim decreuit Clemens VIII. anno 1594. Ne ſuperiores ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Non parum forte conduceret, ſi idem pro Secularibus decerneretur. Intereà non licet nobis generatim ſententiam dictorum Theologorum hic ſuſtinere ob Decretum P. N. Claudij Aquauiuæ anno 1590.

QVÆSTIO XVII.

An rectè cenſeatur Regularem approbatum ab Ordinario ad confeſſiones ſæcularium in vna diœceſi, valide poſſe vbique confeſſiones audire, ſine approbatione Ordinarij iſtius loci in quo verſatur?

PRo parte negatiua breuiter reſpondeo infrà Part. 3. Tract. 2. Cap. 2. pro qua nunc inſuper adduco *Suarez* de Pœnitent. Diſput. 28. Sect. 6. *Vaſquez* Quæſt. 93. Art. 3. Dub. 4. *Granadum* Diſp. 5. num. 12. *Layman* lib. 5. Tract. 6. cap. 11. num. 8. *Lugo* Diſp. 2. num. 29. vbi adducit Decretum Vrbani VIII. Et *Diana* Part. 10. Tract. 13. Reſol. 23. vbi recenſet Breue Innocentij X. in cauſa Angipolitana nouæ Hiſpaniæ, impreſſum Romæ anno 1648. in quo ad dubium nonum, negat Regularibus illam Poteſtatem competere ſine approbatione Epiſcopi diœceſani, cum clauſula irritante priuilegia in contrarium.

Docent tamen pridem varij, Regularem in vna diœceſi approbatum poſſe vbique confeſſiones excipere, vt *Leander* de Murcia in c. 6. Regulæ S. Franciſci q. 8. *Corduba*, *Præpoſitus*, *Coloſſius*, quos refert *Diana*, P. 6. Tr. 7. Reſ. 59. *Bauni* 1. p. Tract. 4. qu. 4. & *Bruno Caſſaing*. de Priuil. Regularium Tract. 4. cap. 11. Prop. 2. Sed ab his adeò generatim plerique iam, & meritò recedunt.

QVÆSTIO XVIII.

An Sacerdos Regularis manifeſte idoneus, cui approbatio ab Ordinario iniuſte negatur, poſſit valide in illius diœceſi confeſſiones excipere?

NEgatiuè reſoluo vt infrà Part. III. Tract. II. cap. 2. Quia negatio approbationis non eſt approbatio, quam Tridentinum expreſsè requirit. Et ita docet *Suarez*, *Vaſquez*, *Fillincius*, *Coninck*, *Mendo*, *Dicaſtilio*, *Lugo*, de Pænit. Diſp. 21. Sect. 3. num. 53. & plures apud *Dianam* Part. 8. Tract. 1. Reſol. 85. Quia Tridentinum Seſſ. 23. Cap. 15. videtur in hoc derogare cuilibet iuri antiquo, & priuilegijs, Regularium, dum aſſerit, nullum Regularem abſque Epiſcopi approbatione poſſe confeſſiones ſæcularium deinceps excipere, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs.

Pro parte affirmatiua ſtant Theologi non pauci, nec auctoritatis exiguæ, quos ſequitur *Chaſſaing* de Priuileg. Regul. Tr. 5. cap. 11. & in eandem ſententiam tam ille, quam alij adducunt Rodericium, Peirinum, Portel, Layman, Fagundez, Villalobos, Zanardum, Finellum, Cochier, Mirandum, Graſſis, Angelum, & plures alios citat & ſequitur *Leander* diſp. 11. quæſt. 83. Et hoc priuilegium vigere poſt Tridentinum ſupra citatum diſertè docet *Nauarrus* in Manuali c. 27. num. 264. & alij moderni quos refert *Caſtropalao* hic punct. 18. §. 3. num. 9. Cum his ſentit *Henriquez* aſſerens hanc ſententiam ſuſtineri à Doctoribus Salmanticenſibus, & Complutenſibus, & in Academia Pariſienſi fuiſſe publicè propugnatam, & à Congregatione Cardinalium declaratam. Pro eadem doctrina refertur etiam *Diana* cum quindecim Auctoribus quos citat *Gamachæus* in Tom. 3. Tract. de Pœnit. cap. 18. & eandem fusè tuetur *Pelizarius* in Reſp. Reg. Tom. 1. pag. 492.

Fundamentum huius Reſolutionis petunt primò, ex Clementina *Dudum de ſepulturis*. Vbi decernitur Regularem ad confeſſiones Ordinario debitè præſentatum admitti debere. Si verò (inquit) ijdem Prælati Fratribus, ad audiendas Confeſſiones, vt præmittitur, electis eiuſmodi licentiam exhibere, recuſauerint; Nos ex nunc ipſis vt confeſſiones, ſibi confiteri volentium, liberè licitèque audire valeant gratiosè concedimus de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ. Nec admittunt

tunt huic decreto derogatum eſſet per Conc. Tridentin. Seſſ. 13. cap. 15. de reformat. dum ſtatuit, vt non poſſit Regularis audire confeſſiones ſœcularium .... niſi approbationem obtineat: non obſtantibus priuilegijs, &c. Quia vt docet *Nauar.* in caput. *Placuit.* de Pœnit. Lex poſterior generalis ſępè limitatur per ſpeciale ius antiquum. Lex autem illa Tridentini poteſt cum dicta Clementina ſic conciliari, vt patiatur hanc exceptionem, Niſi Regulari manifeſtè idoneo, & pręſentato approbatio fuerit iniuſtè negata. Nam hoc non eſt nouum in adminiſtratione Sacramentorum, & licentia petita, & non obtenta in certis caſibus pro conceſſa habeatur, vt patet in adminiſtratione Euchariſtiæ, & Extremę vnctionis in eadem Clementina *Dudum*. Et in Extrauag. *Inter cunctas*. Vt ex Cap. *Licet*. de Regularibus. Nec credendum videtur (inquit) mentem Concilij fuiſſe, fruſtrare Regulares ſuo priuilegio pridem ab Eccleſia, & iure conceſſo: aut ita fouere paſſiones quæ poſſint eſſe Prælatorum vt pro libitu valeant perſonas manifeſtè idoneas a functione tam neceſſaria impedire, vt loquitur *Peirinus* de Priuil. Minorum. Pro quibus refert *Bruno Chaſſaing.* ſupra pag. 224. ſpeciale Indultum in Conſtit. Clementis VII., Vt confeſſores Ordinis Minorum ſemel præſentati alicui Epiſcopo pro confeſſionibus audiendis (de more) poſt vnam præſentationem non teneantur amplius præſentari, etiamſi ad aliam tranſierint diœceſim.

Ita illi: noſtram verò ſententiam ſupra relatam, iudicamus in praxi ſequendam eſſe, pręſertim poſt prohibitam ab Alexandro VII. (de confeſſione ſaltem annua) Propoſitionem 13. *Satisfacit precepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſte reprobato*. Ratio enim cur hæc propoſitio prohibeatur videtur eſſe cum caſu propoſito à rationis paritate communis, de quo etiam infra *Quæſt.* 24.

QVÆSTIO XIX.

An rectè aſſeratur, Peccata negatiuè dubia non eſſe neceſſario in Confeſſione exponenda?

PEccatum dicitur negatiuè dubium, quando non occurrunt rationes ſufficientes vt aliquis iudicet ſe peccatum aliquod lethale commiſiſſe, neque vt iudicet ſe non commiſiſſe: ſicut dubitamus, an arenę maris ſint numero pares, an impares.

Contra partem negantem obligationem confitendi peccata negatiuè dubia ſæpiùs diſceptaui, propter communem ſenſum Doctorum, & conſuetudinem Fidelium talia peccata clauibus ſubijciendi, & adhuc pro obligatione illa ſententiam fero, eamque communionem eſſe ſatis conſtat.

Nihilominùs conſultis Auctoribus qui recentius ſcripſerunt, negandum non videtur partem negatiuam cenſeri poſſe ſaltem ab auctoritate probabilem. Non admittunt huius ſententiæ aſſertores conſuetudinem illam communem confitendi peccata etiam negatiuè dubia vmquam fuiſſe obligantem, ſed tantùm piam, & pro maiori ſecuritate vſurpatam. Negant etiam ex natura rei pro delicto dubio ſubeundam eſſe obligationem certam, qualis eſt confeſſio peccatorum. Ad Tridentinum *Seſſio.* 14. *cap.* 15. reſpondent, tantùm requiri confeſſionem omnium peccatorum, quibus peccator ſe Dominium, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Qui autem ſic dubitat de peccato, non meminit ſe Deum offendiſſe, neque poteſt interrogatus abſolutè dicere ſe peccaſſe, aut ſui peccati meminiſſe, aut illius veram & propriè dictam conſcientiam habere. Reliqua etiam argumenta quæ ſuadere poſſint illiuſmodi obligationem ſuſius diſſoluit *Moia* Tract. 3. de Sacrament. Pęnit. Diſp. 1. Quæſt. 5. quamuis ipſe communiori ſententiæ adhæret.

Adſertur autem pro parte negante iſtam obligationem, quando dubium de peccato commiſſo & non commiſſo eſt æquale, *S. Antoninus* apud Tabienam Verb. Confeſſio 2. nu. 12. cui ipſe *Tabiena* adhæret, vti & *Paludanus* vt videre eſt apud Henriquez ex eodem Ordine Pędicatorum lib. 8. de Euchariſt. c. 45. lit. P. vbi agens de communi opinione obligante ad confitendum peccata dubia ante communionem, ſic ſubiungit. Addunt Paludanus, Antoninus, & Tabiena id verum eſſe, quando magis declinat id fuiſſe peccatum mortale, aut non fuiſſe illius confeſſionem: aliàs in dubio æquali, vt non tenetur ad votum, & onus præcepti, ita neque ad confeſſionem illius. Et hic nonnulli obſeruant, plures antiquiores qui obligationem illam aſſerunt, per *Dubium* intelligere iudicium probabile de mortali admiſſo, in eo merè ſiſtendo.

Inter Recentiores, qui negant extare præceptum confitendi peccata negatiuè dubia, recenſetur *Coninck* de Sacrament. Tractat. 2. Diſput.

Diſput. 7. Dub. 8. *Ioſephus de Ianuario* in Reſolutionem Moral. Tom. 1. Reſol. 2. *Petrus Marchantius* in Tribunali Sacrament. Tract. 4. Tit. 6. Quæſt. 5. *Caramuel* in Theolog. Moral. Lib. 2. Diſput. 4. Art. 1. & in Theolog. Fundam. pag. 671. & pag. 691. contendit eam opinionem ſpectata ratione eſſe probabiliorem. *Angelus Boſſius* cenſet eam eſſe probabilem Tom. 1. Num. 1754. Eamdem in caſu æqualis dubij tradit *Philibertus Marchinus* de Sacrament. Ordinis Tract. 2. Part 3. cap. 1. num. 17. Et probabilem iudicat *Martinus de S. Ioſeph* in Monitis Confeſſar. Tom 1. de Pœnit. Tract. 6. num. 1. Nec non *Ferrantinus* de Scandalo Quæſt. 77. num. 31. vbi alios adducit viros doctiſſimos qui huic ſententiæ vt probabili ſubſcripſere, & inter alios addit Reuiſores, qui ab ea doctrina prius alieni, poſteà cenſuerunt poſſe permitti, vt ipſe refert. Quibus adiungi poteſt *Leander*, de Euchariſt. Tract. 7. Diſput. 7. quæſt. 11. & plures apud *Moia*, qui hanc quæſtionem fusè tractat. Denique *Præpoſitus* in 3. Part. Quæſt. 5. aſſerit hanc ſententiam ſemper ſibi viſam eſſe ſpeculatiuè probabilem cum Leſſio, & alijs quibus eam communicauit. Refertque *Gumenius* in Vniuerſitate Complutenſi in diſputationibus publicis illam inoffenſo pede quotidiè defenſari: & pro eadem Theſes Louanij defenſas citat *Caramuel* ſupra lib. 3. d. 4. art. 1.

Non iudico tamen conſultum hanc doctrinam, non ſatis exploratam, indoctis proponere aut prædicare, qui inter conſcientiam dubiam, & non dubiam ſatis diſcernere nequeunt, & facilè ſibi perſuaderent ſe habere dubiam, quando non habent omninò certam: quinimò ſi rem Conſilij ſpectes, dubitandum non eſt, qui in his, & ſimilibus cuiuis in praxi conſultius ſit viam tutiorem capeſſere.

An & quomodo exponi debeant peccata dubia *poſitiuè*, habetur infra Part. 3. Tract. 3. cap. 2. §. 3.

QVÆSTIO XX.

An probabiliter doceant aliqui Recentiores, illum qui poſt confeſſionem ritè inſtitutam tendit ad communionem, & recordatur peccati lethalis quod per obliuionem inculpabilem omiſit, non teneri illud peccatum confiteri antequam communionem percipiat.

Communis ſententia eſt illum teneri à communione recedere, donec peccatum ſic prætermiſſum confiteatur, niſi obſtet graue ſcandalum, aut infamia. Docent tamen non pauci ex Recentioribus talem non teneri etiam cum minori ſuo incommodo à communione recedere, modo peccatum illud poſt communionem tempore opportuno clauibus ſubijciat: Idque fusè defendit *Ferrantinus* Diſp. 1. Quæſt. 80. citans etiam *Henriquez*, & *Petrum Corneio*, quamuis teſte *Thoma Hurtado* Tom. I. fol. 105. Inquiſitio Hiſpanica hanc illius ſententiam expunxerit. Fauet tamen *Paſqualigus* quando per omiſſionem communionis amittendum eſſe Iubileum, citatur etiam *Præpoſitus*, & *Tamburinus* quando quis ad linteum communicaturus expectat, etſi poſſit ſine tali infamia recedere. Verùm hoc in praxi non admitto, vbi neque infamia, neque aliud graue incommodum interuenit.

Ratio iſtorum auctorum eſt, quia talis non tenetur abſtinere à communione ob defectum debitæ diſpoſitionis, eſt enim in ſtatu gratiæ, & peccatum illud eſt indirectè remiſſum per priorem confeſſionem in qua per obliuionem omiſſum fuit. Ergo non oſtenditur vllum præceptum præmittendi nouam confeſſionem præcisè ratione communionis, modò peccatum illud poſteà ſuo tempore ſemel directè clauibus ſubijciatur. Et hanc doctrinam probabilem cenſet *Fabri* Tomo 1. Apologetici pag. 384. Cùm eodem tamen monendum iudico, non eſſe eam in praxi proponendam, niſi in ordine ad Scrupuloſos qui memoriæ ſuæ nimium diffidunt, & repetendis peccatis, ac confeſſionibus ſuperuacaneam operam impendunt.

QVÆ-

QVÆSTIO CELEBERIS XXI.

De Attritione, & Amore.

An Attritio concepta ex metu gehennæ ſufficiat in Sacramento pœnitentiæ, ſic vt non requiratur in Deum Amor beneuolentiæ.

§. I.

Proponitur ſtatus, & progreſſus controuerſiæ.

HÆc controuerſia, quæ omnes fideles concernit, antiquioribus parum dubia, mirum quantum plures noſtro æuo Scriptores fatigat. Poſtquam enim grauiores de Gratia, & Libertate quęſtiones circa annum 1642. Sedis Apoſtolicæ auctoritas præcidit, non multò poſt ex eadem radice hæ, aliæque diſputationum reliquiæ pullulare cœperunt. Illis in lucem prouehendis primùm in Gallia manum admouit Montaltius, cui operam ibi commodarunt alij parùm opportunam. Apparuèrunt breui tempore in Belgio doctrinę iſtius Gallicanæ traduces in leui folio, edito nomine Parochorum Gandenſium contra ſufficentiam Attritionis ex ſolo metu gehennæ conceptam in Sacramento pœnitentiæ, cui acceſſit Facultatis Theologicæ Louanienſis approbatio. In huius doctrinæ gratiam, ad robur illi conciliandum, ad annum 1666. in lucem prodijt Diſſertatio dogmatica Eximij P. Chriſtiani Lupi, & Quæſtio quodlibetica de Attritione Exim P. Franciſci Faruacques ex Ordine S. Auguſtini. Contra libellos illos ſcripſit accurate R. P. Maximilianus Le Dent. Soc. Ieſu S. Theol. Louanij profeſſor. Ad varias poſteà Reſpublicas Eximij P. Faruacques prodierunt ſemper reſponſa ſolide elaborata eiuſdem P. Maximiliani Le Dent, & P. Ægidij Eſtrix S. Theol. ibidem Profeſſoris, cuius demum Libellus vltimus, ſine replica in hac ſcribendi alternatione etiam poſtremus fuit.

Status controuerſię maximè verſatur circa mente Concilij Tridentini Seſſ. 14. Cap. 4. vbi ait Attritionem ex metu gehennæ, *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere*. Contra vero pro Amoris beneuoli neceſſitate præcipue opponunt alij eiuſdem Tridentini Seſſ. 6. Caput. 6. vbi requirere videtur, vt accedentes ad Sacramentum pœnitentiæ, *Deum tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiant*: negantque eam ineſſe vim attritioni ex metu gehennæ, vt poſſit per ſe voluntatem peccandi poſitiuè excludere. Sed de amore Dei beneuolo quem hi in Sacramento requirunt non parum laboratur, qualis ille debeat eſſe. Si velint ſufficere amorem imperfectum, quæſtio erit, an, & quomodo conſtet dilectionem illam eſſe efficacem, ſi non contineat amorem Dei ſuper omnia: ſi admittant requiri amorem qui Deum appretiet ſuper omnia, non ſatis capitur quomodo amor ille non ſit perfectus: ſi concedant eſſe actum charitatis perfectæ, multò minus intelligetur quo pacto amor ille non iuſtificet per ſe, & extra Sacramentum: atque ita remiſſio peccati ſemper amori præuio, numquam ipſi Sacramento adſcribenda erit.

Poſtquam hæc quæſtio non tantum ſcribentium vtrimque calamos, ſed etiam pœnitentium mentes non parum exagitauit, tandem ad Alexandri VII. ſupremum tribunal delatà fuit. Vetuit ille in ſuo Decreto 5. Maij anno 1667. in virtute S. Obedientiæ, & ſub anathemate Sedi Apoſtolicæ reſeruato, ne quiſquam auderet vlli parti cenſuram theologicam inurere: non tamen de rei ſumma lata eſt decretoria ſententia. Hic ſingulas controuerſiæ partes, & rationum vtrimquæ militantium momenta, pro commodo Miſſionariorum, in lucem proferemus; & quantum licet breuì methodo reſoluemus.

§. II.

An Attritio quæ concipitur ex ſolo timore gehennæ poſſit excludere voluntatem peccandi, & eſſe actus bonus, ac ſupernaturalis?

Item, quod eodem ſpectat, An detur præceptum referendi omnia opera in Deum ex puro motiuo Charitatis beneuolæ.

DOcent nonnulli, Metum illum gehennæ non poſſe animum cohibere à prauo affectu, quamuis illum retrahere poſſit ne in peccatum externum prorumpat. Sic ſentit Lutherus in Diſputatione Lipſica ecKio reſpondens; nec non ſcribens aduerſus Leonis X. articulum 6., Sentio, inquit, pernicio- ,ſum eſſe genus docendi, quo intuitu pœna- ,rum, præmiorum, peccatorum, docentur ,pœnitere; his enim doctrinis, coercentur ,quidem ab opere &c., Nec diſſentit Ianſe- ,nius Tomo 3. Libr. 5. Cap. 35. enumerans ,inter fructus timoris gehennæ, quod quamuis à peccato animum non contineat, manum ta-

tamen, cœtera, quæ coercet membrum ne in facta proſiliant: *Ita illi*.

Exiſtimat quoque Exim.P. Lupus diſſertatione dogmatica pag.61. timorem ſeruilem à S. Auguſtino diſtingui *penes fœdum animum quo quis à conſpicuis peccatis ob annexi illis mali pœnalis metum abſtinet*. Nec minus ſentire videtur Auctor Tyrocinij Tr.1.cap.6. & quidam alij in hac queſtione. Verum etſi doctrina hæc locum habeat plerumque in timore ſeruili pœna à iudice humano conſtitutæ, qui ſolum actus externos cognoſcit, & punit, non poteſt ſine erroris periculo transferri ad timorem gehennæ à Deo pro peccatis etiam infligendæ.

Dixi, *Exiſtimat quoque*, &c. quod refertur ad ſequentem expoſitionem S. Auguſtini, non ad Scriptores præcedentes. Nolim enim quis, niſi perperam, cenſeat me velle ſequentes præcedentibus conſociare, niſi merè in eadem chartæ pagella: quid quæſo in controuerſijs magis commune, & innoxium. Videre poteſt ille Scriptor candidus (cui doleo vni, præ omnibus, non placuiſſe Modeſtiam noſtram, quam tamen ipſam omnes, & ipſa libri Cenſura ſingularem eſſe teſtatur) an non longè aliter in pagina ſua 7. de fide, viros minimè malos aſſociet Zuinglio, Eraſmo, Pelagio, & pluribus; quod nolim ego redarguere, vel lineola vnica perſtringere, nam, & ipſum Scriptorem, & operam meam, & typos pluris facio: imo potius quæ vel vmbram offenſionis ingenerare viderentur in ſequentibus elimino, aut elucido reliquam crambem illam apud alios Scriptores toties, & ad nauſeam pridem recoctam, videre volenti licet. Quin, & fideliter declarare poſſim Scriptori qui illam à quadriennio aut amplius ſuis inſeruit, me de Additis illius, tanto tempore prorſus non intellexiſſe niſi ſemel, & obiter, & ab homine vnico, idque vſque in hodiernum diem. Vnde vtrinque diſcamus *quam parui iſta fiant*, & quantò conſultius illa ſint illic omittenda, iuxta inſtructionem decreti Alex.VII. & Innoc.XI.

Reſpondeo igitur ad quæſtionem, & dico *primò*. Neceſſe non eſſe vt deteſtatio peccati ex metu gehennæ annexam habeat voluntatem peccandi, ſiue inefficacem, ſiue conditionatè efficacem, ſi nempè abeſſet pœna gehennæ.

Probatur primo: Non ignorat pœnitens hunc actum, Peccarem ſi pœna abeſſet, à Deo prohibitum, æternoque ſupplicio plectēdum eſſe. Ergo poteſt ex metu iſtius pœnæ excludere illum affectum internum conditionatè peccandi, ſicut admittunt aduerſarij ex timore gehennæ cohiberi poſſe peccatum externum, quod ſæpè arduum ac difficile eſt.

Et verò quis audeat affirmare, quemlibet auerſantem furtum ex metu patibuli ſic eſſe conſtitutum, vt actu velit furari, ſi ſola infamia, aut alia leuior mulcta incurrenda foret; Neque ſatis alij oſtendent, cur deteſtanti peccatum ex metu gehennæ potius debeat adeſſe voluntas peccandi, ſi pœnam non timeret, quàm illi qui auerſantur delictum ex Dei amore, debeat ineſſe affectus admittendi flagitium, ſi actu Deum non amaret, vel ſi Deus nullum exiſteret.

Probatur ſecundò: Quia ſi dolor conceptus ex timore gehennæ ſibi neceſſariò adiunctum haberet prauum affectum admittendi peccatum, perperam verbi diuini præcones, perperam ipſe Chriſtus futura gehennæ ſupplicia peccatoribus intentaret, & ad eorum timorem incitaret Matth.2.v.28. *Dico vobis, timete eum qui poteſt Corpus & animam perdere in gehennam*. Quid enim aliud hoc eſſet quam homines ad peccatum inuitare, dum impelluntur ad timorem, quo non poſſunt per ſe ſine adiuncto peccato commoueri?

At, inquis, neceſſarium eſt vt metus cauſet inuoluntarium ſaltem ſecundum quid, circa illud quod ex metu agitur, vel omittitur.

Reſpondeo, metum efficere ſecundum quid inuoluntarium hoc ſenſu, quod voluntas minus propensè feratur in id quod actu amat & operatur, quam ſi metus mali per opus incurrendi non adeſſet. Vt dum quis, metu mortis à tempeſtate imminentis, merces quibus nauis grauatur proijcit in mare, metus damni euenturi ex mercium iactura facit, vt voluntarium in earum eiectione minuatur. Eodem modo fit in actu quo quis peccat, dum pœna ex peccato ſecutura animo obſeruatur: tunc enim actum peccaminoſum elicit minori voluntatis propenſione, & maiori cum lucta, quàm ſi animus eſſet liber à timore pœnæ ex delicto incurrendæ. At verò ad peccatum fugiendum & deteſtandum, metus gehennæ potius impellit & inuitat, inſtar concupiſcentiæ quæ auget voluntarium, facit enim metus ille vt animus tanto propenſius ſe reſoluat ad fugam & deteſtationem peccati, quam nouit neceſſariam ad pœnam euitandam. Multum ergo abeſt vt metus barathri imminuat voluntatem auerſandi peccatum, aut annexum habeat affectum peccandi ſi pœna abeſſet, cum homo fidelis non ignoret per hunc prauum affe-

affectum ipſam pœnam quam metuit, incurrendam eſſe.

Vnde vlterius patet, illam *velleitatem* peccandi ſi poſſit impune, quam male ſupponunt aliqui cum timore gehennæ permanere, non maiorem habere connexionem vt permaneant cum odio peccati ex timore gehennæ, quam habeat voluntas furandi cum pœna patibuli à Iudice intentata: tantùm autem abeſt vt patibulum ad furta inuitet, vt faſſuri ſint ipſi latrones, numquam ſe magis ſentire affectum à ſcelere alienum, quam dum patibulum oculis obſeruatur.

Quod ſi illa vis inſit timori, vt poſſit eſſe à prauo affectu ſeiunctus, quinimò voluntatem ab eo immunem reddere, ſine fundamento ſolido ſtatuit cum quibuſdam Auctor Tyroc. Tr 1. Cap. 6. ea que ex ſolo metu fiunt non benè fieri. Nec iuuat quod exiſtiment prauum huiuſmodi affectum non oriri ex ipſo timore, ſed ex concuſpicentia illi adiuncta, quæ nequeat ſine charitate ſuperari: oſtendi enim non poteſt cur timor ille non poſſit eſſe adeo intenſus, & efficax, vt voluntatem per ſe cohibeat quo minus concupiſcentiæ obſecundet, vt magis ex ſequentibus patefcet.

Dico igitur *ſecundò*, dari poteſt fuga aut metus gehennæ tam perfectus, vt per ſe, & poſitiuè omnem peccandi voluntatem excludat.

Probatur ex Tridentino Seſſ. 14. cap. 4. *Illam verò Attritionem, quoniam ex gehennæ metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat &c. declarat donum eſſe Dei*, additque infra, *& ad gratiam diſponere in Sacramento pœnitentiæ impetrandam*. Dum aſſerit Concilium, atritionem illam, ſi voluntatem peccandi excludat, ad gratiam in Sacramento percipiendam diſponere, apertè ſupponit dari poſſe atritionem quæ iſtam voluntatem excludat; alias pro diſpoſitione ad gratiam ridiculè nobis aſſignaret attritionem quandam quæ in rerum natura non reperitur. Nec minùs mirè damnaret Lutheri de attritione ſententiam, quæ tantùm falſa fuiſſet in caſu impoſſibili, ſcilicet in caſu quo voluntatem peccandi excluderet, quam tamen cenſeret numquam per ipſam attritionem excludi. Quin & eadem ratione dicam, veram eſſe hanc ſententiam Scripturæ; *ſi volueris ſeruare mandata ſeruabunt te*, etſi ſimul ſuſtineam, impoſſibile eſſe homini ſeruare aliquod mandatum ſine ſtatu gratiæ.

Mentem ſuam rurſus exponit Concil. *Seſſ.* 6. *Can.* 8. cum ait, per Gehennæ metum nos à peccando abſtinere. Neque dicas intelligi metum amori adiunctum: agitur enim de metu qui dilectionem antecedit, nam illum eumdem metum c. 6. docet ſternere viam ad ſpem, & charitatem. Multò minus verba illa detorqueas ad abſtinentiam *à peccatis externis*, niſi velis eadem licentia, *propoſitum non peccandi de cætero*, ad peccata tantùm externa non admittenda reſtringere, quod nullus ſanæ doctrinæ cultor admitet.

Eadem eſt S. Auguſtini (quem Aduerſarij ſibi Patronum vindicant) de hoc puncto mens & ſententia, tum alibi ſæpè, tum diſertè in *Pſalmum* 127. vbi agens de *verme qui non moritur, & igne qui non extinguitur*, ſubdit: Audiunt hæc homines, & quia vera futura ſunt impijs, timent & continent ſe à peccato. Habent timorem, & per timorem continent ſe à peccato. Timent quidem, ſed non amant iuſtitiam: cum autem per timorem continenti ſe à peccato, fit conſuetudo iuſtitiæ. Hic aliud effugium non inuenit Lutherus, quam vt rurſus ad peccata externa recurrat. At diſſentit illi doctrinæ Auguſtinus, qui per peccatum verum, & pœna dignum, non externum, ſed internum intelligi cupit Sermone 19. de verbi S. Apoſtoli: *Deus cor interrogat, non manum*. Externum igitur & peregrinum eſt ſenſui S. Doctoris, quod exiſtimauerit Timorem à peccatis tantùm externis, non verò ab internis coercere.

Ex his quæ hactenus diximus de Timore pœnæ à Deo infligendæ, ſimul conſtat, non dari præceptum referendi omnia opera in Deum ex motiuo Charitatis. Eadem enim eſt ratio de actibus aliarum virtutum quæ ex ſolo motiuo propriæ honeſtatis excercentur, vt Spei, iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. quos actus etiam per ſe honeſtos eſſe ſequens aſſertio docebit.

Dico vlterius *tertio*. Timor gehennæ, & inde conceptus dolor peccati, eſt actus per ſe honeſtus, & ſupernaturalis. Negauit hanc aſſertionem Lutherus, tum quia ſenſit omnem actum liberi arbitrij ſine charitate peccatum eſſe, tum quia de dolore ex ſolo meto gehennæ expreſsè docuit, illum facere hominem hipocritam, & magis peccatorem. Docet etiam Ianſenius timorem illum, culpæ obnoxium eſſe, ſi voluntas in eo ſiſtat. Quamuis enim *Tom.* 3. *Lib.* 5. *cap.* 21. in titulo dicat timorem gehennæ ſecundum ſe bonum eſſe, ſic tamen ſe explicat vt velit malum eſſe ſi in Deum actu per amorem non referatur. Si quis, inquit, in pœna fugienda

da velut in termino hæreat, per quam tamquam viam tranſire debuiſſet, non illa timoris, ſed timentis culpa eſt. Horum verborum ſenſum exprimere videri poſſit Auctor qui *pag.* 179. tradit timorem quidem bonum, ſed eum qui ſeruiliter timet in hoc „ malum eſſe. Quia, inquit, non ideo il- „ le malus eſt quia vehementer timet pœ- „ nam, ſed quia non vehementius timet „ culpam; quod autem non vehementius „ timeat culpam, non oritur ex timore pœ- „ næ, ſed ex defectu charitatis, qui defectus „ non timori, ſed timenti imputandus eſt. Neſcio ego (videat alius) quid aliud velint hęc verba, quam timorem ſine charitate, tamquam ſocium indiuiduum ſecum trahere peccatum: aut qua ratione timorem illum bonum nuncupabimus, qui talis eſt, vt numquam poſſit per ſe ſumptus benè & honeſtè elici, aut ſe ſolo hominem rectè agentem denominaſe.

Dixi *Neſcio ego* &c. Caueo enim rigidiſſimè ne ſinam per me illum ad præcedentem vllatenus appropinquare: quamuis non videam cur approximatio illa hic diſplicere debeat vlli ſuſtinenti præcedentem in hoc puncto rectiſſimè cenſuiſſe.

Probatur itaque Theſis aſſerta, primò ex *Tridentina Seſſ.* 6. *Can.* 8. Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus peccatum eſſe, anathema ſit. Hunc autem *Verum & vtilem eſſe dolorem* Seſſ. 14. Can. 5. diſertè definit. Quid autem eſt actum aliquam eſſe bonum, & honeſtum, quam quod verus ſit, & vtilis ad ſalutem. Vnde, & vlterius conficies dolorem ex metu gehennæ, dum voluntatem peccandi excludit, actum eſſe *Supernaturalem*, cum à Tridentino Seſſion. 14. Cap. 4. dicatur etiam eſſe *donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus*.

Probatur ſecundo, ex mente S. Auguſtini „ dilucidè expreſſa *Enarrat in Pſ.* 127. Timo- „ re, inquit, facit quiquid boni facit, non ti- „ more amittendi bonum illud, ſed timore pa- „ tiendi illud malum: non timet ne perdat am- „ plexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mi- „ tatur in gehennam, bonus eſt & iſte timor, „ vtilis eſt.

Et verò argumentum ab ipſo rationis luminis petitum, demonſtrat, maxime conſentaneum eſſe naturæ rationali, à ſe amoliri æternum ac ſummum malum, quod per ſolam Dei offenſam incurritur, & ad illud euitandum Dei offenſam auerſari, etſi actus ille hic & nunc abſtrahat ab alio motiuo perfectiori.

Nec obſtat, quod talis peccati fuga pro fine habeat amorem, & commodum proprium; Dari enim poteſt amor ſui bonus, & ordinatus; ad quem Deus ipſe nos hortatur. Eccl. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo*. Monet quoque frequenter vt intuitu præmij cœleſtis operemur, quamuis & hoc ad amorem & bonum proprium referatur: vt Matthæi 6. *Primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius*. Et 1. ad Corinth. 9. *Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. Atque ad hunc finem in obſeruanda Dei lege ſe reſpexiſſe profitetur Regius Propheta Pſalmo 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem*, Nec refert quod Scriptura ſæpe moneat, vt omnia, opera ad Dei gloriam referamus; hortando enim vt connitamur ad motiuum perfectiſſimum, non negat dari alium finem in ſuo gradu laudabilem & perfectum.

Hæc haud dubiè facilè perſpiciunt aduerſarij. Sed vnum eſt quod hic præcipuè obtendunt, vnum quod hic perpetuo ingeminant: Tutiora ſemper, ſcilicet in hoc eſſe ſequenda: tutiſſimam verò eſſe doctrinam, quæ ſtatuit, vi præcepti omnia opera ex pura Charitate in Deum referenda.

Reſpondeo ego: Multò tutius eſſe in hoc non errare, & doctrinam eam alijs non prædicare, perſuadendo toties admittit nouum peccatum quoties opera in Deum non referuntur ex puræ Charitatis motiuo, pleriſque hominum maximè arduo ac difficili.

Suadenda omninò, & ſuper omnia, eſt Charitas, ſed maximè cauendum erroris periculum, ex quo cum detrimento animarum toties peccetur, quoties in operando charitas omittitur. Quæro enim, ſi prædicandum, quod tutiſſimum, cur ad ſingula opera actus Charitatis perfectiſſimæ non requiritur? Hæc certe Charitas operis bonitatem multò reddit ſecuriorem.

Aio igitur Theologo præcipue inquirendum, quid tutius, ſed quid verius: Diſplicet hoc? rationem cape: Quid enim ſit *Tutius*, vt obligationem præcepti etiam incertam certò perſoluero, quiuis etiam non Theologus facille nouit. Inquiſitio autem ſit non de notis, ſed de ignotis: ſic amicus amico occurrens non inquirit, vbi es? ſed, qui vales? quia primum nouit, alterum ignorat: quid hoc lucidius? Placuit tamen eidem

eidem ſcriptori hic irrito labore extra noſtrum ſenſum aliquod verbulum arripere quo redargui poſſit: atque ita redarguendo procedere, ac ſi, *Non inquirere*, idem nobis eſſet quod, *non curare*: abſit. Certè parens præſentia filij ſibi adſtantis non inquirit, curat tamen plurimum: obuia ſunt huiuſmodi ſexcenta: imò & nos ad maiorem elucidationem particulam, præcipuè, in calce prioris editionis appoſuimus, & ſæpius in decurſu huius Operis, Tutius ſtudiosè inculcari, ipſe non ignorat: & tamen verbulum innoxium verbis bene multis vapulare debuit. Nota igitur benè, vtinam ſatis, breuiuſculam, clariſſimamque verbuli noſtri rationem. *Si inquirendo attingat Theologis quid ſit obiectiuè Verius, hoc ipſo attinget quid ſit tutius: non tamen è contra ex eo quod aliquid ſciatur eſſe tutius inde conſtat eſſe verius.* Quis quæſo perſpicax hæc non videat, aut caſtigatione iſta digna eſſe cenſeat: niſi qui ſingulari affectus Opus noſtrum pluſquam limitatiſſimum eſſe cupiat. Ita me ſentire docet illa ipſa mihi chara *Securitas* & ſecura *Charitas*.

Retinenda igitur eſt firmiter prædicta annotatio in pluribus horum temporum controuerſijs, de attritione in Sacramento, de abſolutione differenda, de vſu probabilitatis, & alijs, in quibus pro vulgari argumento iſta ſecuritatis ſpecies aſſumitur. Sic in ſimili notat etiam doctiſſimus *Nauarrus* verbo Confeſſio *num. 3. q. 2.* Licet, inquit, ſit tutius ſtatim (habita opportunitate) confiteri, quàm differre, non tamen eſt tutius tenere, quod ſic obligemur, quia viri timorati haberent maximas occaſiones peccandi. Sic quoque *S. Ambroſius* in Pſalmum 118. Octon. 5. v. 6. *Sunt*, inquit, *etiam in nobis qui habent timorem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta; quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere*.

Denique maximè tutum, & neceſſarium eſt neceſſitatem charitatis non extendere vltra limites Apoſtolicæ auctoritatis: damnauit autem Apoſtolico diplomate Pius V. & Gregorius XIII. inter articulos Baianos hunc art. 6. *Non vera legis obedientia quæ ſit ſine charitate*. Et art. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur*. Hic autem Baium non intellexiſſe ſolam charitatem perfectam, ſatis apertum eſt ipſum legenti *lib. 2. de peccat. meritis cap. 1.* Neque effugium quærendum, exiſtimando aliquas Baij propoſitiones ſuſtineri poſſe in proprio verborum ſenſu ab auctore intento, ſupra oſtenſum vbi eadem Bullam exprimitur Tom. I. pagin. 141. Vt tamen porrò pluſculum ſatisfaciam Lectori candido vlteriorem hic elucidationem breuiter inſtituo.

Declaratur vlterius, ex prædictis, Non dari præceptum omnem actionem deliberatam referendi in Deum ex motiuo charitatis beneuolæ.

PRimò, quia iam oſtenſum eſt dolere de peccato, vel ab eo abſtinere tantùm ex motiuo timoris gehennæ non eſſe peccaminoſum, ſiue cum peccato ſemper connexum. Atqui idem afortiori valet in ijs quæ fiunt ex motiuo fide diuinæ, ſpei beatitudinis, charitatis proximi, iuſtitiæ, miſericordiæ &c. in illis ſiſtendo, quod alij peccaminoſum eſſe volunt. Ergo ſi rationes allatæ pro timore gehennæ vim habeant, idem probabunt de alijs actionibus iam commemoratis abſque relatione in Deum propter ſe dilectum.

II. Idem ſatis apertè conficiunt decreta Pontificum, qui generaliùs doctrinam oppoſitam reprobarunt in Baij articulo 16. & 38. ſupra recitato: quibus accedere poteſt eiusdẽ articulus 25. *Omnia operam infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia*. Atqui infideles qua tales qui Deum ignorarunt, non potuerunt operari ex motiuo Charitatis erga Deum. Ergo non neceſſariò peccabant agentes ex ſolo motiuo aliarum virtutum, vt iuſtitiæ, miſericordiæ, temperantiæ, &c. Adde recentius Decretum Alexandri VII. quo vetat cenſurari doctrinam de ſufficentia Attritionis ex metu gehennæ ſine amore in Deum beneuolo in Sacramento Pœnitentiæ. Ex quo ſic liceat argumentari: Si talis actus per defectum amoris eſſet peccaminoſus, iam Pontifex conſequenter declaraſſet, non eſſe cenſurandum qui diceret, dolorem ſic peccaminoſum ad Pœnitentiæ Sacramentum ſufficere. Atqui hoc nullo modo dici poteſt. Ergo per hoc indirectè declaratur dolorem conceptum ex timore gehennæ per defectum amoris peccatum non inducere. Quo poſito, idem de alijs actionibus ex ſuo motiuo moraliter honeſtis neceſſariò admittendum erit. Hæc ſanè omnia ſtudiosè conſiderata, mentem Eccleſiæ ſatis elucidare videntur.

Nunc vlterius in particulari, de hoc hominum cæterorum toto orbe ſenſus via clara demonſtratur. Si ad ſingulos actus morales daretur tale amoris præceptum, illud eſſet præceptum *Legis naturæ*, ſiue dictamen hominibus

bus

bus a natura inſitum circa primum, & maximum mandatum dilectionis Dei, vti etiam admittunt, & inculcant qui illud exigùnt. Atqui percurrendo omnes partes orbis, non eſt ex millibus vnus, qui ex ſola naturę luce ſibi perſuadet in omnibus operibus hanc ſibi obligationem grauiſſimam ſub peccati reatu incumbere. Ergo tale legis naturę præceptum non rectè aſſeritur Probatur minor a partium diſtributione. Omnes homines ſunt vel fideles vel infideles. Primò, Infideles, qui hominum partem magnam conſtituunt, præcepti iſtius ſingulorum operum in Deum referendorum notitiam non habent, cum Deum ipſum ignorent, aut in eum non credant. An ergo omnes illorum actiones, etiam virtutum moralium quatenus ad Deum non relatæ peccata ſunt & pœnis à Deo plectenda? Horum certè actiones, & virtutes plurimas, vt miſericordiam in pauperes eximiam, iuſtitiam admirandam, caſtimoniam etiam cum iactura vitę defenſam ſummis præconijs celeberat etiam populus Chriſtianus, & Patrum, & Doctorum monumenta. Nonne magna foret præcepti iſtius ignorantia, actiones illas cum peccato ſemper coniunctas tantis laudibus dignas æſtimare? Quinimo S. Augnſtinus de Romanorum infidelium eximia iuſtitia, & alijs virtutibus agens, aſſerit propter illas, cum cœlum mereri non poſſunt, orbis imperium Romanis à Deo conceſſum fuiſſe. An ergo opera illa, ſi defectu debiti finis forent legi naturæ aduerſa, & pœnis a Deo plectenda, tanta laude, & tanto præmio digna cenſuiſſet?

Neque ſufficiet dicere, opera illa ex Officio ſuo mala non eſſe, ſed ex carentia debiti finis, ſiue relationis in Deum ex amore beneuolo. Nam quid hoc in praxi prodeſt, ſi nunquam per ſe elici aut exerceri poſſint abſque peccato?

Nunc vlterius quæro, de quouis homine ſiue inter fideles ſiue infideles. Cur in homine iam primùm aſſecuto vſum rationis, primus illius actus moralis non poſſit eſſe obſequium, obedientia, aut gratitudo exhibita parentibus, aut miſericordia erga egenos ſine relatione in Deum, quem inculpatè nondum nouit? Actus illi ex officio ſuo mali non ſunt, vt admittis: nondum etiam ex ſua culpa, caruit ille notitia Dei, cum ante illos actus, quos ſupponimus primos poſt vſum rationis, nullam contra Deum culpam formalem admiſerit. Quomodo ergo in illis actibus peccatum contrahetur? Idem à fortiori valet, ſi primus actus fuerit agnitio, & timor Dei quatenus tantùm eſt vindex peccatorum, ſine perfectiori notitia bonitatis, aut alterius excellentiæ diuinæ. Quo pacto per illum primum actum, motiuo amoris deſtitutum, peccati reatum incurret: cum alia Dei attributa ad amorem beneuolentiæ neceſſaria nondum cognoſcat? Quod ſi agnoſcatur actum vel vnicum moralem abſque amore Dei elici poſſe ſine peccato, hoc ipſo concidit totum illud præceptum naturæ quod prætenditur de ſingulis actibus humanis ex motiuo amoris beneuoli in Deum referendis, quod accuratè notandum eſt. Neque hic aut alibi prætendere poſſunt alij, talem non peccare, propter præcepti illius ignorantiam: nam ex illorum principijs, vel non datur ignorantia inuincibilis iuris naturalis, vel certè ſi detur a peccato non excuſat.

Porrò, quàntùm fidelium conſenſus illud naturæ præceptum vbiq; hactenus ignorauerit, patet vel ex eo, quod paſſim Eccleſiæ Prælati, Paſtores, Confeſſarij, Aſcetici, quamuis relationem talem omnium operum in Deum omni conatu, voce, & ſcriptis tamquam rem maximæ perfectionis, & conſilij ſemper inculcauerint, non tamen ſub reatu peccati propoſuerint aut pręſcripſerint: neque fidelium vſus obligationem talem agnouerit. Quod tamen vel maximè inculcandum foret in hoc negotio ſingulas ferè hominum actiones concernent, ſi præceptum tale ſubeſſe iudicarent. Cæterum nos, neminem impugnantes, per hæc aliud non optamus, quam vt omnes in ſingulis operibus amore beneuolo, Deo placeant, & ſi quando ſic non amant, Deo con diſpliceant.

§. III.

Oſtenditur Attritionem ex timore gehennæ, cum propoſito de cætero non peccandi, & Spe veniæ, diſpoſitionem eſſe ſufficientem in Sacramento pœnitentiæ ad peccatoris iuſtificationem.

ILlis qui hanc doctrinam impugnant acceſſit D. Laurentius Neeſen in Theologia Chriſtiana pag. 104. & Scriptor alius in Tyroc. Theolog. pag. 168. num. 120. quia exiſtimat in pœnitentia qua peccator deteſtatur peccatum ex ſolo metu gehennæ, ſine amore Dei ſiue iuſtitię, interuenire (vt loquitur) inuoluntarietatem ſaltem habitualem. Quantū momenti habeant variorum rationes, & reſ-

ponſa ad argumenta quę proferemus, breuiter expendendum erit.

Primum itaque argumentum pro ſufficientia huius attritionis in Sacramento Pœnitentiæ, deſumitur ex Conc. Tridentino Seſſ. 14. Cap. 4. vbi declarat attritionem illam, *quæ*, vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennę, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ..... donum eſſe Dei, & impulſum Spiritus Sancti. Et quamuis, inquit, ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeant, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hic Concilium ſatis declarat attritionem ex metu gehennæ tamquam partem Sacramenti diſponere ad gratiam in eo percipiendam, nec vllam facit mentionem charitatis aut alterius motiui, cum tamen profiteatur ſe velle hic tradere exactam & perſpicuam doctrinam de requiſitis ad Sacramentum pœnitentiæ. Ergo manifeſtum facit alium dolorem non requiri.

At, inquies, Concilium tantùm aſſerit attritionem illam *diſponere* ad gratiam. Atqui diſpoſitio ſonat aliquid præuium, & extrinſecum, non verò partem intrinſecam Sacramenti. Reſpondeo, Concilium non dicere attritionem eſſe diſpoſitionem in ordine ad conſtituendum Sacramentum, ſed tantùm in ordine ad impetrandum gratiam; huic gratię attritio eſt extrinſeca, etſi ſit intrinſeca Sacramento. In eadem forma retorqueo tuum in Aduerſarios argumentum, Dolor ex motiuo charitatis diſponit peccatorem ad gratiam in Sacramento impetrandam. Ergo etiam ille dolor non eſt pars, ſed diſpoſitio Sacramento extranea.

Inſtabis primò. Non aſſerit Concilium attritionem *proximè* diſponere ad gratiam. Ergo ſupponit inſuper interuenire actum charitatis tanquam diſpoſitionem proximè requiſitam. Reſpondeo, inane videri, Concilium hic velle tradere accuratam de Sacramento pœnitentiæ doctrinam, & tamen prætermiſſa parte illius neceſſaria, & proxima, ſcilicet charitate, diſpoſitionis tantùm remotę meminiſſe: quinimò contrarium apertè prædicat, dum hic de charitate tantum ſilet.

Inſtabis ſecundò. Satis meminit charitatis, dum vult excludi voluntatem peccandi, quam attritio formidoloſa per ſe ſumpta nunquam eliminat.

Reſpondeo, hoc effugium à nobis ſupra ſatis præcluſum eſſe in §. 2. niſi velis contra cõmunem ſenſum tueri, ex ſola conſideratione ardentis rogi, aut patibuli, nunquam vinci affectum furandi. Maluit D. Neeſen pag. 107. hoc ipſum admittere, quam dimittere doctrinam ex qua conſequitur.

Inſtabis tertiò. Tridentinum loc. cit. ſtatim ſubdit, Eodem timore concuſſos Niniuitas plenam terroribus pęnitentiam egiſſe, & miſericordiam à Domino impetraſſe. Atqui non impetrarunt miſericordiam per ſolum timorem gehennæ abſque actu charitatis, quæ iuſtificat extra Sacramentum. Ergo Trident. loco citato agit de timore charitate coniuncto.

Reſpondeo, hoc argumentum, quod viſum eſt alicui recentiori inuictum, plus habere boni coloris, quam ſolidi roboris, in ſingulis enim membris fatiſcit. Ad Maiorem, dicuntur Niniuitæ eodem timore concuſſi, tantum genericè; non enim narrantur concepiſſe timorem ex metu gehennæ, ſed ex euerſione ſuæ ciuitatis intra 40. dies, quam Ionas prędicauit. Neque docet Concilium illos ex vi iſtius timoris ac pęnitentię miſericordiam illam obtinuiſſe, quæ in iuſtificatione conſiſtit, ſed etiam potius, quæ ſita eſt in ſuſpenſione ſententiæ de vrbis euerſione, quæ poterat per dolorem, & emendationem vitæ, ex ſolo temporalis pœnæ à Deo infligendæ terrore conceptam, impetrari: & ex hoc reſponſo vel vnico tota vis concidit argumenti. Ad minorem, ipſi æquè aduerſario incumbit ſolutio. Non enim poterant Niniuitæ obtinere gratiam iuſtificationis niſi per actum charitatis perfectæ, quæ iuſtificat etiam extra Sacramentum, quo tunc Niniuitæ carebant. Ergo contra tuam ſententiam, cui ſufficit in Sacramento charitas imperfecta, neceſſaria iam erit charitas adulta, & perfecta, qualis eſt ea, quæ iuſtificat extra vſum Sacramenti. Atque ita non magis argumentaris contra attritionem ex ſolo metu gehennæ, quàm aduerſus attritionem, quam ipſe requiris ex amore Dei beneuolo, ſed non ita perfecto vt per ſe, & abſque Sacramento peccatorem iuſtificet, qualis etiam cum metu gehennæ non ſufficeret vt Niniuitas ad iuſtitiam perduceret. En quam facilè euerti poſſint machinæ illæ, quæ attritioni fatales credebantur.

Inſtabis quartò. Mentem *Tridentini* oportet diligere ex *Seſſione 6. cap. 6.* vbi ad pœnitentiam ab adultis ante Baptiſmum peragendam requirit, vt Deum tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiant, & eadem eſt pœnitentia, quæ Baptiſmo, & abſolu-

ſolutioni Sacramentali præmitti debet. Actus autem pœnitentis his verbis proponit. Diſponuntur; inquit, ad iuſtitiam; dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem auditu concipientes . . . . . & diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum propitium fore: illumque tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam quam ante Baptiſmum agi oportet. Ita Tridentinum.

Reſpondeo, Nihil hic dici determinatè de amore beneuolentiæ, eaque imperfecta, quam aduerſarij ſaltem in Sacramento requirunt. Dico itaque Concilium dum ait, *omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt*, loqui indeterminatè ſiue de amore concupiſcentiæ, qui in ſpe veniæ continetur, & Deum vt ſibi donum deſiderat, ſiue de quouis alio amore, qui peccati commiſſi deteſtationem contineat. Et quidem pro amore concupiſcentiæ determinatè facit, quod Concilium dicat peccatorem incipere Deum diligere, non alio modo, quàm tamquam *fontem iuſtitiæ*, ſiue iuſtificationis noſtræ quæ nobis bona eſt, & vt talis amore concupiſcentiæ diligitur, & deſideratur. Nihil ergo hic determinatè exprimitur de amore Dei propter ſe dilecti, quod poſſit parti aduerſæ fauere. Deinde dilectio loco citato expreſſa; æquè commodè intelligi poteſt de ea, quæ diſponit peccatorem ad iuſtificationem extra Sacramentum. Neque huic obſtat, quod addatur, *hoc eſt*, *per eam pœnitentiam*, *quam ante baptiſmum agi oportet*, nam ante Baptiſmum neceſſe eſt tantùm diſiunctiuè præcedere vel contritionem perfectam, quæ extra Sacramentum per ſe iuſtificat, vel attritionem, quæ non confert iuſtitiam niſi cum actuali Sacramenti ſuſceptione. Porrò cum hæc attritio ex metu gehennæ debeat eſſe coniuncta cum ſpe veniæ a Dei clementia obtinendæ, facilè admitto ſemper interuenire amorem concupiſcentiæ, quo peccator Deum vt ſibi clementem & propitium diligit: imò exiſtimo vix fieri poſſe quin erga ipſam Dei clementiam & bonitatem; veniam pęnitenti vltro offerentem, complacentiam aliquam habeat; ſed nego hanc ad valorem & fructum Sacramenti eſſe abſolutè neceſſariam, aut per ſe ſemper efficacem; aut ſufficientem.

His ita diſſolutis, Mens Tridentini pro attritionis formidoloſæ ſufficientia nouo ac validiſſimo argumento roboratur. Synodus Tridentina illum contritionis modum defendit, quem oppugnabat Lutherus; contra quem Tridentini Patres hos canones condidere. Atqui Lutherus impugnabat illam attritionem, quæ non erat ex charitate, ſed ex timore gehennæ. Ergo hanc attritionem aſtruit, & defendit Tridentinum, dum tradit attritionem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponere, idque proximè, cum hoc ipſum Lutherus negaret, & proximam diſpoſitionem ad gratiam in Sacramento obtinendam ſoli charitati attribueret. Sic enim de dolore peccati ex ſpe prœmij, aut timore pœnæ, quem fusè deſcribit, tandem pronunciat *Sermone 2. de Pœnitet*. Hæc autem contritio facit hypocri„tam, imò magis peccatorem, quia ſolum „Timore præcepti, & dolore damni id fa„cit. Et tales omnes indignè abſoluuntur, „& communicantur Et ſi liberè deberent „remoto præcepto, & minis pœnarum, con„fiteri, certè dicere vt ſibi non diſplicere eam „vitam præteritam, quam ſic coguntur diſpli„cere confiteri; imò quò magis timore pęnę, „& dolore damni ſic conteruntur, eò ma„gis peccant, & afficiuntur ſuis peccatis, „quæ coguntur, non autem volunt odiſ„ſe. Et hæc eſt illa Contritio quam ipſi „vocant extra charitatem non meritoriam, „alij vocant attritionem proximè diſpo„nentem ad Contritionem, ſic enim ipſi „opinantur, quam opinionem errorem ego „iudico: *ita ille*. Ex quibus manifeſtum eſt, Lutherum damnaſſe illam Attritionem quæ concipitur ex ſolo timore præcepti, & dolore damni, & pœnæ ſecuturæ, ac docuiſſe peccatores cum huiuſmodi attritione abſque charitatem in Deum indignè abſolui. Vnde certum apparet Tridentinum agens contra dogmata Lutheri voluiſſe tradere doctrinam illis è diametro oppoſitam, ac proinde declaraſſe attritionem ex ſolo metu gehennæ honeſtam eſſe, & diſpoſitionem per ſe ſufficientem vt peccator dignè abſolui poſſit. Idque facilè eluceſcet conferenti hęc Lutheri verba cum decreto Tridentini quod in probatione prima adduxi ex Seſſ. 14. Cap. 4.

Nis rationibus informati aut conuicti agnouere Auctores plerique qui poſt Tridentinum ſcripſerunt, hunc fuiſſe Concilij ſenſum, & ſententiam, dum pro attritionis ſufficientia communi conſenſu ſuffragium tulerunt; quod minimè feciſſent, ſi

vel in ſpeciem exiſtimaſſent Concilij mentem huic ſententiæ refragari. Ex his ſunt plures etiam ex Academia Louanienſi cum Tappero, Mercero, Cunero Petri, Stapletono, Lindano, Latomo, & alijs, quorum nonnulli, etiam rebus in Tridentina Synodo geſtis interfuerunt.

Agnoſcit, & ipſe Alexander VII. in ſuo Decreto, ea de re dato 5. Maij anno 1667. quod mox infrà inſeritur, hanc eſſe noſtro tempore communiorem inter Scholaſticos ſententia, eamque Apoſtolica auctoritate ſic communiuit, vt ſub grauibus pœnis vetuerit vllam ei Theologicæ cenſuræ notam inuri. Atqui Pontifex, & Eccleſia non ſatis ſaluti fidelium conſuluiſſet, tantum auctoritatis hactenus atribuendo huic doctrinæ vnde valor Sacramenti, & iuſtificatio peccatoris maximè dependet, niſi hoc ipſo agnouiſſet eam eſſe ſatis certam, & in praxi ſecuram. Neque refert quod nolit etiam Pontifex cenſura notari ſententiam quæ adſtruit neceſſitatem charitatis, quia per ſe ſatis conſtat dolorem efficacem ex motiuo charitatis non poſſe in praxi obeſſe valori Sacramenti, & iuſtificationi peccatoris.

Nihilominus contra hęc rationum momenta maximè ex Tridentino deprompta, & communem Theologorum conſenſum ad Antiquitatis prędidium appellat pars aduerſa, dum fidenter pronunciat: Antiquitus nullum ferè pro hac doctrina de attritione formidoloſa ſententiam tuliſſe. An igitur illis qui ita ſentiunt, nullus erit *Ioannes Fiſſerus* Epiſcopus Roffenſis, qui pluribus annis ante coactam Tridentini Sinodũ mortuus contra errorem Lutheri de attritione ex metu ſic ſcribit *Art. 5 col.* 308. Verùm ſi dixerò, ſine dolore qui ex charitate naſcitur neminem ad ſuſcipiendam abſolutionem idoneum eſſe, quis iam de Sacramenti fructus ſecurus eſſe poteſt, cum nemini certum ſit dolorem ex charitate proficiſci? Tutius eſt igitur vt dicamus fidem cum non nullo dolore ſufficere vt quis per Sacramenti ſuſceptionem confidat ſe prorſus ab omni peccatorum reatu iam liberum eſſe factum. Vbi *dolorem nonnullum* apertè opponit dolori qui *naſcitur ex charitate*.

Nullus etiam erit Ioannes à *Daventria* qui ante decreta Tridentini anno 1537. in Exegeſi contra Confeſſionem Auguſtanam ad Art. 5. prolatis Lutheri verbis quibus tradit pœnitentes ex timore præcepti, & dolore damni indignè abſolui, poſt multa tandem contra Lutheri aſſeclas concludit: pag. 30. *Sic abſoluere non eſt irretire, quod vbique ferè nobis obiciunt aduerſarij*. Nullo etiam loco erit *Gabriel Biel* Tridentino antiquior, qui ex ſua, & aliorum ſententia ſic loquitur *in 4. Diſt. 14. Quæſt. 2. Art. 1. Opin. 5.* Quandoque diſpoſitio illa præuia non eſt ſufficiens ſed diſpoſitio quaſi à remotis, & hanc vocant Attritionem ſeu pœnitentiam informem; & illa non ſufficit ad peccati remiſſionem, ſed ſuperueniens Sacramentum ſupplet imperfectionem illius Attritionis, & confert peccatorum remiſſionem, & gratiam. Explicat autem illius Attritionis inſufficientiam ſine Sacramento, per hoc quod non fiat propter Deum tamquam finem vltimum, ſed propter amorem ſui, quia peccata ſunt inductiua pœnæ, aut impeditiua gloriæ.

Ignotus eſſe potuit *Ruardus Tapperus* nobilis Doctor Academiæ Louanienſis? qui ſuum opus abſoluiſſe debuit ante Tridentinum, licet poſtea vulgauerit, cum Tridentini mentionem non faciat ſed ſolùm Florentini. Is autem ad Art. 4. Attritionem quam definiuit diſplicentiam peccati ex timore pœnarum pag. 111. apertè tradit idoneam eſſe diſpoſitionem ad Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentię, ac ſi doctrina eſſet ſatis eo tempore communis. Et ne hic prolixior ſim, videri poteſt in eandem ſententiam Altiſſidorenſis in 4. Tr. de Sacram. Pœnit. pag. 265. Heruæus in 4. Diſt. 14. q. 1. Et ante annos circiter trecentos Guido de Monte Rocherij Tract. 2. de Contrit. cap. 1. Denique non eſt cur Lutherum illam doctrinam coæuis ſibi Theologis ſine cauſa exprobaſſe dicamus, ſi ante illum vix vnus alterue extiterit famoſus iſtius ſententiæ patronus, vti aliqui nobis perſuaſum cupiunt.

Quinimò ex iſta paucitate Scriptorum, quæ prætenditur fuiſſe pro hac doctrina ante Tridentinum, breuiter eneruo omnem vim quam illi Moderni prolixè reponunt in eiuſdem Concilij interpretatione ex hiſtoria Cardinalis *Palauicini*, contra ſufficientiam attritionis formidoloſæ. Nam ſi tam pauci ante Tridentinum pro illa ſententia ſuffragium tulerunt, & tamen poſt cognita Concilij decreta, teſte Alexandro VII. cœpit illa eſſe communior inter Theologos, quorum aliqui etiam Synodo interfuerunt, neceſſarium profectò eſt illos ex Actis Concilij omnino collegiſſe, pro Attritionis formidoloſę ſufficientia in eo abſolutè pronunciatum fuiſſe.

Si quæras, quam ſit certa aut euidens iſta collectio? Dico Scriptoribus non paucis viſam

eſſe adeò euidentem, vt non dubitauerint (ante decretum Alexandri VII.) articulis definitis illam annumerare. Alij enim apertè pronunciāt doctrinam hanc pro atritione formidoloſa Tridentino declaratam eſſe Seſſ. 14. cap. 4. Alij oppoſitam videri Tridentino aperciſſimè repugnare, &c. Denique ipſa Generalis inquiſitio Hiſpaniæ hanc propoſitionem, *Confeſſio ex ſolo pœnarum metu facta, & non etiam ex amore Dei, nulla eſt, adeoque iteranda*, grauiter reprobauit, nō ſine interminatione cēſuræ. Ego cenſuras ſiue illas ſiue alias minimè attingo, aut accepto, & aliud non addo, quam doctrinam pro ſufficientia attritionis formidoloſæ ex dictis videri adeò ſecuram, vt amplius de ea prudenter dubitari non poſſit, ex fundamentis ſupra aſſignatis.

Sed nolim me, aut alios qui idem ſentiunt propterea dici aut haberi *Hoſtes charitatis*, vt aliqui non maximè beneuola charitate exprobrant Hortamur aſſiduò, conſulimus, ſuademus, tota laterum contentione vbique prædicamus, vt quiſque in quouis opere, & multo magis in Sacramēto pœnitentię totis animi viribus ad Charitatem connitatur: Nec tantùm ad illam dilectionem dilutam, tenuem, & imperfectam quam alij requirunt, ſed etiam vt Charitatem perfectam, imò perfectiſſimam, ac Seraphicam habere contendant. Quorſum ergo nos *Hoſtes charitatis*? Quia nolumus illos ad tartarum damnare, qui cum ſolo timore ac tremore iuſtitiæ diuinæ, aut cœleſtis glorię amittendæ, aut gehennæ a Deo infligendæ, cum ſpe veniæ, & ſincero emendationis propoſito, ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt Hoſtes, inquam, ſumus Charitatis, qui cenſemus non recedendum à veritate doctrinæ quam ipſe Chriſti Vicarius Alexander VII. diſerte pronunciat eſſe nunc inter Theologos communiorem, & non accedendum ad paucos qui hactenus viam aliam, & minimè tritam ingrediendam malunt. Ad pleniorem huius doctrinæ notitiam hic opportunè ſubijcio ipſum decretum in hac materia ab Alexandro VII. editum.

(...)

Decretum S. D. N.

Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. quo vetat Cenſura notari ſententiam de ſufficientia Attritionis ex metu gehennæ, alteramque de neceſſitate aliqualis dilectionis ad ſufficientiam Attritionis, Feria V. die V. Maij M. DC. LXVII.

S. D. N. Alexander Papa VII. cum acceperit non ſine graui animi mœrore Scholaſticos quoſdam acriùs, nec abſque fidelium ſcandalo inter ſe contendere, an illa Attritio quæ concipitur ex metu gehennę excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus alijs, & inuicem aduerſam ſententiam cenſurantibus. Sanctitas ſua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles ſeruari, omnemque ſciſſuræ fomitem extinguere, auditis votis eminentiſſimorum ac reuerendiſſimorum DD. Cardinalium aduerſus hæreticam prauitatem generalium Inquiſitorum, nec non Dominorum Conſultorum, & Qualificatorum ſacræ Congregationis eiuſdem generalis Inquiſitionis, hoc præſenti Decreto, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ huic ſanctæ Sedi reſeruatę, aliſque pœnis eiuſdem ſanctę Sedis arbitrio taxādis, præcipit cunctis, & ſingulis fidelibus quocumque gradu, ac dignitate etiam Epiſcopali, & maiori imo, & Cardinalitia fulgentibus, vt ſi deinceps de materia Attritionis præfatæ ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quouis modo pœnitentes, aut Scholares, cæteroſue erudient, non audeant alicuius Theologicæ cenſuræ, alteriuſue iniuriæ, aut contumelię nota taxare alteram ſententiam, ſiue negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Atritione ex metu gehennę concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur; ſiue aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum Statuitque præterea Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixum omnes vbique exiſtentes arctare, & afficere ac ſi vnicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

Præ-

Franciſcus Siccardus Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius. Locus ✠ Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1667. *indictione quinta, Die verò 7. Maij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri diuina prouidentia Papæ VII. anno decimo tertio, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, ac in aliſs locis ſolitis, & conſuetis vrbis, per me* Carolum Melanum *eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.*

QVÆSTIO XXII.

De varijs obligationibus Fidelium erga propriam Parœciam.

Obligationes præcipuæ, & indubitatæ.

PRimò, tenetur quilibet intra ſuam Parœciam à proprio Parocho Baptiſmum ſuſcipere, & non ab alio extra neceſſitatem: ideòque parentibus incumbit liberos ſuos illis baptizandos tempeſtiuè offerre.

Secundò, obligantur Communionem Paſchalem a proprio Paſtore percipere, nec ſatisfaciunt tunc alibi communicando, niſi cum illius facultate.

Tertiò, tenentur ſuo tempore extremam Vnctionem ab eodem procurare, vti & Viaticum, niſi ſit in loco vbi alteri illa adminiſtratio ex certo priuilegio conceditur, vti in Miſſionibus aliquando contingit.

Quartò, idem dicendum eſt de celebratione Nuptiarum. Ad eumdem non alios recurrere tenentur pro benedictione nuptiarum, & puerperij.

Quintò, ad proprium Parochum eiuſque Eccleſiam pertinent iura ſepulturæ, ac funeris ducendi, niſi quis in altera Eccleſia ſibi ſepulturam legitimè conſtituit, vti apud varios Regulares fieri contingit.

Sexto, de iure ordinario tenentur Parochiani ſuo Paſtori eiuſque Eccleſiæ frugum ſuarum, aliorumque fructuum Decimas perſoluere, aliaſque primitias, & oblationes, iuxta loci conſuetudinem. Quod ſi illa deficiant, aut non ſufficiant, debent Parochiani congruam ſui Parochi ſuſtentationem aliunde ſupplere iuxta Apoſtolorum docentem adminiſtranti ſpiritualia debere temporalia ſuppeditari. Debent quoque parentes liberos ſuos in Doctrina Chriſtiana inſtruendos Parocho offerre, niſi id per ſe, alioſue ſufficienter præſtari curent.

His ita conſtitutis, quæſtiones ſpeciales in hoc genere aliquando controuerſas hic paulò latius deducemus.

An teneantur vllo Præcepto Parochiani diebus Dominicis, & Feſtis intereſſe Concioni in propria Parœcia, ſic vt non ſatisfaciat qui tunc ſolas Regularium Eccleſias frequentat.

HÆc controuerſia noſtro tempore magna partium contentione diſceptatur, aut diſceptata fuit. Agitur imprimis de Cleri ſæcularis templis, & officijs; litigatur de Regularium præcipuis munijs, ac priuilegijs. Diſceptatur denique de totius populi Chriſtiani immunitate a vinculo præcepti, quo ædes Parochiales ad verbi Dei prædicationem frequentare cogantur.

Hinc eſt quod hæc quæſtio ſæpius excitata, ſæpius ſopita, nuper Louanij, ex tenui ſcintilla, in nouum de repente litterariæ contentionis incendium eruperit. Fomitem huic contentioni ſubiecit Concionator in templo D. Iacobi, qui auditores ſuos admonuit de reatu peccati, quem illi incurrunt, qui in templo propriæ Parœciæ verbum Dei audire omittunt. Non leuiter offendit ea denunciatio pleraſque Regularium familias, atque extemplo contra hanc doctrinam excuſſa Pontificum diplomata ac decreta valuis affixerunt, ſuaque iura ac priuilegia populo præ roſtris exponere cœperunt. Contra hos prodijt ſine mora libellus inſcriptus, Obligatio audiendi Verbum Dei in parochijs, clarè demonſtrata. Huic Demonſtratori oppoſuit vir eximius ex ordine S. Auguſtini, Exhibitionem Canonum, quibus obligationem illam doctiſſimè oppugnauit. Non multò poſt tempore idem Demonſtrator ſub nomine Chriſtophori Philalethis repoſuit libellum quem inſcribit, Iuſtam defenſionem contra illam Canonum exhibitionem. Sed contra hunc Philalethem aperta fronte ſuam Canonum Exhibitionem nouo Reſponſo ſtabiliuit idem Exim. P. Chriſtianus Lupus ex ordine S. Auguſtini, edito menſe Decembri anno 1674. Verùm nec pedem è campo retulit Philalethes, qui pro ſua cauſa poſtea vulgauit, Deductionem Iuris Parochialis, &c. anno 1675. Atque ita mutuus partium, & argumentorum conflictus, ad huius cauſæ cognitionem omnium penè animos ac ſtudia concitauit

tauit. Hic præcipua tantùm vtriuſque partis argumenta breuiter proponens, cauſæ iudicium, prout debeo, alijs integrum relinquo.

Aſſertores obligationis confluendi ad Concionem propriæ Parœciæ præcipuum cauſæ ſuæ momentum petunt ex verbis Concilij Tridentini Seſſione 24. cap. 4. de reformatione. *Moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri vnumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, vbi id commode fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*. Contendunt enim Concilium dum pronunciat, vnumquemque teneri, præcepti vinculum imponere voluiſſe, vnde inferunt nemini licere ſic aliena templa frequentare, vt abſit à concione ſuæ Parœciæ.

Reſpondent ex aduerſo Regulares, per illa verba nullam importari obligationem conſcientiæ, ſed tantùm aliquam decentiam, & honeſtatem, vt aliquando ad verbum Dei audiendum quiſque in propria parochia compareat, præceptum verò incumbere ne quis ex contemptu eam adire negligat. Idque confirmant primò, quia nulla veritatis ſpecie dici poteſt, quod voluerit Concilium generaliter vnumquemque fidelium ſtricto pręcepto adſtringere, vt verbo Dei audiendo interſit, multò minus vt debeant omnes in vnum Parœciæ ſuę templum compingi, quod ſæpè nec mediam gregis ſui partem ſimul intra ſua repagula complecti poteſt.

Confirmant ſecundò, quia Concilium diſertè addit, *vbi id commode fieri poteſt*, quo declarat fidelium opportunitati ac deuotioni relictum eſſe, ſiue Regularium, ſiue aliorum conciones frequentare. His autem neque commodum, neque opportunum eſt, relicto templo viciniori, aut concionatore aliquando præſtantiori, aut magis forſan ad animæ ſuæ profectum accommodato, ad vnicum in tota vrbe præconem, & templum adſtringi. Neque refert ſi dicas, liberum eſſe, vbi ſuę obligationi in parochiali ſatisfecerint, alia etiam templa frequentare; nam hoc ipſum, cum pleriſque nec commodum, nec integrum eſſe ſoleat, ſatis demonſtret illam obligationem neque verbis, neque mente concilij conſentaneam videri.

Confirmant tertiò, ex declaratione ſummi Pontificis Pij V. in Bulla, *Etſi Mendicantium*, data poſt Tridentinum anno 1567. 17. Kal. Iunij, quæ ſic habet. Fratres mendicantes Miſſas, & diuina officia huiuſmodi, etiam in diebus Dominicis vel Feſtiuis, etiam antequam Rector Parochialis Eccleſiæ celebrauerit, celebrare, & facere; & quando eis videbitur; etiam ſi tunc in Eccleſia Cathedrali prædicatur, prædicare; ac etiam quoſcumque vtriuſque ſexus fideles totius anni tempore illas, & illa, in Eccleſijs Fratrum huiuſmodi audire poſſint; ipſique Chriſti fideles vllatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum Ordinarios, ſeu Rectores Parochialium Eccleſiarum, aut alios quoſcumque vllo pacto, cauſa, vel occaſione non valeant, ſeu debeant; ſed præfati Chriſti fideles audiendo Miſſas, & alia diuina officia in Eccleſijs Fratrum, huiuſmodi diebus Dominicis aut Feſtis, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur. Ita hactenus Bullæ verba.

Declarationi adeò manifeſtæ nihil videbatur poſſe opponi. Non dubitant tamen aliqui contendere ipſum Pium V. in Conſtitutione ſua, *Romani Pontificis*, *&c.* Diploma illud reuocaſſe.

Reſpondet Regulares, id nullam habere veri ſpeciem. Siquidem in ea aliud non decernit quam, *Decretum Concilij Tridentini de Approbatione Regularium audiendi confeſſiones ſæcularium præpoſitorum facienda, obſeruari debere ab omnibus Regularium quorumuis Ordinum etiam Mendicantium: Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis ac noſtri litteris prædictis &c.* Hic reuocat Pontifex ſuam Conſtitutionem, quoad Confeſſiones ſecularium, ſtatuens non audiendas ſiue Ordinarij examine, & approbatione. Nihil hoc habet commune cum præſenti quæſtione, quæ eſt de Concione, & Miſſa in Parochiali templo audienda. Adducunt tamen aduerſarij aliam iſtius diplomatis reuocationem per Pij V. ſucceſſorem Gregorium XIII. quæ incipit: *In tanta*. Sed hanc fuiſse publicatam negat Auctor Analectorum cap. 13. affirmat fusè Philaletes in Obligatione audiendi, &c. cap. 5. pag. 33.

Conſtitutioni *Pianæ* addunt Regulares in eamdem ſententiam alia Pontificum diplomata: & illud Pauli III. *Licet debitum*, anno 1549. conceſſum Societati Ieſu, vbi decernitur, vt omnes Chriſti fideles in Sociorum Eccleſijs Conciones, Miſſas, & alia diuina officia audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta recipere liberè & licitè valeant; *nec ad id proprias Parochiales Eccleſias accedere teneantur*. Huic verò Conſtitutioni ne dicas derogatum eſſe per Concilium Tridentinum, obſtat Bulla Gregorij XIII. *Aſcendente Domino*, data anno 1584. vbi de Apoſtoli-

cæ

cę poteſtatis plenitudine dictę Societatis quęcumque priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratiæ, & indulta à prædeceſſoribus (inter quos diſertè Paulum III. nominat) conceſſa, approbantur ac confirmantur.

Accedit denique communis Doctorum, qui poſt Tridentinum ſcripſerunt, ſenſus & interpretatio, vt *Heſſelij* in Decalogum cap. 14. *Molani* ad Decal. Cap. 9. *Bonacina* Diſp. 5. Punct. 2 n. 27. *Suarez* Lib. 2. De Relig. cap. 16. num. 6. *Azorij*, *Trullench*, *Molfeſij*, *Leandri* Part. 3. Tractat. 2. Diſp. 2. quæſt 73. apud quem alios longo ordine citatos inuenies. Quibus addo Theſes in ipſa Academia Louanienſi præſente Doctore Baio, qui interfuit Tridentino, publicè defenſas anno 1580. & 1569. 24. Martij his verbis. Etſi melius ſit audire Sacrificium Miſſę in Parochia propria, quam aliena, ad has tamen conditiones Eccleſiæ præcepto non adſtringimur: & quamquam de Concione ſacra audienda *non habeamus expreſſum Eccleſiæ mandatum*, videndum tamen eſt ne piæ conſuetudini, vel legi naturæ contraueniatur. Ad extremum aduerte, Auctorem exhibitionis Canonum ſic Tridentinum interpretari vt *Parochiam propriam* intelligat prout opponitur alienæ Parochiæ, atque ita contra Eccleſias Regularium nihil omnino actum, aut cogitatum fuiſſe contendit.

Ex his aliiſque concludit ille pro Regularibus, communem fidelium praxim ac conſuetudinem tam validis argumentis innixam, & vbique locorum tam diuturno vſu roboratam, omnem oppoſitæ probabilitatis, aut dubitationis vmbram diſſipare; nec aliam de verbo Dei in Parochia audiendo relinquere ſtricti iuris obligationem, quam illam quæ eſt legis naturalis, quando alicui in fide, aut moribus neceſſaria eſt inſtructio, quam alibi commodius adipiſci nequit. De his iudicare alterius fori eſt: hæc nobis expoſitionis, non defenſionis cauſa in his, & ſequentibus adduxiſſe ſufficiat.

QVÆSTIO XXIII.

An Fideles ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ audientes Miſſam Dominicis, & Feſtis diebus extra templa Parochialia, v.gr. in ſolis Eccleſiis Regularium.

DE hac quoque quæſtione nouam litem ſuſcitarunt, ac partem negatiuam recenter ſuſtinuerunt, quidam Paſtores, præſertim in vrbe Louanienſi. Contra hos Analecta Priuilegiorum pro Regularibus edidit Doctor eximius ex ordine Prædicatorum in eadem Academia.

Argumēta pro parte negatiua congeruntur in caſa Paſtorum ex iure tam antiquo, quam nouo, & præſertim ex auctoritate Concilij Tridentini Seſſione 22. in decreto de celebratione Miſſæ: *Moneant (Ordinarij) etiam eundem populum vt frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & maioribus Feſtis accedant.* Quod referendum volunt ad Miſſæ auditionem, cum in maxima parte illius Capitis de Miſſa agatur.

Idemque volunt pridem conſtitutum à Sixto IV. Extrauag. *Vices illius* de Tregua, & Pace. *Quod*, nempè, Fratres Mendicantes non „prædicent, populos Parœcianos non teneri „audire Miſſam in eorum Parœcijs diebus „Feſtis, & Dominicis, cum iure ſit cautum „illis diebus Parœcianos teneri audire Miſſam „in Parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta „cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent.

Reſpondent Regulares, ſemper honeſtam cauſam eſſe, maiorem deuotionem, aut commoditatem audiendi Miſſam in alijs Eccleſijs: adeòque per hanc clauſulam fidelium libertati relictum eſſe, vt eligant ſibi locum opportuniorem. Neque alia de cauſa prohibitum eſſe hoc *prædicari*, quam vt lites, & diſcordię, quæ ex tali prædicatione ſuſcitatæ fuerunt, deinceps ſopirentur. Sæpè enim ipſa doctrina integra, & intacta permanente, concordiæ cauſa, prohibetur eam publicè docere, aut prædicare.

Quod ſi quis pugnaciter vrgeat verbis allegatis vim aliquam ineſſe maiorem, quæ Parochianis pręcepti vinculum imponat: Reponunt facilè Regulares, etſi talis obligatio verbis illis intenta fuiſſet, dudum illi derogatum eſſe per contrariam conſuetudinem toto orbe receptam; & per declarationem Clementis VIII. aliorumque Pontificum decreta, quæ mox in medium proferentur. Atque ita de

præcepto Miſſæ audiendæ tractantes docent *Barboſa, Portel*, *Nauarrus* citans S. Antoninum, ac Syluestrum, & in eandem ſententiam plures adducit *Cardin. Lugo*, & paſſim alij.

Iam verò contra obligationem frequentandi Miſſam in templo Parochiali proferunt Regulares aperta Pontificum diplomata: Omiſſis antiquioribus, manifeſtam aiunt eſſe declarationem Leonis X. ſancitam 13. Nouembris anno 1517. „ Nos Auctoritate A„ poſtolica tenore præſentium notum faci„ mus, omnes Chriſti fideles vtriuſque ſexus, „ qui (non contempto proprio Sacerdote Pa„ rochiali) in Eccleſijs Fratrum Ordinum „ Mendicantium Dominicis & Feſtis diebus „ Miſſam audiunt, ſatisfacere pręcepto Eccle„ ſiæ de Miſſa audienda, nec in aliquam labem „ mortalis peccati, pęnamue incurrere: In „ contrarium facientibus non obſtantibus „ quibuſcumque &c.

At opponunt Aduerſarij hanc Conſtitutionem Leonis reuocatam eſſe per locum ex Tridentino ſupra citatum, aut Bullam ſubſequentem Gregorij XII. Verùm ſupra oſtendunt alij, ipſa Tridentini verba pro Miſſa Parochiali nullum præceptum importare, quo poſſit declarationi Leonis aduerſari. Ad Conſtitutionem Gregorianam reſpondent, quod, neque meminit illa decreti Leonis, neque vllam continet clauſulam qua illi derogatur.

Quin & hanc eſſe mentem ſenſumque Eccleſiæ, declarant ex poſteriori Decreto Clementis VIII. edito 22. Decembris anno 1592. ad terminandam litem quam Parochi Duaceni Regularibus intentabant, & ibidem hoc tenore publicata fuit. „ Præſenti noſtro Decre„ to ſancimus, licere ſæcularibus Chriſti fi„ delibus vniuerſis, liberè Miſſas diebus Do„ minicis, & alijs Feſtis audire in Eccleſijs tam „ fratrum Prædicatorum, quam aliorum „ Mendicantium, nec non Collegij Societatis „ Ieſu iuxta illorum priuilegia, & antiquas „ conſuetudines.

At inquiunt, in Decreto Clementis nulla extat mentio Tridentini, requiritur autem expreſſa mentio vt derogetur decreto Concilij Generalis. Sed contra primò verba Decreti ſatis declarant Tridentinum nihil ſtatuiſſe quod in hac parte aboleret Regularium priuilegia, ſed potius ea poſt Concilium in ſuo vigore permanſiſſe, dum in eo diſertè declaratur licere diebus Dominicis & Feſtis Miſſas audire in templis Regularium, *iuxta illorum priuilegia, & antiquas conſuetudines*. Secundo, valida eſſe Pontificum indulta, etiam ſine mentione aut clauſula expreſsè derogatoria Concilij, declarauit ſacra Congregatio in quęſtione mota contra valorem Priuilegij cuiuſdam, conceſſi Congregationi Oratorij S. Mariæ in Vallicella à Sixto V. ann. 1586. defectu clauſulę quę derogaretur Tridentino, cui pri„ uilegium illud erat contrarium. „ Congrega„ tio Concilij cenſuit, ſi huiuſmodi priuilegiũ „ fuit, vt proponitur à Sede Apoſtolica conceſ„ ſum, vtique eſſe omnino obſeruandum, quã„ uis nullam derogationem, aut mentionem „ Concilij Tridentini contineat. Refertur autem hæc declaratio in Compendio Priuil. Fuliens. Verbo, Abſolutio, quoad Sæculares. § 9. Idemque ex profeſſo docet *Portel.* in Addit. V. Trid. & Rodrig. Tom. 3. Quæſtionum Regularium Quæſt. 46. Art. 1. citans Archidiaconum, ac Innocentium. Neque volunt de hoc dubium moueri Vniuerſitates, & Capitula dum de ſuis Priuilegijs agitur, quorum alias non pauca vacillarent.

Alia etiam via Clementinam hanc Conſtitutionem labefactare conantur, dum volunt eam agere de Miſſa libera, ſiue non præcepta, ſic vt inſuper aliam ex præcepto fideles in ſuis Parochijs audire teneantur.

Sed reponunt Regulares, iſtam expoſitionem ab omni veri ſpecie abhorrere. Nullis enim opus erat priuilegijs Apoſtolicis vt fidelibus præter Miſſam præceptam, alias pro arbitrio vbiuis locorum audire liceret: neque Paſtores pro re tam friuola litem mouerunt. Omnem denique in hac parte, totaque controuerſia dubitationem tollit Conſtitutio Leonis X. & Pij V. definiens omnes Chriſti fideles in Eccleſijs mendicantium Miſſam audientes per hanc Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, vt ſupra retulimus.

At contra grauiori tono aſſurgunt aliqui ac contendunt, ipſam abſentiam a Sacro Parochiali coniunctam eſſe cum contemptu propriorum Sacerdotum, & Parochialium Eccleſiarum, quod in Bulla Leonis expreſsè prohibetur.

Hoc ſi ita eſſet, fateri oporteret, peccare non tantum populum, ſed etiam alios, qui venerandos Paſtores, & de ſuo grege benè meritos per Regularium priuilegia contemptui, aut ludibrio exponerent. At videant illi, ne ſe nimis facilè læſos putent. Non illico contemnitur qui alteri in omnibus non præponitur. Placent Regularium templa, mores, vel modeſtia; nec ideo diſplicent Paſtorum Eccleſiæ, ritus, & officia. Habent hi ſuam gratiam, habent Regu-

Regulares ſuam. Non ſine cauſa in domo Dei manſiones multæ ſunt, vt ea multorum pietati ſe latius expandat. Si populi pietas, ad ſatiſfaciendum Eccleſię præcepto, Parochialium templorum anguſtijs coercenda fuerit, mirum pluribus videtur, quorſum pro Regularibus omni æuo, tot populorum ac principium impenſis, tam amplæ ædes toto orbe exſtructæ, totoque altaribus, ac paramentis exornatę An vt chorus tantum ſaxis caneret, & melius in vacuo templo Pſalmus reſonaret? Adeo denique pleriſque apparet illa obligatio tam à populorum conſuetudine, quam à Doctorum ſententia abhorrere, vt præter plures quos contra eam adducit *Card. Lugo Barboſa*, & *Paſqualinus* etiam nouiſſimè *Leander* Tract. 11. de Prçcept. Eccleſ. Diſp. 20. pluſquam triginta Auctores claſſicos enumeret, qui ſi adeantur, æquo rerum æſtimatori abundè ſatisfacient.

QVÆSTIO XXIV.

An ſatisfaciat præcepto annuæ Confeſſionis, qui quouis tempore, etiam Paſchali, Regulari approbato confitetur?

NEgauit olim Ioannes de Poliaco, ſed à Ioanne XXII. citatus, tam hunc articulum, quam alios ſuos errores reuocauit, vti patet ex Pontificis eiuſdem *Extrauagante* inſerta corpori Iuris canonici, *Vas electionis*, de Hæreticis. Vt verò ille Regulares contra tales inſultus deinceps tutos redderet, Ordinem Prædicatorum, ac Minorum, & eos qui cum illis in priuilegijs communicant, ipſis Parochis, quoad poteſtatem omni tempore confeſſiones audiendi, æquiparauit. Eamdemque *Extrauagantem* inſurgentibus de nouo diſſidijs *Eugenius IV. Nicolaus V. & Sixtus IV.* innonauit.

Inſtauratæ nihilominus ſunt noſtro ſæculo antiquæ lites, quibus pridem oppoſita eſt noua Conſtitutio in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. quæ incipit, *Dum intra*. In qua poſteą ſic decernit: Poſſunt illi (Regula„res) per Epiſcopos, & Prçlatos ſuper ſuffi„cienti literatura examinari: Talibuſque „preſentatis, admiſſis, vel etiam indebi„tè recuſatis confitentes, Conſtitutioni „quæ incipit, Omnis vtriuſque ſexus, quo „ad confeſſionem dumtaxat, ſatisfeciſſe cen„ſeantur.

At lapſus temporis perrupit hos obices nouus aliquorum impetus, & in vrbe primùm Duacena Belgium inuaſit. Sed illum valide repreſſit Clemens VIII. in Breui ſuperiori Capite citato, quod decernit Sçculares Chriſti fideles, *Priuilegiatis idoneis, & ab Ordinario approbatis peccata ſua etiam quadrageſimali, & paſchali, & quouis alio tempore confiteri licite poſſe.*

Inſtant tamen alij, acriterque contendunt hæc ita intelligenda eſſe, vt iuxta Caput, *Omnis vtriuſque ſexus*, omnis ſæcularium confeſſio, & maximè annua, poſſit fieri Regularibus, tantummodò de licentia proprij Sacerdotis; alioqui vt Eccleſiæ præcepto ſatisfiat denuò iterandam; idque iuxta Deciſionem quandam Martini V. quam refert *Maior diſt.* 17.

Opponunt Regulares Bullam contrariam Alexandri IV. *Non ſine multa*: quã refert Azouius ad annum 1257. n. 5. vbi expreſsè additur id fieri poſſe, *Sacerdotum Parochialium aſſenſu minimè requiſito*. Diploma verò Martini V. quo hæc licentia requiritur, receptum fuiſſe negat *Syluius* in Supplemento quæſt. 8. art. 4. Quæſt. 3. Quidquid de eo ſit, reſpondent Regulares, limitationem illam ab alijs Pontificibus Martini Succeſſoribus, & à generali Concilio Lateranenſi ſub Leone X. penitus ablatam eſſe, & priuilegia cum clauſulis derogatorijs plenum robur accepiſſe.

Idque confirmant ex eo, quod quoties deinceps hæc controuerſia mota eſt ſacra Congregatio Interpretũ Tridentini pro Regularibus ſententiam tulerit. Inter alias extat illa quæ lata eſt pro Patribus Societatis diœceſis Lingonenſis, ab Epiſcopo eius promulgata 22. Septembri 1624. Oratores ſemel approbati „ad confeſſionem ſæcularium audiendas, poſ„ſunt omnium confeſſiones audire, etiam in„firmorum, quolibet anni tempore, etiam „Paſchali, abſque eo quod Parochi, & Cano„nicorum licentia habeatur.

Poſtea anno 1644. cum turbæ fuiſſent concitatæ à Burdegalenſibus aduerſus Regulares de Confeſſione ac communione Paſchali, & ab vtriuſque adminiſtratione tempore quindene paſchalis illos omnino prohiberi contendiſſent; Congregatio ſiue dubitatione Regularibus cauſam adiudicauit in hac forma: „Inſtantibus Regularibus ciuitatis Burdega„lenſis die 9. Iulij anno 1644. Sacra Congre„gatio Em. Cardinalium Concilij Tridentini „interpretum, poſt maturam diſcuſſionem „cenſuit Archiepiſcopum Burdegalenſem nõ „poſſe prohibere Regularibus habentibus pri„uilegia Apoſtolica, vt à Dominica Palma„rum vſq; ad Dominicam in Albis incluſiuè

ad-

adminiſtrare non valeant perſonis ſęcularibus Sacramentum Confeſſionis. Et ne quid porrò contra hanc ſententiam attentari poſſit, eam ad verbum ſuæ ſanctioni quæ incipit, *Exponi nobis fecerunt* anni 1645. 7 Februarij inſeruit Innocentius X. ſubdens: *Decretum præinſertum Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, &c.* Similem deciſionem Sacræ Congregationis, in lite à Salernitanis de eadem quæſtione mota, refert *Fagnanus* ad Cap. *vtriuſque ſexus*. Iam verò, inquiunt Regulares, quid videri poteſt magis a ratione alienum, quam quod poſſit Epiſcopus, aut ipſe parochus cuiuis approbato poteſtatem dare, excipiendi annuam Confeſſionem qua præcepto ſatisfiat & interea controuerſiam moueri, an ad eundem effectum ſufficiat à ſummo Chriſti Vicario facultatē Regularibus concedi, & vices proprias illis delegari? Nam vt docet *S. Thomas* Opuſc. contra Impug. Relig. Cap. 4. Sacerdos proprius non ſolùm eſt Parochialis, ſed etiam Epiſcopus, vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura eius quam ad Sacerdotem..... Vnde qui confeſſus eſt Epiſcopo, vel habenti vices eius, confeſſus eſt proprio Sacerdoti.

Colligunt igitur ex Angelico Doctore, non debere Paſtores, ſibi tantum *Proprii Sacerdotis* nomen vindicare, ſed per hoc intelligi etiam quemlibet cui ſupremus in terris Paſtor ſuas vices delegauit. De hoc ſi quis ſuſius edoceri velit adeat *Rebuffum* in Cap. *Omnis vtriuſque ſexus*. *Calderinum* Concil. 37. *Maiorem*, *Gabrielem*, *Almamum*, *Viualdam*, *Gamacheum*, *Yſambertum*, & inter recentiores conſulat *Chaſſaing*. Tract. 5. Cap. Prop. 3. & 4. qui plures adducit auctores qui in eo quem tradidi ſenſu *Proprij Sacerdotis* nomen vſurpandum docet.

Sed vt hi ſilerent vniuerſi, pro ſua reuerentia audiendus eſſet ſolus Clemens X. qui in Decreto quod incipit: *Superna*; edito anno 1670. litem omnem apertè diremit dum decernit, Religioſos ad Confeſſiones ſæcularium ſemel ſimpliciter approbatos, poſſe in diœceſi Epiſcopi approbantis quouis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcunq; etiam infirmorum confeſſiones audire, abſque vlla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. Et eos qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit, *Omnis vtriuſque ſexus* quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos.

QVÆSTIO XXV.

An validè, aut licitè poſſit Epiſcopus Regulares ad ſæcularium Confeſſiones abſolutè Approbatos, propria auctoritate pro libitu ad nouum examen ſub pœna ſuſpenſionis adigere, aut approbationes à Prædeceſſore legitimè conceſſas reuocare?

NOn deſunt pauci ex multis Prælati, qui hanc ſibi poteſtatem vindicarunt, & inde non modicas in ſua diœceſi turbas concitarunt. Nituntur hi clauſula Bullę Pij V. quę incipit, *Romani Pontificis*, vbi ita decernit. „Volumus eos (Regulares Mendicantes) qui „ſemel ab Epiſcopis ſuis præuio examine ap„probati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum „non examinari: Ab Epiſcopo autem ſucceſ„ſore pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete exa„minari de nouo poterunt. Eſt quoque eiuſdem tenoris conſtitutio *Vrbani VIII. Alias à nobis*, quæ legitur apud *Barboſam* lib. 1. Iur. Eccl. Cap. 43. Ex his, & alijs eiuſdem formę Pontificum decretis conficiunt, dictam poteſtatem Epiſcopo, ſaltem Succeſſori, ſuo iure competere.

Verùm ex aduerſo demonſtrant Regulares, per has Conſtitutiones, ad inſtituendum nouum examen, aut approbationem pro arbitrio ſucceſſoris reuocandam, nihil omninò poteſtatis acquiri. Id enim iuris allegati Canones tunc tantùm Epiſcopo concedunt, quando conſtat examen *pro maiori conſcientiæ quiete* illi neceſſarium eſſe. Requirunt igitur iuſtam cauſam, & defectum aliquem ſatis exploratum ex parte perſonæ approbatæ, qui Epiſcopi conſcientiam meritò extimulet, non ſolam eius volutatem, aut cauſam merè imaginariam. Quod ſi aliunde conſtare poſſit, perſonam antea abſolutè approbatam, ad Confeſſiones excipiendas ſatis idoneam eſſe, non eſt iuſta Epiſcopi inquietudo, nec ſubeſt cauſa legitima vt poſſit Confeſſarius ad examen reuocari. Cum enim habeat Sacerdos Regularis ad Sacramentum pœnitentiæ iuriſdictionem à Sede Apoſtolica conceſſam, & approbationem Ordinarij à Tridentino requiſitam, iam ipſi acquiſitùm eſt ius omni ex parte abſolutum ad exercendum poteſtatem legitimè poſſeſſam; ac proinde ab illius exercitio abſque legitima cauſa, ſolo prætextu pacandæ conſcientiæ, ſine iniuria deturbari non poteſt. Non enim habet ſe approbatio per modum gratiæ arbitrariæ, ſed eſt legitima Iudicis ſententia, quam non

poteſt

poteſt is qui eam tulit, aut alius, ſine noua cauſa reuocare. Hinc non tantum iniuſtam ſed etiam inualidam eſſe in caſu noſtro hanc approbationis ritè conceſſæ retractationem docet *Card. Lugo* de Pœnit. Diſput. 21. Sect. 3. num. 64. *Boſſius* de Iubil. Sect. 3. Cap. 2. §. 4. *Portel.* V. Confeſſ. Præſena. *Bordonus* Tom. I. Reſolut. 36. numer. 8. *Leander* de Pœnitent. Tract. 5. diſput. 11. quæſtion. 8. *Lezana* Conſult. 40. num. 1. vbi in eandem ſententiam adducit Peyrinum, Suarez, Paſqualigum. Palaum, & plures ex antiquioribus.

Roboratur hæc doctrina ex pluribus Summorum Pontificum declarationibus ac Decretis, quæ vetant imprimis Epiſcopo Conuentum aliquem integrum propria auctoritate a confeſſionibus ſæcularium audiendis ſuſpendere, aut ad aliud examen abſque noua cauſa compellere: imò etiam vllum Regularium in particulari à ſe abſolutè approbatum ad hoc adigere, niſi noua cauſa, & ad confeſſiones ſpectans poſtea interuenerit.

Nec alia eſt ratio de Epiſcopo ſucceſſore, niſi quod hic facilius poſſit dubitare, an approbatio, non à ſe, ſed à ſuo prædeceſſore conceſſa, fuerit legitima, & perſona ad confeſſiones excipiendas ſatis idonea. Conſtant verò ea quæ diſſerui de Epiſcopo approbante ex Bulla Pij V. *Etſi mendicantium* num. 41. & Bulla, *Romani Pontificis*, cum adiuncta Sacræ Congregationis declaratione, nec non ex alio eiuſdem Congregationis Decreto, expedito 20. Nouembris anno 1615. quo ſtatuitur Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque locorum Ordinarijs, ad quos Confeſſores approbandi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares alias ab ipſis liberè approbatos, ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere poſt hac minimè licere, niſi ex noua cauſa, eaque ad Confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum Interdictum ab ipſis Ordinarijs poſitum. Eiuſdem tenoris eſt Bulla Innocentij X. *Cum ſicut accepimus*, data 16. Maij anno 1648. quæ decernit Regulares aliàs liberè ab Epiſcopo præuio examine approbatos ad audiendas confeſſiones perſonarum ſæcularium, ab eodem Epiſcopo ſuſpendi non poſſe ſine noua cauſa, eaq; ad Confeſſiones ipſas pertinente.

Quinimò, quoad Epiſcopum ſucceſſorem *Gonzales* ad Regulam 8. Cancellariæ refert Declarationem Cardinalium in hæc verba. „ Epiſcopus non poteſt examinare approbatos a ſuo Anteceſſore, niſi poſt promotionem aliqua noua cauſa ſuperueniat: quod „ ſi data ſit cauſa Succeſſori dubitandi de capacitate antea approbati, non poteſt eum de quo dubitat ſuſpendere ante examen, „ cum ſit in poſſeſſione, ſed debet illum ad „ examen reuocare. Prætereo plura alia decreta, & deciſiones, quas hæc controuerſia mirum quam ſæpè renouata, pro Regularibus extorſit. Qualis fuit pridem illa conteſtatio inter Epiſcopum Brugenſem, & Regulares ſuæ diœceſis; quos a prædeceſſore ſimpliciter approbatos, cum ad nouum examen adigere vellet, præcepit illi auctoritate Apoſtolica illuſtriſſimus tunc in Belgio Pronuncius, vt Regulares a ſuorum Priuilegiorum vſu non impediret, ac tergiuerſantem ad grauem mulctam condemnauit, per ſententiam datam 16. Auguſti anno 1600. Donec tandem Epiſcopus deſtitit, & Regularium priuilegia agnouit per tranſactionem Concilij Regij diplomate Bruxellis expedito confirmatam.

Hanc litem è Belgio tunc præſcriptam, Tornacum nuper reuexit Epiſcopus ex Gallia illi diœceſi impoſitus, qui ſuo edicto 24. Aprilis anno 1671. citauit omnes regulares ad confeſſiones ſæcularium approbatos, ad ſubeundum nouum examen a die 20. Menſis Maij, reuocans eo elapſo omnes approbationes adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentię, ſiue per ſuos prædeceſſores, ſiue per Vicarios generales conceſſas: ſed conatus ille nouus maiorem moleſtiam, quam progreſſum habuit. Nec alibi huiuſmodi procellæ pacatiorem exitum retulere.

Declaratur generaliter quas pœnas incurrant, qui conceſſa Regularibus priuilegia impugnant: aut qui violant debitam. Epiſcopis reuerentiam.

AD demonſtrandum Pœnas in hac parte ab Eccleſia conſtitutas, pauca tantum ex multis Conciliorum ac Pontificum decretis in medium proferenda. Satis diſertè eas pœnas ac cenſuras exprimit Bulla aurea quæ incipit, *Sacro Prædicatorum*, edita à Sixto IV. Kalendis auguſti anno 1479. quæ ſic pergit. Inhibentes diſtrictiùs ipſis locorum Ordinarijs ſub interdicto ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis à regimine, & adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum, ac Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, & alijs quibuſcumque, ſub Excommunicationem latę ſententię & priuatione earumdem Eccleſiarum Parochialium, & omnium aliorum Beneficiorum Ec-

Eccleſiaſticorum quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa in poſterum obtinenda, Pœnis, eo ipſo qui contrafecerint Incurrendis, ne perſonis quibuslibet Eccleſiaſticis vel ſæcularibus, in genere vel in ſpecie, directè vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel ſtatuant, quo minus Ordines prædicti, illorum domus, & profeſſores prędictis gratijs eis conceſſis liberè vti poſſint. Gratias autem illas prius recenſuit, ſcilicet Conceſſiones, indulgentias, & peccatorum remiſſiones, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia, qualiacumque ſint, a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prædictis, & a nobis, aut alijs auctoritatem habentibus conceſſa.

Pœnas eaſdem renouat, & alias adiungit Leo X. in ſolemni diplomate quod incipit, *Exponi nobis fecerunt*, cuius authenticum apud Recollectos Burdigalæ. ſeruatur. In quo poſtquam recitantur moleſtiæ modernis non diſſimiles Regularibus, ac præſertim Recollectis illatæ, mandat Pontifex diſtrictè Eccleſiæ Prælatis, alijſque, vt ipſis ſua priuilegia integra, & inuiolata conſeruent, atque ita pergit: Conſtitutiones prædictas, & dictorum Fratrum priuilegia eis inuiolabiliter obſeruanda, ſub pœnis & cenſuris in dicti Sixti prædeceſſoris inhibitione contentis, moneatis, & præcipiatis. Inobedientes verò legitimis ſuper hoc habendis proceſſibus; cenſuras & pœnas prædictos incurriſſe declaretis, & declaratos publicè nuncietis, aut nunciari faciatis, vt tales ab omnibus alijs euitari mandetis, & alia faciatis quæ in præmiſſis fuerint quomodolibet opportuna, inuocato etiam ad hoc quando opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Reliquas verò perſonas tam Eccleſiaſticas, quam ſæculares, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, qui Rectoribus Parochialium Eccleſiarum in præmiſſis contra Fratres prædictos fauorem, auxilium aut conſilium præbere præſumpſerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris opportuna remedia, monitione præmiſſa, diſtrictius coerceatis, & vt a talibus in futurum caueant, prohibeatis.

Qui hæc cupit fuſius deducta, innouata, extenſa, legat diplomata Pauli III. *Cum inter cunctas* anni 1545. Et, *Licet debitum*, anni 1549. Adeat Bullam Pauli IV. *Ex clementi*, anno 1557. Conſulat Conſtitutionem Pij V. *Dum indefeſſæ*, anni 1571. Expendat Sanctionem grauiſſimam Gregorij XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, anni 1584. vbi contra impugnatores Inſtituti, & priuilegiorum Societatis Ieſu ſtatuuntur plures pœnæ, ac cenſuræ Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatæ.

Nec eſt quod aliquis exiſtimet ſe ab his cenſuris, & pœnis immunem eſſe, ex eo quod ipſe interpretetur Apoſtolica priuilegia ſuo facto non aduerſari. Aduertat ille per Canones Eccleſiæ legitimam priuilegiorum interpretationem ſoli Sedi Apoſtolicæ reſeruatam eſſe. Id ſtatuit pridem inter alios Clemens IV. in diplomate quod incipit, *Ordinis veſtri*, quod alij poſtea Pontifices Paulus III. Vrbanus VIII. ac Clemens X. eodem tenore ſanxerunt. Decernit autem Clemens IV. in his terminis, Ne Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati alij, indulgentias, ſeu priuilegia vobis ab Apoſtolica Sede conceſſa, ſiue clara, quæ interpretatione non indigent, ſiue dubia contineant, de cætero interpretari præſumant, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, volentes, vt cum eius ſit interpretari, cuius eſt concedere, ſuper huiuſmodi dubijs, & obſcuris, dictæ Sedis iudicium requirant. Eandemque legem, ac legis rationem exhibent ſacri Canones, vt illud Innocentij III. Cap. *Cum veniſſent*, de Iudic. Cum ſuper priuilegijs Sedis apoſtolicæ cauſa verſatur, nolumus de ipſi per alios iudicari. Rationem ſubdit Gloſſa 25. q. 1. Ipſi namque ſoli valent Canones interpretari, qui ius condendi eos habent. Denique poſtremus Pontifex Clemens X. prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inſiſtens, in Bulla, *Superna magni*, anni 1670. decernit, fore irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Norunt ſcilicet vniuerſæ Eccleſiæ Moderatores ſupremi (quod forte alij non æquè aduertunt) quam grauibus ex cauſis Religioſos Ordines Apoſtolicis indultis, ac priuilegijs muniendos eſſe cenſuerint. Non ignorant quanto labore, ac zelo in omni orbis parte Eccleſiam excoluerint, quanto Martyrum Sanguine, quam copioſo Apoſtolicorum virorum ſudore eam irrigauerint; quantis ſtudijs, ac vigilijs pro Eccleſiæ propagatione, hæreſum extirpatione, & animarum ſalute non tantum in Europa, ſed in remotiſſimis Orbis regionibus omni æuo ſe totos impenderint, hodieque impendant. Illi ſanè haud ſatis benè de Deo, & Eccleſia mererentur, qui horum priuilegia eneruare, functiones opprimere, animos infringere, ſibi decorum eſſe exiſtimarent.

Ne-

Neq; minùs improbandi forent Regulares illi, qui religioſæ ſummiſſionis immemores, non dubitarent vltra Facultatum ſuarum limites cum Paſtoribus, & Prælatis Eccleſiæ quaſi ex æquo contendere. Pauci huiuſmodi, Spiritu non ſancto impulſi, ſæpiùs improuidè deſtruunt, quod alij multo labore ædificant, dum auſu temerario vtriuſque Cleri pacem perturbant. Degenerant certè illi à præclaro maiorum ſuorum exemplo, quibus nihil antiquius erat, quàm cum omnibus Eccleſiæ membris, præſertim cum Prælatis, & Paſtoribus etiam priuatis, inſtitutam à Chriſto pacem, ac harmoniam conſeruare.

Quàm verò grauiter vniuerſim delinquant, qui debitam Epiſcopis obſeruantiam violare præſumunt, conſtat apertè ex Conſtitutione 26. Leonis X. quæ incipit, *Dum intra*: & ſic pergit: eoſdem inſuper fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus, vt eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, & noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia, congruo honore, & conuenienti obſeruantia venerentur. Ex quibus verbis grauis delicti pœnam colligit *Peyrinus* in dictam Conſtitutionem §. 24. num. 44.

Horum verò Epiſcoporum poteſtatem, & facultates ampliſſimas, præſertim in Miſſionibus, recenſemus inferius Tract. 2. Cap. 5. vbi de varijs Miſſionariorum Facultatibus tractamus: item Tract. 3. cap. 4. §. 4. in fine, de poteſtate Epiſcoporum in caſibus Pontifici reſeruatis.

CAPVT IV.

De Religione.

RELigio *hic non ſumitur pro Fide quæ fusè Tomo I. ſed pro Virtute quæ Deo debitum cultum exhibet, de qua ſpeculatiuè ſuprà Tom. II. Part. I. pag. 52. hìc practicè. Pertinet ad Religionem materia de* Votis, Iuramento, Blaſphemia, Feſtorum obſeruatione, &c. *quæ traduntur infra Tract. 5. ad 2. Præceptum. Et de* Horis Canonicis *infra poſt Sacram. Euchariſtiæ, Miſſam, &c.* De Statu Clericali *infra ad Sacram. Ordinis.*

Hic porrò tradentur Reſolutiones Paſtorales, &c. De Beneficijs *Eccleſiaſticis*, Decimis, Aſylo, Immunitate, Priuilegio *Fori, & Canonis, &c. item de* Statu Regulari, *eiuſque votis, ſtatutis, &c.*

RESOLVTIONES PASTORALES

De Paſtoris Eccleſia, Perſona, Reſidentia, Officijs, Iuribus, Decimis, Priuilegijs, Beneficijs Eccleſiaſticis, &c. quæſtiones in praxi, & Iure ſingulares.

QVÆSTIO I.

An Eccleſia Parochialis vna, poſſit duos ſimul Parochos habere.

REſpondeo negatiuè. Quia etſi contingeret plures ad munia vnius Eccleſię peragenda perfici, ille tantum eſſet Parochus qui ſuo nomine, & independenter ab illis curam illius Eccleſiæ adminiſtrat. Et conſtat ex iure Canonico, Cap. 1. de ſponſa duorum, & Rotæ deciſione 489. n. 3. Part. 1.

Sed *Quæres*? an Epiſcopus non poſſit vnam Eccleſiam Parochialem habenti alteram conferre?

Reſpondeo, id poſſe quidem, ſed poſt pacificam poſſeſſionem ſecundæ Eccleſię, ſtatim vacat prima. Sic declarauit Sacra Congreg. Concilij, & tradit Barboſa in ſumma Apoſtolic. Deciſ. verbo, *Parochialis Eccleſia*. Collect. 552. num. 54.

Sed excipe apud eundem n. 12. Niſi per conſuetudinem, quæ 40 annis viguerit, Eccleſiæ duæ tamquam vnitæ, ſemper vni, ſic diſpenſatione, collatæ fuerint: ita etiam cenſuit S. Congreg. apud Zerolam declar. 50.

QVÆSTIO II.

An cenſeatur Parochialis Eccleſia vacare ſi promoueatur illius Parochus ad Epiſcopatum titularem in partibus Infidelium, & in alicuius Epiſcopi Suffraganeum?

Reſpondeo negatiuè. Sic enim reſoluit S. Congregatio Concilij, die 14. Decembr. 1601. quam refert Barboſa Collect. 552. his verbis Parochialis obtenta ab eo qui à Sede Apoſtolica ad Epiſcopatum in partibus Infidelium exiſtentem promotus eſt, ac eodem tempore alicui Epiſcopo in ſuffraganeum deputatus fuerit, non intelligitur vacare.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare, vt quis ante annum 25. inceptum, obtineat Parochialem Eccleſiam?

Reſpondeo negatiuè, cum communi. Quia Concilium generale Lateranenſe Cap. *Cum in cunctis*. §. *Inferiora*, requirit annum 25. ſaltem inchoatum: Epiſcopus autem contra Concilij generalis decreta diſpenſare non poteſt. Ita etiam Azor. Part. 2. Lib. 6. Cap. 5. q. 9. Nauarrus, Barboſa, alijque. Totidem anni requiri ſolent in Adiutore qui Parocho datur: item in eo qui ad concurſum Parochialis admitti poſſit.

QVÆSTIO IV.

Si ad concurſum, qui fieri debet pro conferenda Eccleſia Parochiali, vnus ſolus accedat tempore ſtatuto, an debeat ille examinari, & ſi reperiatur idoneus Parochia illi conferri?

Reſpondet affirmatiuè ad vtrumque membrum Sacra Congregatio Concilij, apud Nicolaum Garciam de Beneficijs part. 9. Cap. 2. num. 214.

Notat tamen idem Garcia ſupra num. 220. quando Beneficium Parochiale eſſet valdè tenuæ, illud abſque concurſu conferri poſſe, ex eadem Congreg. Concilij.

QVÆSTIO V.

An in Parochialibus beneficijs quæ Regularibus conferuntur concurſus inſtitui debeat?

Reſpondeo negatiuè: Quia de his non loquitur Tridentinum, vbi ad beneficia curata concurſum requirit. Et ita cenſuit S. Congregatio his verbis: Hoc decretum de concurſu, non habet locum in Beneficijs Regularibus, quæ Regularibus conferri conſueuerunt. Et de hoc Breue Sixti V. adducit Rodriguez in Priuil. Regul. Bulla 25.

QVÆSTIO VI.

An in Parochialibus iuriſpatronatus Laicorum requiratur examen per concurſum, vnius aut plurium qui præſentantur.

Reſpondeo negatiuè, dum tantùm vnus præſentatur, ſed tantum examinandus eſt ab Ordinario, & ſi fuerit capax admittendus. Patet ex Tridentino Seſſ. 24. Cap. 18. his verbis. Quod ſi iuſpatronatus Laicorum fuerit, debet qui à Patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, vt ſupra, examinari, & non niſi idoneus repertus fuerit, admitti. Vbi de requirendo concurſu non fit mentio.

Quod ſi plures fuerint præſentati, tunc requiritur examen per concurſum inter ſolos præſentatos. Sic expreſsè cenſuit Congreg. Concilij, apud Garciam; de Benef. Part. 9. Cap. 2. num. 256. affert etiam deciſionem Rotæ 30. Iunij 1587.

QVÆSTIO VII.

Parochus tenetur de more facere Profeſſionem fidei coram Epiſcopo, aut ſaltem eius Vicario intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis. *Quæritur*, an ſi profeſſionem illam omittat, incurrat pœnam amiſſionis fructuum?

Reſpondeo affirmatiuè, ex præſcripto Concil. Tridentini Seſſion. 14. de Reformat. Cap. 12.

Quæritur 2. an Ordinarius poſſit illi condonare fructus ſic amiſſos?

Reſp. negatiuè; Quia Ordinarius non poteſt diſpenſare in decretis Concilij, niſi in caſibus ſibi expreſsè permiſſis.

QVÆSTIO VIII.

Parochi tenentur ad Reſidentiam iuxta Trident. Seſſion. 23. Cap. 1. de Reform. *Quæritur*, an qui tenuem habet Parochiam, aut ſi in ea habitent tantùm tres, quatuor, aut pauciſſimæ perſonæ, teneatur etiam ad Reſidentiam?

Reſpondeo in vtroque caſu affirmatiuè. Quia tenuitas, aut perſonarum paucitas non tollit curam officio annexam, idque de ſecundo caſu declarauit Congreg. Cardinalium apud Garciam de Benefic. part. 3. Cap. 2. num. 179.

QVÆSTIO IX.

Si Parochus habeat duas Eccleſias vnitas, *Quæritur*, vtra erit, in qua debeat reſidere?

Reſpondeo, teneri reſidere in Eccleſia digniori: quod ſi dubitetur, quæ ſit dignior, reſidendum eſt in ea quæ populum habet frequentiorem: ſi autem vna ſit Eccleſia intra, & altera extra vrbem, oportet reſidere in ea quæ intra vrbem continetur. Ita caſum hunc ſæpius controuerſum reſoluit Caſtropalaus Tom. 2. Tract. 13. d. 5. Puncto 2. cum Garcia:

De-

Declar. 14. & Barboſa de officio Parochi Par. 1. Cap. 8. num. 9. & 10. qui referunt ſic etiam deciſum eſſe à Sacr. Congreg. Concilij Tridentini.

Inſuper addunt ex eadem Congregatione, ſi contingat duas Eccleſias ita videri pares, vt vna præ alia neque ſit dignior, neque frequentior liberum eſſe Parocho pro ſua reſidentia quam velit, eligere.

QVÆSTIO X.

Quænam cauſæ Parochum a reſidendo excuſent?

Reſpondeo cum communi: illas cauſas excuſare Parochum, quæ Epiſcopos a reſidentia pro tempore excuſant, quæ tamen debent a proprio Epiſcopo in ſcripto approbari, vt diſponitur in Tridentino Seſſ. 23. de Reformat. cap. 1. ſic tamen vt ouibus ſuis ita prouideat, vt quantum fieri poteſt ex illius abſentia nullum detrimentum accipiant.

Quatuor verò ſunt cauſæ quæ ſolent excuſare 1. Chriſtiana charitas, vt eſt iuuare aliam priuatam Eccleſiam, lites dirimere, odia componere &c. 2. Vrgens neceſſitas, vt eſt curatio ſuæ ægritudinis, fuga hoſtium, aut alterius grauis iniuriæ inferendæ. 3. Debita obedientia, vt ſi ipſi aliquod iuſtum obſequiũ imperet Pontifex, eius legatus, aut Epiſcopus. 4. Vtilitas euidens Eccleſiæ aut Reipublicæ, vt ſi pro neceſſaria reformatione conferat ſe ad ſuperiorem, vel Synodum &c. de quibus ſuſius Azor. p. 2. l. 7. c. 4. & Barboſa ſupra Cap. 8.

Extra cauſas prædictas Tridentinum Seſſ. 23. Cap. 1. indulget Parochis, vt per duos ſiue continuos, ſiue interruptos menſes poſſint abeſſe, etiam ad honeſtam animi relaxationem, modo id fiat abſque vllo gregis detrimento.

QVÆSTIO XI.

An attento nouo Iure Tridentini, poſſint abeſſe Parochi ſtudiorum cauſa, vt olim licebat per quinquennium ex Cap. fin. de Magiſtris &c.

Affirmant Nauarrus, Toletus, Valentia; & quidam alij. Sed probabilior apparet reſponſio negatiua, nec Epiſcopum poſſe illam facultatem, concedere. Quia abſentia ex cauſa ſtudiorum, non videtur eſſe hoc tempore cauſa grauis, cum Parochi aſſumantur per concurſum, adeoque cenſeantur ſatis habere doctrinæ pro ſuo officio. Et in hanc ſententiam plures Concilij declarationes adducit Garcia Num. 81. inter quas hæc eſt quarta Congregatio die 22. Februarij 1590. cenſuit Parocho cauſa ſtudiorum non eſſe dandam licentiam, cum hodie per Concilium non admittantur, niſi per concurſum magis idonei fuerint iudicati. Et ita docent Riccius, Gonzales, Sanctarel, Alzedo, Candidus; & Barboſa de Offic. Par. Part. 1. cap. 9. num. 27. &c. Admittunt tamen plerique licere abeſſe ad docendum publicè Theologiam aut ius Canonicum in aliqua celebri Vniuerſitate, gregi prouidendo.

QVÆSTIO XII.

An Epiſcopus poſſit obligare Parochos ſub pœna excommunicationis aut ſuſpenſionis, vt doceant ſuos ſubditos doctrinam Chriſtianam.

Reſpondeo poſſe, vt doceant per ſe, vel ſaltem per alios: idque tam ex Iure diuino, quam ex Tridentino colligit Rodriquez Tomo 1. Summ. Cap. 18. Sanchez lib. 2. Summ. Cap. 3. Caſtropalaus, Barboſa, Riccius in Deciſ. Curiæ Archiep. Neapol. Part. 1. Deciſ. 22. vbi ait, de facto quemdam Parochum ſuſpenſum fuiſſe ab officio ſuo per ſex menſes, eo quod ſuos Rudimenta fidei non docebat.

Addunt non pauci, poſſe etiam Epiſcopum per cenſuras, & pœnas compellere pueros, & rudes capaces, vt ad rudimenta fidei capeſcenda accedant. Ita ſuſius Fagundez, Perez, Sanchez, Rodriquez, Palaus, Barboſa de Offic. Par. Part. 1. Cap. 15. N. 6. contra Zerolem 1. p praxis Epiſcop. Verb. doctrina Chriſtiana.

QVÆSTIO XIII.

De alijs Parochorum Facultatibus.

QVid poteſtatis, & priuilegij habeant Parochi circa diſpenſationem in Feſtis, & Ieiunijs, & de alijs eorum Prerogatiuis.

Primò, Parochus poteſt concedere ſuis Parochianis licentiam laborandi in diebus Feſtis ad tempus, & ex cauſa legitima, quando Epiſcopum, vel Ordinarium facilè adire nequeunt. Hæc eſt communis Doctorum ſententia, quam tradit Suarez, Azor, Fagundez, Palaus, Machado, & Barboſa de Offic. Par. Part. 1. Cap. 16. num. 6. Qui addit n. 7 quando

cauſa laborandi dubia eſt, Parochum poſſe mutare hoc opus ſeruile in aliam largitionem quæ cedat in opus pium.

Secundò, Parochus habet poteſtatem, ex iuſta cauſa, & abſente Epiſcopo, & eius Vicario, diſpenſandi in lege Ieiunij, vti admittunt paſſim Auctores, contra Fabienam, Butrium, & Hoſtienſem.

Tertiò, Probabile etiam eſt, Parochum poſſe, præſente Epiſcopo, iuſta de cauſa, cum aliquibus in ieiunio diſpenſare: ſic contra plures docent Caietanus, Durandus, Riccardus, alijque, quos citat, & ſequitur Leander Part.3.Tract. 5. de ieiunio Diſp. 10. Quæſt.10.

Quartò, Docet idem Quæſt.12. cum Thoma Sanchez, Paſqualigo, Ioanne Sancio, alijſque non ſolum Parochos, ſed etiam eorum Vicarios poſſe ex legitima cauſa in ieiunio diſpenſare, niſi a Parochis id ipſis prohibeatur.

Quintò, Parochi habent præcedentiam ante Ordines Regulares in Proceſſione, Funeribus, & actibus huiuſmodi publicis, vt fuſius oſtendit Barboſa in Summ. Apoſtol. Deciſi. Collect. 537. ex Conſtitut. Clementis VIII. quæ incipit. Decet Romanum Pontificem, & ex pluribus alijs Pontificum decretis. Addit idem *Barboſa*, Parochos certo modo gerere vices Epiſcoporum in cura animarum, quod tamen de iuriſdictione fori externi, & pluribus alijs non intelligitur.

Ad hæc Parochorum priuilegia ſiue facultates, addi poſſunt aliæ quæ Theologi communius tradunt.

Primò, quod Parochus habeat iuriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ non tantùm circa omnes fideles, ſed etiam circa Sacerdotes ſuæ Parœciæ, vt docent *Nauarrus*, *Barboſa*, *Suarez*, *Vaſquez*, *Ægidius*, *Leander à SS. Sacramento*, affirmans eſſe omnium communem, *Part.2.Tract.67.Quæſt.5.* Quia hæc iuriſdictio non eſt contentioſa, adeoque non terminatur locis, ſed perſonis.

Secundò, illos etiam extra ſuam diœceſim vbique poſſe audire confeſſiones ſuorum ſuditorum. Ita *Nauarrus*, *Syluester*, *Armilla*, *Gomez*, *Suarez*, *Lugo*, *Azor*, *Bonacina*, *Toletus*, *Couaruuias Leander*, & plures citati apud *Barboſam*, de Offic. Paroc. Cap.19. n.5.

Tertiò, Parochos poſſe vbique locorum audire Confeſſiones etiam extraneorum abſque noua Epiſcopi approbatione, dummodo Parochus proprius non contradicat, quod vt probabilius tradit *Leander* ſupra *Tr.7. Quæſt.9.* citãs pro ſua ſententia dantium, Vaſquez, Ochagauiam, Suarem, Ludouicum de S. Ioanne, & Arboledum. Negat verò *Barboſa, de Officio Epiſc. Part.2.c.25.num.8.* & *de Offic. Parochi Cap.19 n.3.* allegans etiam ſic à S. Congregatione reſolutum, cum Homobono *in examine Eccl.P.1. Tract.5.cap.4. Quæſt.15.* Fagundez *cap.2. nu.35.* Piſac. *in Praxi Epiſcop. Part.2.cap.1. n.10.* Squillante *de Priuil. Clericorum cap.1. n 37.*

Quartò, Docent plures, Parochum poſſe exponere alium quæcumque Parochum ad confeſſiones ſuorum ſubditorum in ſua Parochia audiendas. Ita *Leander* ſupra *Quæſt.12.* & apud eumdem *Diana, Toletus, Suarez, Fagundez, Filiucius, Hurtado Ægidius, & Candidus*, contra *Guttierez, & Petrum de Leone*, quos hic breuiter retuliſſe ſufficiat.

Quintò, Poſſe Parochos eligere ſibi ad proprias Confeſſiones quemlibet Sacerdotem approbatum, communis eſt ſententia Doctorum vti petebit ex ſequentibus.

Eandem facultatem eligendi ſibi quemlibet Sacerdotem approbatum, locum habere etiam in alijs Sacerdotibus ſæcularibus, docent cõmuniter tam antiqui, quam recentiores, vt *Valentia*, *Emanuel Sà*. V. Abſolutio *Num.8.* Franc. Suarez *de Pænitentia Diſp.27. Seſſ. 3.* vbi hanc doctrinam fusè examinat, & probat pro ea adducens ex antiquioribus Hoſtienſem, Raymundum, Aſtenſem, Gerſonem, Guil. de Monte Lugduno, Nauarrum, Caietanum & Sotum: Oſtenditque *Suarez* ibidem, facultatem hanc non iure, ſed conſuetudine, conſenſu ſaltem tacito approbata, inductam eſſe: nec non voluntate proprij Sacerdotis poſſe reuocari: iniquibus autem illa conſuetudo vigeat ad facti quæſtione pertinere. Valere illam in Belgio vſus videtur indicare, quantum quidem aſſequor: quo ſuppoſito, clauſula illa quæ apponitur in Approbatione, *accedente conſenſu illorum quorum intereſt*, intelligenda eſſet in hoc caſu de conſenſu illo per conſuetudinem conceſſo, non contradicentibus illis quorum intereſt in ſua Eccleſia.

Alia huc pertinentia inferius traduntur, vbi agimus de varia *Iuriſdictione* in Abſolutione, & ſingulorum Sacramentorum adminiſtratione: *Tract.2.cap.2.&c.*

CAPVT V.

De Beneficijs Eccleſiaſticis, Decimis, Aſylo, Immunitate, Priuilegijs Fori, & Canonis Perſonæ Eccleſiaſticæ.

ARTICVLVS I.

QVæſtio 1. An licitum ſit, omiſſis dignoribus, ad Beneficia eligere. poſtulare, aut præſentare perſonam dignam quidem, ſed minus dignam?

Reſpondetur, Ad Beneficia habentia curam animarum id illicitum eſſe ſub graui delicto. Dignior autem dicitur, qui omnibus conſideratis, ſperatur multò melius functurus iſto officio pro quo inſtituitur electio.

Probatur hoc ex Concilio Tridentino Seſſ. 24. Cap. 1. de Reform. vbi declarat. *Omnes & ſingulos qui ad promotionem præficiendorum quomodocumque ius habent, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus: ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Quamuis autem loco citato Tridentinum agat de Epiſcopatibus, nihilominus idem tenendum eſſe de Parœcijs ſatis patet ex eadem Seſſione Cap. 18. poſt medium, vbi tam habenti ius patronatus Eccleſiaſtici, quam Epiſcopis præcipit, ex dignis præſentare, & eligere digniorem, vt fuſius oſtendit Leſſius de iure & Iuſt. Lib. 2. Cap. 34. Dub. 14.

Hinc rectè ab Innocentio XI. Propoſ. 47. reprobatur ſententia docens, *Tridentinum per digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparatiuo pro poſitiuo, vel digniores, vt excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loqui tertiò, quando ſit concurſus.*

In cœteris Beneficijs non habentibus annexam curam animarum, vt in Canonicatibus, aut Capellis, ſunt plures qui docent non videri peccatum mortiferum ſemel aut bis prætermittere digniorem, modò conferatur verè digno, cum Soto, Halenſi, Angelo, Gabriele *in 4. diſtinct. 15. art. 9.* quos ſequuntur plures recentiores. Quia in huiuſmodi beneficijs id ſemel iterumue fieri, cenſent non cedere in detrimentum notabile Eccleſiæ, eò quod paucorum mediocritas aliorum virtute facilè compenſetur: Nec fieri propriè iniuriam digniori, quia non eſt illi debitum ſtrictio iure; ſicut debetur præſentato, vel electo. Hinc admittunt illi, quod ſi beneficium ex ſua inſtitutione habeat, vt debeat conferri digniori, vel per oppoſitionem, tunc ſemper eſſet peccatum mortale.

Quod ſi quis id ſæpius faceret, aut rarò curaret vt digniores præferantur, in beneficijs etiam non curatis, cenſeretur grauiter peccare. Quia grauiter violaret fidelitatem Eccleſiæ debitam, eiuſque bonum ommitteret in re ſingularis momenti: ſunt enim hæc beneficia ex fundatorum inſtitutione non ſolùm ſtipendia miniſteriorum, ſed etiam præmia virtutum.

Dices, iura antiqua, atque etiam Tridentinum Seſſ. 7. Cap. 3. de Reform. tantum requiri vt beneficia dignis conferantur, citans etiam Conſtitutionem Alexandri III. & Gregorij X. qui idem ſtatuunt, vt habent etiam nonnulli Canoniſtæ.

Reſp. Concilium, cæteroſque hoc ſolum requirere, non vt collatio fiat abſque graui peccato, ſed vt illa non ſit irritanda in foro externo, quod colligitur ex eo quod Concilium poſtea ſubdat, *aliter facta collatio omnino irritetur.*

Quæſtio 2. An qui, prætermiſſo digniore, ſibi vel alteri minus digno procurat beneficium, teneatur ad aliquam reſtitutionem digniori faciendam, vel etiam Eccleſiæ?

Reſp. Communiorem eſſe Doctorum ſententiam, talem ad reſtitutionem non teneri, dummodò ille ſit verè idoneus, & beneficium non fuerit per oppoſitionem conferrendum. Ita docet Scotus, Richardus, Adrianus, Sotus, Couar. Nauarrus *cap. 17. num. 72.* & plures alij, contra Paludanum, & Caietanum, qui tamen addit, eum non teneri, qui ſibi procurat non intendens impedire digniorem.

Ratio eſt, quia primò non tenetur digniori, quia ille non habet ius ſtrictum ad illud beneficium, ſed tantùm ius aliquod largum, conſiſtens ſolum in aliqua maiori aptitudine, quod non fundat iniuram propriè dictam. Secundò, non tenetur Eccleſiæ, quia hæc non cenſetur intendere collatores, & patronos ſub onere reſtitutionis obligare ad procurandum ſemper maius illius bonum, neque illi cenſet ſe tale onus ſubire, cum frequenti perplexitate, quæ inde orirerur: vti in ſimili ad reſtitutionem non obligatur œconomus Principis, qui operarios non optimos, ſed tantùm idoneos conduxit.

Notandum denique circa valorem collationis beneficij, quod tradit Leſſius *de Iuſtit. Lib-*

Lib. 2. *Cap.* 34. *Dub.* 16. Omnis collatio ſeu inſtitutio facta præter formam Tridentini Seſſ. 24.Cap.18 &c. cenſetur ſubreptitia, & nulla; & collatio, ſi pertinebat ad Epiſcopum, deuoluitur ad Sedem Apoſtolicam: vti hoc poſtremum ſtatuit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *In conferendis Eccleſijs*, edita anno 1567. Vbi inſuper decernit: Si Epiſcopus minus habilem, poſtpoſitis magis idoneis, poſt examen elegerit; poſſunt ij qui reiecti ſunt à mala electione huiuſmodi ad Metropolitanum, vel ſi elector Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, vt Apoſtolicæ Sedis Delegatum, vel aliàs ad Sedem Apoſtolicam appellare, & electum ad nouum examen coram appellationis Iudice prouocare, vt digniori detur. Intereà tamen electio prior executioni mandanda eſt, & prouiſus non poteſt amoueri, niſi beneficium alteri debito modo collatum fuerit.

QVÆSTIO III. Quænam conditiones ex iure requiruntur, vt aliquis ad Beneficium cenſeatur idoneus.

Reſp. Conditiones decem requiri. 1. Legitimus thorus: eſt enim illegitimus incapax Epiſcopatus, & cuiuſcunque alterius beneficij habentis curam animarum, niſi per Pontificem cum eo diſpenſetur: eſt etjam incapax ſimplicis beneficij, ſed in hoc plerumque poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare: ita habetur ex *cap.* 1. *de filijs Præsbit. in* 6. 2. Requiritur Clericatus vel ordo præuius, ex *Cap. cum adeò* 17. *de reſcriptis*. 3. Certa ætas ad ſingula beneficia neceſſaria: Ad Epiſcopatum 30. anni exacti. Ad alias Dignitates vel Perſonatus ſine cura animarum, vt non ſit minor 22. annis, quos requiri completos, indicatur ex Tridentino *Seſſ.*24.*Cap.*12. Ad beneficium Parochiale 25. anni inchoati: in qua ætate Epiſpopus non diſpenſat. Ad alia beneficia quęcumque requiruntur 14. anni ſaltem inchoati: Ita Trident. *Seſſ.* 23. *cap* 6. *vt Nemo ante* 14. *annum beneficium poſſit obtinere*.

4. Requiritur Cœlibatus, ſic vt omnis collatio beneficij facta iunctis matrimonio ſit irrita, niſi cum mutuo conſenſu debito modo ſeparentur. 5. Conditio eſt, vt non ſit irretitus aliqua cenſura, vel irregularitate: aliàs non tantum collatio, ſed etiam electio, prçſentatio, & poſtulatio in eius fauorem eſt irrita: quamuis probabile ſit, illum qui eſt ſuſpenſus ab officio, vel beneficio, ſi in ſuſpenſione nouum beneficium obtineat, non teneri ſpontè dimittere ante ſententiam Iudicis, ita cenſent *Leſſius*, *Suarez*, alijque.

6. Morum probitas, vt ſcilicet non ſit deditus grauibus peccatis, nec infamis: Collationem tamen factam crimínoſo non eſſe ipſo iure irritam, ſed irritandam, docet Nauarus *in Cap. ſi quando, Except.* 16. 7. Scientia debita, talis autem ſcientia requiritur, quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum eſt neceſſaria, ita ſtatuit Concilium Lateranenſe *Cap. Cum in cunctis, de Elect.* 8. Habilitas ex parte Corporis, quę nempe neceſſaria eſt ad officium decenter præſtandum, Trid. *Seſſ.* 22. *Cap.* 4. Si tamen poſteà debilitas ſuperueniat per quam reddatur ineptus ad officium, non ideò priuari debet, ſed ſi habeat curam animarum prouidere debet vt per vicarium adminiſtretur. 9. Intentio ſtatus Eccleſiaſtici, quæ ſi ſincera ſit; non vitiatur propoſitum reſiliendi, ſi cauſa aliqua iuſta inciderit, v. g. ſi frater primogenitus moriatur, vel obtingat matrimonium magnoperè conducens ad conſeruandum decus familiæ.

10. Vt non habeat aliud beneficium incompatibile: ſic vt habens beneficium cum cura animarum, vel dignitatum, vel Perſonarum vel Officium, ſi ſecundum huius generis acceperit cum pacifica huius poſſeſſione primum vacare debeat. Eiuſdem generis ſunt Prębendæ vniformes ſub eodem tecto, vt ſunt duo Canonicatus, vel duæ Sacellaniæ ad eamdem functionem concurrentes in eadem Eccleſia, vt patet ex *Cap. litera* 9. *de Conceſſ. præbendæ*. Quædam ſunt alia incompatibilia beneficia, quæ ſimul quidem licitè retineri non poſſunt abſque diſpenſatione, non ita tamen vt altero obtento aliud vacare debeat: de quibus fuſius Leſius, alijque. Et plura de impedimentis prçſertim ex irregularitate colligi poſſunt infra de Sacram. Ordinis in fine.

QVÆSTIO IV. Quibus modis Beneficia iam poſſeſſa amittantur.

Reſp. Quatuor potiſſimum modis amitti. 1. Per mortem Beneficiati. Ratione verò diuturnæ abſentiæ, non priuatur ipſo iure, ſed requiritur ſententia, quæ tamen ferri non poteſt niſi abſente prius citato. Quod ſi neſciatur vbi verſetur poſt edictum trinæ citationis in Eccleſia illa publicatum, ſi vltra ſex menſes redire diſtulerit, poterit ſuo beneficio ſpoliari. Si verò ſine tali citatione beneficium fuerit alteri collatum, reuertenti non oberit collatio ex *Cap. ex tuæ de Cler. non reſidentibus*.

Secundus modus eſt, ex diſpoſitione Iuris, ſiue propter alterius beneficij incompoſſibilis conſecutionem, de quo in Quæſtione præcedenti: ſiue per profeſſionem Religioſam: ſiue per contractum matrimonij: ſiue ob commiſſionem Criminis cui ex iure amiſſio beneficij ipſo

ipſo facto annexa eſt, vt eſt Hæreſis, chiſma, Sodomia ſæpiùs exercita. Tertius per ſententiam iudicis. Quartus, per liberam reſignationem. Adde, ſi quis per vim poſſeſſionem beneficij ſit ingreſſus, *Cap. eum qui 18. de præbendis l. 6.*

Porrò vt reſignatio beneficij ſit valida, prçter alia, requiritur vt illa fiat in manibus eius qui poteſt eam admittere, & vt reſignatio ab eo actu admittatur, vt eſt Pontifex, vel Ordinarius collator, & fiat conſenſu Patroni, ſi ſit iuris patronatus. Si Reſignans ſit infirmus, requiritur vt ſuperuiuat ad 20. dies poſt factam reſignationem: item vt capiatur poſſeſſio ante mortem reſignantis: de quibus plura in *Articulo ſequenti*.

QVÆSTIO V. Qualiter fieri poſſit Commutatio beneficiorum?

Reſp. Illam fieri quando duo beneficiati vnum vel plura ſua beneficia, Pontifici non reſeruata, reſignant in manus Ordinarij, vel alterius Epiſcopi auctoritate ad hoc præditi, cum conditione vt ille poſteà viciſſim alteri alterius beneficium conferat. Hoc aliquando exigente neceſſitate Epiſcopus inſtituere poteſt, ſed vocatis illis quorum intereſt, vt Patrono, & Collatore in fauorem. Talis autem premutatio vt valeat, debet eſſe libera, id eſt, fraude, aut metu non extorta. Requiruntur etiam duæ poſtremæ conditiones ſupra de reſignatione, vt ſupraviuat ad 20 dies poſt factam commutationem, & vt ante mortem commutantis capta ſit poſſeſſio, aliàs beneficium vacare cenſebitur.

QVÆSTIO VI. An licitum ſit permutare beneficia inæqualia, adhibita fructuum compenſatione, ſic vt beneficium copioſius, non ſeparatis prouentibus à titulo, cum tenui commutetur?

Reſp. Talem compenſationem per ſe non licere: poteſt tamen peti compenſatio ob talem commutationem à Pontifice, propter incommodum temporale quod alter ſuſcipit, ſpoliando ſe prouentibus amplioribus ſui beneficij, quia talis compenſatio non eſt pretium beneficij, aut prouentuum annexorum, ſed ſola conditio qua ſe indemnem conſeruet, ſine qua nollet ſe beneficio ſpoliare cum ſuo detrimento.

ARTICVLVS II.

An, & qualiter fieri poſſit Reſignatio beneficij in gratiam tertij, & cum onere Penſionis?

RESpondeo ad *Primum*: Reſignationem licitam eſſe, & Simoniç labe carere, modò penſio ſit moderata, & legitima auctoritate conſtituatur: vti docet ſententia communis: & patet ex *Cap. ad quæſtiones de rerum permutatione*. Ratio eſt, quia vti poteſt Pontifex titulo alicuius beneficij plures fructus annectere, ita poteſt eidem titulo partem fructuum detrahere, & alteri ius ad illos fructus concedere; vel etiam ipſi titulo imponere onus certam portionem ex fructibus ſoluendi; idque ad vitam reſignantis: & in hoc caſu, ad quem tranſit beneficium, ad eumdem ſoluendæ penſionis onus tranſibit.

Quæritur II. Quinam poſſint Beneficio Penſionem imponere ratione ſimplicis reſignationis?

Reſp. Id poſſe Pontificem, cum illi competat plenaria beneficiorum diſpoſitio. Idem poſſe Legatum à latere docet *Rebuffus §. de reſign. conditional. num. 12.* Huic tamen non eſt conceſſum vt admittat reſignationes in fauorem tertij, vt idem tradit ſupra. An idem poſſit Epiſcopus, maior quæſtio eſt. Affirmant varij ſi ſubſit cauſa iuſta, vt grad alimentum Parochi non valentis amplius ſeruire. Ita *Felinus*, *Olaradus*, *Immola*, *Gigas*, plures citans hic *Quæſt. 6.* Negant tamen alij communius cum *Leſſio Lib. 2. Cap. 35. Dubit. 15. num. 91.* Quia cenſent penſionum conſtitutionem per ſtylum curiæ Romanç reſeruari ſummo Pontifici. Ac proinde Epiſcopum, ſiue Ordinarium, id non poſſe, niſi quatenus id illi ſpecialiter priuilegio, vel conſuetudine conceſſum eſt. Stylus enim Curiæ ius conſtituit, quod peculiariter locum habet in penſionibus, quarum fere totum ius in conſuetudine ſitum eſt.

Penſio autem, vt à quocumque conſtituatur, debet eſſe *moderata*, ita vt beneficiario relinquatur quantum ſufficit ad ſuſtentationem, maximè ſi ſit beneficium, coniunctum cum cura animarum: conſuetudo autem eſt, vt non excedat tertiam partem fructuum, vt habet *Cacialupus Tract. de penſionum Quæſtion. 7.* Poſſet tamen Pontifex conſtituere maiorem.

Ad conſtituendam penſionem non eſt ne-

ceſſa-

ceſſarius conſenſus Patroni, etſi beneficium ſit iuris patronatus laicorum, vt aliqui requirunt. Quia id nullo iure cauetur: & per impoſitionem penſionis nullum fit patrono præiuditium, quia illius tantùm eſt præſentare inſtituendum, quod ei per penſionem non adimitur. Aliud eſt in permutatione, & reſignatione quæ fit in fauorem, in qua debet ordinariè eius conſenſus interuenire: in litteris tamen penſionis debet fieri mentio & derogatio patronatus ſi ſit Laicorum, vt habet ſtylus Curiæ, vt tradit *Gigas Quæſt.* 24. non tamen ſi ſit Eccleſiaſticorum: Pontifex enim beneficia Patronatus Laicorum quàm Eccleſiaſticorum difficilius onerat.

Denique penſio non eſt *perpetua* vti beneficium, ſed morte penſionarij extinguitur, ſicut vſus fructus morte vſufructuarij.

Quæritur III. Quomodo debeat procedere qui vult reſignare in fauorem tertij ſub onere penſionis?

Reſp. Poſſe illos inter ſe de hoc tractare, non tamen abſolutè concludere, ſed tantùm ſub beneplacito Pontificis futuro: aliàs abſolutè concludendo ſimoniam admitterent. Quando autem coram Prælato habente poteſtatem comparent, debet beneficium in manus illius prius reſignari, non cum pacto, ſed cum deprecatione vt in illius tertij fauorem cedat. Poſtquam verò penſio per legitimam auctoritatem impoſita eſt, tunc iure debetur & exigitur.

Quæritur IV. An licitum ſit reſignare vel conferre beneficium in Confidentiam, vt vocant Iuriſtæ?

Reſp. Si quis reſignet, vel procuret alteri beneficium in confidentiam, id eſt, confidens ipſum aliquando beneficium illud verb. gr. vel nepoti, vel amico ſuo reſignaturum, modò nullam illi obligationem imponere intendat, non erit ſimonia: quamuis poſſint concurrere aliæ circumſtantiæ quæ rem reddant illicitam. Ita cum alijs docet *Nauarrus Capit.* 23. *Numer.* 109. *Vinaldus de Simonia Num.* 28. *Hugolinus Tabula* 1. *Cap.* 22. *Leſſius Lib.* 2. *Capit.* 35. *Num.* 16. Quia nullum hic intercedit pactum, vel aperta aut occultata conuentio vel intentio obligandi, quæ Simoniam conſtituant. Quod ſi talis intentio obligandi adeſſet, incurreretur Simonia mentalis, quæ tamen pœnas iuris non habet annexas.

Si verò aliquis beneficium alteri procuret, ſiue id fiat eligendo, præſentando, poſtulando, reſignando in fauorem, ſiue conferendo, inſtituendo, confirmando, aut commendando, cum pacto addito vt ille qui beneficium iſtud accipiet, illud idem ſibi, vel alteri aliquando reſignet, vel relinquat, vel penſionem ex eo, vel fructus aliquos alteri præbeat, in ſingulis illis actibus erit Simonia externa confidentiæ, quæ pœnas iuris adiunctas habet. Conſtant hæc ex Bulla *Pij IV.* & præcipuè *Pii V.* quam refert hic *Nauarrus Cap.* 23. *Num.* 110 in qua exprimuntur varij modi, quibus in foro externo præſumi debeat Simoniam illam eſſe commiſſam. In foro autem conſcientiæ committitur duobus præcipuè modis niſi quis alteri procuret beneficium, vt illud ſibi, vel alteri aliquando renunciet: vel ſi procuret vt ex eo fructus vel penſio perſoluatur.

Quæritur V. An Penſiones iam conſtitutæ poſſint poſtea vendi, aut redimi?

Prima ſit, Penſio quæ datur Parocho ſeni non valenti amplius deſeruire, vt ſe ſuſtentet beneficio eius alteri collato 2. Quæ Clerico pauperi ad ſuſtentationem conceditur 3. Quæ datur ad litem componendam. 4. Quæ attribuitur reſignanti in fauorem alterius, vel beneficium ſuum cum altero viciſſim commutanti.

Reſpondet *Toletus Lib.* 3. *Cap.* 92. *Leſſius hic Cap.* 35. *Dubit.* 22. *Caietanus Tom* 1. *Opuſc.* 31. cum pluribus Canoniſtis in Clementin. vnica §. *Eadem quoque* &c. Non eſſe Simoniam ſi ille qui aliquam ex his penſionibus debet, illam *redimat* præſenti pecunia, conſentiente penſionario: additq; Toletus ad hoc opus non eſſe alia facultate. Ratio eſt, quia talem penſionem redimere, non eſt emere aliquod ius ſpirituale, ſed extinguere aliquod onus temporale contractum, ſoluendi ſcilicet certam ſummam in penſionem annuam, per vnam ſummam totalem ſemel præſtitam.

Dum tamen aliquis primò reſignat beneficium ſub honore penſionis annuæ, non poteſt ſine Simonia iniri contractus, ſiue pactum vt penſio conſtituta redimatur. Quia onus inde reſultans eſt pretio æſtimabile, vti notat *Toletus*, *Leſſius*, *Caietanus*, ſupra.

Aliquam etiam ex his penſionibus *emere*, aut *vendere*, non eſſe Simoniam, ſpectato iure antiquo, vt probabilius docet *Leſſius ſupra* citans *Caietanum*, *Canoniſtas*, *&c.* Quia penſio v. gr. Parochi ſenis, non datur ad obeundum aliquod munus, aut officium ſpirituale, ſed tantùm ad alimenta: ac proinde eſt merè temporalis conceſſa titulo gratitudinis aut mi-

ſericor-

ſericordiæ à talium bonorum diſpenſatore legitimo.

Idem, ob eamdem rationem, de reliquis eiuſmodi penſionibus docet *Leſſius* ſupra cum *Soto q. 7. art. 2.* quia eiuſdem eſſe rationis quis videtur, vendi, & redimi.

De his tamen notat *Leſſius*, vbi Bulla Pij V. de penſionibus eſt recepta, per illam penſionem euadere in rem ſpiritualem; quia peculiariter ſtatuit, vt omnes penſionarij ratione penſionis teneantur recitare officiū B. Virginis: qua ratione penſio redditur quoddam beneficium. Sed addit, hanc Bullam pleriſque locis non videri receptam: quia à plurimis ignoratur, vel etſi ſciatur non eſt vnquam in praxim deducta. Sed etſi Bulla illa Pij V. recepta alicubi non ſit, tamen aliunde penſiones huiuſmodi *vendi* non poſſunt abſque Pontificis facultate: quia id ſtylo Curiæ eſt prohibitum, quamuis *redimi* permittantur, vti teſtatur *Toletus Lib. 5. c. 92.*

ARTICVLVS III.

De Eccleſiaſticorum Immunitate à vectigalibus, &c.

Dicendùm primò, Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, & res illarum à vectigalibus ſoluendis exemptas eſſe. Patet 1. ex Iure Canonico *cap. Quamquam de cenſibus in 6.* vbi Bonifacius VIII. etiam *Excommunicat priuatas ipſo facto, quæ talia ab Eccleſiaſticis exigunt, & communitates ſubijcit interdicto, à quibus pœnis non poſſint abſolui niſi facta reſtitutione.* Ibidemque contrariam conſuetudinem declarat eſſe corruptelam. Vnde etiam patet, hoc ius contra Eccleſiaſticos vſu capi non poſſe. Idem quoque prius ſtatutum fuit in Concilio magno *Lateranenſi* ſub Innocentio III. Horum ſingula, & bona exempta diſtinctius exprimuntur in *Bulla cœnæ Domini*, vbi Excommunicantur omnes, qui abſque ſpeciali expreſſa ſummi Pontificis licentia imponunt collectas, decimas, talias, præſtantias, aut alia onera perſonis Eccleſiaſticis, aût eorum bonis, ſiue Eccleſiarum aut Monaſteriorum ipſorum: aut impoſita exigunt, aut à ſponte dantibus recipiunt, aut his actibus quoquo modo cooperantur. Quod hic dicitur de *ſponte dantibus*, intelligitur, quando exactor recipit ab eo qui ideo ſponte dat, quia Eccleſiaſticis ſunt impoſita, vel qui dat antequam exigantur, vti hic notat *Leſſius*.

Patet etiam 2. ex *Iure Ciuili*, in Nouella Fiderici Imperatoris, quæ incipit, *Item nulla*, de Epiſcopis & Clericis: *Nulla*, inquit, *communitas, vel perſona publica, vel priuata, collectas, exactiones, angarias, vel perangarias Eccleſijs, vel alijs pijs locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere præſumat, &c.* Item in *Leg. Sancimus 2.* Cod. de ſacroſanctis Eccleſijs, immunitas iſta omnibus pijs locis conceditur.

Hæc Eccleſiaſticorum exemptio à multis dicitur eſſe certa ratione iuris diuini. Primò, propter dignitatem ſtatus, quo rebus diuinis mancipantur, & conſecrantur: ac proinde contra reuerentiam Deo debitam foret, quod Deo conſecratum eſt, more prophano tractari. Secundò, quia ſunt Patres, & iudices ſæcularium à Deo conſtituti, in rebus maximis, quæ ſalutem æternam concernunt. Tertio, quia Principibus, & populis per ſacramenta, & doctrinam ſalutiferam maxima beneficia rependunt. Quin, & in antiquo Teſtamento *Geneſis* 47. Ioſeph. in Ægypto cum totam terram in quintam partem fructuum feciſſet Regi tributariam, excepit terram Sacerdotum, quibus & ex publico cibaria conceſſa. In nouo Teſtamento cum ab initio Eccleſiaſtici eſſent ſub dominatu infidelium, ſub Conſtantino Imperatore, & Iuſtiniano, & alijs deinceps cœpit maximè, lege lata, iſta immunitas in praxim deduci.

Illam immunitatem à ſucceſſoribus non poſſe reuocari; tradit cum alijs pluribus *Leſſius cap. 33. dub. 5.*

Dicendum II. Bona etiam patrimonalia, & alia ſæcularia, quæ ad Eccleſiaſtico, Eccleſias, aut Monaſteria deueniunt, ſunt à Nouis tributis imponendis immunia. Ita Doctores communiter, *Syluester*, Ver. Immunitas, *Leſſius* ſupra, alique. Patet ex Conſtit. *Bonifacij* ſupra citata, vbi dicitur, non tantùm perſonas Eccleſiaſticas, ſed etiam *rem earum exemptas eſſe.*

Dixi autem, *à nouis* tributis: quia ſi anteaquam bona ad tales Perſonas, Eccleſias, vel Monaſteria deuenirent, annexum habebant onus aliquod, certum & inuariabile, v. gr. cenſum, vel ſeruitutem Principi debitam, hoc etiam onus ab illis præſtandum eſt: quia res quælibet cum ſuo onere tranſit; vti conſtat ex *cap. Cum non ſit: & cap. Paſtoralis, de decimis.*

Dicendum III. In certis caſibus Eccleſiaſticos prædictis tributis &c. non eſſe exemptos. Primò, ſi negationem exerceant: nam ex eo quod iſto intuitu emunt, vendunt, aut

aut deferunt, vectigalia licitè exiguntur, vti patet ex *Cap. quamquam* hic ab initio citato: quod Eccleſia conceſſit in odium negotiationis per Clericos, quos ea dedecet, iiſque prohibetur. 2. Si bona illa hebebant prius onus aliquid inuariabile, quod ſupra excepimus. 3. Si contributio quædam facienda ſit æquè primario in vtilitatem tàm Clericorum, quàm Laicorum V.g. reparatio aggeris ne flumen vtrorumque agros inundet. 4. Quando contingeret facultates Laicorum non ſufficere ad ſuccurrendum publicæ neceſſitati, poſſet etiam contributio aliqua Eccleſiaſticis imponi, ſed accedente Pontificis conſenſu, præſertim poſt *Bulla Cænæ*, quem conſenſum etiam requirit *Innocentius III.* in Concil. Lateranenſi, *Cap. Aduerſus, de Immun. Eccleſ.* Si eſſet periculum in mora, ſufficere conſenſum Epiſcopi cum Clero pro grauandis ſibi ſubiectis, notat *Sylueſter ſupra*.

Pro reparatione viarum publicarum, pontium, murorum vrbis, & ſimilium, quæ principaliter ſpectant ad communitatem, Clerici contribuere non tenentur, vt docent communiter Canoniſtæ: quamuis non deſint aliqui Doctores præſertim iuris Ciuili, qui in his contrarium ſuſtineant.

Dicendum IV. Gaudent exemptione prædicta à tributis, omnes Clerici in ſacris ordinibus, & Beneficiati, & Religioſi, ac Religioſæ. Et ſaltem ex iure antiquo, Clerici etiam Minorum ordinum, & primæ tonſuræ, ſi non ſint coniugati; vti colligitur ex *cap. Quamquam*, ſupra: & ex *Cap. Finali* de Vita, & Honeſtate. Clericorum, &c. Sed ex conſuetudine contraria, & diuturna, Clerici primæ tonſuræ, & minorum ordinum videntur hanc exemptionem amiſiſſe, quando nec beneficium habent, nec vlli Eccleſiæ deſeruiunt Contra hos vt valeat illa conſuetudo ſiue præſcriptio, conſenſu Pontificis ob iuſtas cauſas datus præſumi debet.

Clerici illi coniugati neque iure Canonico neque conſuetudine ſunt exempti à vectigalibus. Quia tantùm illis conceditur Priuilegium fori, & Canonis: & hæc duo non conceduntur niſi in caſu quo duxerint virginem, eamque vnicam, & deferant tonſuram, & veſtes clericales: quibus addit Tridentinum, *vt priuilegio fori non gaudeant, niſi ab Epiſcopo Alicuius Eccleſiæ miniſterio ſint deputati*. Alias Clericorum immunitates vide infra *Par. III. de Sacramento Ordinis*.

ARTICVLVS IV.

De Decimis Eccleſiaſticorum.

DICENDVM I. Certum eſſe Decimas certarum rerum in Eccleſia determinatarum Eccleſiaſticis Iure, & ex iuſtitia deberi. Contra *VViclefum* aſſerentes Decimas non eſſe vllo iure Sacerdotibus debitas, ſed eſſe meras eleemoſynas, qui in Concil. *Conſtantienſi* damnatus eſt, etiam in hoc errore *Seſſ. 18.* Ratione etiam probatur, quia iure diuino, & naturali miniſtrantibus populo ſpiritualis ſuſtentatio debetur. Decimas autem tales tam in antiquo, quàm in nouo Teſtamento Sacerdotibus atribui debere, paſſim ex Scripturis patet.

Quæſtio eſt, An decimæ iure etiam diuino debeantur? Affirman paſſim Canoniſtæ. Negat verò melius communis conſenſus Theologorum, qui docent illas nunc deberi tantum iure Eccleſiaſtico, ſed antiquiſſimo iam inde a temporibus Apoſtolorum, vti patet ex Conſtit. *Clementis Lib. 7. cap. 29. 38. &c.* Ita *D. Thomas Quæſt. 87. art. 1. Hallenſis, Henricus, Antoninus, Sotus, Nauarrus, Leſſius Lib. 2. cap. 39. Dub. 1.*

Hinc patet Parocho decimas ex iuſtitia deberi, & per actionem ex Canone poſſe eas à quouis earum poſſeſſore expetere; & contra fructuum non decimatorum deſtructorem actionem inſtituere.

Dicendum II. Perſonæ omnes, & ſolæ, quæ in ſpiritualibus ſubditæ ex manu Sacerdotis Sacramentum ſuſcipere debent, ad Decimas perſoluendas perſonali debito obligantur. Quia Decimæ præbantur tamquam ſtipendium pro iſto miniſterio, & cura quæ fidelibus exhibatur. Si quando Iudæi, aut alij non fideles ad Decimas adiguntur, id non fit ratione perſonæ, ſed ratione prædiorum quæ inter fideles poſſident.

Epiſcopi, & Parochi non ſolent per ſe obligari ad Decimas: quia nulla conſuetudine id conſtitutum oſtenditur: quamuis à Pontifice ad hoc adigi poſſint.

Clerici tamen ſeculares non Curati debent ex proprijs noualibus, non tantùm ratione terræ, ſed etiam perſonæ, Parochis ſuis decimas perſoluere: non tamen ex Eccleſiaſticis reditibus ſi quos habeant, quos Eccleſia vult illis integros relinqui.

Ad Decimas prædiales, tenentur etiam Monaſteria, & pia loca, niſi vel Priuilegio, vel præſcriptione, vel compoſitione, vel tranſa-

ctio-

ctione exempta ſint. Patet ex *cap. Nuper. de Decimis*, & alibi. Quod verò Priuilegio poſſint eximi patet ex *cap. Ex parte*, vbi dicitur, *Romanos Pontifices ante Innocentium III. ferè omnibus Religioſis decimas laborum ſuorum conceſſiſſe*: nempe vt non ſoluerent decimas prædiorum quæ ab ipſis colerentur. Poſtea etiam quibuſdam Ordinibus conceſſum eſt, vt de nullis prædijs aut alijs bonis ab ipſis poſſeſſis teneantur vllam decimam etiam Papalem perſoluere.

De his in particulari, vti & gabellis, ſubſidijs &c. ſi opus fuerit, videri poteſt Bulla Pauli III. pag. 45. Pij IV. pag. 90. Gregorij XIII. pag. 181. pro S. I. vbi in hoc derogat diſpoſitioni *cap. Nuper*, de Decimis. Item Eugenij IV. pro Monialibus Sallaræ, in Monum Minorum fol. 40. pag. 2. Et eiuſdem Eugenij pro Dominicanis, de quo in Suplem. Min. fol. 80. Item Clementis VII. pro Ordine S. Ioannis Hieroſolymitani. Et alia pro Congregatione Canonicorum S. Saluatoris in Manuſcript. fol. 63. Hæc & alia in hoc genere illis quorum intereſt ſunt ſatis nota. Qui tantùm coloni ſunt agrorum Religioſorum ſolent nunc ad Decimas obligari. Non item teneri Religioſos ex ſuis noualibus, id eſt, prædijs de nouo cultis, & antea non colebantur, cum ea modicum fructum ferant, hic à Laymanno notatur.

Dicendum III. Decimæ prædiales ſoluendæ ſunt illi Eccleſiæ Parochiali intra cuius limites prædia conſtituta ſunt. Quia cum neceſſe fuerit ſæpè Parochias diuidere creſcente numero fidelium, oportuit etiam ſingulis terminos ſuos eo modo deſignare vt vitaretur confuſio, & Parocho, eiuſque cooperatoribus ſuſtentatio prouideretur.

At quando fideles in vna Parochia Sacramenta percipiunt, in alia autem eiuſdem diœceſis prædia habent conſtituta, non eſt iure communi determinatum vtri Parochiarum Decimæ prædiales debeantur; ſed in hoc retinenda cuiuſque locis conſuetudo.

Decimæ quæ ſunt mixtæ ex fructibus, & fœtu pecorum, debentur illi Parochiæ intra cuius limites pecora paſcuntur, niſi conſuetudo aliud obtineat.

Spectato iure communi, quarta pars Decimarum Epiſcopo debetur, vti olim Decimæ Leuitarũ a Sacerdotibus iterum decimabantur *Numer.* 18. Sed hoc multi locis iam non obtinet, eo quod ipſis alijs titulis ſatis prouideatur.

Sed quandoque etiam hodie integræ Decimæ Epiſcopo debentur: ſi nempe ipſi ſin Curati ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, vel Parochialis, ſaltem per Vicarium. Vel ſi prædia intra Epiſcopi diœceſim nulli ſunt Parochiæ attributa. Parochus non poteſt recuſantem Decimas ſoluere, Eccleſia prohibere, cũ non habeat iuriſdictionem forenſem; ſed deferendus eſt ad Ordinarium, à quo poſt trinam Canonicam monitionem excommunicandus eſt, iuxta *cap. Omnes* 16. *q.* 1.

Dicendum IV. Ius Decimarum ab Eccleſiaſticis perſonis acquiri poteſt per tranſactionem, interueniente Epiſcopi auctoritate. Poteſt etiam cum eadem Ius Decimarum vnius Eccleſiæ permutari cum iure aliarum Eccleſiarum.

At ius illud quatenus in *ſpirituali* ti ulo ſiue officio fundatum nequit vendi, aut permutari cum re *temporali*, abſque labe Simoniæ: Vnde etiam patet illud qua tale Laicis nullo titullo, ne donatione quidem, poſſe competere.

Verùm *vtilitas* ſola Decimarum, quæ eſt ad fructus percipiendos, ſpectata rei natura, poſſet aliquando Laicis vendi, concedi, aut locari. Quia merè ſub hac conſideratione ius ad illos reditus eſt tantùm temporale, adeoque non datur niſi temporale pro temporali. Hinc Pontifex, vt ſupremus talium adminiſtrator, poteſt ex cauſa iuſta ad Eccleſiæ bonum pertinente Laicis v.g. Principibus, reditus aliquarum Decimarum in perpetuum concedere, ſiue pro remuneratione beneficiorum, ſiue pro onere dotationis alicuius Eccleſiæ: ſicut ab eo Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, & Eliſabeta, Regni Granatenſis Decimas acceperunt.

Poſt Concil. *Lateranenſe* Epiſcopi Decimas perſonis Laicis in feudum perpetuum dare non potuerunt, quia contrarium illic irritum, vel irritandum redditur. Sed nihil obſtat quin Epiſcopus Laico Decimas ad tempus aliquod concedebat ob cauſam iuſtam, & debita cum ſolemnitate. Quia hoc quod iure antiquo erat licitum, nullo poſtea iure eſt reuocatum, ſed tantùm conceſſo in feudum perpetuum.

Dicendum V. Præſcribitur ius Decimarum contra proprium Parochum ab Eccleſiaſticis perſonis cum titulo, annis quadraginta; ſine titulo tantùm præſcribitur tempore immemoriali. Primum patet ex *cap. Ad aures*, *de præſcript.* Secundum exprimitur in *cap.* 1. *de præſcript. in* 6.

Si Parochus præſcripſit legitimo tempore ius percipiendi Decimas ex aliena Parochia,

non ideò cenſetur obtinuiſſe ius percipiendi Decimas ex noualibus. Quia illi fructus nondum exiſtebant: non plus autem præſcribitur, quàm poſſidetur. Laici per præſcriptionem Decimas acquirere nequeunt, niſi illa ſit fundata in preſumptione alicuius legitimæ conceſſionis factæ ab Epiſcopo, aut Prælato habente concedendi poteſtatem.

Vt ratione præſcriptionis immunitas à ſoluendis Decimis probetur ſiue a Laicis, ſiue a Clericis, requiruntur quadraginta anni poſſeſſionis pacificæ, cum titulo, & bona fide: ſine titulo autem requiritur tempus immemoriale, & vt aliunde Eccleſiæ, & Miniſtris ſuppetat congrua ſuſtentatio: nam in ius commune Parochiæ magis, quàm poſſeſſori aſſiſtit.

ARTICVLVS V.

De Eccleſiarum Immunitate, Aſylo, Priuilegio Fori, Canonis, &c.

ECcleſiæ Immunitas, ſiue Aſylum, ratione cuius Rei ad Eccleſiam confugientes extrahi non poſſunt, legibus tam Canonicis, quàm Ciuilibus conſtituta eſt, vti in *Concil. Arauſicano I. Can. 5.* ſtatuitur, *Eos qui ad Eccleſiam confugiunt tradi non oportere, ſed loci ſancti reuerentia, & interceſſione defendendi*. Et hoc ſecūdū legis naturalis congruam æquitatem, non abſolutè, ſed ſuppoſita loci ſanctitate, id exigentem.

Gaudent hac immunitate non tantùm Templa, & Sacella ad publicum ſacrificij vſū deputata, ſed etiam alia loca religioſa, vt Hoſpitale Epiſcopi auctoritate fundatū, & Monaſteria, & ipſum Epiſcopi palatium. De Sacellis priuatis in quibus data eſt licentia Miſſam celebrandi id negat *Layman* cum quibuſdam alijs.

Locum etiam habet in Eccleſia in qua nondum diuina officia celebrari cœperunt: etiam in interdicta, aut polluta: item in Eccleſiarum Cœmiterijs, in ſacriſtia, in porticu, in turri, in tecto &c. Nec refert quod in iſtis locis Eccleſia non polluatur; quia immunitas eſt fauorabilis violatio odioſa adeòque magis reſtringenda.

Quoad *Crimina* a confugiente ad Eccleſiam commiſſa, extenditur hæc immunitas ad omnia quamtumuis grauia, præter quædam ipſius Eccleſiæ conſtitutione excepta, quę infra exponam.

Pręter alias de Eccleſiæ Immunitate Canonicas ſanctiones, inter poſtremas emanauit Conſtitut. Bullæ *Gregorij XIV.* data Romæ in Quirinali Kal. Iulij anno 1591. quæ incipit, *Cum alias nonnulli*. In hac reuòcantur Priuilegia quibuſuis perſonis conceſſa extrahendi Reos ab Eccleſijs in caſibus antea permiſſis, & omnia in hanc formam cum antiquis iuribus reducuntur, *Quatenus impoſterum nemo ex Magiſtratibus Laicis Reum de Eccleſia aut loco ſacro abſque Epiſcopi Licentia extrahere præſumat, ſub pœna excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ contra violatores Eccleſiaſticæ Immunitatis*. Reos verò omnes hac immunitate gaudere declarat, præter eos, qui illic peculiariter excipiuntur. Et quamuis aliqui dicant dictam Conſtitutionem non fuiſſe vbique vſu receptam, vt in regno Hiſpaniæ apud *Dianam*, aut contraria conſuetudine fuiſſe abrogatam; hoc tamen vltimum cum alijs negat *Diana*, tum ob alia, quæ adducit, tum quia nulla talis conſuetudo introducta eſt ſciente ſummo Pontifice, qui reclamat quotannis in promulgatione Bullæ Cœnę, & nouiſſimè in Bulla, *Romanus Pontifex*, data Romæ 5. Ianuarij anno 1641. Nec in hoc obeſſe poteſt conſenſus aliquis Clericorum, aut Epiſcoporum, quia non poſſunt iſti priuilegio renunciare, aut conſuetudini contra Canones conſentire, de quo fuſius *Diana Part. 6. Tract. 4. Reſolut. 29.*

Caſus autem *excepti* in Bulla Gregorij XIV. in quibus Reus Immunitate non gaudet, ſunt ſequentes, qui ſunt ſtrictè interpretandi, nec extendendi ad paritatem rationis, quia hęc exceptio ab Immunitate debet inter odioſas reputari.

Primo igitur excipitur *Hæreſis*, formaliter ſumpta pro delicto hæreſeos: nam pro alijs delictis poteſt etiam hęreticus hac Aſyli Immunitate gaudere.

Secundò, *Homicidium*, aut *mutilatio* commiſſa in Eccleſia, aut cœmiterio, quæ ſcilicet ſit deliberata, nec mera defenſio. Quod non extenditur ad furantes in Eccleſia etiam res ſacras, vel in eam cū furto, aut armis ſe recipientes, aut in ea ſodomiam aut aliud enorme crimen committentes à prædictis diuerſum. Quamuis in aliquo tali crimine à Pontifice impetrari poſſit, vt propter enormitatem Reus curiæ ſæculari tradatur.

Tertiò, *Homicidium proditorium*: ſcilicet conſummatum, per effectum mortis ſecutum. Nec extenditur ad homicidium factum per ſolas inſidias: ſed debet accedere ſimulata amicitia, non præcedente rancore, ex quo debuiſſet alius præcauere.

Quartò,

Quartò, *Aſſaſſinium*, hoc eſt, quando quis aliquem conducit ad alium occidendum, aut mercede conductus alium actu occidit. Quod plerique intelligunt tantùm de occiſione hominis Chriſtiani, non autem infidelis, cum Bulla vtatur voce, occiſionis *proximi*.

Quintò Crimen *læſæ maieſtatis* in perſonam Principis: quod intelligitur de illis, qui ſuperiorem in temporalibus non agnoſcunt. Quod & de Cardinalibus qui cum ſummo Pontifice faciunt quaſi vnum corpus, ſuntque Principes Eccleſię intelligit *Peregrinus Cap.* 11.*num.* 1. Vnde cum alijs notat *Diana* per hoc ab Immunitate non excludi reos læſæ maieſtatis, quia cadunt falſam monetam, vel qui fraudant vectigalia, vel qui ſe regem fingit, vel qui coniurat de tradenda ciuitate. Quia in his offenditur quidem dignitas Regis, aut Principis, ſed non perſona, de qua diſertè Bulla agit; Idque reſpectu illius qui eſt vaſallus ratione originis, aut domicilij, vt notat *Diana*.

Sextò, excipiuntur *Latrones publici*, & *graſſatores viarum*. Intellige, *publicarum*, & graſſationem ſæpius iteratam, nam qui ſemel iterumque deprædatus eſt, latro publicus non cenſetur, vti ab vna alteraue vice meretrix non dicitur publica.

Septimò, *agrorum depopulatores*. Intelligenda eſt illa depopulatio tam de diurna, quam de nocturna: quamuis enim in iure communi tantum excepta fuiſſet *nocturna*, Bulla tamen Gregorij illam limitationem non apponit, nec ſe refert ad ius commune, ſed potiùs illud corrigit, vt notat hîc *Paulus*, ac *Diana*. Et licet Incendiarij ſint populatoribus ſimiles, non ſunt per hunc locum ab Immunitate illa excluſi, vti cum varijs docent idem *Caſtropalaus* hîc *Punct.* 10. *nu.* 9.

In dubijs, an in caſu particulari Reus gaudeat immunitate, ad Epiſcopum pertinet decidere, aut ad Vicarium Capituli Sede vacante. Neque dum cauſa diſcutitur debet Reus in Eccleſia compedibus ligari, cum *cap. Definiuit.* 17. *Quæſt.* 4. caueatur, ne Reis aliqua vis, aut nocibilitas, damnumue inferatur quin per 30. paſſus ab Eccleſia poſſint exire. Poſſe tamen à miniſtris Laicis adhiberi vigilias circa Eccleſiam ne Reus elabatur, docet hîc *Caſtropaulus punct.* 11.*n.*6.

In delictis ſupra exceptis, in quibus Reus non gaudet Immunitate, non poteſt ille extrahi ab Eccleſia per Iudicem Laicum, ſed debet accedere licentia Epiſcopi, non tantum poſt prædictam Conſtitutionem Gregorij, ſed etiam antea ex iure Canonico in *cap. Frater*, & in *cap. Definiuit* 17. *Quæſt.* 4. quamuis Epiſcopus in delictis iſtis, ſatis compertis, non poſſit extrahendi licentiam denegare.

Rurſus quoad Epiſcopum, & iudicem Eccleſiaſticum, non poteſt reus in Eccleſiam confugiens ab illo Curiæ Laicali concedi, niſi per probationes in ſua Curia euidenter conſtet, reum immunitate illa non gaudere. Dum reus in Eccleſia remanet, ſi aliunde viuere non poſſit, debet ab Epiſcopo ſiue iudice Eccleſiaſtico ſuſtentari. Ita Doctores apud *Farinacium cap.* 19. *num.* 296. & *Dianam part.* 6. *Tract.* 1. *Reſol.* 33.

Quæres 1. An Eccleſiæ ſuę Immunitate gaudeant *ipſi Clerici*, ſic vt ab Epiſcopo inde extrahi inuiti non poſſint?

Reſp. Affirmatiuè quamuis id neget *Abbas in Cap. inter alia de immunit. num.* 13. Sed contrarium pro Clericis declarauit ſacra Congregatio die 23. Ianuarij 1617. & die 17. Auguſti 1618. apud *Dianam*, exceptis caſibus degradatione dignis. Additque idem, Sacerdotem delicti Reum, ſi cotta, & ſtola indutus, etiam extra Eccleſiam, præcedente Cruce v. gr. funus comitetur, vel etiam ſacrum Viaticum aut extremam Vnctionem ad infirmum deferat, non poſſe a ſatellitibus capi: & ſi ſic caperetur, non debere Epiſcopo interroganti de delicto reſpondere, ſed poſſe capturæ ſuæ nullitatem opponere.

Quæres 1. Quid in hoc dicendum de Regularibus.

Reſp Si delicta commiſſa ſint extra Eccleſiam, & Conuentum, illos gaudere Immunitate, a paritate reſolutionis pro Clericis allatæ. Hinc Religioſus Apoſtata in Eccleſia, & domo Religionis diuerſæ ab ea in qua apoſtatauit, poteſt Immunitatem ſortiri. Nec deſunt, qui putant idem dicendum de Eccleſijs, & Monaſterijs in quibus Religioſus deliquit, eo quod hic caſus in ſacris Canonibus non excipiatur. Sed rectius cum alijs *Diana*, hæc opinio, inquit, licèt in rigore iuris probabilis, habet contra ſe contrariam praxim a ſummis Pontificibus approbatam: Et ſi admittenda eſſet, punitio, & diſciplina regularis corrueret.

NO-

NOTA.

HAbent inſuper Clerici Priuilegium *Fori*, & *Canonis*, quod ſcilicet non poſſint capi, aut puniri, niſi à Iudice Eccleſiaſtico: & quod non ſubſint legibus Ciuilibus ſaltem quoad vim coactiuam, ſed tantùm directiuam. De his, & de *Functionibus* diuerſis quæ Clericis prohibentur: & de *irregularitatibus* ſingulis quas Clerici incurrunt, agitur infra in Sacramento *Ordinis Tract.* 4. *Cap.* 7. §. 2, & 3.

De Spectantibus ad *Simoniam* in officijs, & beneficijs Eccleſiaſticis, infra *Tract.* 5. *Cap.* 12.

De *Sacrificio Miſſæ* eiuſque celebratione, præcepto, ſtipendio, &c. infra *Tract.* 4. *cap.* 4. §. 5. 6.

De *Officio Canonico*, eiuſque modo, ac obligatione varia, *Ibidem cap.* 4. *in fine*.

De cæteris Sacerdotis *Functionibus*, earumque *Praxi* omnimoda, in adminiſtrando, & aſſiſtendo, etiam ægris, & moribundis, cum *Materia*, & *Methodo* copioſa tradendi *Doctrinam ſacram*, &c. in hoc Opere ſuis locis, & titulis, & infra in *Tom. III.* ſpecialiter traduntur.

CAPVT VI.

De Regularibus. Reſolutiones ſingulares ad Praxim maximè pertinentes.

MAteria hæc quam ſuſcepi admodum ampla eſt. De ea ſcripſerunt integris Tomis *Suarez* de Religione, *Caſtropalaus*, *Pellizarius*, *Peyrinus*, *Portel*, *Rodriquez*, *Bordonus*, alijque. Non hic quæſtiones ſelectiores atque vtiliores fuſius, alias breuius complectemur, quod Lector vt arbitror non parùm ſibi commodum atque vtile experietur.

ARTICVLVS I.

De Nouitiatu Regularium.

QVæſtio eſt, primò: Quid requiratur vt nouitiatus ſit legitimus.

Reſp. Requiri 1. Vt exercentur illi in ætate legitima. 2. In loco ad illum debito. 3. In Habitu religionis. 4. Cum debita certi temporis continuatione.

II. *Ætas* autem requiſita eſt, vt habeat quatuordecim annos expletos: in fœmina ſufficiunt anni duodecim: & hi anni in vtriſque debent eſſe completi de momento in momentum, vt iura loquuntur: nec malitia, ſiue maturitas rationis ſupplet ætatem. Patent hæc ex Clement. vlt. de Regularibus, cum Gloſſa V. ætate. Et ita docet Sanchez Lib. 5. in Decal. Cap. 4. n. 22. cum Paludano, Syluestro, Tabiena, Angelo, Azor, Lopes, alijſque. Licitum tamen eſt ante illam ætatem recipere ad probationem vitæ Religioſæ, ſed non poteſt dici inchoare Nouitiatum niſi expletis prædictis annis pubertatis, vti pluribus oſtendit Sanchez ſupra citatus.

Et quidem in Soc. Ieſu quandoquidem ad Nouitiatum nemo admitti poſſit qui ſit minor 15. aut maior 50. annis, & in hoc ſolus Generalis diſpenſet, ex ipſius Prouincialis Regula 36. admiſſio aliter facta erit irrita ex defectu poteſtatis in admittente. Docet tamen Sanchez ſupra n. 26. Si Prouincialis aliquem minorem aut maiorem ætate prædicta admitteret ſub ſpe rati habitionis ſui Generalis, legitimum admiſſi Nouitiatum incipere poſſe à tempore rati habitionis, dummodò ante vota religioſa tempus præſcriptum expleatur. Quæ conformia ſunt Cengregationis Generalis VIII. Canoni 9.

III. De *Loco Debito*, Dicendum, Nouitiatum poſſe reddi irritum ex eo præcisè quod extra Monaſterium peragatur: niſi id fiat cum legitima Superioris regularis licentia: Tunc enim cenſetur eſſe ſub obediētia ſui prælati: vti oſtendit Azor. P. 1. l. 12. c. 2. q. 8. & c. 3. q. 7. Rodriquez Tom. 3. q. 15. art. 10. Emanuel Sà V. Religio, num. 9. Caſtropalaus Tract. 16. d. 1. p. 12. alijque.

Poſſe autem aliquam partem Nouitiatus peragi extra Monaſterium, etiam poſt Decretum Clementis VIII. quo ſtatuitur Nouitiatum faciendum eſſe in aliquo ex Conuentibus deſignatis, docet Bordonus *De Profeſſ. cap.* 4. q. 14. & probat etiam ex eo quod Nouitij Conuerſi de facto exerceantur in Quæſtuando in

prædijs extra ciuitatem, quod ſupponit illos per plures dies illic commorari.

IV. De *Habitu Religionis*, quæritur, an ad eſſentiam Nouitiatus pertineat vt peragatur in Habitu Religionis ſuſceptæ, ſic vt in habitu ſæculari non peragatur.

Reſp. Affirmatiuè regulariter loquendo, nempè, niſi aliter conſtituatur in Ordinis peculiari Regula à Pontifice, vel vſu approbata. Et hoc modo in Nouitijs Soc. Ieſu, quæ nullum particularem habitum profitetur, nulla requiritur mutatio aut ſuſceptio habitus, ſed ſufficit vt ille qui poteſtatem habet admittendi, ſigno externo ſufficienter declaret voluntatem admittendi hic, & nunc hanc perſonam ad ſolitam probationem: ac ſimili modo conſenſum, & acceptationem ſuam declarante illo qui admittitur. Ita cum communi Pellizarius, & Peyrinus de R.P.q.3.c.1.§.4.num.103.

V. De *Duratione* quæritur, An ſit de eſſentia vt duret per annum integrum non interpolatum.

Reſp. Affirmatiuè Regulariter: Et quidem quod debeat durare per annum integrum probatur ex *Tridentino Seſſ.* 25. *Cap.* 15. *de Regul.* id expreſsè ſtatuente. Quod verò debeat eſſe annus continuus probat *Sanchez* ſupra Num. 31. ex Canoniſti docentibus, quando in aliquo Decreto requiritur aliquod tempus, illud debere eſſe continuum. Et quia tempus continuum videtur neceſſarium vt Nouitiatus experiatur Ordinis auſteritates, & difficultates, quas vix poteſt ſatis experiri per tempora interrupta, vti multò difficilius eſt ieiunare per plures dies continuos, quam per dies interpolatos.

Dixi, *regulariter*, quia ex Priuilegio Bullato Iulij II. conceſſo Minoribus, in caſu quo aliquis annum probationis inceptum, interrumpat Religionem, & habitum deſerendo, ſi poſteà ad eam redeat, poteſt tempus prioris receptionis habitus cum tempore poſteriori computare iuxta Superiorum determinationem: neque fuiſſe huic Priuilegio per *Tridentinum Seſſ.* 25. *Cap.* 15. *de Regul.* derogatum, oſtendit Rodriquez Tom.3 q.15.art.5.qui & refert multos viros Doctos huic ſententiæ ſubſcripſiſſe. Quamuis *Sanchez*, & alij relati à *Diana Parte* 3.*Tr.*2.oppoſitum doceant, quorum ſententiæ praxis Societatis conformari ſolet. De hoc etiam pluribus agit *Bordonus Cap.* 4. *de Profeſſ. Quæſt.* 13.

Docent etiam Auctore apud ſupra citatos communius ſequentia.

Valere Nouitiatum factum in continua corporis *infirmitate*, tum quia per illam patienter toleratam illius natura, & virtus ſatis explorari poteſt, tum quia ipſe viciſſim Religionis charitatem, & inſtituta etiam in eo ſtatu poteſt ſatis perſpecta habere, vti docet hic *Suarez*, *Nauarrus*, *Miranda*, *Sanchez*, *Rodriquez*, Contra *Bordonum*, de eo qui in ordine Minorum toto tempore Nouitiatus carnibus veſci deberet.

Non item valere Nouitiatum factum in *amentia* ſuperueniente tempore non breui. Nec factum ab ingrediente *ficto animo*, etſi poſteà fictionem deponat, vt docet *Suarez*, & *Sanchez* de matrim. Diſp.37. Num.56. quamuis diſertè notent, doctrinam oppoſitam eſſe omninò probabilem, & magis praxi accommodatam, cum Nouitiatus opere magis quàm intentione perficiatur: idemque tradit *Bordonus hic Quæſt* 16.

Nouitiatum tenere, etſi factum cum *impedimento occulto*, ſi hoc deſinat ante profeſſionem, ſicut docet expreſsè *Portel. de Dubijs Regularium verbo Nouitius*, *Num.* 52. de eo qui admiſſus fuit ab aliquo non habente admittendi poteſtatem: quamuis aliter ſentiat *Sanchez*, *Nauarrus*, *Rodriquez*.

Dimiſſum è Societate Ieſu poſt vota biennij, ſi iterum recipiatur, de rigore iuris non debere ſemper repetere Nouitiatum, quamuis contrarium in praxi ſoleat obſeruari, docet cum pluribus *Pellizarius in Manuali Regul. Tract* 2. *Cap.* 1. *Quæſt.*12. Et vniuerſim, ſi quis iniuſtè eiectus fuerit, non debere Nouitiatum denuò inchoare tradit *Bordonus hic Quæſt.* 12.

VI. *Impedimenta* ſubſtantialia admiſſionis in *Societatem* quinque enumerantur in *Cap.* 2. *examinis generalis*, *& in Parte* 1. *Conſtit. Cap.* 3. Primum, receſſiſſe à gremio matris Eccleſię fidem abnegando, vel in errores contra illam ſic incidendo, vt damnatus quis fuerit ob aliquam propoſitionem hæreticam, vel vt ſuſpectus de hęreſi per ſententiam publicam declaratus, vel ſi infamis ob excommunicationem tamquam ſchiſmaticus extiterit: 2. Si homicidium aliquo tempore perpetrauerit, vel propter enormia peccata publicè infamis fuerit. 3. Si habitum ſumpſerit alicuius Religionis Fratrum vel Clericorum vitam aliquando cum illis agendo, ſiue emiſſa ſiue non emiſſa promiſſione: aut etiam cum veſtibus monachalibus Eremita fuerit. 4. Si adſtrictus ſi vinculo matrimonij conſummati, vel legitimę ſeruitutis. 5. Si patiatur infirmitatem vnde iudicium obſcurari, vel parum ſanum reddi ſoleat, aut ſi ad huiuſmodi infirmitatem habendam diſpoſitio notabilis appareat.

Horum

Horum ſingula admiſſionem in Societate reddunt inualidam, ſic vt etiam vota, aut profeſſio ſubſequens pro nulla haberi debeat: de quibus in particulari tractat *Caſtropalaus Parte 3. de virtute Religionis Diſput. 1. punct. 8. §. 1.*

Vbi, & agit idem de impedimentis ſecundarijs, quæ quamuis à Societate non omnino excludant, reddunt tamen perſonam minus idoneam, & admiſſionem lege ordinaria difficilem.

VII. Quoad *Poteſtatem Admittendi*, Prælatorum Regularium eſt admittere ad Religionem. Et in quibusdam Ordinibus, etiam Superiorum localium, de conſilio tamen, & conſenſu ſui Capituli. Varia ſunt de hoc iura particularia, & Bulla Sixti V. quæ, & moderamen apponit prioris Bullæ ab eodem editæ, vti videre eſt apud Auctores prædictos, In terminis etiam Bullæ ſixtinæ, neceſſarium non eſt vt in admiſſione omnes Deputati concordent.

Iuxta Decretum eiusdem Sixti V. certę Informationes admiſſioni Nouitiorum pręmitti debent. Non tamen in caſu quo admittendus ſit notoriè dignus: nec ſi admittendus ſit in partibus longinquis: & quid de hoc conceſſum ſit Societati, deducit cum alijs *Pellizarius ſupra Tract. 2. cap. 3.*

Admiſſionis capax eſt Coniux innocens quando conſtat de alterius coniugis adulterio; vti & ſponſi de futuro: ſed non regulariter qui ſub ea ſpe puellam deflorauit.

Non recipiuntur epiſcopi ſine Pontificis licentia. Vti, & habens Votum Religionis illicitè acceptat Epiſcopatum, ſaltem ſine Pontificis diſpenſatione.

Capax eſt admiſſionis habens Votum intrandi Ordinem alium etiam ſtrictiorem: idque ex Prælati diſpenſatione vi Priuilegiorum conceſſa, vti fuſius ſupra citatim, tam de his, quàm de decretis Clementis VIII. *Super receptione, & educatione Nouitiorum*, qui monent, videndum eſſe, an, & quo modo, aut qua parte in vnoquoque Ordine illa admiſſa fuerint, & in præſenti vſu recepta, de quo etiam *Salas, Valentia, & Reginaldus* apud *Baldelum Lib. 5. Diſputat. 18. Num. 25.*

Subſunt Nouitij iuriſdictioni Ordinis improbantur, quamdiu in Nouitiatu permanent. Non poteſt tamen illi præcipi in virtute obedientiæ. Nec ſubſunt pœnis latis contra Religioſos, niſi, & ipſi ſpecie exprimantur.

Validè confitentur Sacerdoti ab Ordinario approbato: ſed non ſemper cuicumque Sacerdoti Ordinis ſic approbato. Sufficit ad eorum Confeſſiones audiens approbatio ſiue deputatio Prælati regularis.

An Nouitij ſubiaceant *reſeruationi* caſuum, & cenſurarum quæ facta eſt à Prælatis Regularibus pro Religioſis Ordinis in quo probantur, variant ſententiæ. Negant *Poruel, Miranda, Azor, Vega, Naldus, Sa, Homobonus, Ledeſma*, & alij cum *Diana* Part. 3. Tract. 2. Reſol. 4. Affirmat Corduba, Rodriquez, Layman, Lezana, & alij apud Dianam ſupra. Et hanc ſententiam in Societate ſuſtinendam eſſe ex varijs Decretis oſtendit Pellizarius hic Tract. 2. Cap. 6. q. 12. qui, & notat, non ſolere à Prælatis pro ſolis Nouitijs caſus reſeruari.

VIII. *Priuilegia* quibus gaudent Nouitij ſunt varia. 1. Gaudent illis Priuilegijs quibus fruitur Ordo in quo probantur. Quia in fauorabilibus veniunt nomine Religioſi, ex *Cap. Religioſo §. quamuis de Sentent. Excom. in 6.* Et cum ſuo modo ſuſtineant Religionis onera, æquum eſt vt participent Priuilegia, iuxta Regulam iuris 55. in 6. vti docet *Suarez* Tom. 4. de Rel. Tract. 10. Lib. 9. cap. 1. Molina, Azor, Diana; & apud ipſum plures cum communi DD. quamuis id neget *Rodriquez, & Poruel, Verbo Nouitius*, niſi id in ipſa conceſſione Priuilegij exprimatur.

Poſſunt etiam Nouitij frui *Indulgentiis* quæ conceſſæ ſunt aut conceduntur profeſſis iſtius Ordinis, quia, iuxta dicta, Nouitij in fauorabilibus veniunt nomine Religioſorum. Ita *Poruel* alios citans. In prima etiam habitus receptione obtinent indulgentiam plenariam à Paulo V. conceſſam, de qua infra.

Gaudent etiam Priuilegio Fori, ſic vt non poſſint pro delicto conueniri coram Iudice ſeculari, præſertim ſi ante ingreſſum non cœpit cognoſcere de delicto ab eo in ſęculo commiſſo. Ita Nauarrus, Molina, Azor, Sanchez, Lezana Suarez, ex Conſtit. Sixti V. *ad Romanum* apud Pellizarium, alioſque.

Sunt exempti ob *Ordinatorum* iuriſdictione: ſunt immunes à *Gabellis*. Gaudent Priuilegio *Canonis*, ſic vt ille qui percutit Nouitium ſuadent Diabolo vt iura loquuntur, incurrat excommunicationem Canonis æquè ac ſi percuteret Religioſum profeſſum. Si ſint Illegitimi ſuſtinent aliqui cum Rodriquez illos fieri habiles ad Ordines ſacros. Sed ex aduerſo docet *Sanchez, & Caſtropalaus*, per ſolam profeſſionem Religioſam ceſſare irregularitatem cui illegitimi

ſubij-

ſubijciuntur: Horum rationes elidere conatur *Pellizarius Tract. 2. Cap. 7. Quæſt. 7.*

Nouitij poſſunt retinere Beneficium Eccleſiaſticum ſæculare antea acquiſitum pro toto tempore Nouitiatus. Conſtat ex *Cap. Beneficium de Regul. in 6.* Et tenentur interea exhibere obſequia requiſita, quæ per ſe poſſunt, vti eſt recitatio officij Canonici, & per alios ea quæ per ſe præſtare nequeunt. Si autem beneficio annexum ſit ius eligendi, ad ſuffragium præbendum vocari debent; poſſuntque ſuum ſuffragium alteri committere, de quo, *Perinus*, *Pellizarius*, *aliique*.

Obligatio ad ſoluendum *Debita* non tollitur per ingreſſum Tyrocinij: niſi tam re, quã ſpe ſint impotentes ſoluendi in ſeculo tempore non permaneant. Ita *Azor*, *Lopes*, *Leſſius*, *Sanchez*, *Diana*, qui & addit, ſi Nouitio ingreſſo non ſolutis debitis relinquatur aliqua hæreditas, legatum, aut donatio, monaſterium illa percipiens teneri eius debita ex ijs perſoluere.

Non obligantur ad *Vota* facta ante tyrocinij ingreſſum, vtpote pro illo tempore ſuſpenſa, etiamſi Ordinis obſequijs non repugnent. Nequeunt tamen ad ſacros Ordines admitti titulo paupertatis, vti poſſunt Religioſi.

Poſſunt exponi ad concionandum, etiam nondum ordinati; etiam illi, qui nondum habent primam tonſuram, ſi ad hoc reperiantur idonei. Nam iura tantum ſimplici Laico actum concionandi prohibent. Colligitur hoc tàm aliunde, quam ex Indulto Pauli III. pro Societate apud Pellizarium *Tract. 2. Cap. 7. Quæſt. 23.* qui notat, hoc non obſtante in Societate curari vt ſic expoſiti prima tonſura initientur.

Profeſſus tranſiens ad alium Ordinem, nequit eligi in Prælatum dicti Ordinis durante eius Nouitiatu: Poteſt tamen in Prælatum prioris Ordinis à quo tranſijt; vti etiam ad dignitates Eccleſiaſticas extra Ordinem. Colliguntur hæc ex *cap. nullus de Elect. in 6.* & ex Tridentin. *Seſſ. 14 cap. 10. de Reformat.* & *Seſſ. 25. cap. 21. de Regul.* apud Peyrinum, Pellizarium, Suarez, &c.

Non poſſunt Nouitij de bonis ſuis ita elargiri Conuentui in quo probantur, aut toti Ordini, vt inde impediatur eorum libertas in ordine ad receſſum: poſſunt tamen Conuentui fieri donationes ab eorum parentibus & amicis: & ex bonis Nouitij, quæ ad illius ſuſtentationem requiruntur: Ita præſcribitur Tridens. in *Seſſ. 25. cap. 16. de Regul.* apud prædictos.

Requiritur in Nouitio *Renunciatio bonorum* iuxta Inſtituta ſui Ordinis: Illa communiter facienda eſt intra bimeſtre proximum profeſſionim: non requirit ſolennitatem iuris ciuilis: vim habet tantùm à tempore profeſſionis; ante profeſſionem per Teſtamentum legitimum reuocari poteſt. Conſtant hæc ex Concilio Tridentino *Seſſ. 25. cap. 16. de Regularibus*, & fuſius deducuntur apud Sanchez Libr. 7. Moral. Cap. 2. Portel, Peyrinum, Lezanam, Dianam Part. 3. Tract. 2. Reſolut. 55. alioſque. De quibus nos plura inferius, de Paupertate Religioſa.

ARTICVLVS II.

De Profeſſione Religioſa.

PRofeſſionis Religioſæ eſſentia diſtinctè exprimitur hac definitione, quod ſit: Contractus moralis, non merè humanus ſed ſacer, per quem homo voluntariè ſe tradit Deo in certa Religione legitimè approbata, idque per tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ interueniente etiam Prælati regularis auctoritate dictam traditionem Dei nomine acceptantis.

Ad eſſentiam Religionis non requiruntur tria vota ſolemnia. Patet ex eo, quod qui in Societate Ieſu emittunt tria vota ſimplicia ſint verè Religioſi: ſic enim definit *Gregorius XIII.* in Bulla, *Aſcendente Domino* apud Pellyzarium, Layman, alioſque.

Qui in Ordinibus Militaribus caſtitatẽ non abſolutam, ſed tantum coniugalem vouent propriè Religioſi non ſunt. At verò milites S. Ioannis, & ordinis Teutonici, cum edant tria Vota ſubſtantialia. veri Religioſi ſunt. Ita quoad primam partem docet *D. Thomas 2. 2. 186. Art. 3. ad 3.* & cum alijs *Sanchez Lib. 4. Mor. cap. 16.* Quoad ſecundam *Nauarrus conſil. 12. Peringo, &c.*

Irrita eſt profeſſio Religionis, ſi addatur conditio ſtatui Religioſo repugnans, v. gr. vt poſſit aliquis retinere aliqua bona, tamquam propria: Ita *Abbas*, *Syluester*, *Leſſius*, *Sanchez*, *Lib. 5. Mor. cap. 4. Num. 92.*

Religioſi non ſunt, qui editis Votis perpetuæ caſtitatis, ac paupertatis, obedientiam etiam vouent Epiſcopo, aut Confeſſario præſtandam. Quia tali voto non ſubijciuntur ſpirituali iuriſdictioni Ordinis, imò nec Eccleſiaſticæ perſonæ efficiuntur, ſed vt ante erant

Laicæ

Laicæ permanent : Ita *Leſſius de Iuſt. Cap.*41. *Dub.*10.*num.*10.

Summus Pontifex etiam in ſolemnibus Votis Religionis diſpenſare poteſt, vt aliquis Religioſus eſſe deſinat. Cum enim Pontifex poſſit diſpenſare in Votis ſimplicibus, ſequitur etiam poſſe in ſolemnibus, cum ſolemnitas Votorum ab Eccleſia ſit inducta. Id docent plures Theologi, & exemplis confirmant, cum Nauarro Capitul. 12. Num.75. quamuis aliter ſenſerit D. Thomas, alijque.

Religioſus promotus ad Cardinalatum vel Epiſcopatum, obſtrictus manet eſſentialibus Votis ſuæ religionis, licet quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ, exemptus cenſeatur, idque per accidens, nam manet nihilominus ſub obedientia ſummi Pontificis, capite omnium Religionum: Ita *D. Thomas communiter receptus in* 2.2. *Quæſt.* 88. *Art.*11.

Religioſus factus Epiſcopus, vel Cardinalis, ſaltem ex moralis honeſtatis obligatione, præſcripta Regulæ ſeruare debet, quæ cum munere, ac dignitate ſua conſiſtere poſſunt, v.gr. vt habitum ſui Ordinis ferat, retento ſaltem illius colore, quamuis quoad formam ſiue figuram poſſint ſe conformare Epiſcopis ſæcularibus, ex indulto *Clem. VIII.* apud *Sanchez, hic. Numer.* 12. *alioſque.*

Religioſus ad ſecularem Parochiam promotus, habitum ſuæ Religionis deferre, & alia præſcripta Regulæ, quatenus cum munere, & laboribus eius conſiſtere poſſunt, obſeruare debet, etiam ſub culpæ obligatione ſi Regula Ordinis ita obliget. *Layman. hic Lib.*4. *Tract.* 5. *Cap.* 1.

Religioſus dum Parochiam ſæcularem adminiſtrat in pleriſque Epiſcopo diœceſis ſubijcitur, verum in ijs, quæ ad Regulam ſpectant v.gr. vt habitum geſtet, videtur ſubiectus manere Abbati, vel Præpoſito Monaſterij. Ita *Angelus Ver. Monachus*, *Roſella*, *Sylueſter*, *Sanchez*, *Lib.* 6. *Moralium Cap.* 6. *Num.*36.

Profeſſio in Religione duplex eſt, alia expreſſa, ſeu verbo, ſeu ſcripto: alia tacita v.gr. ſi quis poſt annum probationis, profeſſorum habitum proprium triduo geſtauerit, aut intra triduum, poſt annum probationis exactum, exerceat actum proprium profeſſorum, v. gr. in capitulo ſuffragium ferat, aut ſi quis anno continuo habitum in Religione geſtauerit, in qua nulla patens diſtinctio eſt inter Nouitiorum ac Profeſſorum habitum, talis anno exacto cenſetur tacitè profeſſus, niſi proteſtetur ſibi non eſſe animum propterea Religionem profitendi. Hanc tacitam profeſſionem valere etiam poſt Tridentinum monent *Rodriquez*, *Miranda*, *Sanchez Lib.* 5. *Moral.Cap.*3. *Num.*36.

Metus grauis, & iniuſtus, ipſo iure infirmat profeſſionem Religioſam, vt nulla exinde obligatio oriatur, v. gr. ſi Nouitius incarceratus fuit, propterea quod diſceſſum petierit. Imo quandoque etiam metus reuerentialis, ſi nimirum alia concurrant, quæ difficulter homo à ſe repellere poſſit. V. G. ſi minentur Conſanguinei nihil amplius ſubſidij præbendum, ſi è Religione egrediatur. Ita tradit fuſius cum alijs *Sanchez Lib.* 4. *Diſp.* 7. *Num.* 7. *Coninch, & Leſſius de Iuſt. Lib.* 2. *Cap.* 17.

Poſt Quinquenium à die profeſſionis non auditur Religioſus in externo foro, ſi dicat profeſſionem ſuam ob metum, vel aliud impedimentum irritam fuiſſe: prius enim reclamare debebat. Certum eſt *Tridentino de Regular Capit.* 19.

Licet alicuius profeſſio ipſo iure irrita fuerit, tamen ſubſequente expreſſa vel tacita ratificatione, coram Prælato, ijſque quorum intereſt, facilè conualeſcit. Ita cum alijs *Nauarrus Lib.* 3. *Conſil.* 41. *de Regularibus.*

Qui generatim vouit, ſe Religionem ingreſſurum, debet moralem diligentiam adhibere vt in aliquo Ordine ſuſcipiatur, idque ſpectata intentione vouentis. maſculi ſolum intentionem habere cenſetur ad monaſteria ſuæ nationis: fœminæ ſolum ad vicina monaſteria, propter commoditates cognatorum. Quod ſi quis in ordine laxiore non recipiatur, non tenetur ad ſtrictiſſimum v. gr. Capucinorum, vel Carthuſianorum, ſi affirmet, vel ex circumſtantijs (puta quia eſt homo delicatus) colligi poſſit non fuiſſe ipſi mentem etiam ad tales Religiones ſe obligandi. Quia in generali promiſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie promiſſurus non fuiſſet: Nec adigendus eſt vt fiat Laicus in Monaſterio, ſi affirmet, vel ex circumſtantijs colligi poſſit, intentionem Voti non ſe extendiſſe ad hunc caſum, vti iam dictum. Et ita docet ipſe *D. Thomas* 2. 2. *Quæſt.*88 *Art.*3. *Caietanus Arragonius*, *Sotus*, *Azor*, *Valentia*, *Rodriquez Sanchez*, *&c.*

Qui certam Religionem vouet, etſi in vno Monaſterio repulſã ferat, debet alia Monaſteria eiuſdem Ordinis adire, ſi ſpes ſit ſuce-

ptum iri. Secus eſt, ſi ingreſſum certæ Religionis, & Monaſterij ex cauſa ſpeciali vouerit, videlicet cum dependentia ad certum locum, & non in ſenſu diuiſo, videlicet per ſe qualicumque loco. Ita fuſius poſt *D. Thomam cit. Quæſt. 88. Art. 3. ad 3. Caietanus, Sotus, Azor, Sanchez, Suarez de Relig Lib. 4. de Voto Cap. 8. Num. 8.*

Qui Religionem vouit, peccata contra Religionis virtutem, ſi ſe impotentem reddat ad Monaſterij ingreſſum, contrahendo v. g. ingentia debita; vel commitendo crimen ex quo inhabilis fiat ad admiſſionem, *Layman hic, alijque.*

Qui vouit ſe profeſſurũ in Religione laxa, poteſt eligere ſtrictiorem: Peccat ingrediendo Religionem laxiorem ſine diſpenſatione, quia minus præſtat quam promiſerat. Valida tamen eſt profeſſio, quia alterum Votum ſolemne, in quo perſonæ traditio fit, & Religioni ius in ipſam acquiritur derogat priori ſimplici Voto per quod nullum tale ius ſtrictiori Religioni acquiſitum erat. Conſtat ex *D. Thoma* 2. 2. Quæſt. vltim. Art 8. ad. 3. *Caietano* ibidem, *Nauarro, Sanchez, & alijs communiter.*

Votum ingrediendi, & experiendi Religionem ſtrictionem quiſque commutare poteſt in Votum profitendi laxiorem. Ratio, quia Votum perſeuerandi in laxiori melius eſt, & plus obligans, quam Votum tantùm ingrediendi, & experiendi ſtrictiorem. Ita *S. Antoninus Par. 2. Tit 11. Cap. 2. §. 8. Syluester Ver. Votum, Sanch. alijque.*

Mendicantes non poſſunt tranſire ad alium Ordinem non mendicantium (excepto Carthuſianorum) ſub excommunicatione Papæ reſeruata: Et licet cum licentia Papæ, aut Ordinis tranſeant, tamen non habent vocem in Capitulo, nec Adminiſtrationes, nec Prioratus, aut officia conſequi poſſunt. Habentur hæc ex Extrauaganti communi, *Viam ambitioſæ*, & ex *Clementina* 1. de Regularibus.

Auſteritas Ordinis attendenda non eſt ſecundum inſtitutum Regulæ, ſed ſecundum Obſeruationem præſentem, in tantùm, vt profeſſus in ſtrictiore Ordine, vbi non ſeruatur Regula, poſſit tranſire ad laxiorem, in quo ſeruatur Regula, niſi ſpes ſit reformationis futuræ prioris Ordinis, aut ſi in Prouincia Monaſterium eiuſdem Ordinis ſit, in quo ſeruatur Regula, & ad quod transferi poterit. Ita *Rodriquez, Sanchez, Leſſius, Layman, alijque.*

Canonici Regulares tranſire poſſunt ad ordinem Monachorum, ſed non vice verſa. Quia Religio Monachorum auſterior eſt, De quo *Nauarrus in Caput Statuimus* 19. *q.* 3. *de Regularibus, &c.*

Quod ſi quis ab vno Ordine ad alium tranſire velit, & non recipiatur, vel receptus iterum ante Profeſſionem egrediatur, debet redire ad ſuum Ordinem: Quia non ſimpliciter ex Ordine dimiſſus eſt, ſed ſub conditione, vt alium ingrediatur, ac profiteatur. Ergo hoc non ſecuto, redire debet: de quo *Sanchez, ſupra num.* 30. *& in Compendio Priuil. Soc. Ieſu Apoſtatæ §.* 11.

ARTICVLVS III.

De Paupertatis Religioſæ varia obligatione.

Religioſus abſque conſenſu Prælati expreſſo aut præſumpto nullam rem pretio æſtimabilem accipere, retinere, abſumere, permutare, aut alteri donare poteſt. Hæc enim obligatio in Paupertatis Religioſę Voto inuoluitur, vt nihil poſſideat proprium ſiue ad propriam diſpoſitionem. De conſenſu Prælati præſumpto docent *Suarez, & Leſſius*, Religioſum excuſari à mortali ſi præſumatur affectus Prælati rem libenter conceſſuri ſi rogaretur. Quia tunc cenſetur rem habere ex ſuperioris voluntate ſaltem virtuali. Atque hinc ſi Superior ſit inuitus tantùm quo ad modum, venialiter quidem peccari, ſed non contra Votum Paupertatis tradit *Suarez, Sanchez, & Layman Lib. 5. Tract. 5. capitul. 7.*

In Societate Ieſu Scholaſtici, & Coadiutores temporales, qui poſt bienium probationis, Vota ſimplicia emiſerunt, poſſunt retinere, & acquirere Dominum radicalè bonorum tàm mobilium, quàm immobilium vt eſt hæreditas, &c. Sunt tamen priuati iure actuali de illis diſponendi pro ſuo arbitratu.

Si autem de facto inter viuos aut mortis cauſa de bonis ſuis diſponat abſque Superioris conſenſu, valida videtur illa diſpoſitio, quamuis ſic diſponentes peccent contra Votum paupertatis. Ratio horum eſt, quia illi retinent Dominium bonorum ſuorum, donec illis ſe abdicent per profeſſionẽ ſolemnem, quamuis reſtringantur quoad vſum, iuxta inſtitutum Societatis à pluribus Pontificibus confirmatum vt à Gregorio XIII. Aſcendente Domino. Ita Sanchez Lib. 7. Mor. Cap. 18. alijque.

Pec-

Peccant etiam generatim Religioſi qui rem aliquam pretio æſtimabilem ſine ſuperioris ſui conſenſu expreſſo, tacito, aut præſumpto, accipiunt, retinent, occultant, abſumunt, permutant, aut alteri donant. Ita cum communi *Antoninus*, *Syueſter*, *Nauarrus*, *Mendoza*, *Azor*, *Valentia*, *Leſſius*, *Sanchez*, *lib.* 7. *Moral. Cap.* 19.

Sufficit tamen conſenſus ille *tacitus*, quo Prælatus ſciat ſubditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibeat cum facile poſſit: Tunc enim plerumque approbare cenſetur. Ita *Sanchez* ibidem: qui, & addit *Num.* 70. Si prælatur Religioſos donet, aut res ab alio donatas illi permittat, vt muniſmata benedicta, vinculas, roſaria, ſciens ſubditum ad proprium vſum ijs omnibus non indigere ſpectata earum qualitate, hoc ipſo tacitè concedi facultatem ea alijs ſiue domeſticis, ſiue externi donandi. Et domeſticos pro tunc alia venia non indigere deducit *Lugo* de Iuſt. Diſp. 3. Sect. 8.

Vſus ſolus rerum non abſumptibilium poteſt eſſe contra Votum Paupertatis v. gr. librorum ad notabile tempus, quo tamen raro aſcendere ad mortale, notat *Sanchez ſupra*, *& cap.* 20. *Num.* 6.

Si Religioſus parcius viuendo aliquid reſeruat, non ſibi acquirit, ſed Monaſterio manet, cum ſit dominij incapax, ideoque nihil ſibi proprium acquirere ſeruando poteſt, aut alijs donando. De quo *Sanchez ſup. Lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 33.

Quidquid Religioſus Contractu, donatione, vel hæreditate acquirit, Monaſterio acquirit: Monaſterium autem non obligatur ex contractu vel delicto Religioſi, niſi quatenus conſenſum præbuit, vel aliquod inde commodum accepit. Ita *Nauarrus Com.* 2. *de Regul. num.* 62. *Azor.* 1. 2. *cap.* 11. *Quæſt.* 2. *alijque*, *& colligitur ex cap. quod quibusdam de Fideiuſſore*.

Adminiſtratores, & Oeconomi Religionis, plus dare non poſſunt, quam Ordinis Regula, Conſuetudo, vel Superioris voluntas permittit. Conſtat ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 32. *Art.* 8. *alijſque*. Vnde ſi quis ab illi vltra poteſtatem conceſſam acceperit, furti particeps cenſetur.

Prælati Regulares contra Votum paupertatis, & aduerſus Iuſtitiam peccant, ſi bona Conuentus aliter expedant, aut donent, quam Ordinis Regula, aut conſuetudo permittit. Quia Prelati non ſunt bonorum communium Domini, ſed ſolum Adminiſtratores. Ita cum communi *Nauarrus hic num.* 11. *&* 23. *Abulenſis*, *Molina*, *&c.*

Quanta materia ad tranſgreſſionem Voti paupertatis requiratur, ita definiri ſolet ſicuti in furto, præſertim filiorum à parentibus honeſtis, quod latitudinem aliquando maiori admittit: de quo *Nauarrus*, *Azor*, *Sanchez*, *alijque*.

Tridentinum Concilium *Seſſ.* 25. *cap.* 2. videtur prohibuiſſe, ne Religioſo deſignentur ſtabiles reditus inſtar cuiusdam peculij, quamuis dependentis à Prælati voluntate, licet alij DD. non ſine probabilitate negent id Tridentino Concilio aduerſati. Ita enim docet *Nauarrus Comment. de Regul. num.* 18. *& alibi*, *Sanchez*, *Sà*, *Ecia*, *Lud. Miranda*, *& alij* Contra *Lopez*, *Leſſium*, *Azor*, *Rodriquez*, *Molinam*, *Tom.* 2. *Diſp.* 176.

Prælatus Religioſo licentiam dare non poteſt res abſumendi in vſus vanos, aut illicitos, ſed tantùm expendendi ad vtilitatem Monaſterij, publicam, vel priuatam. Nam Prælatus ſubdito maiorem facultatem conferre non poteſt quam ipſe habet: cum autem is bonorum Monaſterij Domnus non ſit, ſed tantùm Adminiſtrator, ideò ea arbitratu ſuo, atque inutiliter expendere non poteſt, ſed tantùm in eiusdem Eccleſiæ ſeu Monaſterij neceſſitatem, vel aliquam vtilitatem. De quo fuſiùs *Nauarrus ſupra*, *num.* 23. *Sylueſter Ver. Religio*, *Miranda*, *Tom.* 1. *Quæſt.* 28. *Art.* 9. *Valentia*, *Molina*, *Sanchez*, *Lib.* 7. *Moral. cap.* 19. *num.* 30.

Etiam Abbatiſſæ Monialibus ſuis ſubditis licentiam dare poſſunt accipiendi, expendendi, retinendi, quæ iuſta ſunt. Excipit tamen *Sanchez* ſup. num. 44. Niſi conſuetudine, vel conſtitutione Ordinis Abbatiſſæ poteſtas ſit reſtricta.

Religioſus ſi rem aliquam donatam abſolutè acceptet in fauorem alterius, non interueniente licentia Prælati, peccat contra Votum paupertatis: ſecus tamen, ſi ſe habeat tantùm vt interceſſor, eleemoſynarius, internuncius. Ratio prioris eſt, quia in hoc caſu Religioſus ius aliquod pretio æſtimabile ſibi vſurpat ſi accipiat pecuniam ſuo arbitratu diſtribuendam, ita vt à dante reuocari non poſſit. In poſteriori autem reuocari poteſt, & de re nulla nomine ſuo diſponit. Ita *Turrianus*, *& plure apud Sanchez ſupra cap.* 30. *num.* 3.

Si monacho hæreditas aut legatum relinquatur ea lege, vt ad ipſum, & non ad Monaſterium pertinere debeat, explicari debet, voluiſſe teſtatorem, vt ad Monachum pertineat cum conſenſu Prælati: Quare ſi Prælatus conſenſum neget, corruit legatum, vel inſtitutio-

tio. Ratio, quia diſpoſitionem qualemcumque ita interpretari oportet, potius vt valeat quam vt pereat, & perplexitas verborum ſecundùm præſumptam voluntatem teſtatoris ordinanda eſt. Adde quod verba teſtatoris debent intelligi ſecundum conditionem perſonæ, cui aliquid datur: atqui Monachus hæreditatis aliter capax non eſt niſi quoad vſum dependentem à voluntate Prælati. Monachus tamen legatum ſibi relictum poteſt Monaſterio reſignare. Quia conditio illa à teſtatore appoſita erat in gratiam Monachi, quiuis autem fauori ſuo renunciare poteſt. Ita *Angelus* Ver. Monaſterium n. 1. Sylueſter Ver. Religio Quæſt. 5. Rodriquex, Molina, Bartolus, Sanchez Sup. Cap. 17. num. 4.

Si teſtator expreſſerit, non aliter ſe relinquere Monacho, niſi vt habeat rem independenter à Prælati conſenſu, irritum eſt legatum: ſed in dubio non eſt præſumendum id adiectum fuiſſe, vt conditionem propriè dictam, ſed vt modum, qui ſi impoſſibilis ſit pro non adiecta habetur. Ita *Bartolus*, *Syluester*, *Molina*, *Rodriquez ſupra*, *contra paucos*.

ARTICVLVS IV.

De voto Religioſæ Caſtitatis.

CAſtitas religioſa rectè definitur, Virtus qua Religioſus per Votum promittit abſtinere ab omni delectatione venerea tam illicita quam licita per connubium: ſiue ſit Votum ſolemne, ſiue ſimplex, quale emittunt Religioſi Societatis poſt biennium probationis, & dirimit matrimonium ſubſequens ex Gregorio XIII. Conſt. *Aſcendente* Domino.

Hinc pro breui reſolutione caſuum plurimorum *Omnis* actus venereus, qui in ſæculari eſt peccatum vnicum contra caſtitatem, idem actus in Religioſo eſt peccatum duplex, ſcilicet intemperantiæ contra Caſtitatem, & ſacrilegij contra Votum quo ſe ad ſeruandam Caſtitatem adſtrinxit.

Non dari in Religioſis, nec in alijs, in delectationibus venereis omninò deliberatis paruitatem materiæ, quæ excuſat à mortali, communior eſt ſententia, apud *D. Thomam* 2. 2. *Quæſt.* 154. *Art.* 4. *S. Antoninum Part.* 2. *Tit.* 5. *Cap.* 1. *num.* 9. *Sylueſtrum V. delectatio*, *Leſſium*, *Lib.* 4. *Cap.* 3. *numer.* 59. *Azorium Part.* 3. *Libr.* 3. *Cap.* 25. *Rebellum*, *Baldellum*, *Sanchez*, qui retractauit ſententiam ſuam oppoſitam ex *Armilla*, *Soto*, *Nauarro*, *&c.* cum eam docere nobis interdictum ſit à P. Generali Claudio Aquauiua die 24. Aprilis 1612. Decreto quod incipit: *Quia nonnullorum opinio &c.*

Votum Caſtitatis Religioſæ irritat ſponſalia de futuro. Ita *Suarez*, alijque ab ipſo relati de Relig. Tom. 3. Lib. 9. Cap. 7. Num. 8. Imò diſſoluit ſponſalia de præſenti, aut matrimonium ratum, & non conſummatum vti probatur ibidem: ergo à fortiori dirimit ſponſalia de futuro.

Non tamen dirimit Votum illud matrimonium ratum, & iam conſummatum. Eſt certum, & conſtat ex illo Matth. 12. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

Dices, inde non ſequitur, quod per Vota ſolemnia non poſſint ſeparari ex conſtitutione Eccleſiæ, quæ non *hominem* ſed Deum repræſentat.

Reſp. Eccleſiæ non competere poteſtatem diuinam in illis in quibus ipſum ius diuinum repugnat, vti hic repugnare docet S. Gregorius Lib. 9. Epiſt. 39. & ipſa praxis Eccleſiæ in oppoſitum.

Votum Religioſæ Caſtitatis inhabilitat ad matrimonium ſubſequens: etiam quoad Scholares approbatos Societatis. Vota tamen ſimplicia, etiam formati, in eadem non diſſoluunt matrimonium ratum præcedens, vti cum alijs fuſius oſtendit *Pellizarius Tract.* 4. *cap.* 3. *Sect.* 2. & *Suarez de Rel. hic num.* 13. addens etiam, vſu ſemper ſeruatum, vt nemo ligatus vinculo matrimonij rati in Societatem recipiatur.

Qui eſt religioſus, & ſimul Sacerdos violans Caſtitatem, Sacrilegium non niſi vnicum committit, ideoque ſufficit illum confiteri ſe eſſe ligatum Voto Caſtitatis. Si tamen Religioſus cum Religioſa peccaret duplex Sacrilegium, & in confeſſione exprimendum admitteret.

Vt Violatio Caſtitatis Religioſæ cadat ſub Reſeruationem à Superiorem factam, requiritur vt ea ſit mortalis non tantùm per relationem ad intentionem; & prauum affectum delinquentis, ſed etiam ex ipſa grauitate operis externi, quod per ſe cenſeatur mortale in genere luxuriæ; ita *Pellizarius*, *Diana* & alij communiter. Debet etiam eſſe lapſus carnis plenè voluntarius, & opere conſummatus: per hoc opus conſummatum non tantum intelligitur fornicatio, aut quæcunque alia copula illicita, ſed etiam quæcumque pollutio perfecta voluntate procurata, etſi non perueniatur ad actum vlteriorem ſiue copulam, quam fortaſſe peccans intendebat: Ita *Suarez de Relig. To.* 4. *Tract.* 8. *Lib.* 2. *Cap.* 18. *Lezana*, *Diana* alij citans *Part.* 3. *Tract.* 2. *Reſol.* 118.

Hinc delectationes moroſæ, imò tactus, aſpectus, aut complexus venerei, & deliberati, etſi ſint peccata mortalia non ſunt tamen caſus reſeruati. Quia illa propriè, & rigidè non veniunt ſub nomine lapſus carnis opere conſummati, ſi non accedat pollutio, & aliquo modo intenta. Imò hic benè notandum, quod tradit *Sanchez de Matrimon. Lib. 9 diſput. 45. num. 29.* Si dantem culpabilem cauſam pollutioni pœnituerit legitimè cauſæ datæ anteaquam ſubſequatur, vacare in ſe culpa pollutionem poſtea ſubſequentem. Vnde ſequitur etiam à reſeruatione vacare.

Quando Confeſſarius dubitat, an caſus particularis in hoc genere ſit reſeruatus pœnitentem ab eo rite abſoluit, modò non ſit confeſſarius ſupine negligens, & ignarus. Ita cum communi docet hic *Suarez*, *Filliucius*, *Bonacina*, *Lugo de Pænit. Diſput. 29. Sect. 2.*

Plura de peccatis tam in alijs, quam in hoc genere reſeruatis, vide in hoc Opere infra de Abſolutione Tract. 2. c. 3.

De ipſius verò peccatis contra Caſtitatem in particulari, & quando ſint mortalia, aut venialia, vide ibidem, *Pars. III. Tract. V. Cap. VI. in Luxuria.*

Quæſtio ſingularis eſt, An cum Religioſo diſpenſare Poſſit Pontifex, ad contrahendum matrimonium eo modo, vt habita prole, teneatur relicta vxore iterum ad Religionem redire, Reſpondet cum Tabiena, & Abbate, *Sanchez* de Matrimon. Lib. 8. Diſput. 8. Num 9. Id poſſe fieri tantùm in caſu quo vxor in hoc conſentiret, vel per fornicationem præberet iuſtam cauſam diuortij perpetui. Quia abſque his conditionibus de eſſentia matrimonij eſt vt ſic perpetuum.

Vbi recte notat *Sanchez*, cauſam talis diſpenſationis debere concernere publicam vtilitatem, qualis eſſet præclaræ alicuius Familiæ conſeruatio per nouæ ſobolis generationem.

(∴)

ARTICVLVS V.

De Obedientiæ Religioſæ obligationibus.

Ex vi voti Obedientiæ, Religioſus obligatur ad omnia, quæ Prælatus præcipit conformia Ordinis Regulis, & conſtitutionibus, ſiue res præcipiatur expreſſe, ſiue implicite. Quod ſi Prælatus in imperando addat: In virtute ſanctæ Obedientiæ, vel forma æquiualenti, obligatur ſubditus ad obediendum ſub mortali. Si verò alia aut nulla ſimili forma vtatur, cenſetur tantùm obligare ſub veniali, quod ſaltem in Societate vſum habere notant ex ea Auctores varij. De his in communi *S. Thomas 2. 2. Quæſtio. 104. Leſſius, Layman, Pellizarius, Sanchez Lib. 6. Moral. Cap. 1.* Imò rarò Superiores ex parte ſua ſub culpæ obligatione præcipere aliquid cenſendi ſunt, niſi vtantur verbis, in virtute, &c. aut ſimilibus. Quod de conſuetudine in Societate teſtatur porrò *Alphonſus Rodriquez exercitij profectionis Part. 3. Tract. 6. Cap. 3. Sanchez Lib. 4. Moral. Cap. 4. Vaſquez 1. 2. Tom. 2. Diſp. 158. Cap. 3. Numer. 24.*

Si Prælatus præcipiat Religioſo verb. gr. Epiſcopatum, aut Inſtituta auſteriora quàm Regula Ordinis requirat; non tenetur illi in hoc obedire. Ratio, quia Prælatus nihil præcipere poteſt niſi quod directè, vel indirectè pertinet ad Regulam. De quo S. Thomas 2. 2. Quæſt. 104. Artic. 5. in corpore, & Diſt. 44. Part. 2. Artic. 3. qui illic triplicem obedientiam diſtinguit: *Indiſcretam*, ſi quis obediat contra legem Dei, vel regulam Ordinis: *Imperfectam*, ſi quis obediat tantùm in his ad quorum obſeruationem ſe Voto obedientiæ expreſsè, vel implicitè obſtrinxit. *Perfectam*, ſi quis obediat in omnibus, quæ non ſunt contraria legi Dei, aut Regulæ, quam profeſſus eſt. Debere ſemper obedire vbi manifeſtum non cernitur peccatum, ad perfectionem Obedientiæ, non ad Votum pertinere tradit *Layman ex D. Bonauentura, & D. Thoma 2. 2. Quæſt. 104. Art 5. in corpore.*

Probabile eſt, quod Prælatus Ordinis propter Votum Obediendi in omnibus, quæ iuſta ſunt, etiam *actus internos* præcipere poſſit, licet conſuetum non ſit, nec conſultum, vt talia ſub peccato præcipiantur. Ratio concluſionis, quia Prælati poſſunt irritare Vota interna ſuorum: Ergo habent gu-

gubernatiuam poteſtatem in actus internos. Deinde Religioſi poſſunt vouere internos Actus, & ſub obligatione promittere: Ergo ſunt capaces vt imperentur. Ita *Suarez lib. 4. de Legibus Cap. 12. aliíque contra plures.*

Quæ ex genere ſuo *indifferentia* ſunt, à Prælato bono fine v. gr. ad mortificandum propriam voluntatem præcipi poſſunt. Ita *Caietanus in D. Thom. in q. 186. art. 5. ad 4.* Contra *Mirandum T. 1. manualis q. 26. art. 9.*

Si Ordinis Regula ſub culpa non obligat, eius tranſgreſſor non peccat contra Votum obedientiæ. Quia Votum obedientiæ intelligitur de ijs tantùm, quæ continent propriè præceptum. Nihilominus poteſt ſuperior propter tranſgreſſionem pœnam imperare, cum obligatione eam ſuſcipiendi ex obedientiæ Voto, quamuis non ſemper ita obligare ſoleat. Ita cum communi *S. Thom. 2. 2. Quæſt. 186. Art. 9. ad 1. Sanchez, Valentia Tom. 3. Diſp. 10. Quæſt. 4. Punct. 5.*

Religioſus in Ordine Prædicatorum aut Societatis Ieſu tranſgrediens meram Regulam bono aliquo fine, non peccat: v. gr. ſi extra tempus loquatur cum ſocio vt mæſtum conſoletur: quia Regula per ſe non obligat ſub peccato. Paratus tamen eſſe debet, qui ita Regulam tranſgreditur, pœnam ſubire, quippe etiam ob defectum non culpabilem coram Deo inferri poteſt ob regularem diſciplinam conſeruandam. Ita *D. Thom. Sup. art. 9. Valentia, Sanchez, Vaſquez 1. 2. Diſp. 158. ca. 3. n. 16.*

Sin verò Regulam violet ob torporem, aut libidinem, peccat ſaltem venialiter. Imò ſi quis frequenter tranſgrediatur, & hoc modo Religioſam diſciplinam grauiter perturbet, moraliter peccat: Vti tradit, & explicat *Sanchez* libr. 4. Moral. Cap. 4. numer. 18.

Regulares profeſſi non tenentur acceptare Nouam Regulam, ſeu arctiorem viuendi modum, quem nec explicitè nec implicitè profeſſi fuerunt. Ratio, Quia Religioſi per Votum obedientiæ non tranſtulerunt omnem voluntatem in ſuperiorem, vt quælibet ipſis imperare poſſit: ſed ea ſolum, quæ ad obſeruationem Regulæ, quam profitentur directè, vel indirectè ſpectant. Nec ex communiori, ſummus *Pontifex* poteſt cogere Religioſum ad arctiorem viuendi rationem, quam prima Inſtituti forma poſtulat. Quia *ſpeciale* obedientiæ debitum, quo Religioſi erga ſummum Pontificem adſtringuntur ex Voto eorum prouenit, quod erat ſecundum proprium Regulæ Inſtitutum. Sed vt Epiſcopatum accipiant, poſſunt cogi, cum vt alij Clerici, ſummo Eccleſiæ Paſtori ſubiecti ſint. Ita communius *Syluester, Sanchez, Leſſius Lib. 2. Cap. 41. numer. 76. Azor. Tom. 1. Inſtitut. Moral. Lib. 13. Cap. 11. Quæſtion. 19.*

Si tamen ſtrictior obſeruatio neceſſarium medium videretur ad ſubſtantialium Votorum in tali Ordine obſeruationem Regularibus auctoritate Prælatorum imponi poteſt, licet eam expreſsè non vouerint. Quia talis obſeruatio indirectè pertinet ad Regulam quando ſine illa Regula in ſuo vigore conſeruari non poteſt, conſequenter cum Religioſus Regulam profitetur, implicitè etiam ſe obligat ad ea omnia ſine quibus ſtatus Religionis ſuæ conſeruari nequit. Ita ſupra citatus *Syluester, Sanchez, Leſſius*, alijque.

Si appareat Regulæ ac diſciplinę temporis diuturnitate collapſę Reformationem neceſſarium medium fore ad Ordinis conſeruationem, Prælatus, cum Capitulo, multóque magis Summus Pontifex ad acceptandam reformationem omnes profeſſos compellere poteſt. Ita *Vaſquez ſupra Cap. 4. Num. 25. Azor. Tom. 1. Lib. 13. Capit. 11. Quæſtion. 19. Sanchez ſupra Cap. 2. num 35. cum alijs ab ipſo citatis.*

In Societate Ieſu vltra tria Vota ſubſtantialia Religionis, ſunt & alia Vota ſex quæ à Profeſſis emittuntur, apud Suar. alioſque.

Primum eſt, Votum ſolemne obedientiæ Pontifici circa Miſſiones quaslibet, etiam ſine viatico amplectendas, intellige, ſi hoc ſit neceſſe. Non excludit tamen hoc Votum excuſationem iuſtam perſonæ deſignatæ, modo parata ſit ea non obſtante parere, ſi præcepto formali mandetur.

II. Votum ſimplex non permittendi, quantum in ſe eſt, relaxationem paupertatis ſui Inſtituti, ſcilicet, ſuffragando ad illius mutationem. Non violatur autem per actiones particulares Superiorum aut aliorum aliqua vltra limites paupertatis indulgendo, aut vſurpando.

III. Votum non procurandi dignitates intra Societatem, quod etiam eſt ſimplex. Violatur hoc votum per quamlibet actionem externam in ambitum talem influentem: idque etiamſi ambitus ille per alium exerceatur: intellige vtrobique, ſi actio externa ſit ſufficienter manifeſtatiua ambitionis. Violatio talis reddit cuiuſuis Prælationis in Societate incapacem. Non violatur procurando ſibi

non auferri dignitatem iam acquiſitam, apud citatos.

IV. Votum non acceptandi dignitates extra Societatem, quod etiam eſt ſimplex, & intelligendum de actione externa, vt ſupra, Vetat omnem talem ambitum directum, imò & indirectum iuxta *Sanchez lib 6. Moral. cap. 17.* Contra *Pellizarium* in manuali Tract. 4. cap. 5. Sect. 5. Additur in formula: *Niſi coactum obedientia eius qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati*. Per hoc ſolus Pontifex paſſim intelligitur, non Generalis, non Congreg. Cardinalium etiam Sede vacante: ſub hoc Voto non contineri ipſum Papatum docet hic *Suarez Cap. 9. Num. 14.*

V. Votum etiam ſimplex, denunciandi ambientes. Intellige, quando ambitio eſt mortalis contra Votum prædictum, & quando eſt moralis certitudo delicti, etiamſi non poſſit à denunciante probari. Non obligat hęc denunciatio ſi ambitus ſit tantùm volitus ſed non inceptus: vel ſi ſciatur tantummodò alios velle pro aliquo id ignorante ambire: vel ſi conſtet denunciationem faciendam fore fruſtraneam. Denique vi huius voti denunciandi ſunt tantum Profeſſi ambientes, vti contra *Sanchez* docet *Suarez, Caſtropalaus, Pellizarius hoc citans in manuali Tract. 4. cap. 5. Sect. 5. n. 305.*

VI. Votum ſimplex, audiendi conſilium Generalis &c. ſi in Epiſcopum profeſſus eligatur. Non obligat hoc Votum ad conſilium poſitiue petendum, ſed audiendum: nec ad ſequendum, in caſu quo meliora conſilia aliunde ſuggeruntur.

VII. Eſt votum ſimplex omnibus commune, ſcil. ingrediendi Societatem, quod fit poſt tyrocinium, & diuerſum eſt à tribus Votis ſubſtantialibus Religionis: per hoc enim vouens obligatur ad acceptandum in Societate gradum ſibi poſtea à Generali offerendum ſine profeſſi, ſiue formati. Votum hoc non violaret qui iam promotus ad gradum ſtuderet aſcendere ad Superiorem, vti cenſet *Pellizarius ſupra Sect. 7.*

De alijs Conſtitutionibus ad Regulares particulariter pertinentibus.

COmmodiſſimum eſt ſummatim cognoſcere alia *Conſtituta* minùs communia ad Religiones varias in particulari pertinentia, & apud quos *Auctores* illa reſoluantur. De his habent ſinguli ferè Ordines Regularium Scriptores ſui Ordinis proprios, qui in ſuum Inſtitutum, Leges, normamque viuendi Tomos ac Tractatus integros diſuſe conſcripſerunt, quos infra adducemus, quales ſunt Tractatus hic ſequentes.

Primò, De obligationibus variorum quoad particularium Regularium ſui Ordinis obſeruantiam: quod Sacrmentorum frequentationem quoad Ieiunij, Clauſuræ, Chori, & Miſſarum obbligationem.

Secundò, De probationibus Regularium, quoad abſolutionem reſeruatorum: ſtipendia Miſſæ: libros imprimendos: clauſtra monialium: Appellatione à Prælati ſui correctione: alienationem bonorum ſui Ordinis: Abſtinentiam à Negotiatione, & ab actibus Forenſibus, ſiue iudicialibus, & alijs iure communi prohibitis.

Tertiò, De Pœnis latis contra Regulares iure communi. Item, quoad Cenſuras, Excommunicationes, Suſpenſiones, Reſeruationes, Interdicta, & pœnas Priuatiuas reſpectu Regularium in particulari.

Quartò, De Regularium Priuilegijs, quoad vſum ſingulorum Sacramentorum: quoad Immunitatem ſuarum Eccleſiarum, & Conuentum: quoad Sepulturas, Indulgentias, Confraternitates, Priuilegium Canonis, Exemptionem ab Ordinariorum iuriſdictione, & à Foro ſeculari, Decimis, & Gabellis.

Horum ſingula, vltra ea quę hic de illis tradidimus, difusè tractantur apud Auctores ab initio hic citatos, vt eſt, *Suarez* de Religione, *Pellizarius* in Manuali Regularium, *Caſtropalaus* in ſuo Opere morali de virtute Religionis *Part. 3. Peyrinus, Bordonus, Portel, Diana*, & alij qui ab illis in quæſtionibus particularibus adducuntur.

Bullaria quoq; extant particularia Decretorum Pontificiorum, aliorumque, in quibus continentur ſingula, quę circa Ordines in particulari hactenus conſtituta fuerunt. Præter alios Ioannes Baptiſta Confertius Flor. Sacræ Theologiæ ac Iuris Canonici Doctor, edidit vno volumine in quarto, *Collectionem* Priuilegiorum, &c. Sacr. Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium iuxta ſacri Concilij Trid. reformationem, ſummorum Pontificum nouiſſimas confirmationes, & innouationes.

In hac Decretorum Collectione in particulari cōtinetur Tractatus de Mari Magno Priuilegiorum, & Bulla Aurea, Sixti IV. alijſque Conſtitutionibus ac Litteris Apoſtolicis, earumque validitate pag. 280. De Priuilegiorum derogatione: de Priuilegiorum Conſeruatoribus: de Regularium exemptione: de illorum Foro competenti: de Appella-

tione à ſententia Prælatorum Regularium: de bonis locorum Regularium alienandis: de Prælatorum electione, & poteſtate: de Præſcriptione Regularium actiua, & paſſiua: de tempore, & qualitate Ordinandorum: de verbi Dei prædicatione: & deputatione ac præſentatione ad Confeſſiones audiendas: de Eccleſiis, Domibus, ac locis per Regulares recipiendis: de diuinis officiis ac Miſſis: de Sepulturis: ac Præcedentia in proceſſionibus ac funeralibus publicis, &c. Denique de Monialibus Regularium regimini ſubiectis, earumque clauſura, ac cæteris Inſtitutis: nec non de Confraternitatibus vtriuſque ſexus: Item, de Tertiariis etiam ſexus vtriuſque, qui ab initio Ordini SS. Franciſci, & Dominici nunc diuerſis aliis annectuntur: quarum aliæ ex Conſtitutione Pij V. ad tria Vota Regularia, & clauſuram obligantur: aliæ in parentum, affinium, propriiſue domibus degunt, & virginitatem ſiue cœlibatum per Vota tantùm ſimplicia Deo offerunt. De prędictis, inquam, ſingulis variorum ibi Pontificum Diplomata in proprio tenore expreſſa exhibentur.

RESOLVTIONES Singulares.

A*D Hæreſim, & partes Hæreticorum, & infidelium vbique pertinentes, nec non variarum Miſſionum Naualium, Caſtrenſium, &c.* Traduntur ſeorſim infra per integrum *Tractatum Sextum*.

TRACTATVS SECVNDVS DE SACRAMENTIS IN GENERE, *ET* ABSOLVTIONE SACRAMENTALI

Pro Sacramento Pœnitentiæ.

SVmmula: Materia, & forma Sacramentorum. Intentiò Miniſtri, & ſuſcipientis. Effectus Sacramentorum, & modus illos cauſandi. Caracter Sacramentalis, &c. De Patrum, & recentiorum auctoritate.

De Abſolutione Sacramentali. De Iuriſdictione in quouis genere Approbatione Confeſſarij. Reſeruatis Pontifici, Epiſcopo, Superioribus Regularium, Priuilegiatis: & de Miſſionariorum in his, alijsque poteſtate peculiari. Sequitur Tractatus de Confeſſione: & poſteà de ſingulis Sacramentis in ſpecie.

CAPVT VNICVM.

De Sacramentis in Communi.

SAcramentum in communi, eſt ſignum ſenſibile gratiæ iuſtificantis, à Deo inſtitutum, vt ſanctitatem cauſet. Numerum Sacramentorum eſſe ſeptenarium, &c. probauimus ſuprà in Controuerſ. Part. 1. Tract. II. cap. 6. 11. An & quæ fuerint Sacramenta in ſtatu naturæ integræ, legis naturæ, &c. Traditur ſuprà Tom. II. Part. 1. pag. 58.

Ad eſſentiam Sacramenti pertinent materia, & forma, & debita vtriuſque coexiſtentia. Eſſentialis etiam eſt inſtitutio Chriſti, & intentio Miniſtri, & in adultis plerumque intentio quædam, & diſpoſitio ſuſcipientis. Quæ omnia cum aliis hùc pertinentibus per paucas aſſertiones elucidanda erunt.

§. I.

Quæ, & qualis eſſe debeat materia, & forma Sacramentorum.

DIco primò, Sacramenta nouæ Legis (quæ in vſu conſiſtunt) conſtant rebus vt materia verbis vt forma: præter Matrimonium,

quod

quod perfici poteſt nutu, ſcripto, aut alijs ſignis quæ verb. æquiualent.

Ratio eſt, quia materia Sacramenti v. gr. ablutio infantis in Baptiſmo, eſt res ex ſe indeterminata vt ſit ſignum, & cauſa gratię ſanctificantis: ergo debet ea in ratione talis ſigni determinari per verba, quę ex ſua inſtitutione vim habent aliquid determinatè ſignificandi, & quæ à Chriſto aſſumpta ſunt vt ſimul cum certa materia intriſecè conſtituant ſignum cauſatiuum gratiæ ſanctificantis Dixi, hoc intelligendum de Sacramentis, *quæ in vſu conſiſtunt*, propter Euchariſtiam, quæ poſt Conſecrationem ſeruatur, & permanet Sacramentum, etſi verba Conſecrationis pridem deſierint.

Contra hanc aſſertionem obijcit *Scotus in 4. Diſt. 16. Quæſt. 1.* In Sacramento Pœnitentię ſola abſolutio Sacerdotis ſignificat gratiam, & remiſſionem peccatorum, non autem pœnitentis Confeſſio; ergo Confeſſio non eſt pars huius Sacramenti, ſed tantùm conditio extriſeca ad abſolutionem prærequiſita.

Reſpondeo negando antecedens: quia voluit Chriſtus ad conſtituendum Sacramentum Pænitentiæ aſſumere totam formam externam in Iudicio requiſitam, ad hanc autem formam non tantùm ſpectat ſententia Iudicis, ſed etiam declaratio delicti, quę ſita eſt in Confeſſione Pœnitentis. Idque probatur ex Tridentino Seſſ. 14. Cap. 3. *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex diuina inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Dico ſecundò; Materiæ, & formæ contunctio, & coexiſtentia phyſica non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſed tantùm moralis, ita ſcilicet vti communi iudicio cenſeatur forma cadere ſupra materiam. Hinc validus eſt Baptiſmus, etſi paulò ante vel poſt ablutionem infantis pronuncietur forma, *Ego te baptizo*, &c. Valet etiam abſolutio, etſi vno vel altero die poſt Confeſſionem proferatur. Forma autem Conſecrationis requirit vt hoſtia ſit pręſens, & ſenſu perceptibilis à Sacerdote pro eo tempore, quo proferunt verba Conſecrationis: Ratio huius diuerſitatis petitur ex eo, quod in vno Sacramento præ alio faciliùs, in maiori temporis aut loci diſtantia, intelligatur forma materiam determinare, & cum ea conſtituere vnum ſignum ſacramentale, quod ex diuerſa ſigni natum, & morali æſtimatione iudicari debet.

Dico tertiò: Sacramentorum omnium materia, & forma à Chriſto determinata eſt, quę ſaluo Sacramenti valore, quoad ſubſtantiam mutari nequeunt.

Probatur concluſio ex Trident. Seſſ. 21. Cap. 2. vbi dum declarat in Eccleſia fuiſſe perpetuo poteſtatem, vt in Sacramentorum diſpoſitione ea ſtatueret, & mutaret, quæ magis expedire iudicare, expreſsè addit, *ſalua eorum ſubſtantia*: Ergo non habet Eccleſia poteſtatem aliquid immutandi in materia, & forma, cùm hęc ad Sacrementorum ſubſtantiam pertineant, vnde colligitur ipſius Chriſti poteſtate ſublimiori ea conſtitui debuiſſe.

Contra oblices: Ante Tridentinum materia Matrimonij erat conſenſus cantrahentium ſignis vtrimque expreſſus, abſque Parochi, & teſtium præſentis: Atqui poſt Tridentinum talis conſenſus ſine præſentia Parochi non eſt materia ſufficiens in Sacramento Matrimonij: ergo Eccleſia potuit alicuius Sacramenti materiam immutare.

Reſpondeo, admiſſo ant. negando conſequentiam. Eccleſia enim iſto caſu non immutauit formaliter materiam in Sacramento Matrimonij à Chriſto inſtitutam, quæ fuit traditio poteſtatis in mutua corpora per contractum validum, & legitimum: Eccleſia autem tantùm ſtatuit, vt traditio illa clandeſtina non eſſet amplius valida in ratione contractus, atque ita deeſſet conditio requiſita, vt comprehenderetur ſub materia à Chriſto inſtituta, qui pro materia Matrimonij non quemlibet contractum, ſed omnino validum ſufficere voluit.

Porrò quanta materiæ aut formæ mutatio Sacramentum inualidet, de ſingulis infra dicetur.

Hac theſi ſic conſtituta, corruit gemina hęreſis, vna Lutheri negantis certam verborum formam à Chriſto in Baptiſmo, aliiſue Sacramentis conſtitutam: altera Caluini aſſerintis verbum in Sacramentis debere eſſe non conſecratorium, ſed cōcionatorium, ſic nempe prolatum, vt poſſit fidem in audientibus excitare, cuius vnius actu, & exercitio vult omnes etiam baptizatos iuſtitiam adpiſci. At Caluinum erroris hic arguēt ipſi infantes baptizandi, quibus neceſſe erit Caluiniſtam per ſeptem annos Baptiſmi verba inclamare, antequam iis rationis vſu carentibus, vnum fidei actum extundat.

§. II.

De intentione Miniſtri, ac ſuſcipientis, & qualis ad valorem Sacramenti requiratur.

DIco primò: Intentio Miniſtri eſſentiam Sacramenti neceſſariò ingreditur.

Probatur ex principio generali. Illud eſt de rei eſſentia quo ſublato, cæteris permanentibus, tollitur rei eſſentia. Sed ſublata Miniſtri intentione, manentibus rebus, & verbis, perit eſſentia Sacramenti; ergo illa Sacramenti eſſentiam ingreditur. Minor patet ex Trident. Seſſ. 14. Cap. 6. vbi de Sacramento Pœnitentiæ docet, etſi reliqua adſint, nihil fieri, ſi Sacerdoti deſit animus verè abſoluendi. Hinc etiamſi Sacerdos ſuper Hoſtiam aut calicem formam Conſecrationis debite pronunciet, ſi careat intentione conſecrandi, nihil efficiet: & ſic de cæteris.

Obiicies primò: nihil intrinſecè requiritur ad conſtituendum quoduis compoſitum præter materiam, formam, & vnionem, qua inter ſe copulantur. Ergo nec ad Sacramentum aliud deſideratur quam materia, & forma, & debita vtriuſque coexiſtentia.

Reſpondeo, Intentionem Miniſtri ſe tenere ex parte formæ, nam ad formam Sacramenti non inſtituit Chriſtus verba quocumq; modo prolata; ſed ſimul cum debita intentione conficiendi Sacramentum.

Obijcies ſecundò: Intentio Miniſtri aliquando eſt peccaminoſa: ergo non poteſt eſſe pars Sacramenti, quæ gratiam cauſare debet.

Reſpondeo neg. conſequentiam: quia Sacramentum non cauſat gratiam aut Deum mouet, vt eſt actio Miniſtri, ſed vt eſt actio à Chriſto inſtituta, etſi per malum Miniſtrum malè exerceatur. Sicut Deus inclinatur ad præſtandam gratiam propter eleemoſynam iuſſu Domini conceſſam, etſi famulus ex mala intentione illam diſtribuat.

Obijcies tertiò: Ergo valor Sacramenti erit ſuſcipienti incertus, ſi pendeat ab intentione in Miniſtri pectore recondita, & hominibus ignota.

Reſpondeo negando ſequelam: Habebit enim certitudinem moralem, quam Chriſtus voluit ſufficere in Sacramentis, non ab Angelis, ſed ab hominibus humano more adminiſtrandis, quibus nihil eſt faciliùs quàm actioni externæ intentionem internam adiungere, niſi eam ex ſacrilego animi decreto vltrò cohibeant, quod vix de aliquo miniſtro, niſi bipedum nequiſſimo, præſumi poteſt.

Dico ſecundò, intentio ſuſcipientis eſt etiam de intrinſeca eſſentia Sacramenti, quod confertur adulto, præter Euchariſtiam, ita *Lugo hic Diſp. 2. Num.* 141. cum communi Doctorum ſententia. Huius ratio fundatur in argumento quo ſuperiorem theſim ſtabiliuimus.

Dixi, *Sacramentum quod confertur, confertur adulto*, quia in paruulis, cùm ſint rationis expertes, intentio nulla requiritur. Addidi *præter Euchariſtiam*, quia ad eius eſſentiam, & valorem ſola requiritur intentio Miniſtri conficientis Sacramentum, non verò ſuſcipientis.

Sed hic vlterius quæritur qualis debeat eſſe illa Intentio Miniſtri ad Sacramenti valorem requiſita? Pro reſolutione.

Dico tertiò: Requiritur in Miniſtro intentio ſaltem faciendi id quod facit Eccleſia, id eſt, vt intendat ſaltem confuse actionem externam Sacramenti ponere ob illum finem aut effectum quem Chriſtiani communiter per eam actionem obtineri volunt.

Probatur ex Trid. Seſſ. 7. Can. 11. requirente in terminis intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, contra Lutherum, Caluinum, alioſque Sectarios, qui volunt ſola actione externa perficit Sacramentum, etſi Miniſter oſtendat ſe tantùm ioco verba proferre. Verum qui ſic operatur non agit more Eccleſiæ, quæ effectum Sacramenti ſeriò intendit, ſed more Lutheri aut Caluini, quibus per tales iocos gratia tantùm iocoſa debetur.

Quia verò inter Theologos conſiderari ſolet triplex intentio: Primo, *actualis*, quæ actu exiſtit quando conficitur Sacramentum: Secundò, *habitualis*, quæ eſt voluntas præterita, & nondum retractata: Tertio, *virtualis*, quæ eſt quidem præterita, ſed perſiſtens in aliquo effectu à ſe poſito: Quæritur; Vtra harum ad conficiendum valide Sacramentum ſufficiat.

Dico quartò: Non ſufficit in Miniſtro intentio habitualis, ſed requiritur ſaltem virtualis.

Prima pars probatur. Ideò requiritur aliqua intentio, vt actio Sacramentalis ſit voluntaria, & humano modo à Miniſtro exerceatur: Sed intentio habitualis, quæ neque in ſe, neque in ſuo effectu ampliùs exiſtit, non poteſt actionem præſentem reddere voluntariam: cùm nequeat vllo modo eam

eam cauſare, & efficere vt à voluntate dependeat. Ergo nullo modo ſufficit ad Sacramentum.

Hinc, etſi heri volueris infantem baptizare, & hodiè contingat te inaduertenter aquam illi inſpergere, & formam pronunciare, nullo modo validum erit Sacramentum.

Dices, Sufficit in Sacerdote intentio habitualis vt alteri applicetur fructus ſacrificij: ergo eadem ſufficiens erit vt conficiatur Sacramentum.

Reſpondeo neg. conſequentiam: quia intentio habitualis, quæ nullo modo amplius exiſtit, poteſt eſſe cauſa obiectiua mouens Deum vt alteri applicet fructum ſacrificij, ſed non poteſt eſſe cauſa phyſica, à qua in præſenti profluat actio Sacramentalis.

Secunda pars pro intentione virtuali ſic probatur. Quia per intentionem virtualem actio Sacramentalis dependet à voluntate Miniſtri: hæc enim eſt cauſa cur actio illa exerceatur.

Si quæras, quomodo poſſit intentio virtualis cauſare actionem præſentem, cum ipſa actu præterierit?

Reſpondeo, non omninò præterijſſe, vel enim relinquit aliquem effectum ex quo præſens actio procedit, vel certè (quod verius puto) poſt illam perſeuerat volitio quædam actualis tam tenuis ac remiſſa, vt agens per actum reflexum non poſſit illam in ſe percipere, mentis præſertim acie in res alias diſtracta. Neque enim neceſſe eſt, vt actus omnes quos elicimus, reflexè aduertamus: alioquin & ipſos actus reflexos percipere oporteret, & in hos iterum per alios actus intendere, continua ſerie in infinitum progrediendo, quod dici nequit. Huius inaduertentiæ experimentum habemus in illis, qui ex arte fides pulſant, aut qui aliquid deſcribunt, aut legunt, quibus exiſtimo ineſſe actum voluntatis tenuem, ac remiſſum, quo in ſingulos fidium tactus, & ſcriptionis apices actu feruntur, etſi ad ſingulos quos eliciunt actus ipſi non reflectant. Conſtat enim illas actiones à voluntate dependere, cùm poſſint pro eius arbitrio cohibere, aut continuari.

Simili igitur modo dicetur Sacerdos habere intentionem virtualem conſecrandi hoſtiam, qui cum voluntate celebrandi perrexit ad templum, acceſſit ad altare, & Sacrum legit, etſi neque in his actionibus, neque dum actu conſecraret vllam aduerterit ſe conſecrandi intentionem habere.

Dico quintò: In ſuſcipiente ſufficit intentio habitualis declarata ad valorem Sacramenti. Dixi, *ad valorem*, quia hic non agitur de diſpoſitione requiſita ad fructum Sacramenti percipiendum, de illa in ſingulis Sacramentis agetur.

Colligitur aſſertio ex Cap. Maiores, & ex Conſilio Arauſicano 1. Can. 11. vbi dicitur *Obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet*. Atqui in eo, qui ſic obmutuit, ſola eſt intentio habitualis, quia tantùm eſt voluntas præterita non retractata, ergo, &c.

Ratio huius eſt, quod intentio ſuſcipientis non debeat actiuè cauſare actionem Sacramentalem, ſed ſola intentio Miniſtri: ſuſcipiens autem ad confectionem Sacramenti tantùm paſſiuè ſe habere ſolet. Hinc, ſi aliquis delirans, antea petijt v.g. Baptiſmum, aut Euchariſtiam debet ei in vitæ periculo conferri, quamuis in iſto ſtatu nullam videatur habere ſuſcipiendi Sacramenti intentionem actualem aut virtualem.

Quæres, An fides, & probitas Miniſtri requiratur ad valorem, aut fructum Sacramenti?

Reſpondeo negatiuè: Ac proindè validum & fructuoſum eſt Sacramentum collatum à Sacerdote impio, aut etiam in hæreſim prolapſo, ſi ſuſcipiens ex parte ſua ſit ritè diſpoſitus.

Probatur ex Trident. Seſſ. 7. Cap. 6. & 7. vbi declarat Sacramenta ſemper conferre gratiam non ponentibus obicem. Collata autem ab hæreticis Sacramenta eſſe valida, & non iteranda definiuit Eccleſia contra S. Cyprianum, qui olim contrarium errorem tuebatur.

Neque refert quod hæretici non ſint vera membra Eccleſiæ; quia adminiſtrando Sacramenta non agunt tamquam membra, ſed tamquam inſtrumenta externa, quorum miniſterium placuit Eccleſiæ vſurpare, vt ſubueniret fidelium neceſſitati.

(·.·)

§. III.

§. III.

De Effectibus Sacramentorum, & modo quo cauſantur.

Dico primò: Omnia Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam ex opere operato. Dicitur gratia, aut alius effectus, cauſari ex *opere operato*, quando confertur ex vi operis externi procedenti ab alio quam à ſuſcipiente Sacramentum, ſicut fit in Baptiſmo infantium. Dicitur autem gratia cauſari ex *opere operantis*, quando datur ex vi actus interni meritorij qui elicitur ab ipſo operante.

Theſis hæc aſſeritur à Trident. Seſſ.7. Can. 8. Et patet ex eo, quod Sacramenta agant non tantùm vt opus Miniſtri, ſed multò magis vt opus Chriſti, qui voluit ſuo nomine per Miniſtros Sacramenti conferri, vt ex ſuis meritis actu poſitis operentur. Vnde ſicut eleemoſyna collata à famulo dicitur opus operatum Domini, ſic Sacramentum rectè nuncupatur opus Chriſti volentis illud ſuo nomine adminiſtrari.

Vbi aduerte, præter gratiam ſanctificantem, annexas eſſe ſingulis Sacramentis gratias actuales ordinatas ad finem Sacramenti ſuo tempore obtinendum, verbi gratia Baptiſmus præſtat auxilia ad alia Sacramenta poſtea digne ſuſcipienda; Confirmatio ad conſtantem fidei Profeſſionem, & ſic de cæteris.

Dico Secundò, Sacramenta conferunt æqualem gratiam æqualiter diſpoſitis, & maiorem pro maiori ſuſcipientis diſpoſitione.

Probatur ex Trident. Seſſ.6. Can.7. vbi cùm dixiſſet Baptiſmum eſſe cauſam inſtrumentalem iuſtificationis, adiungit, quod iuſtitiam accipimus vnuſquiſque, ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem.

Dices: Ex illa aſſertione ſequeretur illum, qui in ſuſceptione Sacramenti omittit maiorem diſpoſitionem, grauiter peccare; quia liberè opponit obicem maiori augmento gratiæ.

Reſpondeo negando ſequelam: quia ſuſcipienti non eſt præceptum, vt ad illud maioris gratię incrementum ſe diſponat, cum Tridentinum ad ſuſceptionem Euchariſtiæ ſtatum gratiæ tantum requirat: eſt tamen hæc res conſilij, & magno hominibus ſolatio, quod pro menſura deuotionis cum qua ad hos gratiæ fontes acceſſerint, certò ſciant ſe vberiorem meritorum copiam relaturos.

Quæſtio celebris eſt; An Sacramenta gratiam cauſent phyſicè, an tantùm moraliter? Pro cauſalitate phyſica ſtat firmiter Schola Thomiſtica, *Suarez*, *alijque*. Partem his oppoſitam ſuſtinet *Vaſquez*, *Lugo*, ac plerique recentiores, pro breui reſolutione.

Dico tertiò, Sacramenta cauſare gratiam tantùm moraliter, id eſt, mouendo tantùm obiectiuè Deum vt ipſe in anima gratiam phyſicè operetur.

Et probatur primò: Quia nihil cogit aſſerere gratiam in Sacramentis aliter produci quàm extra Secramento: At extra Sacramenta producitur gratia phyſicè à ſolo Deo; ergo etiam in Sacramentis; gratiæ enim natura, & excellentia exigere videtur, vt à ſolo Deo phyſicè procedat.

Probatur ſecundò: Quando contingit ſublato obice Sacramentum præteritum reuiuiſcere, tum demum animæ gratia infunditur. Atqui illa gratia non poteſt à Sacramento phyſicè produci, cùm amplius non exiſtat dum in animam gratia recipitur: Ergo vti in illo Sacramentum ad efficentiam gratiæ moraliter tantùm concurrit, ita in cæteris fieri meritò concludes.

Obijcies cum Thomiſticis; Perfectior eſt modus cauſandi phyſicus quàm moralis; ergo dignitas Sacramentorum illum ſibi vindicare debet.

Reſpondeo neg. conſequentiam: Eximia enim perfectio eſt, quod Sacramento exhibito, tamquam Chriſti ſyngrapho, debeat Deus per ſe gratiam cauſare, ſicut quamtumuis magna ſit excellentia Matris Dei, illa tamen non requirebat vt Deipara Chriſti animam per ſe crearet, vti omnes admittunt.

Inſtabis cum *Suarez*, Patres frequenter dicunt Sacramenta operari, producere, efficere in nobis gratiam, quod propriè dici nequit de cauſa morali.

Reſpondeo Patres eodem loquendi modo aſſerere, Paſſionem, & Sanguinem Chriſti in nobis gratiam operari, ad quam conſtat, ea tantùm moraliter concurrere, mouendo Deum, Vt ſuam nobis gratiam largiatur.

§. IV.

§. IV.

Quid ſit Character Sacramentalis.

RESpondeo, Characterem Sacramentalem eſſe ſignum quoddam ſpirituale, in anima indelibile, & ab alijs diſtinctiuum, quod in eadem perſona non iteratur. Tria ſunt Sacramenta, quæ Characterem Sacramentalem imprimunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo.

Conſtat hæc ex Concilio Florentino, & Tridentino Seſſ.7. Can.9. contra Vvicleffum; & Caluinum. Et de hoc Charactere videtur eſſe illud Auguſtini, *Tract. 5. & 6. in Ioannem;* „ Si baptizatus Charitatem non habet, Cha„racterem quidem impoſitum habet, ſed deſer„tor vagatur.

Ratio cur illaSacramenta Characterem imprimant, eſt tantùm voluntas Chriſti: cuius motiuum fuiſſe videtur, tradere ſignum perpetuò diſtinctiuum perſonę ad certum ſtatum à ſe cooptatæ. Per Baptiſmum enim aſſumi, homo in Chriſti familiam, per Confirmationem in militiam, per Ordinem in miniſterium quo in alijs Sacramentis locum non habet, quę ad ſuccurendum neceſſitatibus in vita occurentibus inſtituta ſunt, ideòque poſſunt ſæpius iterari. Illa autem tria, cùm ſignificent ſtatum aut poteſtatem permanentem, nequeunt iterari, aut eorum Character in hac vita deleri. Imò, ex communi Theologorum ſententia, manet etiam poſt mortem Character ille in Beatis ad Chriſti gloriam, & in damnatis ad eorum confuſionem ſempiternam.

Opponunt quidam Nouatorum, Characterem hunc pręſertim in Ordine ac Confirmatione ſuperfluum, & ficitium eſſe, ex eo quod illius antiqui Patres non meminerint.

Sed vt paucis reſpondeam, Et ſi illius mentiò apud Patres non extaret (quod minimè admitto) ſatis tamen conſtat, eam doctrinam tam ex Concilijs, quam ex communi Theologorum conſenſu recipiendam eſſe.

Neque enim omnia illico repudianda ſunt, quæ diſertè in Patium Scriptis non exhibentur.

(.˙.)

Annotatio de Sanctis Patribus, & Theologis modernis.

ATque hic in ordine ad alias hoc tempore quæſtiones obiter notandum. Innanem eſſe hodie ſtrepitum quorundam Scriptorum, ac ſi actum eſſet de *Sanctorum Patrum* auctoritate, ſi quis aſſerat, aliqua magis eſſe Theologis recentioribus, quam priſcis Patribus, & Scriptoribus cognita, & explorata. Quæro ego, An non potuit D. Thomas, longo poſt Patres ſęculorum interuallo, legere, & intelligere eaſdem Scripturas, eadem Concilia, aliaque veterum monumenta, ex quibus, exempli gratia S. Auguſtinus aut S. Ambroſius ſuam ſcientiam hauſerunt? An non potuit idem exaurire ipſius Auguſtini volumina; & alia inſuper plurima quæ poſtea per ſex ſeptemue integra ſæcula illis acceſſere. Non potuit tamen è conuerſo S. Auguſtinus, aut vllus Patrum nouiſſe omnia quæ poſt ſuum obitum per decem, & amplius ſæcula hactenus in lucem prodierunt: qualia ſunt quæ ſancita fuere in Concilio Florentino, & in Lateranenſi, & in Tridentino circa varias quæſtiones tot ſæculis exortas, circa reſeruationes, conceſſiones, ritus, facultates, reformationes, nouarum legum inſtitutiones, & antiquarum declarationes: præter innumera Pontificum Diplomata, decreta tanto temporum interuallo conſtituta. Neque enim vaſti tot Conciliorum Tomi qui nunc extant, neque integra Bullarum Apoſtolicarum volumina neque totum Corpus Iuris Canonici ac Ciuilis, neque ampliſſima Scholaſticorum Operum Bibliotheca, Doctoris etiam Angelici, Subtilis, Seraphici ſtudio totque ſæculorum præclaris elucubrationibus locupletata, ad S. Auguſtini, aut primorum Patrum conſpectum vmquam peruenerunt. Hæc tamen haud dubiè vniuerſa Theologis modernis ad varias Reſolutiones ſubſidium præbent ampliſſimum:

Cur ergo piaculum erit tam grande, tamque inuidioſum ſi quis dicat, Recertiores Theologos ex his aliqua poſſe certius deducere, quàm ex Antiquorum ſcriptis reſolui poſſint? Ac ſi poſt elucrabata veterum Scriptorum volumina omnes ſcientiarum fontes exharuiſſent. Hoccine eſt, *Hæreticorum more Patres aſpernari? aut modernos Scriptores ipſis præferre?* Fuerunt ſane ſine controuerſia antiqui Patres, & S. Auguſtinus inprimis, prima & ſuprema Eccleſiæ luminaria, ſic tamen ſecuturis ſæculis ſuam lucem communicarunt,

runt,

runt, vt propriam illis non abſtulerint. Horum Patrum ſplendori ſi quis detraheret, meritò ipſe obſcurus, & nullo nomine dignus reputandus eſſet. Verùm longè aliud eſt S. Auguſtino aliquid detrarere, aliud illis modernis non aſſentiri qui conantur omnibus eius ſcriptis auctoritatem definitiuam vindicare, aut ea Pontificum decretis opponere, aut damnatæ ab illis doctrinæ quaſi patrocinium adſciſcere. Hiſce conatibus ſi quis obſiſtat, illum quilibet æquus iudex, & ipſe S. Auguſtinus ſuæ auctoritatis, & doctrinæ ſincerum aſſeclam, & defenſorem meritò agnoſcet.

Quantum verò commodum habeant in Republica Chriſtiana ſinguli, in foro tam interno, quàm externo, ex varijs Theologorum etiam Recentiorum Scriptis in omni quæſtione ſtudiosè elaboratis, vel hinc facilius æſtimabis: quod nemo prudens non maximi faciat in promptu habere plurimos doctos, & ſinceros Conſiliarios, quos in qualibet ſua difficultate, & quæſtione conuocare, & conſulere poſſit; illoſque fidos, & nulli contendentium parti addictos. Nonne etiam ipſis paſſim Principes Eccleſiæ, Theologos adhuc ſpirantes adeòque Recentes in vnum congregare, & ſingulorum opiniones exquirere gaudent pro grauiſſimarum Cauſarum deciſione? Hoc tanti momenti priuilegium ſingulis etiam priuatis per Theologorum recentium diuturnas in omni genere Elucubrationes, & Scripta communicari, non leue certè orbi Chriſtiano commodum & beneficium reputari debet.

Hos Recentiores ab accuſatione promiſcua *Benignitatis indebitæ defendit Patrum, & Doctorum auctoritas.*

Fruſtra agunt qui his promiſcuè affricare conantur labem indebitæ laxitatis, aut inde inuidioſa nuncupatione Probabiliſtas vocitare non dubitant.

Si qui hinc inde Scriptores moderni in hoc genere ſanioris doctrinę orbitam exceſſerint, ideone alij auctores ſolidiſſimi in communem inuidiam vocandi? An quia etiam ex antiquis Scriptoribus aliqui exorbitarunt, ideò Antiquorum cœterorum auctoritas aſpernanda? Quo itaque niſi ad Te, qui Recentiores abijcis, recurrendum erit? Sed neque ad Te iam dabitur recurſus, cum in numero Recentiorum vel maximè exiſtas. *Quo* ergo demum *ibimus, vt verba vitæ æternæ habeamus?* Non omnis igitur in animarum directione doctrinæ benignitas, illicò laxitatis odioſæ inſimulanda eſt.

Audiamus de hoc Eccleſiæ tam Latinæ, quàm Grecæ Patres antiquiſſimos, maximeque eximios. Prętermitto cœteris *D. Gregorium Magnum Pontificem Romanum*, qui ante mille annos Confeſſarios inſtruit his verbis *lib. 1. Ep.* 142. Dilecti, inquit, venerabiles Fratres ſi ad Chriſtum reuocare contumaces vultis. exuite omnem vel leuiſſimam acerbitatem: induite paterna viſcera, vt nemo timeat ſub oculis veſtris nudare vlcera ſua, vt recipiat ſanitatem. Excipite peccatores in ſpiritu lenitatis, audite in omni patientia, vt ſibi certò polliceantur, in ſcelerum naufragio patere tutiſſimum indulgentię veſtrę portum: in qua videlicet compaſſione neceſſe eſt, vt talem ſe qui præeſt, exibeat, cui ſubiecti quique occulta ſua prodere non erubeſcant, &c.

Accedit Eccleſię Grecę Doctor, & Lumen eximium *S. Ioannes Chryſoſtomus* ante annos mille ducentos, *Hom.* 43. *in Matth.* 23. ad illa verba, *Alligant onera grauia*. Tales, inquit, ſunt nunc Sacerdotes; qui graue pondus venientibus ad Pœnitentiam imponunt, qui dicunt, & non faciunt, & ſic dum pœna Pœnitentiæ præſentis fugitur, contemnitur pœna peccati futuri. Si enim faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt portare, poſueris, neceſſe habet, vt aut faſcē reiiciat, aut ſub pondere confringatur: Sic & homini cui graue pondus Pœnitentiæ imponis neceſſe eſt vt aut pœnitentiam tuam reiiciat, aut ſuſcipiens eā ſufferre non poſſit, & ſcandalizatus amplius peccet: Deinde etſi eramus modicam Pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt, propter miſericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem. Vbi enim pater familias largus eſt diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, vt quid Sacerdos eius auſterus? Ita *S. Chryſoſtomus* ore aureo contra ferreum quorundam ſuo etiam tempore in pœnitentibus abſoluendis rigorem.

Confirmat inſuperabiliter hanc praxim ipſe *S. Auguſtinus* Eccleſiæ Latinæ Doctor præclariſſimus, *Tract. 16. in Ioannem.* Veni, inquit, columba te vocat, gemendo te vocat. Veni (ò peccator) veni, noli timere. Et vobis dico Fratres mei (Sacerdotes) gemendo vocate, non rixando, vocate orando; intelligāt quia doletis illos, non dubito quia ſi videbunt dolorem veſtrum confundentur & reuiuiſcent, &c.

Prætermitto cæterorum Doctorum torrentem, qui horum, & Eccleſiæ vtriuſque Grecę, & Latinæ Doctrinam, & praxim ſecuti ſunt, cum *S. Bernardo Sermone* 23. in Cantica, Oportet,

tet, inquit, peccatorem recurrere ad Sacerdotem, tanquam ad ſinum matris, &c.

Ex his patet hanc fuiſſe Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ: praxim probatiſſimam, & nunc viri illi viuerent, totis viribus pro ea decertaturos.

Inter Doctores Academiarum maximè eximios in hoc genere, nomine laxonis aut probabiliſtæ obſcurari non fero auctoritatem Scriptorum celeberrimæ in noſtro Belgio Academiæ Louanienſis, in qua & ego altiorum ſtudiorum primordia poſui.

Docuit pridem cum communi, licitum eſſe ſequi aliquando ſententiam minusl probabilem, minuſque tutam, Ioannes Malderus præcipui nominis Doctor Louanienſis, & Antuerpienſis Epiſcopus, in 1. 2. Diſp. 86. cuius verba refero. *Dico tertiò; Licet aliquando ſequi nimus probabilem, relicta probabiliore, etiamſi probabiliore fuerit tutior ..... Dico quartò, ſubditus debet parere ſuperiori præcipienti opus, quod ſecundùm probabilem ſententiam licet, etiamſi ſecundùm probabiliorem ſubditi, idem opus non ſit licitum .... Dico quintò: Confeſſarius tenetur abſoluere pœnitentem, habentem opinionem probabilem, ſecundum quam ab eo opere proponit non abſtinere, quod ſecundùm probabiliorem ipſe confeſſarius tenet non eſſe licitum.*

Quam celebris ſit Auctor ignorat nemo, *Ioannes Vvigerus* S. Theol. Doctor Louan. 1. 2. Quæſt. 19. art. 6. ſic docet. *Dico quartò, quando ex vtraque parte ſunt opiniones probabiles, quorum vna eſt probabilior, & altera minus probabilis, poſſum in actionibus moralibus ſequi minus probabilem, modo vere, & abſolutè probabilis ſit, relicta probabiliori, non tantùm quando minus probabilis tutior eſt, vel quando ab operante habetur vti probabilior; ſed etiam quando eſt minus tuta; & habetur ab operant tamquam minus probabilis.* His addit ibidem. *Dico quintò interdum contingit, quando in operando teneamur ſequi ſententiam probabilem prætermiſſa probabiliori, aut æquæ probabili, quamuis etiam hæc per ſe loquando eſſet tutior, ſemotis omnibus extrinſecis.*

Conſentit Ioannes Molanus Louan. Doctor Tract. de virtut. cap. 1 num. 16. 17. 18. Item doctrina Thomæ Leonardi Louanienſis Doctoris, l. 2. de hominis inſtitutione c. 7. pugnantis pro vſu licito probabilis opinionis etiam in illa materia, & denique concludentis, alioqui ſecuturum, *quod in pertinentibus ad legem naturæ homines ſemper tenerentur ſequi partem tutiorem, etiamſi oppoſita longè eſſet probabilior, &c. Quam autem, inquit, hæc omnia ſint abſurda nemo non videt.*

Eadem in Louanienſis Schola ſæpius ſunt propugnata. Iacobus Pontanus S. T. Doctor Louan. die 2. Decembr. 16. 50. hæc propugnauit: *prudenter agis ſequendo ſententiam probabilem, etiam relicta probabiliori, & tutiori, niſi charitas obſtet, & iuſtitia.* Moderationes huius generis cenſeat adhibendas Theologi communiter.

Gerardus van Vverm. S. Theol. Doctor Louan. die 30. Maij 1653. Theſim dedit hanc: *Licitum eſt operari iuxta ſententiam probabilem; imò iuxta minus probabilem relicta probabiliori, & tutiori.*

Nec minus docet Libertus Fromondus S.T. Doct. die 10. Iunij 16. 53. Iacobus Pontanus S. T.D. die. 6. Nouemb. 16. 59. & die 2. Aug. 1663. rurſumque Lib: Fromondus die 16. Ian. 1637. Guilielmus Taſſelon S. T D. die 14. Nouemb. 1639. Andreas Laurent. S. T.D. die. 3. Auguſti 1654. Guil. Mercerus die 9. Nouemb. 1630. Chriſtianus Beuſecum S.Th. Doct. Louan. die 1. Martij 1640. ſic poſuit: *Probabile eſt quidquid vel ab vno famoſo Doctore ex profeſſo docetur, modò tanquam improbabile ab aliis non reiciatur; imo omne dictum Confeſſarij non clarè falſum pœnitenti reſpectu vulgi Fidelium.*

Andreas Laurent. S. Th. Doct. Louan. de 29. Iulij 1654. *Liber eſt à peccato, qui ſequitur opinionem vnius Doctoris, abſque eo quod eam expendat, & poſteà 1. eperit falſam. Inter opiniones probabiles vna non eſt ſecurior, & tutior altera.* Horum ſingula non aſſero ſed recenſeo.

Cum his vide ſuprà pag. 91. aliarum Academiarum, & Scholarum Auctores toto orbe probatiſſimos. Hos ſi Moderni tamquam Nouos aſpernentur, videndum illis, eſt quo loco ſeipſos præ illis nouiſſimo, reponere debeant.

Verùm, ſapientia & veritas non veteraſcit: alias iunior fuiſſet illa in Antiquis, & ſenior in Nouis. Æquè igitur in ſe antiqua eſt veritas ſiue ex Antiquis, ſiue ex Nouis hauriatur, quamuis in illi magis veneranda: hinc prouidè in perſona ſponſæ mater Eccleſia, *Noua, & vetera ſeruani tibi.*

DE ABSOLVTIONE SACRAMENTALI

In Sacramento Pœnitentiæ.

Cum varijs tam Miſſionum, quàm aliorum ſingulorum Facultatibus, Priuilegijs, & Caſibus reſeruatis.

POteſtatem Ordinis, & Abſolutionis in Sacramento Pœnitentiæ à Christo inſtitutam eſſe, & penes Sacerdotes in Eccleſia Romana inuiolabili ſucceſſione permanere probauimus ſuprà in Polemicis *Pars. I. Tract. II. pagin. 72. & 81.*

Hic autem ſcientiam ad illius muneris vſum proximè requiſitam tradere intendimus, idque ante alia Sacramenta, quoniam præ cæteris, Sacramenti Pœnitentiæ aſſiduus eſt in Eccleſia vſus; plurima ad praxim neceſſaria hic ſimul connexa fuſius, & opportunius traduntur.

CAPVT I.

De Iuriſdictione requiſita ad Abſolutionem Sacramentalem.

IVriſdictio generatim, eſt facultas alicuius habentis auctoritatem pulicam in alios in ordine ad eorum regimen aut gubernationem. Diuiditur *primò* ratione ſtatus, in iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & Ciuilem: *ſecundò*, in Contentioſam, ad quam pertinet in proprio tribunali leges condere, præcipere, & punire: & voluntariam, ad quam præcipuè pertinet legitimare, diſpenſare, beneficia, & officia conferre, & Sacramenta adminiſtrare.

Tribunal ſiue forum in quo exerceatur iuriſdictio ſortiri oportet vel ratione domicilij aut habitationis, vel ratione certi delicti, vel contractus, vel rei, aut poſſeſſionis conſtitutæ In certo territorio, vel alquando ratione originis. Iuriſdictio contentioſa differt etiam in hoc à voluntaria, quod illa extra territorium exerceri non poſſit, hæc aliquando poſſit. Item, quod iuriſdictio contentioſa etiam in inuitos exerceatur, voluntaria autem non, niſi volentibus confertur, quia beneficium non datur inuito. Viuentium in Defunctos nulla datur iuriſdictio.

Diſputant Theologi, an Epiſcopis competat ſua iuriſdictio iure diuino, an Eccleſiaſtico. Nos hic in ordine ad praxim ſtatuimus *primò*, Pontificem Romanum immediatè à Chriſto accipere Iuriſdictionem ſiue poteſtatem ligandi ac ſoluendi in omnes Chriſti fideles, etiam in hæreticos per Baptiſmum Eccleſiæ mancipatos. *Secundò*, Epiſcopos, & quoslibet alios Præſules, ac Sacerdotes, omnem quam habent iuriſdictionem mediatè à Chriſto, immediatè a Potifice deriuare, qui poteſt illam conferre, auferre, limitare: his poſitis.

Dicò primò; Vt Sacerdos legitimè conſecratur poſſit validè a peccatis abſoluere, præter poteſtatem Ordinis, requritur etiam poteſtas Iuriſdictionis, & in pleriſque Approbatio Ordinarij. Nam ſine his Ordo tantùm confert Sacerdoti poteſtatem abſoluendi remotam, abſque determinatione ad certas per-

perſonas, quas poſſit tamquam ſuos ſubditos abſoluere. *Iuriſdictio* enim Confeſſarij eſt poteſtas, quæ in foro conſcientiæ in alterum tamquam ſubditum obtinetur.

II. In tribus tamen caſibus quiuis Sacerdos iuriſditionem obtinet, vt à peccatis abſoluat, ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine. Primò, in articulo mortis ab omnibus peccatis validè abſoluit. Secundò, Si Confeſſio ſit de mortalibus a quibus anteà pœnitens abſolutus fuerat. Tertiò, Si Confeſſio de ſolis venialibus inſtituatur. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd ſecundam, & tertiam facultatem Eccleſia auferat Sacerdoti excommunicato, denunciato, & notorio percuſſori Clerici: primam autem omnibus relinquat, ne quis in extremo articulo huius Sacramenti beneficio deſtituatur. Adde inſuper, quòd Sacerdos ſimplex non approbatus, non debeat à Prælatis permitti vt abſoluat a peccatis venialibus extra neceſſitatem ex Decreto Innocentij XI. circa Communionem quotidianam, *in fine*.

III. Dico ſecundò Iuriſdictio in foro Pænitentiæ, alia eſt *Ordinaria*, quæ ratione officij, quo fungitur, alicui competit. Alia eſt *Delegata*, quæ non vi officij, ſed ex Ordinarij conceſſione alicui communicatur. Iuriſdictionem Ordinariam habet Summus Pontifex in omnes Chriſti fideles: Epiſcopus, & eius Vicarius in omnes ad ſuam Diœceſim pertinentes. Prælati regulares exempti in ſuos ſubditos: Parochi in omnes, qui in ſua parœcia habent domicilium, vel quaſi domicilium.

Ad conſtituendum in aliquo loco *Domicilium*, vel quaſi domicilium; & animus, & factum requiritur. Animus conſiſtit in propoſito permanendi in loco ad tempus anni non exiguum, factum in actuali habitatione

Qui in duobus locis Domicilium habet, cenſetur habere duas Parochias, ideòque poteſt in alterutra pro libitu Sacramenta ſuſcipere. Si tamen habeat quaſi Domicilium in Diœceſi à loco propriæ habitationis diuerſa, non poterit Ordines ſacros ſuſcipere ab alio quàm Epiſcopo proprij domicilij.

IV. *Vagabundi*, qui nullibi verſantur cum animo magna anni par te permanendi, vbique forum ſortiuntur; ac proinde poſſunt cuiuis Parocho expoſito confiteri.

Peregrini autem, qui ſuum alibi habent domicilium, dum abſunt à ſua parochia, poſſunt alteri Sacerdoti expoſito confiteri, & Euchariſtiam ſuſcipere, etiam tempore Paſchali: idque ex tacita Ordinariorum voluntate, communi conſuetudine confirmata, vt hic teſtatur *Layman*, alijque. Tenentur tamen teſtimonium annuæ Confeſſionis, & Communionis ſuo Parocho id poſtulanti exhibere.

V. Dico Tertiò. Qui habet ordinariam iuriſdictionem à peccatis abſoluendi, poteſt eam alteri Sacerdoti delegare. Delegatus autem non poteſt alterum ſubdelegare. Ratio huius eſt, quia delegato tantùm conceditur facultas exercendi iuriſdictionem quoad ſuam perſonam; ergo ſi alteri eam committat, ſuam facultatem excedit: Sicut vſuarius ius habet vtendi re ad vſum conceſſa, ſed non alteri eius vſum concedendi: hoc enim ius ad proprietarium pertinet.

Excipe primò, niſi ſpecialiter delegato concedatur vt poſſit ſubdelegare, vti communiter fit in delegato Pontificis, accedente partium conſenſu. Niſi fortè perſonæ delegatæ ſpecialis induſtria electa eſſe videatur, vti fieri ſolet in cauſis grauioribus v. gr. matrimonialibus, quas Curia Romana ferè ſolis Epiſcopis, vel eorum Officialibus committere ſolet.

Excipe ſecundò, niſi alicui demandata ſit vniuerſitatis cauſarum, ita vt quaſi ordinario munere fungatur in cauſis omnibus certi generis, aut certo loco iudicandis. Hinc reſoluit *Henriquez*, alijque, ſi Epiſcopus Parocho, vel Prouincialis ſuo Guardiano deleget facultatem abſoluendi ſubditos à caſibus reſeruatis illos poſſe hanc facultatem alteri delegare ad certum caſum reſeruatum, vel ad certam perſonam abſoluendam.

VI. Si alicui committatur vicarium Officium, cui iuriſdictio annexa eſt, v. gr. officium Parochi abſcentis, vel nondum in Sacerdotem conſecrati, poteſt ille Vicarius vnam vel alteram cauſam alteri ſubdelegare, ſed non integram officij executionem. Niſi fortè alicubi conſuetudo, & conſenſus Parochi delegantis permittat id non minùs a delegato quàm ipſo Parocho præſtari.

VII. Dico quartò: Ad iuriſdictionem alteri conferendam non ſufficit ratihabitio in futurum ſperata: Neque conſenſus pro præſenti rationabiliter præſumptus, ſi dum abſolueret, reipſa non adfuit. Ratio horum eſt; quia ad valorem Abſolutionis requiritur vt Sacerdos eam conferens habeat actualem iuriſdictionem in pœnitentem; in vtroque autem caſu, tempore Abſolutionis deeſt actualis iuriſdictio, quæ non habetur ſine alterius conſenſu per ſignum externum cognito, & declarato. Ac proinde Sacramentum pœnitentiæ,

cùm

cùm fuerit ſemel inualidum, non poteſt per ſubſequentem cōſenſum conualeſcere. Aliud eſt in cæteris Sacramentis, ad quorum validam adminiſtrationem conſenſus Ordinarij non requiritur, excepto Sacramento Matrimonij.

VIII. Confeſſarij Ordinum mendicantium accipiunt iuriſdictionem in foro conſcientię, non ab Epiſcopo, ſed a Summo Pontifice, accedente Prælatorum ſuorum conſenſu, ad abſoluendum omnes Chriſti fideles ſæculares intra limites ſibi præſcriptos. Ille autem conſenſus in Miſſionibus, & itineribus ordinariè pro conceſſo ſupponitur, vbi non obſtat alia aliquorum Ordinum conſuetudo.

IX. Dico quintò. Facultas audiendi Confeſſiones, aut abſoluendi à caſibus reſeruatis, per mortem concedentis non expirat. Ratio, quia facultas illa eſt gratia, & beneficium actu conceſſum: gratiam autem, & beneficium Principis decet eſſe manſurum *Regul. Iur. 16. in 6.* Vndè in praxi videmus Sacerdotem in cooperatorem à Parocho aſſumptum, eo defuncto pergere in adminiſtratione Officij, quamdiu à nouo Parocho non remouetur.

X. Facultas autem delegata ad iuriſdictionem contentioſam in foro iuſtitiæ, morte delegantis extinguitur, ſi delegatus ea iuriſdictione nondum vti inceperit. Ratio, quia iuriſdictio delegata ad iuſtitiam, habet rationem mandati, non autem gratiæ, & Beneficij, mandatum autem expirat morte mandantis, quando non inuoluit gratiam in fauorem alicuius tertij abſolutè conceſſam.

XI. Sacerdos cum iuriſdictione tantum dubia illicitè abſoluit, niſi vrgente neceſſitate adiecta tunc conditione, *in quantum poſſum*, & admonito pœnitente vt iterùm confiteatur alicui certam iuriſdictionem habenti. Expedit autem, vt tali caſu pœnitens veniale aliquod adijciat in quod abſolutio certò cadat validè, & directè, in cætera ſaltem indirectè.

XII. Si tamen ex ratione verè probabili reſoluat ſe iuriſdictionem in peccata pęnitentis habere, licitè abſoluere tradit Suarez, Præpoſitus, Lugo de Pœnit. Diſput. 19. num. 49. Ratio, quia ſic eſt practicè certus de actione licita: & plerumque Pontifex pro eo caſu facultatem, & iuriſdictionem impertit. Id enim præſtat Pontifex primò, quando error communis coniunctus eſt cum titulo colorato ſiue præſumpto: verbi cauſa, dum aliquis paſſim putatur eſſe Paſtor, qui verè talis non eſt ob cenſuram vel alium defectum, vel ſi Parochus exponat Sacerdotem non approbatum, qui publicè approbatus exiſtimatur. 2. Quando aliquis ex conſuetudine, præſcriptione, aut bona fide abſoluit, & neſcit poteſtatem ſuam eſſe reuocatam, vti cum pleriſque docet *Syluius*, *Nauarrus*, *Vaſquez*, *Sanchez*, *Malder. Diana part. 1. tract. 13. reſol. 1.* 3. Quando pro iuriſdictione Confeſſarij ſatis alijs conſtat ſtare *Doctorum* ſententiam verè probabilem. Nam in his caſibus propter communem pœnitentium vtilitatem Eccleſia confert iuriſdictionem, & ſupplet occultum eius defectum, ſi aliquis fortè ſubeſſet, vti docet *Suarez*, *Card. Lugo*, *Diana Part. 3. tract. 4. reſ. 22* &c.

Quæres, An in partibus hæreticorum Miſſionarij etiam Regulares habeant iuriſdictionem aut facultatem adminiſtrandi Paſtoralia, vt eſt Baptiſmus, Extrema Vnctio, Matrimonium?

De hac quæſtione, quia facile non eſt aliquid breuiter, & vniuerſaliter pronunciare, Ex multis quæ ad manum ſunt Pontificum Decretis tātùm profero Bullam Vrbani VIII. quæ incipit, *Saluatoris*, miſſam ad Clerum, & Religioſos miſſionarios in Prouincijs confœderatis. Quam etiam Alexander VII. recentiùs confirmauit per Breue datum die 20. Septembr. 1656. In prædicta Bulla §. 1. concedit Regularibus vt ſimul cum Sacerdotibus ſæcularibus Sacramenta Paſtoralia adminiſtrare poſſint, ſine aliqua reſtrictione ad caſus neceſſitatis, vel dependentia ab illis, ſed ęqualiter.

Et §. 2. vt nullus ex ſæcularibus Sacerdotibus aliquem Regularium, neque aliquis Regularium aliquem Sacerdotum ſæcularium in obeundis munijs Eccleſiaſticis vel adminiſtrandis Sacramentis impediat, ſed pariter mutuo amore concurrant in ſalutem animarum procurandam. *Apud Veinys, fol. 47.*

Sic enim Paſtores annuent Regularibus tamquam ſocijs, vt mutua ope trahant ſecum Apoſtolicum rete ad ſalutem animarum in proceloſo Miſſionum mari expanſum, ſed ſedulò cauendum ne hoc rete vllibi per trahentium diſcordiam rumpatur.

(.·.)

CAPVT II.

De Approbatione Confeſſarij.

I. CONſtat ex Trident. Seſſ. 23. Cap. 15. de Reformat. Approbationem Ordinarij requiri in Sacerdote, vt validè poſſit audire Confeſſiones ſęcularium; etiam Sacerdotum, non tamen Regularium; poſſunt enim hi confiteri cuiuis Sacerdoti, etiam non approbato, quam Prælatus illis ſecundùm leges ſui Ordinis conſtituit. Quià cùm Tridentinum de ſolis ſæcularibus mentionem faciat, non cenſetur in hoc circa Regulares aliquid innouaſſe.

II. Qui conſtituitur Parochus, aut obtinet beneficium, cui animarum cura annexa eſt, non indiget alia Approbatione. Si tamen Parochus officium illud aut beneficium reliquit non poterit ſine noua Approbatione Confeſſiones excipere.

III. Non licet Epiſcopo Sacerdoti idoneo ſine iuſta cauſa Approbationem denegare, *Vaſq. Bonac. Sanc. Lugo*. Ratio eſt, quia *Approbatio* non eſt gratia arbitraria, ſed leſt teſtificatio authentica de aptitudine perſonæ, vt illi ad Confeſſiones audiendas iuriſdictio conferatur, ergo cum Sacerdotes ad illud munus ſint ordinari, non poſſunt ſine iniuria ab eo repelli, ſi debita doctrina, & prudentia inſtructi inueniuntur.

IV. Si tamen Sacerdos idoneus etiam iniuſtè reprobatus fuerit, non poteſt validè à peccatis abſoluere. Quia negatio iniuſta Approbationis non eſt Approbatio, Tridentinum autem ad validam à mortalibus abſolutionem Ordinarij Approbationem requirit, *non obſtantibus*, inquit *Priuilegijs*.

V. Docet tamen Theologi non pauci vt *Nauarrus*, *Layman*, *Diana*, &c. Si Regulares manifeſtè idonei repellantur, poſſe nihilominus ex vi Clementinæ §. *Statuimus*, ad Confeſſiones audiendas exponi. Quia clauſula derogatoria generali (qualis eſt illa Tridentini) non tollitur priuilegium ſpeciale clauſum in corpore iuris, ſi ob ſpecialem rationem exceptum videri poſſit, de quo fuſius *Diana Tom. 2. Tract. 2. reſolut.* 24. Derogationem Vrbani VIII. in oppoſitum annotat Lug de Pœn. Diſp. 22. n. 29. Et quoad confeſſionem Paſchalem id reprobat Alexand. VII. in Propoſit. 12. Ex cuius reprobatione ſequitur etiam, iuxta dicta Part. 3. Tract. 1. Quæſt. 18. in fine, talem Regularem tempore Paſchali non poſſe exponi ad audiendum ſęcularium Confeſſiones.

VI. Poteſt Epiſcopus, ſi clara, & iuſta ſubſiſtit cauſa, Approbationem ſemel a ſe conceſſam reuocare, aut ſi res id poſtulat nouum Sacerdotis approbati examen inſtituere. Quia ius habet, vt animarum ſibi commiſſarum ſaluti ſecuriùs conſulat. *Suarez*, *Lugo*, *&c.* De his Tr. 1. & approbatione iniuſtè negata, reuocata, & cagitur ſuprà inter quæſtiones ſingulares, *Quæſt.* 24. *pag.* 121. *& ſeqq.*

VII. Regulares debent approbari ab Epiſcopo loci, in quo degunt. Quia quoad hunc actum illius ſubditi cenſentur.

VIII. Cùm approbatio non ſit actus Ordinis, Epiſcopus poteſt illam conferre per Vicarium, vel alium quemuis deputatum.

IX. Examen in ordine ad Approbationem non eſt abſolutè neceſſarium, modò aliundè de Sacerdotis aptitudine ad Confeſſiones audiendas ab Ordinario prudens iudicium formari poſſit. Hoc praxis, & ratio ſatis confirmat.

X. Approbatio concedi poteſt cum reſtrictione ad certum genus perſonarum, certum locum, & tempus, quando iuſta cauſa occurrit, etſi id neget *Vega*.

XI. Non videtur modò probabile ab vno Epiſcopo approbatum, in quauis alia Diœceſi ſine noua approbatione validè abſoluere Decretum Vrbani VIII. in oppoſitum extat apud *Card. Lugo de Pœnit. Diſput.* 21. *Sect.* 2. *num.* 29. Non enim tenetur Epiſcopus ſtare iudicio cuiuſuis alterius Ordinarij pro ſua Diœceſi, in qua poſſunt eſſe difficultates alijs non communes. Si tamen Epiſcopus tantùm oſtendat ſe eſſe contentum aliorum Approbatione, Sacerdos alia non indigebit; ſin minùs inualidè abſoluet. De hoc plura ſupra Tract. 1. Quæſt. 17. circa pag. 108.

Quæritur porrò pro Miſsionarijs: An Parochus, aut alius, ob magnum populi ad ſe concurſum, poſsit ad audiendas Confeſſiones ſibi adſciſcere alium Sacerdotem non approbatum.

Reſpondeo negatiuè, vti docet *Sancius*, *Fagund. aliique* ex declaratione Cardinalium. Quamuis contrarium tradant nonnulli cum *Ledeſma*, apud *Dianam p.* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 146. Poſſunt tamen alios Parochos in cooperatores aduocare.

Formula Approbationis quando in ſcriptis conceditur, hæc ferè eſſe ſolet.

N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Diœceſis N. Dilecto nobis in Chriſto (*nomi-*

miratur approbatio) ſalutem in Domino. Vt per Diœceſim noſtram, de conſenſu eorum quorum intereſt. Verbum Dei prædicare, ac Chriſti fidelium Confeſſiones excipere, eoſque mediante ſalutari pęnitentia in foro conſciẽtiæ à peccatis ſuis (*additur aliquando*) etiam à caſibus nobis reſeruatis, abſoluere liberè ac licitè poſſis, & valeas, Tibi facultatem, & licentiam per præſentes (*additur aliquando*) ad reuocationem noſtram duraturas concedimus & elargimur. Datum, &c. addito ſigillo, nomine Ordinarij, & Secretarij.

CAPVT III.

De Impedimentis Abſolutionis per Reſeruationem, Cenſuram, &c.

§. I.

Horum Declaratio.

SCire debet quiuis Sacerdos tam ſæcularis quàm regularis, etſi ſit approbatus: & ad audiendas Confeſſiones legitimè expoſitus, varia eſſe peccata mortalia, à quibus non poſſit abſoluere ratione Cenſuræ, aut reſeruationis annexæ. Tenetur proinde Sacerdos antequam Confeſſarij munus exerceat, ſibi comparare notitiam talium peccatorum, cenſurarum, ac reſeruationum, & in promptu habere praxim in illis pœnitentem dirigendi, & ad alium pro abſolutione remittendi: quæ omnia in eius commodum pro inſtituta breuitate hic exponemus.

II. Peccata mortalia (quæ ſola reſeruantur) alia ſunt reſeruata Summo Pontifici, alia Epiſcopis, alia variorum Ordinum Prælatis reſpectu ſuorum ſubditorum quæ ipſi, præcipuè ex ſuis Conſtitutionibus, ſcire debent.

III. Quando in Confeſſione occurrit peccatum, quod ſcitur eſſe illis reſeruatum, remittendi ſunt vel ad illos, vel ad alium, qui noſcitur habere poteſtatem à tali peccato abſoluendi: ſuadet tamen charitas vt ipſe potius Confeſſarius Superiorem accedat; vt veniam abſoluendi ab eo obtineat, tacita tamen perſona, & peccato quod in Confeſſione audiuit.

IV. Si Superior adiri non poſſit, & in præſenti ſit cauſa vrgens v. gr. periculum infamię aut ſcandali ex omiſſione Confeſſionis, aut Communionis, poterit inferior confeſſarius à reſeruatis abſoluere, admonito pœnitente de onere ſe poſtea Superiori ſiſtendi. Quod etiam fieri poteſt etiamſi illud peccatum cenſuram reſeruatam annexam haberet. *Reginal. Angel. V. Confeſſion. num.* 10. *alijque*.

V. Peccat Superior, qui abſque legitima cauſa difficilem ſe præbet Confeſſario petenti facultatem abſoluendi ab aliquo caſu reſeruato: quia reſeruationem reddit magis grauem, & odioſam, quam Eccleſia velit.

VI. De Confeſſario ad Regularium Confeſſiones deputato conſtat, ſi Superior ei facultatem neget, poſſe illum pro iſta vice pęnitentem abſoluere, ſi ipſe iudicet facultatem illam concedi debere: de quo adfertur declaratio Clementis VIII. & Bulla Vrbani VIII. apud *C. Lugo de Pœnit. Diſp.* 20. *Sect.* 4. Idem licere ſi facultas negetur viro religioſo pio, docto, ac prudenti, etſi non ſit ex deſignatis Regularium Confeſſarijs, vt probabile tradunt 7. Auctores apud *Quintan. Tract.* 3. *Sing.* 11. Nota etiam ex *Suarez, & Diana, p.* 3. *c.* 2. *Reſol.* 26. Regulares poſſe pro vna vice à reſeruatis abſolui ſine ſuorum Superiorum facultate, plures pro hoc vix reperio.

VII. Certum tamen eſt, quando ex caſu reſeruato, graue malum communitatis, aut aliorum ſcandalum timetur, poſſe Superiorem negare Abſolutionem, donec Pœnitens per ſe Confeſſarium præbeat Superiori ſufficientem notitiam ad illud malum euitandum: quod ſi nec modo, nec aliter velit remedium adhibere, ob hanc culpam, tamquam ab Abſolutionem indiſpoſitus, repelli debet.

VIII. Qui ignorat peccatum ſuum eſſe reſeruatum, aut Sacerdotem carere poteſtate abſoluendi, ſi interim bona fide confitetur, validam ſuſcipit Abſolutionem: tenetur tamen errore cognito comparere coram alio, qui peccatum illud non eſt reſeruatum. *Reginal. Buſen. Præpoſitus*, alijque.

IX. Si Confeſſario verè ſit probabile peccatum pœnitentis non eſſe reſeruatum, valebit Abſolutio, etſi à parte rei reſeruatum fuiſſet, vti patet ex adductis à *Diana p.* 9. *c.* 9. *reſ.* 29.

X. Qui confitetur Sacerdoti habenti poteſtatem ordinariam, aut etiam delegatam ad abſoluendum à reſeruatis, & ſine ſua culpa oblitus eſt exponere peccatum aliquod reſeruatum, poteſt poſtea illud confiteri Sacerdoti inferiori, & ab eo validè abſolui. Quia in priori Abſolutione ſublata eſt reſeruatio per Sacerdotem, qui potuit illam auferre. *Præpoſitus Meratius, Buſen. Diana par.* 4. *t.* 4. *Reſolutio.* 124.

XI. Si poſt debitum examen Cõfeſſarius poſitiuè dubitet, an pænitens lapſus ſit in mortale reſer-

reſeruatum, cùm probabile ſi peccatum de quo ſic dubitatur non habendum pro reſeruato, poterit pœnitentem ab eo abſoluere. Idem dicendum etſi dubium ſit negatiuum, id eſt in quo pro neutra parte rationes occurrunt, probabiliter docet *Suar. Hurt. Henriquez Filliuc. Bonac. Card. Lugo de Pœnitent. Diſput. 19. Sect. 2.*

Quæſtio eſt ſingularis, quàm proponit, & reſoluit Card. Lugo de *Pœnit. D.* 20. *Sect.* 8. *Num.* 122. his verbis: Quando facultas conceditur vt Pœnitens eligat Confeſſarium, qui pro hac vice poſſit eum à Reſeruatis abſoluere, vel Confeſſario datur Licentia audiendi illum, & abſoluendi hac vice à Reſeruatis; tunc ſiue facultas concedatur Confeſſario, ſiue Pœnitenti, admitterem poſſe abſolui à commiſſis ſimilibus poſt licentiam conceſſam: atque etiam à commiſſis poſt habitam notitiam facultatis conceſſæ: quia conceſſionis verba non ſignificant limitationem &c. Vbi ſpecialiter notanda eſt vltima reſtrictio, quæ ſupponit verba conceſſionis non ſignificare limitationem, quam ſine dubio aliquando ſignificant, & declarant: & reſtrictio altera, *de peccatis ſimilibus*, ſiue in eadem ſpecie malitiæ. Cum illo ſentit *præpoſitus in Part.* 3 *Quæſt.* 9. *Dub.* 3. *Num.* 22. Citaturque *Vgolinus*, *Barboſa*, alijque latius.

XII. *Cenſuræ* variæ Abſolutionem variè impediunt. Quoad cenſuram *Suſpenſionis*, illa non impedit à *percipienda* Abſolutione Sacramentali. Suſpenſio enim eſt cenſura qua Clericus prohibetur ab vſu Eccleſiaſtici Officij, vel Beneficij, vel ab vtroque ſimul; perceptio autem abſolutionis non eſt vſus Officij, aut Beneficij. Inualide tamen confertur Abſolutio à ſuſpenſo non tolerato tam quoad Ordinem, quàm quoad iurisdictionem; & ipſe conferendo cotrahit inſuper irregularitatem. Si autem ſit ſuſpenſus toleratus, probabile eſt ei licitum eſſe abſoluere, ſi ſe non ingerat, ſed ab alijs ob vtilitatem propriam ad hoc requiratur. Ita *Henriquez Layman hic c.* 4. *num.* 17. *Bonacina d.* 3. *p.* 4. *num.* 4.

XIII. *Interdictum* quoque Abſolutionem Sacramentalem non impedit in foro interno, imò neque Adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, Baptiſmi, & Confirmationis: exceptis ijs, qui interdicto cauſam dederunt, etiam conſilio, auxilio, fauore. Cum enim omnes Clerici ſoleant in eodem loco ſubeſſe Interdicto, non potuerunt ob commune vtilitatem ea Sacramenta omnibus prohiberi.

XIV. *Irregularitas* non eſt cenſura, nec obicem ponit in ordine ad ſuſcipiendam Abſolutionem Sacramentalem. Sed eſt tantùm impedimentum Canonicum in ordine ad ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, aut vſum ſuſceptorum: quod aliquando ex delicto verbi gr. ex homicidio, aliquando tantùm ex defectu naturali v. gr. ex carentia ſiniſtri oculi, vel ex defectum natalium prouenire poteſt. Tollitur autem ab habente poteſtatem non per Abſolutionem, ſed per diſpenſationem, hac vel ſimili forma; *Diſpenſo tecum in irregularitate quam ob hanc N. cauſam incurriſti.* Irregularitates ſingulæ, cum earum expoſitione tractantur infra cum Sacramento Ordinis §. vltimo.

XV. *Excommunicatio* verò cum ſit cenſura, per quam quis priuatur Communione Eccleſiæ; impedit valorem Abſolutionis, & licitum vſum aliorum Sacramentorum tam paſſiuum, quàm etiam actiuum, niſi aliquando excuſet ignorantia inuincibilis, vel metus mortis, infamię, grauis iacturę bonorum, &c. Nam cenſura, cum ſit quaſi Lex Eccleſiaſtica, non obligat cum tanto rigore; & incommodo. Caſus ex quis incurritur excommunicatio, referuntur capite ſequenti.

XVI. Quando autem Confeſſarius facultatem habet abſoluendi à peccato reſeruato quod annexam habet excommunicationem, debet pœnitentem primò eximere à vinculo excommunicationis, & poſtea à peccato abſoluere. Quia cùm peccatum ſoleat eſſe Pontifici reſeruatum ratione tantùm excommunicationis annexæ, debet hæc prius eſſe ſublata, vt Abſolutio à peccatis validè conferatur.

Formula Abſolutionis à Cenſura in foro conſcientiæ hæc communiter vſurpari ſolet: *Ego te abſoluo à vinculo v. gr. excommunicationis, ſuſpenſionis &c. quàm incurriſti propter hanc cauſam N.* (ſi ſit excommunicatus additur) *& reſtituo Te Sacramentis Eccleſiæ, & Communioni fidelium* (ſi ſit ſuſpenſus) *executioni tuorum ordinum, vel officiorum, vel beneficiorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Amen.

Quæres, A quo poſſit ferri Cenſura, & quis modus requiratur.

Reſp. Cenſuram ferre poteſt ſolus Superior Eccleſiaſticus, habens in foro externo iuriſdictionem ſiue ordinariam, ſiue delegatam. Vt cenſura lata ſit *valida*, præter legitimam ferentis iurisdictionem, debet ſeruari ſubſtantiali ordo iudicij, quando non à iure, ſed ab homine fertur cenſura per ſententiam parti-

ticularem. Primò itaque requiritur vt citetur Reus, & moneatur ſub comminatione cenſuræ: quia aliàs non eſt contumax, niſi recuſet obtemperare. 2. Neceſſaria eſt à parte rei iuſta cauſa de qua reus ſit conuictus: vel cauſa quæ etſi non ſubſiſtat, à parte rei tamen ſatis probata fuit ſecundùm allegationes fori externi: & in hoc caſu etiam innocens debet cenſuram obſeruare in foro externo ad ſcandalum euitandum.

Vt autem cenſura ſit *licita*, monitio Canonica debet eſſe triplex, vel ob iuſtam cauſam vna tribus æquiualens. 2. Debet ex ſcripto recitari 3. Exprimi debet cauſa cenſuræ. 4. Reo petenti exemplum Scripturæ intra menſem tradi debet, alioqui ipſe Iudex à diuinis officijs ſuſpenditur.

Sed quia Confeſſarius nihil horum in praxi ſcire, aut exequi poterit: niſi in particulari cognoſcat qui caſus, aut pecata ſint reſeruata, & qualem ex iure cenſuram habeant annexam, ea hic ad breuem, & diſtinctum ordinem contrahemus.

§. II.

Quinam Caſus cenſeantur Epiſcopi reſeruati.

QVinque Caſus enumerat Lezana, verbo, *Caſus reſeruati num.* 2. qui communiter dicuntur Epiſcopales. Nempe, peccatum habens de iure annexam pœnitentiam publicam, aut excommunicationem maiorem, aut irregularitatem, nec non peccatum incendarij, & publica blaſphemia. Docet tamen cum alijs ibidem Lezana ex ſolo iure communi nullum eſſe caſum Epiſcopis reſeruatum. Caſus igitur Epiſcopales potius erunt illi, qui vel ex conſuetudine, vel expreſſa eorum voluntate illis reſeruantur.

In Belgio ab Archiepiſcopo Mechlinienſi expreſsè reſeruantur caſus ſequentes. Raptus Virginum. Homicidium. Incendium deliberata voluntate procuratum. Simonia. Sodomia. Hæreſis. Apoſtaſia. Inceſtus cum conſanguineis, aut Sanctimonialibus. Iniectio manuum violenta deliberato propoſito cum læſione in Parentes. Sortilegium. Adulterium notorium. Addunt, & omnia delicta habentia excommunicationem maiorem annexam: ac quæ ſunt prædictis grauiora. Caſus hi omnes reſeruantur etiam ab Epiſcopis Antuerpienſi, Gandenſi, Burghenſi, Iprenſi & Ruremmondano. Nam Paſtorali ad vſum totius illius Prouinciæ edito referuntur. Iprenſis inſuper reſeruat ſibi Caſum Sacrilegij; & Mechlinienſis peccatum carnis Complicis opere completum; ſic vt Confeſſarius complex non poſſit ab eo abſoluere. Hunc etiam Complicis caſum Antuerpienſis modò reſeruat. Prædictos caſus omnes, vt memoriæ promptius occurrant, Theologus noſter ſic nitidè expreſſit:

Inceſtus, Raptus, Sodomita, & notus Adulter.

Incedens, Perimens, Percuſſoreſque parentum.

Sortilegus, Sectator, Apoſtata, & impius Emptor:

Sacrilegus ſeruatur Ipræ. Complexque Mechlinæ.

Nunc etiam Aduaticæ Complex fert vincula Mitræ.

In his, vbi actu reſeruantur, pro abſolutione reccurendum eſt ad Epiſcopos, aut alios quos ipſi ad Caſus etiam Epiſcopales approbant, aut deſignant. An verò Ordines Mendicantes vi ſuorum priuilegiorum poſſint hodie in Belgio à caſibus Ordinario reſeruatis abſoluere, diſputat cum quibusdam alijs Franciſcus Bonæ Spei de Pænit. *Diſp.* 10. *Num.* 48. vbi pro parte affirmatiua citat nouem Recentiores, qui illam probant, tum quia, inquiunt, prohibitiones factæ ante Vrbanum VIII. anno 1628. ſunt tantùm pro Italia: tum quia hæc Vrbani VIII. prohibitio, tantùm eſt, ne Regulares abſoluant in vim priuilegiorum illis ante Tridentinum conceſſorum, vel poſt confirmatorum; eſt autem, inquiunt priuilegium Pauli III. & Pauli V. vni Ordini, cum quo alij Mendicantes communicant, conceſſum de nouo, & non ſolùm in confirmationem, poſt Tridentinum, abſoluendi ab illis caſibus: tum denique, aiunt, quia Bulla Cœnæ, & decreta S. Congregationis, Mendicantium priuilegia deſuper reuocantia, non ſunt in Belgio promulgata. Verùm ipſe Bonæ Spei *ſupra*, negatiuam ſententiam ſuſtinet, maximè ob ſpecialem Vrbani VIII. declarationem, quam citat, & Alexandri VII. cenſurantis oppoſitum inter Propoſitiones ſibi à Regularibus diœceſis Andegauenſis propoſitas 30. Ianuarij 1659. His addo eiuſdem Alexandri propoſitionem 12. inter prohibitas anno 1665.

§. III.

§. III.

Expoſitio breuis maximèque commoda, Caſuum Epiſcopis reſeruatorum.

IN gratiam Curatorum huius Diœceſis, aliorumque, adiungo præcedentium Caſuum expoſitionem, non niſi compendioſam, & communem, qua multum imminui poteſt ſolicitudo in diſcernenda actionum particularium reſeruatione, dum in Pœnitentiæ tribunali occurunt: ne aliquando accipiantur Reſeruata pro non reſeruatis aut contra, cum magno Pænitentis, & Confeſſarij incommodo ſed ſaluo in his ſingulis Maiorum iudicio, ſicubi aliter ſentirent. Procedam autem eo ordine quo Caſus illi ſuperius recenſentur.

Raptus virginum eſt ablatio, qua fœmina talis violenter; contra ſuam voluntatem, aut eorum ſub quorum poteſtate erat, de vno loco trahitur ad alium, ſine ad copulam tantùm carnalem, ſiue etiam ad ducendum in vxorem. Vnde ſequitur primò, non incurri hunc caſum reſeruatum, ſi puella abſque violantia, tantùm pretio, aut blanditiis inducta ſequitur ſollicitantem: quia ſic non eſt propriè raptus. Si tamen vis adhibeatur, quamuis ipſa non ſit inuita, ſed inuitis ſint parentes quibus ſubeſt, aut curator, aut ſponſus, tunc verè eſt raptus, & hic caſus incurritur. 2. Si quis vim puellæ intulit; ſed à loco ſuo non abduxit, non eſt raptus; ſed ſtuprum, ex ſententia communiori. 3. Raptum hunc etiam non incurrit ſponſus, qui virginem ſibi legitimè deſponſauit, ſi volentem per vim inuitis parentibus abduxit ex domo paterna, & rem cum ea habuit, ſi nullo alio modo ſponſam ſibi debitam habere potuit. Quia, licet grauiter peccauit eam ſic deſlorando, & abducendo, hoc tamen in iure non cenſetur raptus, eo quod ex deſponſatione ius illi competebat, vt ſponſam ſibi ad nuptias haberet. Ita Doctores paſſim, qui citant etiam reſponſum Alexandri III. in capite *cum cauſam*, de raptoribus, id non eſſe propriè raptum, neque etiam matrimonio impedimentum præbere. Caſum raptus non euadit, qui per alios virginem ad ſe rapi curauit. Nota denique, etſi puella rapta iam eſſet reſtituta, & omnia vtriumque redintegrata, non poſſe tamen adhuc raptorem abſolui, niſi ad Epiſcopum recurrat, quia equidem caſum reſeruatum rapiendo antea incurrit.

Homicidium, eſt voluntaria; & iniuſta hominis occiſio. Non reſeruatur homicidium caſuale, ſiue caſu aliquo commiſſum non etiam factum in furore, amentia, aut ebrietate plena, rationis vſum auferenter neque etiam patratum ſine aduertentia, & conſenſu ſufficienti ad peccatum mortale. Voluntas interna occidendi quantumuis abſoluta, & mortalis, etiamſi arma fuerint ad occidendum parata; & inſidiæ ſtructæ, non ſecuto affectu, non reſeruantur. Si quis volens alterum occidere, ſclopi glande, aut gladio, alioue inſtrumento eum grauiter vulnerauerit, peccatum non eſt reſeruatum, ſi mors poſtea inde ſecuta non fuerit. Qui occidit iniquum aggreſſorem vitæ, aut fortunarum ſuarum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit caſum reſeruatum: neque famulus qui in hoc Domino ſuo cooperatur. Incurrit autem hanc reſeruationem qui alteri vitam aufert per venenum, aut maleficium: item, qui procurat abortum fœtus animati: quia is verè homicidium committit. Idem dicendum de eo qui ad alterius mortem, quantumuis occultè cauſam efficacem poſuit effectu ſecuto. Sed non incurrit miles, qui in bello iuſto etiam innocentem occidit, volens tantùm hoſtem occidere.

Incendium quod fuit deliberata voluntate procuratum. Hinc ad incurrendum hanc reſeruationem non ſufficit, ex negligentia, aut temeritate incendio cauſam præbuiſſe. Neque incendium ab alio malitioſè poſitum extinguere nolle, etſi id poſſis: aut etiam ponendum non impedire. Quia etſi tales grauiter peccent, non ſunt tamen propriè incendiarii. Videntur tamen hanc reſeruationem incurrere, qui incendium efficaciter mandant, aut ad hoc alios adhibent: quia hoc eſt verè incendium voluntarie procurare. An verò idem ſit de illis qui conſilio, vel auxilio remotè concurrerunt, non ſatis colligitur ex illis verbis, Incendium deliberata voluntate procuratum, cum plerumque vbi tales comprehendendi ſunt, addi ſoleat: qui etiam conſilium, vel auxilium impenderint. Cæterum excommunicatio, & reſeruatio Pontificia in *cap. tua nos, de ſent excom. in ſexto*, dicitur lata in incendiarios qui poſtquam ſunt per Eccleſiæ ſententiam publicati, pro abſolutionis beneficio ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi. Quam publicationem non exiſtimo hic ad reſeruationem Epiſcopalem requiri.

Simonia, eſt quælibet ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum: &c. Vt hęc cen-

cenſeatur reſeruata, debet voluntas illa prodire in actum externum, & ſimoniam complere. Signum ſimoniæ completæ inter alia eſt conſtratus vtrimque initus. Videtur omnis ſimonia externa, & completa hic reſeruari. Cum autem in tali ſimonia non detur leuitas materiæ, tantum contingit illam non reſeruari ex actus inperfectione, aut ex ignorantia. Simonia realis in beneficio Eccleſiaſtico eſt etiam Pontifici reſeruara. Quibus verò in caſibus peccatum ſimoniæ in particulari committatur, reperies deductum infra de Præceptis cap. 12.

Sodomia, eſt congreſſus contra naturam, & ſtrictius ſumpta, eſt congreſſus duorum eiuſdem ſexus, vt maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Non incurrit hunc caſum ſperuatum qui in ſe Procurat pollutionem, etiam adhibita opera alterius cuiuſcumq; ſexus per ſoles contractus manuum, aut aliorum membrorum ſine congreſſo carnali. Incurritur autem certò ſi duo eiuſdem ſexus inter ſe commiſeantur, maſculus cum maſculo, aut fœmina cum fœmina, qui eſt modus admodum turpis, & præpoſterus, & ad generationem non ordinatus Sunt qui exiſtimant, per caſum Sodomiæ non reſeruari copulam præpoſteram viri cum muliere, vt ſi maritus cum vxore extra vas debitum commiſeatur, quia tunc non eſt illa identitas ſexus, quam ad Sodomiam propriè dictam requirunt, quæ maiorem habet deformitatem. Verius tamen videtur Caſum illum pro vera Sodomia reputandum eſſe, & ſic eam appellat Caietanus *in ſumma ver. Sodomia*, item Emanuel Sà *ver. luxuria* Leſſius *lib. 4. cap. 3. dub.* 13. Couarru. *de ſponſal. p. 2. cap. 7.* Certum eſt hunc caſum reſeruatum incurri per peccatum beſtialitatis, qua homo cum quacumque beſtia commiſetur: etiam ex hoc capite, quod hoc peccatum ſit grauius, quam Sodomia quæ cum homine committitur: item per concubitum cum Dæmone in corpore aſſumpto. Certum denique eſt, hunc caſum non incurri inter coniuges ſi modus congrediendi ſit præpoſterus, ſed non extra vas in homine ad copulam ordinatum. Inter alias pœnas Sodomiæ, ſi fuerit Clericus, omni priuilegio clericali, officio, beneficio, dignitate priuatus degradatur, & brachio ſæculari traditur, apud Nauarrum *cap. 27. num.* 249.

Hæreſis, eſt error intellectus Fidei Catholicæ contrarius, ab eo qui Chriſtum profitetur, cum pertinancia aſſertus. Ex hac definitione patet, illum non incurrere Caſum reſeruatum hæreſis, qui eſt Iudæus aut Paganus, qui in Chriſtum non crediderunt: quia illi non dicuntur hæretici, ſed infideles. Cenſetur ille *cum pertinacia* errorem aſſerere, qui ſciens illum eſſe contra fidem Eccleſiæ Catholicæ, nihilominus illi aſſentitur, eumque aſſerit.

Incidunt igitur in hunc Caſum omnes illi, qui hæreſim, quam in corde latentem habent, aliquo ſigno exterius ſufficienter manifeſtant, ſiue verbo, ſiue ſcripto, etiam nutu. Idem eſt de illis qui hæreticis tantùm implicitè adhærent, credendo pertinaciter vera eſſe quæ illi docent, quamuis in ſpecie neſciant quid illi teneant. Incidunt etiam qui in aliquo articulo fidei poſitiuè dubitant, ſic vt parati non ſint dubium deponere ſi melius inſtruantur; quia tales non habent, nec habere volunt illum aſſenſum firmum, quem fides ex ſua ratione formali requirit. Non incidunt tamen qui dubitant ex ignorantia, vel ex infirmitate, ex eo quod dubitationem ſubortam ab imaginatione ſua expellere nequeant, etſi non deſit voluntas per meliorem inſtructionem eam repellendi.

Non cenſetur hac reſeruatione comprehendi, qui ſolum, ſpe lucri, aut alia paſſione victi, aliquid exterius fecerunt in fidei præiudicium, vt imagines Sanctorum deponere, aut eas male tractare. Quia quamuis grauiter peccauerint, non depoſuerint tamen fidem internam, nec habuerunt errorem intellectus, qui ad hæreſim requiritur, vti patet ſupra ex illius definitione. Neque comprehenduntur qui interius in animo adhæſerunt aliquibus erroribus v. gr. Lutheri, aut Caluini, ſi errores illos nullo plane ſigno exteriori manifeſtarunt. Tum quia hæreſis illa in ordine ad reſeruationem non cenſetur completa: tum quia Eccleſia actus merè internos iudicare, & punire non ſolet, vti paſſim docent tam Theologi, quam Canoniſtæ. Idem iudicandum eſt de illis qui hæreticorum conciones audiuerunt, modo, in animo fidem ſat firmam retinerunt: quia etſi grauiter peccauerint, ſi ſe hæreſis periculo expoſuerint, per hoc tamen hæretici non fuerunt.

Per hunc Caſum non reſeruatur Epiſcopo lectio librorum hæreticorum: reſeruatur tamen Pontifici tam hæreſis, quam librorum hæreticorum lectio, retentio, impreſſio, *in Bulla Cœnæ Art. 1.* De quibus plura, & alia ad hæreſim pertinentia reperies infra, *Part. 3. Tract. 4. Quæſt. 12.* Item, praxim Hæreticos Eccleſiæ reconciliandi, *Part. III. Tract. III. c.* &

Apo-

Apoſtaſia, eſt defectio a fide, a religione, vel ab ordine. De Apoſtaſia a fide quomodo reſeruetur iam diximus: nam hæc ab Hæreſi tantùm fere differet in eo, quod illa ſit totalis defectio à Chriſto, hæreſis verò ab aliquo, vel aliquibus Punctis fidei. Apoſtaſia à Religione dicitur, quando profeſſus quouis modo, Religionem approbatam deſerit ſine licentia cum intentione non redeundi ad illam, vel aliam, ſed ducendi vitam laicalem, vel clericalem in ſæculo. Dixi, profeſſus quouis modo, quia ad apoſtaſiam non requiritur in omnibus profeſſio ſolemnis. Apoſtaſia ab Ordine dicitur, per quam Clericus in ſacris conſtitutus deſerit habitum clericalem vt more Laici viuat: vel tali animo conſtitutus in Minoribus, cum beneficio, non defert in ſignis clericatus. Dixi, vt more Laici viuat, quia Clericus etiam in ſacris conſtitutus, ſi habitum dimittat ſine cauſa, etſi grauiter peccet, imo ipſo facto beneficio excidat, ex *Conſtiut. Sixti V.* non cenſetur tamen apoſtata, quamdiu habet animum habitum clericalem reſumendi. Non incurrit etiam hanc reſeruationem Clericus qui cum beneficio gerit quidem habitum, & tonſuram, ſed cum animo dimittendum, & more Laico viuendi cum beneficio. Quia quamuis interius ſit apoſtata, non ponit actum externum qui ad reſeruationem requiri ſolet. Extat etiam pœna excommunicationis contra eum qui Apoſtatam recipit, occultat, aut defendit.

Inceſtus, cum conſanguineis, aut Sanctimonialibus: quamuis inceſtus genericè ſit carnalis comixtio cum conſanguinea, aut affine vſque ad quartum gradum, hic tamen reſeruatur tantum inceſtus ille qui committitur cum conſanguineis, non verò cum affine, quod bene notandum. Porrò ad inceſtum proprie dictum requiritur à Theologicis vt ſit commixtio perfecta, ſiue in vaſe a natura ad copulam ordinato: Hinc reſeruatio hæc non incurritur, ſi quis habuerit cum conſanguinea tactus impudicos, aut effuſionem ſeminis extra vas naturale, quia quamuis per hæc valde grauiter peccetur, non ſunt tamen inceſtus vt patet ex definitione ſupra. Ob eadem rationem, non ſubiacet huic reſeruationi attentatio, & conatus copulam conſummandi cum conſanguinea, ſi in re copula non ſit ſecuta, vt inter impuberes, aut alios qui per ætatem ſeminare nequeant.

Vt inceſtus cum Sanctimoniali cenſeatur completus, & reſeruatus, requiruntur eadem quæ diximus de conſanguinea. Per Sanctimonialem intellige quamlibet in Ordine aliquo approbato profeſſam: quod ſi hic inceſtus admittatur intra ſepta Monaſterij, incuritur etiam excommunicatio Pontifici reſeruata per Gregorium XIII. anno 1575.

Iniectio manuum violenta, deliberato propoſito, cum læſione in parentes. Hæc itaque reſeruatio non incurritur vbi non concurunt hæc tria, violentia, animus deliberatus, & corporalis læſio parentis. Per *Parentes* hic non tantum intelligitur pater, & mater, ſed etiam auus, & auia, & ſuperiores aſcendentes, vt ſatis patet ex *l. appelationem parentum ff. de verborum ſignif.* Verius autem exiſtimo non comprehendi reſpectu viri, patrem, & matrem, auum, & auiam ſuæ vxoris: vti nec nomine patris vitricum, aut nomine matris nouercam, niſi reſeruans declarauerit ſe velle nomen Parentum ad illos etiam extendere, qui conſtat reſeruationem ſtrictè interpetrandam eſſe, & in dubio, de illa facta non præſumi. Per iniectionem manuum intelligitur etiam ea læſio que fit per pedes, brachia, & alias corporis partes; nam nomen manuum non exprimitur vt alia membra excludantur, ſed quia manus ſunt ordinarium inſtrumentum percuſſionis, & læſionis. Neque requiritur, vt læſio fiat per manum aut pedem immediatè, ſed ſufficit fieri mediate per baculum, lapidem, ſclopum, aliunde inſtrumentum. Neque neceſſarium videtur vt læſio ſit grauis, quia læſio etiam leuis facta cum deliberatione, & violentia, reſpectu parentum cenſetur grauis iniuria, & reſeruatione digna. Ab hac etiam non excuſat quod Parentes malè agendo læſionem illam meriti fuerint. Quia ad filium aut filiam minimè pertinet parentes etiam meritos punire.

Excuſatur tamen ab hac reſeruatione, qui parentem læſit in ſe immodico furore ſæuientem, aut mortem intentantem, ſi tantum fecit quod neceſſarium erat ad ſui defenſionem, & periculum fuga, aut alio modo vitare non potuit. Item, qui ex ſubita iracundia poſuit actionem qua parentem lædendum minimè putauit: aut qui lædere quidem voluit, non tamen actu læſit. Hunc caſum non reperio inter Pontificios, ſed ſoli Epiſcopo reſeruatum.

Sortilegium, eſt ſuperſtitioſa quædam diuinatie, quæ fit per ſortes ad aliquid futurum vel occultum cognoſcendum: vt ſi quis ex factu, & diſpoſitione aleæ velit diuinare de alicuius vita longa, aut breui, de ſucceſſu itineris, aut alterius negotij. In his grauis ma-

litia eſt, & merito reſeruata, quando ſic fiunt vt ſortibus illis vis aliqua diuina ineſſe credatur ad reuelandum occultos rerum euentus. Sortes illæ aliquando dicuntur conſultoriæ, ex quibus quaſi conſulitur quid in hac, vel illa re ambigua agendum ſit, vt, an eligendus hic aut ille ſtatus, an ineundus hic aut ille contractus, & ſic de alijs actionibus ſuis, aut alienis. Poſſunt tamen aliquando ſortes illæ ſine peccato, adeoque ſine reſeruatione adhiberi, quando non ob virtutem quaſi adiunctam ſortibus, ſed mere vſurpantur ad tollendum dubium, quod ideo alio modo non auferendum: vt ſi ad aliquod iter, vel expeditionem profecturus, neſciam quos ex multis mihi ſocios adiungam, ne cogar continuò dubius hærere, decernam illos eligere, qui ex vrna calculos tantum albos extrahent ſepoſito in alijs ex hoc electionis modo ſcandali periculo. Sortes etiam aliæ ſunt diuiſoriæ, in quibus ſi non collocetur virtus aliqua quaſi diuina, vel commercium cum dæmone, vſurpari poſſunt ſine peccato, ſiue ad hæreditatis diuiſionem, ſiue ad litis compoſitionem, cum partium conſenſu. Quia nihil creditur illis ineſſe virtutis, niſi liberam determinationem, ſiue contractum illorum qui ad rem illam, ius habent, vt ſit illius in quem ſors ceciderit. Aliæ ſunt ſpecies ſuperſtitionis, veneficium, maleficium, incantatio, &c. quæ in nomine ſortilegij non comprehenduntur, de quibus agitur, infra Part. III. Tract. V. Cap 1.

Adulterium notorium Hinc. non comprhenditur quodlibet adulterium, etiamſi ſit completum, & perfectum. Hinc à quouis adulterio occulto poteſt per ſe abſoluere Parochus, aut alius ad hoc Confeſſarius legitimus. Tantum igitur per hunc caſum reſeruatur Epiſcopo adulterium quod ad aliorum notitiam deuenit, etſi non ſit omnino publicum, aut in iuditio probatum. Vnde hoc peccatum, cum in ſe completum, & exterius notorium eſſe debeat, facilè a quouis adulterium occulto diſcerni poteſt. Hic addo, quod de his in *Synodo Antuerpienſi tit. 5. de Sacram. Penit. cap.* 7. decernitur, vt a caſibus Epiſcopo reſeruatis, quando crimina notoria non ſunt, abſoluere poſint omnes Paſtores, & Superiores Ordinum qui externorum Confeſſiones audire ſolent.

Complex, eſt hic perſona quę in actu carnali cum Confeſſario illo peccauit; quam proinde per hanc reſeruationem, idem Confeſſarius non poteſt validè ab iſto peccatu abſoluere. Poteſt tamen abſoluere eandem perſonam, aut aliam, pro eo tempore quo tantum cum alio ſuo Confeſſario carnaliter peccauit. Peccatum hoc complicis, prout verba ſonare videtur, vt cenſeatur reſeruatum, non requirit vt copula interuenerit, ſed tantum vt fuerit peccatum carnale externum omninò graue ad copulam adducens, quales eſſent tactus grauiter impudici, aut alij actus externi, & prout externi, moraliter peccaminoſi ad copulam tendentes. Tam deteſtabile, & noxium eſt hoc peccatum, vt meritò vocetur inceſtus ſacrilegus, vtpotè inter patrem, & filiam ſpiritualem: ideòque ſecundum antiquos canones pro pœna talis copule decreta fuit peregrinatio 22. annorum, ex præſcripto Cœleſtini Papæ, vt habetur Tom. 1. Concil. fol. 157.

Ex præmiſſa Expoſitione caſuum *Epiſcopalium*, facilius etiam diſcernes, quomodo procedendum ſit circa Caſus ſequentes *Pontifici* reſeruatos, dum circa illos actiones particulares occurint. Porrò, quando a caſibus Pontifici reſeruatis poſſint etiam *Epiſcopi* abſoluere, reperies infrà Cap. 4. in fine.

CAPVT IV.

Caſus, & Excommunicationes Pontifici reſeruatæ.

§. I.

Reſeruata in Bulla Cænæ Domini.

PRima eſt, Excomunicatio in Hæreticos cuiuſcunq; Sectæ eorundem fautores, libros ipſorum legentes, tenentes, aut imprimentes; atque in ſchiſmaticos.

Secunda in appellantes ac futurum Concilium, ac eorum fauctores.

Tertia, in Piratas, & eorum receptatores, atque fautores.

Quarta, in eos, qui naufragorum Criſtianorum cuiuſcunque generis bona etiam in littoribus inuenta ſurripiunt.

Quinta, inponentes noua pedagia, & gabellas, vel augentes.

Sexta, in falſificantes litteras Apoſtolicas, aut Supplicantes à quocunq; auctoritatem habente ſignatas, aut falſsò fabricantes litteras Apoſtolicas.

Septima, in deferentes arma, aut alia vſui bellico inodea ad Turcas, aut alios Chriſtiani nominis inimicos: vel ad Chriſtianæ reipub. ſtatum

ſtatum pertinentia ijsdem in damnum Chriſtianorum annunciantes.

Octaua, in impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria ad Romanam Curiam conuehunt.

Nona, in eos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel ab recedentes, ſua, vel aliorum opera, & ſine iurisdictione vexant in Curia commorantes.

Decima, in eos, qui lædunt Romipetas, ac Peregrinos in Vrbe morantes, vel abeuntes.

Vndecima, in offendentes S.R.E. Cardinales, & alios Prælatos.

Duodecima, in ledentes eos, qui per ſe vel per alios recurrunt ad Romanam Curiam pro ſuis negotijs.

Decimatertia, in eos, qui à grauamine, vel futura executione literarum Apoſtolicarum appellant ad poteſtatem laicam.

Decimaquarta, in eos, qui impediunt, & prohibent expeditiones literarum Apoſtólicarum, aut aliarum expeditionum ad gratias impetrandas.

Decimaquinta, in Iudices ſæculares, qui Eccleſiaſticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

Decima ſexta, in eos, qui impediunt Prælatos, ne ſua iurisdictione vtantur, quique illorum, vel Delegatorum iudicia eludentes ad Curiam ſæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præſtantes auxilium.

Decimaſeptima, in vſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quarumcunque Eccleſiarum iurisdictiones, vel etiam fructus ſequeſtrantes.

Decimaoctaua, in imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiijs Monaſterijs, aut eorum fructibus.

Decimanona, in Iudices ſæculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Eccleſiaſticas perſonas.

Vigeſima, in occupantes terras Eccleſiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vſurpantes.

§. II.

In Decreto, & Decretalibus Papæ reſeruata.

PRima eſt, Excommunicatio in percuſſorem Clerici, vel Monachi, lata in cap. Si quis ſuadent Diabolo 17. q. 4.

Secunda eſt, lata à Delegato Papæ in eum, qui rei iudicatę parere contemnit: illam enim poſt annum transfactum manet reſeruata Papæ Cap. Quærenti, de officio Delegati.

Tertia eſt, excommunicatio promulgata ab Epiſcopo in eos, qui literas Apoſtolicas falſas habentes, non diſtruunt eas, aut non reſignant intra viginti dies, poſtquàm hæc contracta fuerit, recurrendum eſt ad Summum Pontificem pro Abſolutione: Cap. Dura de crimine falſi §. Adijcientes.

Quarta eſt, lata in ſacrilegos, qui violenter Eccleſiam confrègerint, eamque ſpoliare non dubitauerint: Cap. Conqueſti, de ſentent. excommunic.

Quinta eſt, qua Papa excommunicat Clericos, qui cum excommunicatis a ſe, communicant in diuinis, illorumque Abſolutionem ſibi reſeruat: Cap. Significauit, de ſentent. excommun.

Sexta eſt, lata in incendiarios, qui poſtquam ſunt per Eccleſię ſententiam publicati, pro abſolutionis beneficio ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi. Cap. tua nos, de ſent. excomm. in ſexto.

Septima eſt, eſt lata in eos, qui in perſonis, aut bonis ſuis grauant illos, qui ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti in aliquèm tulerit: ab ea enim per Sedem tantùm Apoſtolicam tales abſolui poſſe, ſi in ea ſententia ſpatio duorum menſium perſeuerauerint, habetur ex Cap. Quicumque eodem tit. & libro.

Octaua eſt, lata ibidem Cap. *Eorqui*, in illos qui poſt Abſolutionem a priore excommunicatione reſeruata à Papa obtentam, ſub conditione comparendi coram ipſo Papa, vel ſatisfaciendi parti lęſæ, talem conditionem negligunt implere tempore debito.

Nonam omitto, contra, inferentes violentiam S.R.E. Cardinalibus item Epiſcopis in Clement. *Si quis*, de Pœnit. Quia continentur etiam in Bulla Cœnæ.

§. III.

In Clementinis, & Extrauagantibus Excommunicationes reſeruatæ.

PRrima habetur in Clementina I.de Hæreticis, §. *Verum*, contra Inquiſitores, vel eos, qui ipſorum vices gerunt, ſeu loco ipſorum, ad illud officium gerendum deputantur; ſi in vſu eiuſdem officij ita deliquerint, vt odij & cæterorum ibi poſitorum obtentu, contra iuſtitiam, & conſcientiam ſuam, omiſerint contra aliquem procedere, vbi fuerit procedendum ſuper huiuſcemodi prauitate; aut obtentu eodem, prauitatem ipſam, aut impedimentum officij imponendo, eum ſuper hoc præſumpſerint quoquo modo vexare.

Secunda eſt, in Clementina, *Religioſi*, de Priuilegijs: lata contra Religioſos, qui præſumpſerint Sacramenta Extremæ Vnctionis, aut Euchariſtiæ miniſtrare, vel Matrimonia ſolemnizare, ſine parochialis Presbyteri licentia ſpeciali; vel excommunicatos à Canone præterquam in caſibus, ipſis à Pontifice conceſſis, abſoluunt, &c.

Tertia eſt, lata in Clement. Cupientes, §. ſanè, de pœnis, in Religioſos ac in Clericos ſæculares violantes Conſtitutionem Bonifacij, Cap. 1. de ſepulturis, in ſexto, ne aliquis Clericus ſecularis, aut Religioſus inducat quempiam ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum, vt apud eorum Eccleſias ſepulturam eligat, vel iam electam vlterius non mutet.

Quarta habetur in Clement. Grauis, de ſcntent. Excomm. lata in violantes interdictum per vnum ex quatuor actionibus ibi poſitis.

Quinta excommunicatio eſt in Extrauag. Prima inter communes, de ſepulturis, lata in lacerantes, & exenterantes corpora defunctorum hominum, vt conſeruentur, vel vt decoquantur, vt oſſa poſſint in alia loca tranſferri.

Sexta, in Extrauag. 1. Commun. de Simonia, contra eos lata; qui dant vel recipiunt aliquid ob ingreſſum Religionis per modum pacti, & conuentionis,

Septima, in Extrauag. 1. de Regularibus, in qua Martinus IV. prohibebat, ne Religioſi mendicantes ad aliam Religionem tranſeant, excepta Cartuſienſi, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali.

Octaua, lata in Extrauag. Commun. de ſimonia, quam ij incurrunt, qui ſimoniæ peccatum commitunt; intellige autem de ſimonia reali conſummata, id eſt, in qua de facto datum, & acceptum eſt temporale pro ſpirituali.

Nona eſt in Extrauag. Communi, Graue nimis, de reliquijs, & Venerat Sanctilata à Sixſto IV. in præſumentes affirmare, illos qui credunt, aut tenent, beatiſſimam Virginem, ab originali peccato fuiſſe præſeruatam propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, vel etiam eos, qui Conceptionis officium celebrant; vel Conciones audiunt eorum qui ipſam ſine macucula peccati conceptam eſſe prædicant, vel libros talem doctrinam continentes pro veris legunt, tenent, vel habent; vel alicuius peccati reatum incurrere. Vbi idem ſimiliter excommunicat eos, qui affirmant hęreſim eſſe, vel peccare moraliter eum, qui docuerit, aut aſſeruerit beatam Virginem in peccato originali conceptam eſſe.

§. IV.

Aliæ Excom. reſeruata, extra Corpus Iuris, & Bullam Cœnæ.

PRima eſt, à Leone X. in Concilio Lateranenſi lata in Prædicatores, qui contrauenerint ijs, quæ ibidem prohibentur, quorum primum eſt, vt Euangelicam veritatem, & ſacram Scripturam, iuxta Doctorum Eccleſiæ declarationem pertractent nihilque adijciant contrarium, aut diſſonum ſacræ Scripturæ. Secundum eſt, vt tempus præfixum futurorum malorum, vel aduentus Antichriſti, aut certum iudicij diem prædicere non præſumant. Tertium, ne illa futura quaſi ſpecialiter reuelata dicant, aut alienas, inaneſque diuinationes aſſeuerent. Quartum, vt à Prælatorum, aliorumque Superiorum detractione abſtineant.

Secunda Excommunicatio, habetur ex quodam proprio motu Pij V. qui incipit, Regularium perſonarum, lata in fœminas, quæ ingrediuntur in Monaſteria Carthuſienſium, & aliorum virorum vitam regularem agentium.

Tertia, ex eiuſdem Pontificis Conſtitutione, quæ incipit, *Intolerabilis*, lata in eos, qui committunt crimen Simoniæ, confidentiæ beneficialis; vt cenſentur tum alij, quorum ibidem mentio eſt, tum ij, qui beneficium recipiunt ab aliquo, ſub confidentia, quod illud poſteà eidem reſtituent, vel alteri dabunt, vel fructus eius, aut eo-

rum partem, aut penſionem eidem, vel alteri ſoluent.

Quarta eſt, quam Concilium Tridentinum Seſſ. 22. Cap. 11. de Reform. fert in quoſcunque ſiue Clericos, ſiue laicos, qui præſumunt vſurpare quacumque arte, aut modo, bona, res, iura, fructus, reditus, aut iuriſdictiones alicuius Eccleſiæ, vel beneficij ſecularis, montium pietatis, vel aliorum priorum locorum; vel impedientes, ne percipiantur ab eis, ad quos iure pertinent. Has omnes, earumque explicationem ſuſius tradit. *Suarez Tom. 5. in 3. Part. Diſp. 21. & 22. Bonac. d. 2. qu. 5. p. 3. Layman lib. 3. Tract. 5. p. 2. c. 5.*

Sunt & aliæ cenſuræ in poſteriorum Pontificium Bullis reſeruatæ, vt in Bulla Vrbani VIII. contra eos, qui de gratia, & libero arbitrio ſine ſpecialis Sedis Apoſtolicæ licentia tractatus edunt. Et in Bulla Alexandri VII. contra eos, qui quouis modo contra piam ſententiam de Immaculata B. V. Conceptione, eiuſque Feſtum ſeu cultum aliquid publicè vel priuatim, voce vel ſcripto loqui, tractare, diſputare auſi fuerint, vel argumenta contra illa adferre, & inſoluta relinquere. Et quædam his ſimiles cenſuræ, quæ in alijs controuerſijs emanarunt. Vt ſunt varie excommunicationes recentiores Pontifici reſeruatæ, contra docentes, aut defendentes certas Propoſitiones ſiue damnatas in Bullis dogmaticis, ſiue prohibitas in particularibus Decretis, nec non contra legentes, imprimentes &c. certos libros ac libellos à Sede Apoſtolica prohibitos. Prædictis caſibus Pontificijs multum accommodari poterit Expoſitio ſupra tradita de ſingulis caſibus Epiſcopalibus.

Annotatio, de poteſtate Epiſcoporum circa prædicta.

AD leuandam neceſſitatem recurrendi ad Pontificem in quouis caſu circa tot delicta per adiunctam excommunicationem ipſi reſeruata, ſtatutum eſt in Conc. Tridentino vt Epiſcopi à caſibus Pontificijs ſaltem occultis poſſint abſoluere, iuxta tenorem verborum ipſius Concilij quæ ſic habent Seſſione 24. de Reform. Cap. 6. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus (excepta ea quæ oritur ex omicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum) diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, delinquentes quoſcunque ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere. Idem, & in Hæreſis crimine in eodem foro conſcientia eis tantùm, & non eorum Vicarijs ſit permiſſum.*

Ex his ſummatim facilè colliges, à quibus, qualiter, & per quos in caſibus Pontificijs poſſit Epiſcopus in foro conſcientiæ abſoluere, aut diſpenſare. Per caſum vel delictum occultum non debet caſus ille tantùm intelligi qui ad nullius notitiam exterius peruenit, ſed ille qui à paucis ſcitur, & facilè poſſit tergiuerſando celari: ex illis enim minus timeri poteſt ſcandalum, aut publica incommoda: vti etiam videtur intelligere Nauarrus *ca. 27. num. 255.*

Conceditur etiam in caſibus prædictis peculiaris poteſtas Epiſcopis, quando non datur recurſus ad Sedem Apoſtolicam, vt ſi impediat periculum mortis, aut grauis morbi, ſi ſit pauper, aut mulier, aut puer, aut alteri ſeruiens, aut itineris laboribus impar.

CAPVT V.

Pro facultate abſoluendi à Reſeruatis, Cenſuris, aliiſque caſibus, ad quos poſſit Confeſſarius recurrere?

AMpliorem cæteris in hoc genere facultatem, quantum eſt ex vi officij, habent Epiſcopi in ſua Diœceſi, ſed quia multa ſunt ac quę facultas eorum ordinaria ſe non extendit, Priuilegia ſibi ampliora à Sede Apoſtolica aliquando procurant.

Idem dicendum eſt de Vicarijs generalibus. Idem de variorum Ordinum Prælatis, & alijs perſonis, quibus Sedes Apoſtolica particulares facultates conceſſit.

At ſciendum eſt, facultates omnes Ordinis non neceſſariò cuiuis eius membro competere, ſed tantum eas obtinere, quas eorum Prælati ſingulis reſpectiuè permittunt aut communicat: qua in re grauiter offendent ſubditi, ſi ſuas facultates aut ignorent, aut excedant.

Cauendum inſuper, ne Secerdos aut laicus ſine vlteriori examine, ſtatim exiſtimet ſubſiſtere quaslibet facultates, aut priuilegia, quę in quouis auctore aut libro notata, aut olim conceſſa reperiuntur. Sicut enim quibuſdam aliqua dantur de nouo priuilegia, ita etiam quædam antiqua poſteriorum Pontificum Decretis non rarò reuocantur aut reſtringuntur: quorum ſingula non niſi à viris pruden-

tia,

tia & doctrina probè inſtructis ſatis diſcerni valent: ideòque in ſequentibus pro communi vſu ac ſcientia viam recurrendi commodiſſimam ac tutiſſimam aperiemus.

Vt igitur Confeſſarii, præſertim in Miſſionibus, cognoſcant Facultates in iis concedi ſolitas, & ſciant pro quibus caſibus, & indultis, & ad quos recurrere poſſint, hic ſubiiciam ſeriem variarum Facultatum, & indultorum, quę Sedes Apoſtolica quibuſdam perſonis in variis regnis, ac prouinciis elargiri ſolet: prout inueniuntur à ſacra Congregatione de propaganda fide ex Regulis à ſua Sanctitate approbatis digeſta, & apud probatos Auctores recenſita, vt quedam fuſiùs apud Vericelli in *quæſt. mor.* Non quod aſſeram ſingulas quas recenſeo Facultates talibus perſonis, aut officiis ſemper aut neceſſariò annexas eſſe, ſed quod illis potiſſimùm ab Apoſtolica Sede pro rerum exigentia libere concedi aut annecti ſoleant.

§. I.

Facultates Miſſionum.

Pro Epiſcopis in Hibernia, & alibi concedi ſolitæ, & quibuſdam aliis infrà exponendis.

PRimò, Abſoluendi ab hæreſi, & apoſtaſia à Fide, & à ſchiſmate, quoſcunque etiam Eccleſiaſticos, tam Sęculares, quàm Regulares. Non tamen eos, qui ex locis fuerint vbi S.Officium exercetur, niſi ex locis miſſionum in quibus impunè graſſantur hęreſes, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiurauerint, niſi iſti nati ſint vbi impunè graſſantur hæreſes, & poſt iudicialem abiurationem illuc reuerſi, in hæreſim fuerint relapſi, & hos in foro conſcientiæ tantùm.

Secundo. Tenendi, & legendi libros prohibitos Hæreticorum, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiaueli, & libros de Aſtrologia iudiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliter quouis modo de ea tractantes, ita tamen vt libri ex ipſis Prouincijs non efferantur.

Tertiò. Diſpenſandi in tertio, & quarto gradu ſimplici, & mixto in contrahendis, in contractis verò cum hęreticis conuerſis etiam in ſecundo ſimplici, & mixto, & in his caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.

Quartò. Diſpenſandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis ex ſponſalibus proueniente.

Quintò. Diſpenſandi ſuper impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, & reſtituendi ius petendi debitum amiſſum.

Sextò. Diſpenſandi in impedimentis cognationis ſpiritualis, pręterquam inter leuantem & leuatum.

Septimò. Hæ verò diſpenſationes matrimoniales, videlicet, tertia, quarta, quinta, & ſexta, non concedatur, niſi cum clauſula, dummodò mulier rapta non fuerit, & ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat; & in diſpenſationibus tenor huiuſmodi facultatem inſeratur, cum expreſſione temporis ad quod fuerint conceſſæ.

Octauò. Diſpenſandi in irregularitatibus, ex delicto occulto tantùm prouenientibus, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

Nonò. Diſpenſandi, & commutandi vota ſimplicia in alia pia opera, exceptis votis Caſtitatis, & Religionis.

Decimo. Abſoluendi & diſpenſandi in quacumque ſimonia, & in reali dimiſſis beneficiis, & ſuper fructibus malè perceptis, iniuncta aliqua eleemoſina, vel pęnitentia ſalutari arbitrio diſpenſantis, vel etiam retentis beneficiis, fuerint Parochialia, & non ſint qui Parochiis præfici poſſint.

Vndecimò. Abſoluendi ap omnibus caſibus reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ.

Duodecimò. Diſpenſandi cum Catholicis ſuper fructibus bonorum Eccleſiaſticorum malè perceptis.

Decimotertiò. Diſpenſandi cum eiſdem Catholicis, vt poſſint retinere bona Eccleſiaſtica, & fructus ex illis percipere, accepta ab illis promiſſione, de ſtando iudicio Eccleſiæ circa eorum reſtitutionem cùm fieri poterit, illis interim admonitis, vt de dictis fructibus faciant eleemoſynam, iudicio Confeſſarii in vſum Religionis, cuius ante hæreſim, & ſchiſma erant bona, ſi adſit illa Religio, ſin ibi minùs in pauperes Catholicos, & memores ſint, bona illa eſſe reuera Eccleſiæ.

Decimo quartò. Diſpenſandi quando expedire videbitur ſuper vſum carnium, ouorum, & lacticiniorum tempore Quadrageſimæ.

Decimoquintò. Celebrandi Miſſam quocumque loco decenti, etiam ſub dio, ſub terra, vna hora ante Auroram, & alia poſt meridiem, bis in die, ſi neceſſitas vrgeat, ſi tamen, in prima Miſſa non ſumpſerit ablutionem,

nem, & ſuper Alteri portatili, etiam fracto, aut læſo, & ſine Sanctorum Reliquijs, & præſentibus hereticis, alijſque excummunicatis, ſi aliter celebrari non poſſit, & non ſit periculum ſacrilegij, dummodò inſeruiens Miſſæ non ſit hæreticus, vel excommunicatus.

Decimoſextò. Concedendi Indulgentiam plenariam primò conuerſis ab hæreſi, atque etiam fidelibus quibuſcunque in articulo mortis ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt.

Decimoſeptimò. Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione Quadraginta Horarum ter in anno inducenda, diebus beneuiſis, contritis, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, ſi tamen ex concurſu populi, & expoſitione ſanctiſſimi Sacramenti nulla probabilis ſuſpicio ſit ſacrilegij ab hæreticis, & infidelibus, aut Magiſtratum offenſum iri.

Decimo octauò. Concedendi ſingulis Dominicis, & alijs diebus Feſtis decem Annorum Indulgentiam ijs, qui eius concionibus interuenerint, & plenariam ijs, qui præuia Sacramentali peccatorum ſuorum Confeſſione Euchariſtiam ſacram ſument, in Feſti Natalis Domini, Paſchatis, & Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis.

Decimonono. Lucrandi ſibi easdem Indulgentias.

Vigeſimò. Singulis ſecundis ferijs, non impeditis Officium nouem Lectionum, vel eis impeditis de immediatè ſequenti, celebrando Miſſam de Requiem, in quocumque Altari etiam portatili, liberandi animam ſecundùm eorum intentionem à Purgatorij pænis per modum ſuffragij.

Vigeſimo primo. Deferendi ſanctiſſimum Sacramentum occultè ad infirmos, ſine lumine, illudque ſine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, ſi ab hæreticis, aut infidelibus non ſit periculum ſacrilegij.

Vigeſimo ſecundo: Induendi veſtibus ſæcularibus, ſi aliter vel tranſire ad loca eorum curæ commiſſa, vel in eis permanere non poterunt.

Vigeſimo tertio. Recitandi Roſarium, vel alias preces, ſi Breuiarium ſecum deferre non poterunt, vel diuinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

Vigeſimo quarto. Communicandi prædictas facultates duobus Sacerdotibus tantùm in qualibet ciuitate, & oppido inſigni, vel Cõuentu Regularium Theologis tantùm, aut in aliquo Collegio bene inſtructis, & præſertim tempore ſui obitus, vt Sede vacante, ſint, qui poſſint ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta, quod quam primum per delegatos, aut vnum ex eis fieri debebit, alio modo prouideat.

Vigeſimo quinto. Delegandi ſimplicibus Sacerdotibus poteſtatem benedicendi paramenta, & alia vtenſilia ad Sacrificium Miſſę neceſſaria, vbi non interuenit Vnctio, & reconciliandi Eccleſias pollutas aqua ab Epiſcopo benedicta, in caſu neceſſitatis, etiam aqua non benedicta ab Epiſcopo.

Vigeſimo-ſexto. Conferendi Ordines extra tempora, & non ſeruatis interſtitijs, vſque ad Sacerdotium incluſiuè.

Vigeſimo-ſeptimo Diſpenſandi ſuper defectu ætatis vnius Anni ob operariorum penuriam, vt promoueri poſſint ad Sacerdotium, ſi aliàs idonei fuerint.

Vigeſimo-octauo. Conſecrandi olea cum quinque ſaltem Sacerdotibus, non tamen extra die Cœnæ Domini, niſi neceſſitas aliud vrgeat.

Vigeſimo-nono. Et prædictæ facultates gratis, & ſine vlla mercede exerceãtur, & pro eorum Diœceſibus tantùm conceſſæ intelligantur ad ſeptennium. Sic etiam habent variæ Formulæ ſæpius pro Pontificis arbitrio conceſſæ, & à probatis Auctoribus relatę, vti & ſequentes.

§. II.

Prò Vicarijs Apoſtolicis Hiberniæ.

ACcomodari his ſolent aliquando à Sede Apoſtolica eædem facultates, & gratię, quæ Epiſcopis in prædicta formula attribuntur, pro locorum conſuetudine, omiſſa facultate 25. 26. 27 28. vti habet praxis libera Congreg. de Propag. fidei.

§. III.

Pro Superioribus Regularium ibidem.

COncedi his quandoque poſtulantibus ſolent etiam Facultates ſupradictæ: ſed omiſſa 14. item 25. 26. 27. 28. & 24. ex parte mutata, hoc modo: Communicandi prędictas facultates duobus Sacerdotibus ſuæ Religionis in quolibet Conuentu, aut Monaſterio exiſtente in ciuitate aut oppido inſigni, Theologis tamen, aut in aliquo Collegio bene inſtructis, &c.

§. IV.

§. IV.

Pro alijs quibusdam Miſſionarijs.

EXtant, & aliæ facultates his minores quas aliquando idonei quidam Miſſionarij, à ſacra Congregatione, aut Apoſtolico Nuncio impetrare ſolent. Tales ſunt ex facultatibus ſupra recenſitis 1.2.5. in foro tantùm interno, & 10. abſoluendi, & diſpenſandi in ſimonia, ſed cum varia reſtrictione. Item 16.17.19.20. 21. 22. 23. Quibus additur poteſtas diſpenſandi, cum pauperibus tantùm, in 3. & 4. gradu conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici, & mixto, & in 2. 3.4. mixti, non tamen in 2. ſolo quoad matrimonia futura. Item in impedimento publicæ honeſtatis, & cognationis ſpiritualis, præter leuantem, & leuatum; modò in prædictis mulier non fuerit rapta, aut ſaltem in poteſtate raptoris non exiſtat. Inſuper benidicendi paramenta, & alia vtenſilia ad Sacrificium Miſſæ, vbi non interuenit Vnctio: quibus & alia ſubindè adduntur.

§. V.

Pro Regno Angliæ.

CVm in eo Regno non ſint Epiſcopi, alijs Prælatis, & idoneis quibusdam Miſſionarijs concedi ſolent omnes facultates, quas ſupra receuſuimus pro Superioribus Regularium, & pro quibusdam Miſſionarijs in Hibernia: immutato nonnihil articulo de communicatione facultatum, & ablata reſtrictione ade Art.19 hoc modo: Adminiſtrandi omnia Sacramenta etiam parochialia, Ordine & Confirmatione exceptis. Sic enim ea facultas pro Anglia à S. Congr. exprimi ſolet.

§. VI.

Pro Prouincijs Hollandiæ, & confœderatis.

EX ordinatione ſacræ Congregationis pro Epiſcopis titularibus Hollandiæ eaſdem facultates conceſſas reperio quas ſupra adduxi in formula pro Epiſcopis Hiberniæ. Niſi quod tertia facultas in illis Prouincijs, ad pauperes reſtringatur: & decima ex parte mutetur, & in 24. poteſtas communicandi has facultates relinquatur huic Epiſcopo exercendi in Sacerdotes idoneos, ſine reſtrictione prout ſecundùm conſcientiam opus eſſe iudicauerit.

Alij in Hollandia Miſſionarij impetrare ſolent facultates ſimiles ijs, quas Miſſionarijs quibusdam Angliæ, & Hiberniæ concedi declarauimus.

N O T A.

PRo Miſſionarijs Regularium quædam ſingularia Pontificum Diplomata, ex quibus ampliora in hoc genere Priuilegia depromuntur.

Innocentius IV. in Bulla 20. quæ incipit, *Cum hora vndecima*, Miſſionarijs Regularibus per vniuerſum mundum maiora quædam Priuilegia adiecit. Quæ etiam Nicolaus III. in Bulla ſua 2. confirmauit, excipiens diſpenſationem aut commutationem in votis vltramarinis, continentiæ, & caſtitatis, quæ Innocentius ſaltem expreſsè non excepit.

Sixtus IV. in Bulla quæ incipit, *Apoſtolicæ ſeruitutis*: Et Pius II. in Bulla, *Dum leuamus* pro Miſſionarijs Ordinis Prædicatorum varia Priuilegia concedit.

Leò X. in Bulla 3. *Alias felicis*, prædictis adiecit Facultates Innocentij IV. aliaſque, reſtrigendo Confirmationis adminiſtrationem ad Epiſcopos, ſi in Prouincia reperiri commodè poſſint.

Adrianus VI. in Bullà, *Exponi nobis*, Miſſionarijs Ordinis Minorum ad inſtantiam Caroli V. varias facultates indulſit.

Paulus III. in Bulla, *Licet debitum*, & in alijs, varia elargitur pro Miſſionarijs Societatis Ieſu.

Clemens VIII. in Bulla, *Dominici gregis* anno 1604. Miſſionarijs Ordinis Carmelitarum Facultates admodum amplas conceſſit.

Hæc diplomata integrè recenſita reperiuntur in *bullario*, & apud *Rodericium* de priuilegijs Regularium, & citantur in compendio Priuilegiorum variorum Ordinum.

Vbi aduerte, propter Communicationem Priuilegiorum inter Ordines Religioſos, poſſe Miſſionarios vnius Ordinis ex alterius Facultatibus iuuari, prout traditur in Mari magno Minorum Sixti V. & in B. Aurea, & in *B. Dudum* Leonis X. ac recentius in Bulla 19. Clementis VIII. in quibus omnibus quid pro ſingulis valeat, & vigeat, ipſis notum eſſe ſolet.

§. VII.

§. VII.

Facultates Ordinariæ quæ quibuſdam Regularibus aliquando conceduntur, etiam extra Miſsiones, breuiter explicatæ.

I. *Abſoluendi quoslibet à quibuſuis peccatis etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis.* Intellige *quoslibet*, non prohibitos per ſua Priuilegia confiteri extra ſuum Ordinem, abſque ſuorum ſuperiorum facultate. Intellige etiam ex parte *Abſoluentis*, approbationem Ordinarij, & cętera requiſita; niſi putando is peregrinatur, veniam concedente Ordinario ſi adſit, & Curato non repugnante in ſua Eccleſia.

II. *Et ſpecialiter, abſoluendi ab omnibus caſibus, peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini.* Hanc habes integrè expreſſam ſupra cap. 4 §. 1. Quando cenſura fertur in eos, qui præſumunt aliquid facere vel attentare, non comprehendi eos qui ex metu, & abſque notitia ſat libera id fecerunt, docent paſſim Thologi. 2. Si excommunicatio lata ſit in patrantes, docent etiam non extendi ad mandantes, niſi id alio modo exprimatur. De his, & ſeq. pluribus agit Lezana, verbo, Bulla Cenæ, & ex parte Diana, & recentius Chaſſaing.

III. *Diſpenſandi ſuper Irregularitatibus Caſus dictæ Bullæ conſequentes, modo pœniteas, & de cętero velis abſtinere. Exceptis tamen Cenſuris, & Irregularitatibus quæ continentur in Conſtitutione Sixti V. de promouentibus, & ſimoniacè promotis ad Ordines.*

IV. *Abſoluendi Relapſos qui communiter habentur Catholici quoties in hæreſim inciderint, niſi eſſent notorij, & communiter pro talibus haberentur, agnoſcerentur; pro quibus tantum ſemel abſoluendis priuilegium concedi ſolet.*

Nota, Hæc omnia tantùm valere in foro conſcientiæ, & monendos eſſe pœnitentes, hanc abſolutionem ipſis non prodeſſe in foro externo. Hinc caueri ſolet, vbi cenſura eſt publica, vt Confeſſarius non abſoluat niſi conſulto ſuo Superiore.

V. *Concedendi vſum Librorum prohibitorum, qui tamen non ſunt editi ad ſtabilienda dogmata hæreticorum*, hoc eſt, qui eiſt profeſſo id non agunt vt hæreſim aliquam probent vel introducant, quales cenſentur libri Eraſmi, exceptis aliquibus eius Colloquijs, item Ludouici Viues, Bodini, & Vveſcenbecij. Quales porrò, & ſub quibus pœnis Libri prohibeantur tradimus infra Tract. 5. Quæſt. 12.

VI. *Diſpenſandis cum illis qui contraxerunt cùm impedimento criminis, &c. Et cum adultera Coniuge petendum debitum, qui conſanguineam carnaliter cognouit.* Vbi notat Caſtropalao, illum qui ſic cognouiſſet conſanguineam coniugis, ſed cum ignorantia iuris, aut pœnæ, hoc eſt, non ſciens id ab Eccleſia ita ſpecialiter prohibitum eſſe, aut ſub pœna tam graui, eam pœnam non incurrere, & poſſe ſine diſpenſatione debitum petere. Scienter verò ſic delinquentem, ſtatim incurrere hanc pœnam priuationis nulla expectata iuris ſententia, aut declaratione criminis, docet hic *Sanchez*, aliique communiter.

VII. *Commutandi omnia vota, etiam iurata in alia pia opera, dum adeſt cauſa rationabilis, ſine qua commutatio nulla eſſet.* Debet hæc commutatio fieri in aliquid æquale, vel quaſi æquale, nam ſi fieret in aliquid notabiliter minus, eſſet ex ea parte diſpenſatio, non commutatio. Exempla operum in quæ aptè fieri poſſit votorum commutatio, habet variæ Sanchez, Medina, Leander, & nos de votis infra, alijque.

Excipiuntur tamen vota vltra marina, Sanctorum Petri, & Pauli in Vrbe, S. Iacobi in Compoſtella, perpetuę Caſtitatis, & Religionis.

Dixi, *perpetuę Caſtitatis*, quia communis ſententia docet, votum Caſtitatis temporale non eſſe reſeruatum: nec votum de non nubendo, de non polluendo, vèl de ſtatu Eccleſiaſtico aſſumendo. Quia hoc vltimum non eſt votum caſtitatis promiſſæ, ſed poſteà promittendæ in iſto ſtatu reliqua autem non ſunt vota caſtitatis perfectę, & complectę, qualia debent ſtrictè intelligi nomine voti in reſeruatione.

Inter hęc quinque vota reſeruata, non cenſentur comprehendi vota conditionalia, vel pœnalia; exempli gratia votum caſtitatis, aut religionis ſub hac conditione, ſi ab hoc morbo conualuero; aut in pœnam, ſi fornicatus fuero: adeòque talia vota, etiam poſt impletam conditionem poſſunt commutari, quia neque abſolutè, neque ex virtute religionis ſunt emiſſa, vti docet *Toletus*, *Sanchez*, & paſſim alij. Reſeruatum quoque non eſſe votum fœminæ aſſumendi habitum ſiue vitam earum quas vocant Deuotas aut Beatas, quia non eſt ſtatus religionis aut caſtitatis perpetuæ diſertè docet *Sanchez*, *Henriquez*, *Fagundez*, & alij apud *Leandrum* de voto *Tract.* 1. *Diſp.* 7. §. 3. *Quæſt.* 47.

In his cauetur, *ne commutatio voti fiat in præiudicium tertij*. Quod ſi promiſſio non ſit illi tertio ſpecialiter facta, & ab eo accepta, non cen-

cenſetur illi ius acquiſitum, adeòque tale votum poteſt commutari. Plura de voti commutatione fuſiùs tractat *Layman* de voto Cap. 8. *Suarez* de Rel. alijque. Hæc de facultate magis ordinaria, nec omnia pro inſtituta breuitate hic proferenda.

Sunt etiam nonnumquam Regulares, & alijque ex priuilegio Pontificio magis ſpeciali poſſunt ex causa in votis diſpenſare, non iniungendo aliud opus, vt fit in commutatione. Abſoluere etiam eos qui ignorantes perpetrata Simonia, beneficia Eccleſiaſtica poſſident: & diſpenſare in fructibus malè perceptis, modò illa beneficia relinquant. Ac diſpenſare cum iis in foro conſcientiæ, qui poſt ſimplex votum caſtitatis matrimonium contraxerunt, quoad petendum debitum, monito tamen pęnitentæ, vt ſi coniugi ſuperuiuat, votum ſeruet. Sunt & alia altioris poteſtatis priuilegia. Verùm hæc ad communem vſum recenſere ſufficiat, vt qui pro huiuſmodi caſibus remedium quęrunt, faciliùs ſciant ad quos poſsint pro auxilio recurrere.

Porrò, Modum in his procedendi, & abſoluendi, & pœnitentiam idoneam iniungendi colliges ex praxi Literarum Pęnitentiarię Romanæ quarum normam integram damus, & explicamus infra Tract. 4. §. 5. in fine.

§. VIII.

Summula Caſuum aliquorum à quibus etiam Priuilegiati abſoluere nequeunt.

CVm ſit admodum difficile retinere omnes Caſus Pontifici reſeruatos, & diſcernere conceſſos à non conceſſis: hic conor breui compendio colligere Caſus per priuilegia ordinaria non conceſſos, qui longè pauciores ſunt, ideòque multò faciliùs memoria retineri poſſunt, ne in illos impingatur.

Priuilegiatus etiam approbatus non poteſt abſoluere à mortalibus ſubditos aliorum Ordinum, nec eorum Apoſtatas, nec Moniales illis Ordinibus ſubiectas, ſine licentia legitimi Superioris, cui ſubſunt.

Neque poteſt abſoluere, & diſpenſare in Cenſuris, & irregularitatibus quę continētur in Conſtit. Sixti V. de Promouentibus, & ſimoniacè promotis ad Ordinem ſacrum.

Neque Hæreticos illos abſoluere qui poſt hæreſim ſemel publicè abiuratam, ruſus in eam relapſi ſunt; neque qui ſunt hæretici notarii, & pro talibus communiter habiti.

Neque concedere vſum Librorum prohibitorum qui ad ſtabilienda dogmata hæreticorum editi ſunt: nec alias prohibitos, niſi fortè ſuis ex priuilegio particulari.

Neque diſpenſare, aut commutare vota quę dicuntur vltramarina, aut ad limina Apoſtolorum in Vrbe, aut ad S. Iacobum in Compoſtella, neque Religionis, aut Caſtitatis perpetuæ. Neque alia vota, quorum commutatio cedit in præiudicium tertii.

Qui priuilegium ſiue facultatem accipit ab Epiſcopo circa Caſus ipſi reſeruatos, per hoc non intelligitur illi conceſſa facultas circa caſus Pontificios, in quibus Epiſcopi abſoluunt per accidens ratione neceſsitatis, & difficultatis reccurrendi ad Sedem Apoſtolicam.

Non poſſunt Priuilegiati concedere ſecularibus in Ieiunio verb. grat. *in quadrageſima*, vſum carnium, ouorum, aut lacticiniorum: de priuilegijs particularibus Miſsionum hic non ago.

Quando habent illi priuilegium rehabilitandi in irregularitatibus, non intelligitur ea quæ incurritur per homicidium, bigamiam, mutilationem, & defectum natalium, aut vt dixi, ratione Ordinum Simoniacè collatorum, aut ſuſceptorum.

Nequeunt abſoluere Nominatim excommunicatum; aut notorium percuſſorem Clerici aut alia reſeruata, quæ adducta ſunt ad forum contencioſum.

Abſolutio Priuilegiati non eſt pro Foro externo, ſed tantùm pro foro conſcientiæ: nec abſolutis illa proderit vt eximantur, ſi quando in foro externo accuſandi aut puniendi ſunt, de quo etiam abſoluentem illos monere conuenit.

Denique in his omnibus non agimus de Priuilegiis particularibus, aut extraordinariis quæ Pontifex; aut ad hoc legitimus Superior, aliquibus perſonis concedere, aut adimere poteſt pro ſuo beneplacito. Hæc ſaltem ſub vnum aſpectum ſtudiolè expoſita multum meminiſſe iuuabit, quamuis difficile ſit ſingula ſat diſtinctè exprimere: quænam inſuper alia ſint à quibus illi abſoluere non poſsint, ſinguli ex ſuis priuilegijs facilè cognoſcent.

(·:·)

§. IX.

Caſus quos Regularium Superiores ſibi reſeruare poſſint.

QVoniam reſeruatio Caſuum debet eſſe prudens, & moderata; & deceat eam maximè verſari circa peccata externa, grauiora, & opere coſumata: hinc Clemens VIII. ſtatuit à Regularibus reſeruari poſſe Caſus qui hic ſequuntur.

1. Apoſtaſia à Religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna, ac furtiua à Monaſterio egreſſio. 3. Veneficia, incantationes, & ſortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus Monaſterij. 6. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. 7. Iuramentum falſum in iudicio legitimo. 8. Procuratio conſilium, vel auxilium, ad abortum fœtus animati, etiam effectu non ſecuto. 9. Occiſio, vel vulneratio ſeu grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ. 10. Falſificatio manus, vel ſigilli Officialium monaſterij. 11. Malitioſum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel contra.

Plures Caſus non vult reſeruari, ſine conſenſu Capituli generalis pro tota Religione: vel Capituli Prouincialis pro Prouincia. Priores vndecim Caſus noſtri, & Ordines plerique actu reſeruant.

Nota Porrò.

REſeruari in Societate caſus ſequentes ex Congregationis V. Decreto 67. 1. Periurium, & falſum teſtimonium in iudicio, vel extra. 2. Furtum, & vſurpatio, ſiue appropriatio alicuius rei contra votum paupertatis in ea quantitate quę efficiat peccatum mortale. 3. Lapſus carnis voluntarius, & quidquid eſt contra votum Caſtitatis, quod quidem in actu externum prodeat. 4. Inobedientia expreſſa, qua quis aſſerit, ſe nolle parere. 5. Seditio in Superiorem, & diuiſio à Capite, in graue nocumentum Societatis: 6. Detractio famę, bonęque exiſtimationis aliorum, & diſcordiarum ſeminatio inter fratres. 7. Impedimentum excludens à Societate reticuiſſe in examine, vel in eo mentitum eſſe; vnde graue aliquod incommodum oriri poſſit. 8. Acceptio ſeu miſſio litterarum abſque licentia expreſſa, quæ ſcilicet acceptio, & miſſio contineat rationem peccati mortalis.

Caſus illi vndecim communes à Clemente VIII. ſupra expreſſi, ad hos verſiculos memoriæ cauſa aptè rediguntur.

Sortilegus, Proprius, Nocturnus, Apoſtata, Furtum,
Luxurians, Lædens, Falſarius, Impediensque.
Scribentem ad Patrem monachum, Periurus, Abortus.

TRACTATVS TERTIVS DE CONFESSIONE *ET* SATISFACTIONE

In Sacramento Pœnitentiæ.

Summula: Poſt hæc, ſequitur ſingulariter, de Indulgentijs, & Iubilæis, ac Decreto Innocentij VI. de Indulgentijs abrogatis, & ſubrogatis: ſpecialiter de Indulgentijs Miſſionum & acurata Praxi Hæreticos reconciliandi Eccleſiæ, Profeſſionis Fidei, &c.

CAPVT V.

De Præcepto Confeſſionis.

Confeſſio Sacramentalis, eſt peccatoris accuſatio ſecreta de ſuis peccatis, coram Sacerdote proprio, vt ab eo Chriſti nomine abſoluatur.

II. Quæſtio hic eſt, An Confeſſio Sacramentalis præcepta ſit iure diuino, an Eccleſiaſtico, quinam, & quo tempore ad eam obligentur.

III. Dico primò, Confeſſio peccatorum præcepta eſt iure diuino. Probatur ex verbis Chriſti *Ioan.* 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*: ex quibus confitendi præceptum colligit Trid. Seſſ. 14. Can. 5.

Dices, verba Chriſti tantum conferunt poteſtatem abſoluendi, nullam verò memorant aut imponunt obligationem confitendi. Reſpondeo, hoc ipſo quo tribuunt Sacerdoti tamquam Iudici in foro conſcientiæ poteſtatem non tantùm abſoluendi, ſed etiam retinendi peccata, imponere ſimul præceptum Confeſſionis ſine qua ea poteſtas exerceri non poſſit, cum nequeat Iudex ferre ſententiam ſine cauſæ cognitione.

IV. Hoc Præceptum non obligat lapſum in mortale vt prima opportunitate confiteatur. Ratio, quia præceptum confitendi eſt affirmatiuum, quod pro omni tempore non obligat, vti fit in præcepto negatiuo.

V. Incumbit tamen peccatori præceptum diuinum Confeſſionis Sacramentalis in articulo mortis: imò in graui eius periculo v. gr. in difficili partu, in periculoſo morbo, prælio, &c. Ratio eſt, quia peccatur in tali caſu exponeret ſe probabili periculo numquam expiendi præceptum confitendi, quod lapſis in peccatum mortale à Chriſto impoſitum eſt.

VI. Dico ſecundò, Ex præcepto Eccleſiæ omnes Chriſti fideles poſtquam ad annos diſcretionis peruenerunt, tenentur omnia mortalia ſaltem ſemel in anno confiteri. Probatur

ex Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. vbi diſertè præcipitur annua Confeſſio , quam Chriſtus per ſe ad certum temporis ſpatium non determinauerat.

Ab hoc præcepto non excuſantur impuberes, id eſt qui ſeptimum annum nondum attigerunt, ſi verè aduertant ſe mortale peccatum admiſiſſe: nam illa aduerſio per ſe ſatis indicat ipſos ad annos diſcretionis perueniſſe. Huius rei exemplum extat apud S. Gregorium de puero quinquenni, qui in blaſphemijs mortuus, ac propterea damnatus fuit.

VII. Quod ſi Confeſſarius aduertat puerum nondum ſatis eſſecutum eſſe vſum rationis ad diſcernendam peccati malitiam, data tantùm Crucis benedictione eum dimittat. Si tamen de eius capacitate dubitet, poterit eum ſub conditione abſoluere; imò id facere debet, ſi eum in articulo mortis conſtitutum inueniat. *Diana Layman. Lugo Diſp. 15. ſect. 7.* Quia tunc pro ſalute æterna irreparabili viam tutiorem eligere oportet in adminiſtratione Sacramenti.

VIII. Dico tertiò, Tempus annuæ Confeſſionis inſtituendæ computari ſolet ordinariè à Paſchate ad Proximum Paſcha, Propter Communionem paſchalem tunc occurentem: ita vt lapſus in mortale poſt paſchalem Confeſſionem non teneatur, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, ante ſequens Paſcha confiteri. Conſtat hoc ex praxi Eccleſiæ, quæ non ſolet à fidelibus amplius exigere, apud *Suar. Vaſq. Coninch. d. 5. dub.* 6.

IV. Verùm, qui intra annum v.g. in vltimo Paſchate confeſſus non fuit, tenetur poſtea proxima opportunitate confiteri, vti probabilius docet *Suar. Vaſq. Lugo. Contra Sylu. Laym. Dian.* Ratio, quia tempus paſchale non conſtituitur tamquam terminus ad obligationem finiendam, ſed ad eam magis vrgendam, vti fit in termino ſtatuto pro ſolutione debiti, aut ceuſus annui.

X. Hinc, qui præuidet ſibi in proximo Paſchate impedimentum confitendi obuenturum, tenetur Confeſſionem anticipare; cum præceptum illud extra Paſcha abſolutè poſſit impleri. *Laym. Buſ. Lugo Diſp. 15. Seſſ. 6 n. 182.*

XI. Si is, qui tantùm poſt Paſcha confitetur, ſola venialia expoſuerit, & poſtea in decurſu anni incidat in mortale, ad aliam Confeſſionem ex præcepto obligabitur. Quia Eccleſia præcipit vt Fideles quolibet anno peccata mortalia ſemel confiteantur, ſi in ea inciderint, quod dicto caſu ſine noua Confeſſione factum non fuiſſet.

Vnde etiam patet, hoc Confeſſionis annuæ præcepto non compræhendi eum, qui toto anno ſola venialia admiſit: vti agnoſcitum alijs *Scotus* apud *P. Terillum* de conſc. probab. *quæſt. 22. p.* 360. Cum tamen is præceptum Communionis paſchalis explere teneatur, conſultum eſt vt ante illam ſe Sacerdoti de more ſiſtat.

XIII. Non ſatisfacit huic præcepto, qui nouit ſe inualidè abſque debita diſpoſitione Confeſſionem potuiſſe. Eccleſia enim præcipit ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, talis autem confeſſio, & abſolutio cum ſit inualida, non eſt Sacramentum. *Suarez, Layman, Lugo* Contrarium tamen probabile putat *Fagund. & Diana part. 3. tract. 4. Reſolut.* 120. quod tamen admittendum non eſt, quia non conſiſtit cum Decreto Alexandri VII. prohibente Prop. 13. *qui facit Confeſſionem voluntarie nullam ſatisfiat præcepto Eccleſiæ.*

Quæritur Primò, Pro Miſſionarijs inter hæreticos, An illi qui ab hæreſi conuertuntur, in prima confeſſione exprimere debeant, quod non expleuerint præceptum annuæ confeſſionis paſchalis? Certũ enim eſt hæreticos, cùm ſint baptizati, Eccleſiæ præceptis ſubiacere.

Reſpondeo negatiuè: Quia dum confitentur ſe, eo vſque vixiſſe in hæreſi, ſufficienter exponunt ſe illa Eccleſiæ præcepta tanto tempore non obſeruaſſe. Sicut qui confitetur ſe verb. gr. duobus annis vixiſſe in continua fornicatione, non debet exprimere tactus veneros, & alia, quæ ſolent communiter fornicationem comitari.

Sed *Quæritur Secundò*, Quid ſi ſingulari contemptu & ludibrio hæc Sacramenta, aut Eccleſiæ precepta inſectati fuerint, & alios ab explendis abſtraxerint.

Reſpondeo, hæc peccata diſtinctè confitenda, quantùm fieri poteſt. Quia illa non ſunt omnibus hæreticis communia, adeoque in hæreſi vt ſic non ita inuoluuntur, vt hac expoſita illa etiam intelligantur in Confeſſione explicari.

CAPVT II.

De Integritate Confeſſionis.

§. I.

Qualis, & quando requiratur?

I. INtegritatem Confeſſionis requirit, & deſcribit Trid. *Seſſ. 14. Cap. 5.* ſi tam in eo, vt poſtquam diligenter ne excuſſeris, & conſcientiæ tuæ ſinus, & latebras exploraueris, con-

, confitearis omnia mortalia memoriæ occurrentia, nondum confeſſa, eorumque numerum, & circunſtantias ſaltem, quæ ſpeciem mutant. Ratio additur, quia ſine diſtincta peccatorum cognitione non poteſt Confeſſarius iudicium Sacramentale debitè exercere, neque pro menſura delictorum pœnitentiam idoneam imponere.

II. Integritas confeſſionis alia eſt *Materialis*, quanto pœnitens omnia mortalia ſecundùm numerum, & ſpeciem confitetur; & hęc integritas non eſt ita neceſſaria, quin pœnitens aliquo caſu ab ea poſſit excuſari. Integritas alia eſt *Formalis*, quando pœnitens omnia mortalia quantum hic, & nunc poteſt ac tenetur, in confeſſione exponit, etſi contingat aliqua eſſe ómiſſa, & ab hac integritate Formali pœnitens nunquam excuſatur.

III. Qui ob iuſtum impedimentum aut obliuionem peccatum aliquod in confeſſione prætermiſſit, tenetur ceſſante impedimento illud explicare. Quia huius Sacramenti inſtitutio requirit vt in eo omnia mortalia ſemel *directè* clauibus ſubijciantur: *eſt communis Theologorum.*

IV Qui aliquo caſu, vel morbo, linguæ vſu deſtituitur, abſolui debet ſi nutu, alioue ſigno abſolutionem poſtulauit, aut dolorem de peccatis oſtendit. Quia tale ſignum eſt confeſſio peccatorum ſaltem in genere, à præcepto autem confeſſionis integrę ac diſtinctæ neceſſitas excuſat. Quod etiam verum eſt, etiamſi ſignum illud abſente Sacerdote editum fuiſſet, & poſtea præſenti ab alijs renuciatum: *Ita Theol. communiter.*

V. Sed quid ſi moribundus, ſuperueniente Confeſſario, nullum ſignum dederit, aut dare poſſit? Reſpondeo, etſi communior opinio aſſerat ſic abſolui non poſſe; probabilem tamen, adeòque hìc in praxi ſequendam eſſe ſententiam, quę docet talem ſub cōditione abſoluendum eſſe, dummodò ſolitus fuerit aliàs *Chriſtiano* more viuere, & Sacramenta frequentare. Ratio eſt, quia per tales actus vitæ Chriſtianę ſufficienter is iudicat ſe etiam in mortis articulo pænitentiæ Sacramentum poſtulare, hęc autem poſtulatio, externa quędam confeſſio eſt: Et hanc tenent ſententiam *Homob. Molfeſius Tambur. Phill. Seruius*, & modò plurimi paſſim Theologi recentiores.

VI. Diligens conſcientię examen ante Confeſſionem requiritur: diligentiæ autem quantitas moraliter æſtimanda eſt pro varijs circumſtantijs. Vnde minorem adhibere poteſt ille, qui freqenter confitetur, quàm qui rarius. Si quis verò poſt talem diligentiam adhibitam, memoriam non habet commiſſi peccati mortalis ritè confitetur modò ſcienter nullum ex reliquis reticeat.

VII. Qui non in ſpecie, ſed ſolum in genere recordatur, ſe mortaliter peccaſſe, hoc ipſum in confeſſione explicare debet, cùm hæc ſit ſufficiens, imò neceſſaria materia Sacramenti.

Sed *Quæſtio* eſt, An qui ſic tantùm in genere confeſſus eſt, teneatur *poſtea*, ſi recordetur, declarare diſtinctum numerum, & ſpeciē peccatorum mortalium, quàm in alijs confeſſionibus determinatè non expreſſit, ſed tantùm confusè, & genericè; Reſpondet Leander *Part.* I. de Sacramentis *pag.* 148. probabiliter pænitentem illum ad hoc non teneri, & in eandem ſententiam adducit Card. de *Lugo* de Pœnit. *Diſp. num.* 577. & ante illum *Fabium* in ſuo Scrutinio Sacerd. *Tract.* 4. *pag.* 499. Ruſtici, inquit, qui bona fide confeſſi ſunt Curato non debitè interroganti, ſatisfecerunt pręcepto confeſſionis, nec tenentur iterum confiteri ipſa peccata. Ratio eorum eſt, quia peccata illa iam priùs, ſaltem confusè fuerunt directè ſubiecta clauibus, adeòque directè remiſſa, ergò non eſt obligatio ea poſtea magis diſtinctè confitendi.

Sed contrarium videtur tenendum cum *Nauarro, & communi* aliorum ſententia, Quia etſi peccata illa directè remiſſa fuere, nondum tamen expletum eſt præceptum exponendi diſtincte ſpeciē & num cognitum peccatorum mortalium: quod *Nauarrus* ait *Omnis de Pœnit. & Remiſſ.* ſed etiam Diuina, & Euangelica confirmata à *S. Thoma* & alijs & declarata in Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *de Pœniten. Can.* 7.

VIII. Extra mortis periculum, nunquam abſolui debet qui de nullo peccato in ſpecie ſe accuſat: ſi quis autem tam ſit rudis, vt ab eo Confeſſarius ne veniale quidem in ſpecie extorquere poſſit, dimittendus eſt ſine abſolutione donec inſtruatur, iuxta praxim communem bonorum Confeſſariorum.

IX. Si pœnitens inchoatum Confeſſionem coram Sacerdote perficere non poſſit, interdum abſolui debet, V. C. ſi propter; ignotum idioma non omnia poſſit explicare aut ſi in phreneſim incidat. Tenetur tamen poſt; ca ſi poſſit omiſſa mortalia exponere,

X. Tempore peſtis, naufragij, periculoſi pręlij, &c. ſi Confeſſarius multorum integras confeſſiones excipere non poſſit, licitum eſt omnes ſimul voce, vel ſigno confitentes audire, & abſoluere: *Ita Theol. communiter.*

XI. Non tenetur aliquis peccatum confiteri, cum graui periculo animæ, famæ, corporis &c. Ratio, quia tunc poſitiua lex de cōfeſſionis integritate meritò cedit iuri naturali charitatis.

tatis propriæ. Intellige alius ſi confeſſarius adiri non poſſit, vel confeſſio ſine graui incommodo differri.

XII. Si fama complicis grauiter lædenda ſit apud Confeſſarium, nec facile poſſit alius accedi, reticeri debet peccatum, vel ſaltem circumſtantia, aut executio peccati, quatenus neceſſe eſt, vt complicis peccatum tegatur, cum onere alteri poſtea confitendi quod omiſſum eſt. Quia præceptum naturale, non infamandi alium, præualet præcepto poſitiuo integre confeſſionis. Ita *Valent. Bannez, Præpoſitus, Nauarrus c. 7.* quamuis contrariam ſententiam ſequi liceat, quæ communior eſt cum *Suar. Vaſq. Lugo*, &c.

XIII. Qui duos confeſſarios habet, quorum vni priùs mortalia, alteri poſtea ſolùm venialia confitetur, non peccat contra debitam Confeſſionis integritatem. Imò quandoque id recte fit, quo pœnitens maiori libertate vti poſſit, ſi ordinario Confeſſario, apud quem hactenus bonam opinionem ſeruauit, confiteri nimia verecundia impediatur. Ita *Nauarrus in Man. cap. 21. Bonac. Leander, &c.*

Per accidens tamen fieri poteſt, vt talis etiam moraliter peccet, ſi ea ratione exponat ſe periculo facile labendi in mortalia, & ea numquam efficaciter emendandi; quod eiuſmodi hominibus accidere ſolet, qui de induſtria Confeſſarios imperitos, vel quibus ignoti ſunt, adire ſolent, & alios quibus iuuari poſſint tantùm cum leuioribus accedunt.

XIV. Mentiri ex propoſito circa materiam mortalem, & confeſſioni neceſſariam; eſt peccatum mortale: Ratio, quia vel negas te peccatum mortale commiſiſſe, quod hic, & nunc fateri deberes, & tunc confeſſio non integra eſt, ſed ſacrilega: vel affirmas, te mortale peccatum feciſſe, quod non feciſti, & tunc grauiter decipis Confeſſarium, non ſine graui irreuerentia Sacramenti.

Quod ſi mentiatur circa peccatum veniale, vel aliam materiam, quem hic, & nunc confiteri non tenetur, peccat ſolùm venialiter; Conſentiunt TT. communiter.

§. II.

Quomodo ſpecies, & Circumſtantiæ peccatorum, exponendæ?

XV. QVoad peccatorum diſtinctionem, Illa cenſentur eſſe *Specie diuerſa*, adeòque neceſſariò diſtinctè exponenda, quæ ſunt contra diſtinctas virtutes, v.g. fornicatio quæ peccatum eſt contra caſtitatem, differt ſpecie ab adulterio, quia hoc eſt etiam contra iuſtitiam, propter ius, quod maritus habet in corpus vxaris, ac proinde pœnitens debet dicere; Habui copulam cum perſona coniugata: & ſi ipſe ſit coniugatus, id exponere tenetur. Item, ſi peccauit cum perſona religioſa, aut habente votum caſtitatis, aut ipſe ſit Sacerdos, aut Religioſus, id exponere debet: Quia peccatum hoc habet diſtinctā ſpecie malitiā contra virtutem caſtitatis, & religionis.

Eodem modo, ſi furatus eſt rem ſacram, aut alium occidit in templo, ſingula diſtincte exponenda ſunt: Quia præter peccatum iniuſtitiæ: inuoluunt malitiam ſacrilegij ſpecie diſtinctam.

Et eadem ratione aliorum peccatorum diuerſa ſpecie malitia diſtinguenda, & exponenda erit.

XVI. Circumſtantiæ non mutantes ſpeciem; ſed tantùm peccatum *notabiliter agrauantes* intra eandem ſpeciem, ſunt illę quę faciunt vnum peccatum mortale ęquiualere pluribus intra eandem ſpeciem, v. g. furtum 100. florenorum reſpectu furti 10. flor. Tales circumſtantias non eſſe plerumque neceſſariò confitendas, ſatis probabilis, & tuta ſententia eſt apud *Sylueſtrum, Nauarrum, Vaſquez, Reginal. Bonac. Lugo de Pænit. Diſp. 16. Sect. 3. Leandrum de Sacram. Pæn. Diſp. 8. quæſt. 4.* adducentem cum D. Thoma ſupra 50. Auctores, & pro oppoſita ſententia Auctores 40. Ratio colligitur ex Tridentino *Seſſ. 4. cap. 5.* vbi declarans neceſsitatem confitendi omnia mortalia, *& eorum circunſtantias*, expreſsè addit, *quæ ſpeciem mutant*: ergò ſatis inſinuat circumſtantias non eſſe confitendas quæ ſpeciem non mutant. Imò hoc ipſo quo dubitatur, an Chriſtus talem confitendi legem voluerit inducere, pœnitens de obligatur: ex illo principio, lex in dubio legis latæ non obligat, vt oſtendimus ſupra *1. tract. 1. princip. 5. ſub initium.*

Hinc, qui furatus eſt ſimul centum florenos, ſatisfacit, dicendo commiſi furtum mortale, qui ſimul de aliquo crimine pluribus æqualibus detraxit, commiſi grauem detractionem, &c. Quia furtum v. g. decem, aut centum florenorum manet intra eandem ſpeciem furti mortalis, etſi vnum ſit multò grauius altero.

Si tamen Confeſſarius interroget de quantitate peccati, pœnitens debet eam explicare; imò conſultius eſt, vt id ſemper ſponte ſua facit. Quin, & hoc neceſſarium videtur, ſi circumſtantia talis inuehat cenſuram, vel reſeruationem, vel peccatum ſupra modum ordina-

dinarium ſic augeat, vt eius declaratio faciat ad neceſſariam pœnitentis directionem, reſtitutionem, &c. Vti multi prioris ſententiæ amplitudinem meritò reſtringunt.

§. III.

Quæſtiones ſingulares de ſpecie, & Circunſtantijs in Confeſſione exponendis.

I. AN Sacerdos ſimul Religioſus qui peccauit contra caſtitatem teneatur exprimere circumſtantiam illam, quod etiam ſit Religioſus?

Reſpondet cum pluribus affirmatiuè *Sanchez Villalobos*, *Diana*, *&c. Contra* varios. Qui valdè probabile cenſent votum ſolemne caſtitatis, quod emittitur in profeſſione religioſa eſſe eiuſdem ſpeciei cum eo voto quod continetur in Sacerdotio, ideòque prædictum ſatisfacere, dicendo, violaui in tali re votum caſtitatis.

II. An perſona habens tantum votum ſimplex caſtitatis debeat circamſtantiam voti explicare ſi contra caſtitatem peccauerit?

Reſp. Affirmatiuè, quia peccat contra virtutes diuerſas, nempè contra temperantiam, & contra religionem ratione voti, quo ſibi ab actibus contra caſtitatem interdixit: atque hinc fit tali caſu vt v. gr. perſona quæ dicitur *Deuna* debeat dicere ſe eſſe talem, niſi id aliunde confeſſario innoteſcat, de quo ſi dubitet, interrogari illa debet.

III. An circumſtantia Coniungii explicanda ſit à coniuge qui cum alia peccauit: & quid ſi alia etiam ſit coniugata?

Reſp. explicandam eſſe circumſtantiam coniungij proprij, & inſuper aliam eſſe coniugatam, ſi coniugata fuerit: neque ſatisfacere dicendo, commiſſi adulterium. Quia alterius ſpeciei peccatum eſt frangere *fidem* quam alterius dediſſi, & alteri cooperari vt frangat fidem quam alteri dedit,

IV. Quid ſi perſona illa interius tantùm peccauerit delectatione moroſa?

Reſp. tunc etiam debere circumſtantiam *ſui coniungij* explicare, quamuis de hoc dubitet *Caſtrop. Hurt.* Ratio eſt, quia fides coniugalis explicanda, vt oſtendimus, ſed hæc extendit ſe etiam ad excludendas delectationes, & cupiditates efficaces internas circa alias perſonas à coniuge diſtinctas; ergo huius violatio caſu exprimenda eſt.

V. An circumſtantia ſponſalium exponi debeat, ſi ſponſus aut ſponſa cum alio peccauerit?

Reſp. cum *Sanchez de Matrim.* à ſponſo non eſſe exponendam, ſed bene à ſponſa. Quia licet vterque ob fornicationem alterius poſſit à contractu reſilire, communi tamen iudicio onus, & dedecus ex peccato ſponſi reſpectu ſponſæ cenſetur leue, huius autem valdè graue; redditurque multo deterior quam fuerit ante contractum ſponſalitium. Quia tamen etiam de ſponſa idem probabiliter docet *Diana* &c. quod de ſponſo, non erit neceſſarium confeſſario interrogare tali caſu an pœnitens ſit viro deſponſata, etſi de eo dubitaret.

VI. An ſi res vna prohibita ſit pluribus preceptis, diuino, & humano, Eccleſiaſtico, & ciuili, id debeat in confeſſione diſtinctè exponi?

Reſp. negatiuè, niſi diuerſa præcepta fecerint rem illam materiam neceſſariam diuerſarum virtutum. Quia diuerſa illa præcepta non mutant ſpeciem peccati, nam ex communi vſu, & æſtimatione neque confeſſarii neque pænitentes ſolent interrogare an v. gr. furtum admiſſum ſit lege humana vetitum, ex qua æſtimatione colligendum eſt, quænam cenſeantur ſpecie morali differe, vt hic notat *Lugo*.

VII. An qui Horas Canonicas omittit habens obligationem Ordinis, & beneficii, debeat vtramquæ confiteri?

Reſp. affir. quia obligatio Ordinis ſpectat ad virtutem Religionis, obligatio beneficii ad virtutem Iuſtitiæ, adeòque omiſſio illa habet duplicem ſpecie malitiam ratione duplicis præcepti, ac proinde vtraque circumſtantia in confeſſione explicanda eſt.

VIII. Si vigilia incidat in diem Quadrageſimæ, aut Feſtum in Dominicam, an teneatur illam circumſtantiam confiteri qui Ieiunium violauit, aut Sacrum omiſit?

Reſp. negatiuè, quia duplex præceptum non facit rem illam materiam duplicis virtutis, ſed tantùm religionis, nam ideò iubemur ieiunare, aut Sacrum audire in honorem Sancti quia in honorem Sancti id imperat Religio vt honoretur Deus: tenditque ad eandem honeſtatem v. gr. religionis, aut temperantiæ.

IX. An debeat in confeſſione ſpecificari qualitas detractionis v. gr. quod dixerim alterum eſſe furem, aut proditorem: an ſufficiat dicere detraxi in re graui?

Reſp. ſufficere ſi dicam, detraxi in re graui. Quia fama quamuis in re diuerſa eſt tamen eiuſdem ſpeciei in genere moris: detractio autem accipit ſuam malitiam ex eo, quod lædat

ta-

famam aut honorem proximi, ſicut furta lædunt fortunas: ergo ſicut furta ſunt eiuſdem ſpecie in ratione furti ſiue fiant in hac vel illa materia, ita de fama dicendum eſt.

Et idem locum habet in contumelia, & iudicio temerario: Quia honor qui læditur per contumeliam, & bona exiſtimatio quæ aufertur per iudicium temerarium in quacumque materia fiant, ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris, ob rationem iam aſſignatam de furto, & detractione.

X. An exprimenda ſit circumſtantia Superioris in iniurijs mortalibus contra eius honorem.

Reſp. cum *Lugo* alijſque diuerſis potius affirmatiuè. Quia circumſtantia Superioris in caſu ſuperaddit ſpecialem malitiam, quia natura docet Superiores in ſpeciali honore habendos. Atque idem docet *Bonacina*, contra *Lugo*, ſi quis Sacerdoti detraxerit, aut contumeliam intulerit, non item ſi Diacono aut Subdiacono.

XI. An furtum rei non ſacræ in loco ſacro, v.g. crumenæ in templo, ſit ſacrilegium in confeſſione neceſſariò exprimendum.

Reſp. negatiuè, niſi res commodata ſit loco ſacro, aut in eo depoſita, vti admittit *Lugo*, *Leſſ. Couar.* & plures alij. Quia factum illud non repugnat peculiariter ſanctitati loci, aut ex natura rei, aut aliunde. Quia res quæ aufertur nullam habet ſpecialem connexionem cum loco ſacro, ſed tantùm generalem, quod ſit peccatum, quod non ſufficit ad ſpecialem malitiam contrahendam contra Religionem.

§. IV.

Quomodo diſtingui debeat Numerus peccatorum.

PRo diſtinguendo peccatorum *Numero* dicendum, Actiones peccaminoſas per ſe conſummatas, & completas debere in Confeſſione diſtincte enumerari: vt ſi quis cum eadem plures copulas conſequenter habuit, vel ſi Sacerdos in ſtatu peccati mortalis continenter plures Confeſſiones audiuit, debet earum actionum numerus exponi ex ſententia communiori. Secus, ſi actiones non ſint per ſe conſummatæ, ſed tantùm referantur tamquam pars, aut diſpoſitio ad aliud peccatum conſummandum. Hinc verba inhoneſta, oſcula, & tactus libidinoſos qui præcedunt fornicationem, & ad eam complendam referunt, non debere ſeorſim ex primi infra §. 5. dicemus. Idem dicendum de pluribus vulneribus quæ alicui infligantur antequam occidatur.

Actus peccaminoſi *merè interni* cenſentur numero diſtingui, quoties fuerunt moraliter interrupti, id eſt, notabili tempore ceſſarunt, vel retractati ſunt, & iterum inchoari cœperunt. Exempli gratia: Si quis per vnam vel duas horas inhæſit turpi cogitationi ſine interruptione, eſt tantùm vnum numero peccatum, ſi autem durante illo tempore verbi gratia tertiò ceſſauit integrè ab illa cogitatione, & iterum tertiò reſumpſit, cenſetur tria peccata commiſiſſe in confeſſione diſtinctè explicanda. Item, ſi quis habuit toto die voluntate rem notabilem furandi, quam veſperi retractauit, & iterum eodem die vel ſequenti eandem voluntatem reſumpſit, tenetur ſe accuſare, quod bis voluerit furari.

Quando contingit de mortalium certo numero non conſtare, exprimendus eſt ille, quem iudicas probabiliorem, addendo v.g. te peieraſſe decies plus minus. Quod ſi poſtea deprehendas numerum fuiſſe maiorem, non teneris iterum confiteri, niſi numerum à te expoſitum notabiliter exceſſeris. *Fagundez*, *Hurt. Sanchez*, &c.

Quod ſi nec probabilem numerum aſſequi valeas, exponenda eſt duratio conſuetudinis peccandi, & frequentia lapſuum per diem, ſeptimanam, menſem, aut annum, quantum potes probabili coniectura eam in mentem reuocare. *Diana*, *Filiuc. Hurt. Lugo*, &c.

§. V.

Quæſtiones porrò ſingulares de numero peccatorum in confeſſione explicando.

I. AN qui ſucceſſiuè, & continenter plures aureos vni alteri clam abſtulit, aut in pluribus punctis grauiter detraxit, aut conuitia plura congeſſit, ſatisfaciat dicendo, ſemel furatus ſum, ſemel detraxi, ſemel conuitiatus ſum.

Reſp. Affirmatiuè, quoad expoſitionem numericam. Quia ſingulæ iſtæ actiones ſunt moraliter *partes* vnius furti, vnius detractionis, vnius conuitij. Sicut qui die ieiunij incipit carnes comedere, etſi aliquid ſumat ex pluribus ferculis, non tenetur aliud dicere quàm, ſe ſemel comediſſe carnes: accedentis nimirum voluntas erat comedendo ſuo appetitui ſatisfacere, non reſtringendo ad vnum aliquod ferculum.

II. Quid dicendum de eo qui initio intendit alicui aurem vnicum auferre, aut in vno puncto detrahere, aut conuitiari: & poſtea occaſione noua inuitante ad plura furta, aut conuitia continenter perrexit?

Reſp. talem teneri ſingulas actiones numero diſtinguere. Quia peccatum quod initio intendit facere, per ſe conſummatum eſt abſque ſecundo peccato, cum eius intentio in primo aureo auferendo complete ſteterit, & non niſi ex noua determinatione ad ſecundum perrexerit, adeòque nouum voluntatis actum liberum addiderit, numero à priori diſtinctum.

III. Quid ſi prædicta furta aut detractiones fiant ſucceſſiuè, ſed continenter contra diuerſas numero perſonas?

Reſp. in caſu diuerſas perſonas facere vt furtum ſingulorum aureorum ſit diuerſum numero peccatum. Quia furtum factum à ſingulis eſt per ſe actio conſummata, & completa, ſic vt non compleatur per furtum factum ab alio ſequente, eo quod illa non coaleſcant, ſiue damnum quod infertur Petro, non augeatur per damnum quod infertur Paulo.

IV. An debeat exprimere numerum, qui in vno impetu, ſed tamen ſucceſſiuè plures homines occidiſſet, aut pluries cum eadem peccaſſet?

Reſp. affirmatiuè, quamuis *Zanardus* cum paucis contrarium putet probabile Ratio reſponſionis eſt, quia hæ actiones ſunt inter ſe phyſicè, & moraliter diſtinctæ, & per ſe ſufficienter conſummatæ, abſque eo quod referantur ad aliud vlterius peccatum conſummandum.

V. Quid de Confeſſario qui in mortali plures confeſſiones continenter audiuiſſet, aut pluribus Euchariſtiam miniſtraſſet?

Reſp. numerum ſingularum abſolutionum quantum fieri potuerit, exprimendum: Quia abſolutio Sacramentalis ſingulorum eſt actio externa per ſe ſufficienter conſummata: quamuis contrarium non ſit improbabile apud *Dianum*, & *Lugo*: & multo magis probabile, & commune eſt, illum qui ſic Euchariſtiam pluribus conſequenter miniſtra, vnicum peccatum admittere.

VI. An debeant ſeorſim, & diſtinctè exprimi inhoneſta deſideria, tactus & oſcula quæ copulam carnalem immediate præcedunt, aut quæ eam ſequuntur?

Reſp. non debere diſtinctè exprimi quando ſic copulam præcedunt, vti docent Auctores communiter. Niſi forte quis acceſſiſſet cum voluntate tangendi tantum, & poſtea concepiſſet nouam voluntatem pergendi vlterius. Quia illa referuntur tamquam diſpoſitio ad actum principalem, & ſic ſunt aliqua copulæ inchoatio.

An autem debeant exprimi iſtiuſmodi tactus, & complacentiæ inhoneſtæ copulam immediatè ſubſequentes magis dubitatur. Debere exponi affirmat *Suar. Vaſq. Coniuch.* alijque. Probabilior tamen videtur ſententia negatiua cum *Nauarro Salas*, aliſq; quos ſequitur *Lugo* hic Diſp. 16. Diſt. 11. Quia neque ex intentione agentis, neque ex natura rei referuntur ad nouam copulam, ſed potius ad priorem tamquam eius acceſſorium, ſicut refertur delectatio, & gaudium quod habetur de aliquo peccato iam comiſſo. Vix enim contingit quin qui ver. g. occidit inimicum, aliquanto poſt de facto ſuo gaudeat.

VII An qui vnico actu v. g. exploſionis bombarde occidit ſex, aut decem, aut plures homines, exponat ſufficienter in confeſſione numerum peccatorum dicendo, vno ictu occidi multos homines, eorum numerum non exponendo?

Reſp. affirmatiuè *Card. Lugo ſupra nu. 41.* Quia cum nec in Tridentino, nec alibi præceptum reperiatur, neceſſario explicandas omnes numero malitias in vno eodemque actu contentas; non debent fideles ad explicationes adeò plerumque intricatas, & ſcrupulis obnoxias obligari. Non ſufficit tamen dicere, feci homicidium, quia pronius eſt hoc de vnico homine occiſo intelligi.

VIII. Quid de deſiderio occiſionis plurium, aut etiam copula cumpluribus?

Reſp. *Lugo ibid. num. 135.* Qui vnico actu interno voluntatis deſiderat plures occidere, aut cum pluribus copulam habere, ſi omnes fuerunt perſonæ eiuſdem rationis, non coniugatæ, non Religioſæ, &c. ſufficiet in confeſſione dicere; ſemel deſideraui occidere plures, ſemel cum pluribus perſonis liberis copulam optaui: ob rationem ſupra aſſignatam.

IX. Qui de eo qui vnico actu multis ſimul grauiter detraxit?

Reſpondetur, ex eadem ratione apud *Card. Lugo ſupra num. 134.* non eſſe neceſſarium vt numerus perſonarum ea detractione læſarum in confeſſione exponatur, vt ſi detraxit alicui familiæ vel ſæculari, vel religioſæ in qua plures ſunt perſonæ, vel pauciores, ſufficiet dicere detraxi grauiter cuidam familiæ Quod ſi in tali familia aliqua ſit perſona valde eximia aut aliud mutans ſpecies, non pertinent ad expoſitionem numericam, de qua nunc agimus.

X. Quid

X. Quid de ſcandalo graui pluribus præſentibus exibito?

Reſp. cum *Zugo &c. n.* 136. Qui vnico actu grauiter peccaminoſo pluribus præbuit ſcandalum, aut peccandi occaſionem, non obligatur in confeſſione exprimere numerum perſonarum circumſtantium, modo dicat, ſemel fui multis occaſio peccandi malo meo exemplo in materia graui. Nec eſſe neceſſe in caſu exponere diuerſam qualitatem perſonarum quæ in ſcandalum contra ſolem charitatem inducuntur, docet *Lugo Diſp.* 16. *Sect.* 4. *n.* 170. Contra *Sanchez*, *Bonacinam*, alioſque.

§. VI.

Quæſtiones aliæ ſingulares de Confeſſione in diuerſa materia reſoluuntur.

Quæritur 1. De pecc. dubio.

AN in confeſſione neceſſariò exponenda ſint peccata commiſſa, de quibus pœnitens Dubium habet poſitiuum an ſint mortalia?

Reſpondeo affirmatiuè, exponendo dubia tamquam dubia, hoc modo, Dubito an plene conſenſerim delectationi moroſæ; Dubito an comedendo ſemel violauerim ieiunium &c. Eſt hęc communis Theologorum ſententia, contra paucos qui paſſim reijciuntur. Et probatur ex Trident. Seſſ. 4. cap. 4 docente confitenda eſſe peccata omnia quorum conſcientiam habemus; de peccatis autem dubijs conſcientiam dubiam habemus, ergo vt dubia ſunt confitenda: eſtque hæc quædam quaſi traditio, & praxis communis fidelium.

Eodem modo, ſi quis ſciat ſe quidem mortale peccatum admiſiſſe, ſed tamen dubitet an illud confeſſus fuerit, remanet obligatio peccatum illud in confeſſione manifeſtandi. Quia cum conſtet de lege confitendi mortalis & tantùm dubitetur an illi ſatisfactum fuerit penes legem manet poſſeſſio iuxta *Principium* 9. *initio huius Partis Tract.* 1. explicatum. Sed magis diſputatur, an eadem ſit obligatio confitendi, quando peccata ſunt tantùm negatiue dubia, quam à pluribus negari fuſiùs oſtendimus inter Controuerſias particulares *Tract.* 1. *Quæſt* 19. huius Partis pag. 106.

Sed *quæres*: Quod ſi aliquis habeat *probabile iudicium* ſe non peccaſſe mortaliter, aut peccatum admiſſum à ſe in confeſſione manifeſtatum fuiſſe, etiamſi de oppoſito formidinem aliquam experiatur?

Reſpondeo; in tali caſu nullam eſſe confitendi obligationem. Quia cùm iudicium probabile nitatur motiuis non leuibus, poteſt illi prudenter acquieſcere, iuxta Principium 15. Tract. 1. ſupra traditum. Si enim talis à Confeſſario interrogaretur, an tale peccatum admiſerit rectè reſponderet, ſe illud non commiſiſſe, etiamſi de eo formidaret, nam de ijs quæ homines prudenter affirmant, raró iudicium certum habere poſſunt.

Hinc ſi quis habeat prudens, & ſatis probabile iudicium, ſe de more ante confeſſionem conſcientiam diligenter examinaſſe, etiamſi poſtea oriatur formido de aliquo peccato prætermiſſo, poteſt ſatis probabiliter iudicare ſe peccatum illud cum cęteris expoſuiſſe, ac proinde ad illius confeſſionem iterandam non amplius obligabitur.

Quær. 2. Conf. dimidiatio.

AN in Miſſionibus vbi eſt vnicus Confeſſarius, & maximus populi concurſus in die ſolemni v. gr. Paſchatis, liceat audito vno vel altero peccato pœnitentem abſoluere, vti fit in naufragio, ſi aliàs neqeat populo ſatiſfacere?

Reſp. Negatiuè, etiamſi foret in die Iubilæi, aut Indulgentiæ plenariæ. Quia in dicto caſu non eſt ſufficiens neceſſitas dimidiandæ confeſſionis, & maximi inde abuſus ſequerentur.

Quær. 3. Conf. abſentis.

AN qui ob metum Hæreticorum non poteſt ad Confeſſarium accedere, vel qui in carcere aut cuſtodia clauſus detinetur, poſſit ſaltem per Litteras, vel fidum internuntium Sacerdoti abſenti peccata ſua Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere?

Reſpondeo Negatiuè, quamuis aliqui Theologi id rectè fieri aliquando docuerint. Nam Clemens VIII. eam doctrinam ad minus falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, & ſub pœna excommunicationis eam doceri, aut in praxim deduci vetuit anno 1602. Neque iuuat ſi dicas illum tantùm declaraſſe id fieri illicitè, non autem inualidè: non enim rectè prohibetur talis abſolutio tamquam omni caſu etiam in morte illicita, ſi foret probabile illam aliquo caſu validam eſſe.

Eodem modo inualida eſſe abſolutio, etiamſi confeſſarius præſentis confeſſionem audiuiſ-

diuiſſet, & poſtea abſentem per litteras abſolueret.

Sed, *quæres*, quid ſi aliquis per litteras, vel nuntium Sacerdoti abſenti confeſſus fuiſſet, & poſtea ad illum in periculo mortis Sacerdos accurreret, & præſentem abſolueret, ſine alia confeſſione.

Reſpondeo validè abſolui. Non enim ſimpliciter abſentis confeſſionem, ſed ſimul eiuſdem abſolutionem Pontifex damnauit. Quod confirmatur ex eo quod ſi alii teſtentur, abſente Sacerdote, aliquem moribundum dediſſe ſigna contritionis, aut confeſſionem petiiſſe, poſſit Sacerdos ſuperueniens illum iam ſenſibus deſtitutum abſoluere. Quamuis autem hoc ipſum aliqui negent, non repugnare tamen cum decreto Clementis rectè docent *Lugo*, *Auerſa*, & plures alii. Idem habemus ex teſtimonio Petri Lombardi olim Primatis Hiberniæ, qui tradit conſultum à ſe de hoc caſu Clemente VIII. reſpondiſſe, ſibi propoſitum non fuiſſe damnare ſeu prohibere ne incidente ſimili caſu Sacramentalis abſolutio inpendatur. Et hoc Lombardi teſtimonium eius manu ſubſcriptum, & Sigillo munitum in noſtro Archiuio Louanii ſeruatur.

Quær. 4. Conf. in ſcripto.

AN valida, & licita eſſet confeſſio illius, qui, ob verecundiam valdè magnam, in ſcripto traderet ſuam confeſſionem Sacerdoti præſenti tacitè legendam, & antea, aut poſtquam legatur cum debito dolore diceret, Accuſo me de peccatis ibi deſcriptis?

Communis ſententia admittit validam, ſed negant aliqui licitam eſſe. Docet tamen *Leander* de Pœnitent. Tract. 5. pag. 156. citans *Benzonium*, alioſque, probabilius iſto caſu ex cauſa confeſſionem talem, & validam, & licitam eſſe. Quia pœnitens ſic implet præceptum confeſſionis etiam vocalis, ſi quidem ore & voce fatetur peccata ibi integrè, & diſtinctè ſcripta eſſe ſua, & de illis cum dolore, & propoſito emendationis ſe accuſat, quod ad confeſſionis integritatem ſolum requiritur. Probat etiam id *Benzonius q. 5.* ex facto D. Baſilii, & D. Ioannis Eleemoſynarii, qui, inquit, mulieribus, de peccato verbo manifeſtando valdè erubeſcentibus, mandarunt peccata ſcribi in charta, qua lecta remiſſionem peccatorum eis miſericorditer contulerunt, ſiuè procurarunt.

Hanc doctrinam accuratè examinat, & confirmat Matthæus de *Moya* in Selectarum quæſtionum parte altera, edita anno 1678. pro ea inſuper adducens Scotum *in 4. Diſt. 17. q. vnica ad finem*. Sotum, Suarem, Vaſquez, ConincK, Cardinalem de Lugo *de Pœnitent. Diſp. 15. Sect. 5. num. 77.* & plures alios, qui non dubitant id ex cauſa, etiam talis, ſiue tam magnæ verecundiæ, licite fieri poſſe.

Quæritur. 5. Denunciato ſolicit. &c.

AN teneatur Pœnitens Denunciare Confeſſarium ſi ab eo ad turpia ſolicitetur, &c.

Reſp. affirmatiue idque ex natura rei quando exiſtit inde graue periculū ruinæ ſpiritualis ſiue Confeſſarii, ſiue alterius, quod poteſt impediri à Prælato competenti cui Denunciatio facienda eſt ad hoc enim obligat præceptum charitatis: neq; Pœnitens, vti Confeſſarius; ſigillo Sacramentali adſtringitur.

Valde autem arcta eſt in hoc genere obligatio ex vi præcepti Eccleſiaſtici in Bulla Gregorij XV. vbicumq; nota, & recepta eſt, quæ ſic habet. *Qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione vel prætextu Confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſolicitare vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones ſiue tractatus habuerint, &c. Mandantes omnibus confeſſariis, vt ſuos Pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi, &c.*

Prædictis Bullæ clauſulis ſingula huc pertinentia accuratè exponuntur; quæ inſuper fusè elucidantur à *Diana* in Tractatu de Denunciatione Confeſſarij ſolicitantis Part. 4. Tract. 5. Reſol. 31. &c. etiam iuxta Edictum Hiſp. Inquiſitionis. Vbi notat, perinde eſſe ſiue ſolicitatio fiat circa fœminam, ſiue circa maſculum: Item, denunciandum ſi in confeſſione præbeat chartam ſolicitationis poſtea legendam: ſed non æque ſi ad domum pœnitentis literas ſolicitantes mitteret, ex vi huius decreti.

Quæſtio eſt è conuerſo. Quando debeat Confeſſarius obligare Pœnitentem ad alium rite denunciandum de aliquo crimine ex confeſſione cognito?

Auctores paſſim quæſtionem hanc non ſimul, ſed ſparſim in variis materiis tractant. Præ cæteris multa de Denuntiationis obligatione,

tione, & poteſtate habet *Layman. Lib.* 3. *Tract.* 3. *Pars.* 2. *cap.* 4. ſed maxime agit de Denunciatione charitatiua, & iudiciali.

Reſp. De confeſſarii obligatione, rem illam reduci poſſe ad hos caſus.

I. Obligandus ad Denuntiationem eſt Pænitens, ſi etiam extra confeſſionem ex charitate vel iuſtitia teneatur Denunciare alterius crimen v. g. hæreſim, vel conſpirationem, vel aliud grauiter aliis noxium aliter non impendium. Si nolit ritè Denunciare, incapax eſt abſolutionis.

II. Si intellexerit Confeſſarius in confeſſione malum valdè graue vni tertio, vel alicui communitati obuenturum ſi non fiat à Pænitente Denuntiatio illi qui poteſt impedire, citra damnum multò maius quod Pœnitens Denuntiando incurrere.

III. Si ipſe Pęnitens non poſſit aliter quam Denunciando euitare periculum proximum grauis peccati, v. gr. poteſtatem habens non permittat talem perſonam ad ſe accedere.

IV. Peculiare eſt in caſibus reſeruatis, quod Confeſſarius debeat remittere pęnitentem ad Denunciandum ſiuè manifeſtandum ſe ipsū Superiori: imo, & ſuum complicem ſi nequeat aliter conſulere graui infamiæ, aut damno communitatis.

Sed quæres, An in his, aut caſu reſeruato aliquando teneatur ipſe Confeſſarius vices Pænitentis ſuppelere.

Reſp Caſum vix poſſe occurrere quo ad hoc abſolute obligetur. Ita *Sanchez Lib.* 2. *in Decal.* 3. *num.* 14. *Caſtropalao Tom.* 1. *Tract.* 4. *Diſp.* 4. *P.* 5. §. 2. *num.* 4. Ratio, quia vel Pęnites poteſt per ſe Superiorem accedere, vel non poteſt: ſi poſſit, non extremè in hoc indeget Confeſſarii charitate: ſi non poſſit v. gr. in graui infirmitatis periculo, alioue graui accedendi impedimento durante: & tunc caſus non eſt Confeſſario reſeruatus, adeòque poteſt eo titulo, ſine recurſu abſoluere; onus enim ſe præſentandi eſt perſonale.

Quær. 6. Conſ. Regularium.

QVam poteſtatem habeant Confeſſarii ordinarii, aut deputati Societatis, aut aliorum Ordinum reſpectu ſuorum Religioſorum in ordine ad abſoluendum à peccatis, & cenſuris.

Reſp. Confeſſar os illos circa Religioſos pro quibus deputantur, habere omnem poteſtatem quā habet Confeſſarius ordinarius circa externos, pręter quam circa caſus in Ordine reſeruatos Vnde ſicut externos poteſt abſoluere à peccatis, & cenſuris Sedi apoſtolicæ reſeruatis per iura aut per ſpeciales conſtitutiones, ita poteſt ſuos prędictos Regulares, pręterquam à caſibus Bullę Cœnę regulariter loquendo quando ſcilicet illa poteſtas non eſſet Ordini conceſſa, ſicut aliquibus conceſſam conſtat magis vel minus limitate. Non enim cenſeatur ſeculares in hoc melioris eſſe conditionis, quam Regulares vti docent Theologi communiter.

II. Quoad hæc notandum, Eamdem, nec maiorem in eſſe poteſtatem Confeſſariis, qui Societate deputantur ſextu quoq; menſe pro Noſtrorum confeſſionibus generalibus, aut particularibus excipiendis tempore renouationis votorum. Ita enim habet praxis, & Superiorum declaratio.

III. Quoad omnia, quę circa votorum commutationes, diſpenſationes, & ſimilia poſſunt Confeſſarii Regularium circa externos, poſſunt etiam Confeſſarii eorum ordinarii circa ſuos Regulares Pœnitentes, niſi illis ea limitentur vel in Priuilegiis, vel à ſuperiores, qui eos deſignauit, vel à quo facultatem illam acceperunt.

Has, & ampliorem facultates quas habent Superiores, & Confeſſarii variorum Ordinum reſpectu ſuorum Regularium, reperies in compendio Medicantium, verbo, Abſolutio ordinaria, &c. & in Conſtitutionibus Prædicatorum cap. 46. & 47. & in Bulla dicta, Mare Magnum. Sixti IV. de quibus fuſius *Suarez* de Relig. Li. 2. *Quintana duennas*, ſingularium Tract. 3. Sing. 19. &c.

Quæres porrò, An Confeſſarii Superiorum Societatis, & aliorum Ordinum poſſint cum ipſis diſpenſare in ieiuniis, in Horis Canonicis, & aliis Eccleſiæ præceptis?

Reſpondeo affirmatiuè, ſi ipſe Superior eam facultatem illis committat. Quia non debent eſſe deterioris conditionis, quam ſui ſubditi, qui ipſum in promptu habent, & in illis poſſunt ad eum recurrere. Ita fuſius *Sanchez de Matrim. Lib.* 8. *Diſp.* 3. *aliique.* Et idem de Epiſcopis docet ibidem, cum *Syluestro*, *Paludano*, *Gabriele*, *Angelo*, *Tabiena*, *Enriquez*, *Gomeſio*, *aliiſque*.

CA-

CAPVT III.

De Confeſſione inualida, & quomodo iteranda, & ualidanda.

I. CONfeſſio inualida eſt ob defectum confitentis. *Primò*, ſi requiſito dolore careat. 2. Si inter confitendum peccet; puta, quia temerè, vel per craſſam ignorantiam omittit peccatum mortale, aut de quo rationabiliter dubitat, num ſit mortale, niſi in hoc caſu bona fide arbitretur ſe à confitendi obligatione immunem eſſe. 3. Si exiguam valde conſcientiæ diſcuſſionem inſtituens, conijciat ſe in probabile periculum omittendi mortale. Vnde cum talis Confeſſio formaliter integra non ſit, tota eſt repetenda.

II. Contritio, ſiue attritio ex ſupernaturali motiuo, quæ requiritur in Sacramento ad iuſtificationem, debet ſe extendere ad omnia mortalia ſaltem virtualiter. Niſi enim hoc dicatur, conſequens erit nihil repugnare, quo minus vera contritio, aut attritio conſiſtat cum actuali effectu ad peccatum mortale; quod ne probabiliter quidem dici poteſt.

III. Qui ob ignorantiam non mortaliter culpabilem, peccatum confiteri omiſit, non tenetur poſtea integram Confeſſionem repetere, ſed tantum exponere mortalia omiſſa; totam verò repetere tenetur, ſi ignorantia fuit mortalis. Ratio prioris eſt, quia in Confeſſione ille fuit valide abſolutus. In poſteriori autem à nullo peccato abſolutus fuit, quia Confeſſio erat inualida.

IV. Confeſſio etiam fit inualida, ideoque repetenda ob defectum aliquem Confeſſarij; *Primò*, ſi iuriſdictione omninò caruit, vel impeditam habuit per ſuſpenſionem ab officio, excommunicationem denuntiatam, aut contractam ob Clerici notoriam percuſſionem. *Secundò*, ſi verba abſolutionis ſubſtantialiter vitiauit. *Tertiò*, ſi abſoluendi intentionem, nec actualem, nec virtualem habuerit.

V. Si Confeſſarius ob ſurditatem, diſtractionem, vel ſomnum, aliquod peccatum mortale non intellexit, videtur nihilominus valida eſſe abſolutio: dummodo Pœnitens bona fide egerit, & culpa in ſolo Confeſſario reſederit: Ita *Henriq. Layman, Diana, &c. contra Nauarr. & Syluestrum.* Ratio: quia eſſentia, & effectus huius Sacramenti conſiſtere poteſt ſine integra, & ſpecifica peccatorum explicatione, ſi ea ſine culpa pœnitentis intermittatur. Nihilominus ſi pœnitens id poſtea reſciat, debet iterum peccatum illud clauibus ſubijcere; quia ſemper manet obligatio omnia mortalia Sacerdoti indicandi ſecundum ſpeciem, & numerum, vt in omnia directè abſolutio feratur.

VI. Addo contra ſcrupulos, tametſi contingat abſolutionem Sacerdotis, ob aliquem eius occultum defectum inualidam eſſe, rarò id grauiter obfuturum pęnitenti inculpate defectum illum ignoranti; in proxima enim Confeſſione valida ab illis peccatis indirectè abſoluetur.

VII. Pro faciliori praxi Confeſſionis repetendæ: Si Confeſſio, quæ ob defectum pœnitentis, vel Confeſſarij inualida fuit, denuò inſtituatur apud eundem Sacerdotem: non eſt neceſſarium, peccata omnia ſecundùm ſpeciem, & numerum repetere, modò Confeſſarius ſtatum pœnitentis adhuc recordetur, ſaltem confusè, vt conuenientem illi pœnitentiam imponere poſſit. Ita *Vaſq. Sà, Laymàn, Dian. p. 3. t. 4.* Probatur ex praxi; ſi enim Sacerdos audita Confeſſione aduertat, pœnitentem non ſatis diſpoſitum eſſe, & attritum, interdum differt abſolutionē in alterum diem: ſi eum contingat interea ſpeciei peccatorum diſtinctè non recordari, non ideo exigere ſolet, vt Confeſſio tota repetatur, ſed tantum vt de peccatis illis verus dolor, cum emendationis propoſito eliciatur; Ratio, quia antea Pœnitens præcepto diuino de integritate Confeſſionis ſatisfecit, ideoque ſolum defectum, v. g. contritionis, ſupplere tenetur.

VIII. Denique, tametſi Confeſſarius nec ſtatum peccatoris talem recordetur, ſed id tantùm, quod ſibi ſic confeſſus fuerit, eumque iam rectè diſpoſitum abſoluat, peccat quidem Confeſſarius, cum non rectè munere ſuo fungi poſſit in imponenda congrua pœnitentia, &c. nihilominus abſolutio erit valida, & Pęnitenti fructuoſa.

IX. *Quæſtio* eſt, Quid agendum cum Pęnitente, qui confitetur omnia peccata; ſed non vult deferere occaſionem proximam peccandi v. gr. dimittere ſuam ancillam cum qua experitur ſe continuò relabi in peccata carnis: 2. Cum eo, qui pergit præbere publica ſcandala: 3. Cum eo, qui non intedit reſtituere bona aut iura iniquę poſſeſſa.

Reſpondeo, neminem horum poſſe abſolui niſi hortatu Confeſſarij eò adducatur vt ſeriò proponat, ac fideliter promittat ſe ſatisfacturum ſuæ obligationi.

Quod ſi Pęnitens non poſſit implere ſuas obligationes, v. gr. reſtituere pecuniam, aut

aut reſarcire alterius famam, aut inire gratiã cum inimico, niſi poſt aliquot menſes, aut forte poſt vnum annum, non ideo tam diu differenda eſt abſolutio, ſi Pænitens omnino ſpondeat, quantum eſt ex parte ſua, ſe ſatisfacturum obligationi quamprimum id erit in ipſius poteſtate. Quia cum talis Pænitens ſit ritè diſpoſitus ad abſolutionem, ius habet vt ea tamdiu non differatur, in tanta incertitudine vitæ humanæ, & damnationis æternæ periculo: Vt cum *Suar.* Diſp. 32. Sect. 2. fuſius oſtendit *Reimakers*, & *Franciſcus Iacops* in ſua Defenſione contra aliquos modernos.

Quæritur, An ergo ſemper illicitum ſit differre abſolutionem pęnitentis ſufficienter diſpoſiti?

Reſpondeo, Sæpe licitum eſſe eam differre, imo aliquando expedire ſaltem ad tempus non diuturnum, quando Confeſſarius prudenter iudicat illam dilationem, præ cæteris remedijs, multum pænitenti profuturam. Vt ſi videatur non ſatis perfectè ſe examinaſſe pro Confeſſione plurium annorum, in quibus grauia peccata, & varias ſatisfaciendi obligationes contraxit. Vel ſi teneatur deſerere occaſiones peccandi, reſtituere rem alienam, aut inimico reconciliari, & Confeſſarius probabilius credat pænitentem iam voluntate bona diſpoſitum, accepta abſolutione promiſſa non præſtiturum, maximè ſi prius eadem promiſit, nec tamen expleuit. Vel ſi ſemper reincidat in eadem mortalia ſine vlla emendatione poſt priores confeſſiones ſecuta. Denique ſi ipſe pænitens, etſi ritè diſpoſitus, pro ſuo profectu ſpirituali prudenter petat, aut conſentiat vt abſolutio ad breue tempus differatur. Ita in his habet praxis peritorum Confeſſariorum, eſtque ea conformis Rituali Romano, quam etiam fuſius tradit *Dicaſtilio* Tomo 2. de Sacramentis, & alij communiter.

De cætero, quo modo non ſit differenda paſſim abſolutio Relapſis, Conſuetudinarijs, & quibuſdam aliis, contra nouam quorumdam doctrinam, oſtendi ſupra *Part. II. de controuerſijs modernis* §. 7. *Puncto.* 6. *pag.* 107.

Quæritur porrò, Quid agendum cum Rudibus quando in magno confitentium concurſu deprehenduntur ignorare myſteria fidei, vt eorum confeſſio non ſit inualida?

Reſpondeo, ſi ignorent neceſſaria neceſſitate *medij*, puta, Deum eſſe vnum in natura, trinum in perſonis, hominum Creatorem, Remuneratorem, & Redemptorem, de his, & abſolutionis Sacramentalis virtute breuiter inſtrui debent, antequam abſoluantur. Si verò ignorent tantùm ea quę ſunt neceſſaria neceſſitate *præcepti*, vt ſunt reliqua quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, modò de ſua negligentia doleant, & proponant emendationem, poterit Confeſſarius eos abſoluere, ſed obligando vt poſtea ſedulam curam adhibeant, vt in neceſſarijs fidei myſterijs inſtruantur.

Quæritur ſecundò, Quando ex defectu mortaliter culpabili peccatum aliquod lethale, vel numerus mortalium, vel alia circumſtantia ad valorem neceſſaria in Confeſſione prætermiſſa fuit, an præter illam Confeſſionem repeti debeant aliæ etiam Confeſſiones intermediæ, quæ poſtea bona fide inſtitutæ fuerunt, ſed ſine memoria aut mentione prioris defectus?

Reſpondeo Negatiuè. Quia cùm ex naturali, & inculpabili obliuione defectus ille in Confeſſionibus ſequentibus expoſitus non fuerit, manent ſemper validę, & peccata in illis declarata legitimè remiſſa fuerunt. *Nauar. Syluest. Vaſq. Reginal. Ioan. Sancius apud Dianam* P. 3 *Tract.* 4. *Reſol.* 108. qui inuit hanc reſolutionem à Confeſſarijs bene notandam, quia multis in earum repetitione moleſtijs eos liberat.

CAPVT IV.

De Sigillo Confeſſionis.

Sigillum Sacramentale eſt obligatio iuris diuini ad ſeruandum ſecretum quouis caſibus in ijs omnibus, quæ in ordine ad abſolutionem Sacramentalem exponuntur.

Quæritur hic *Primò*, & quæ, & quanta ſit obligatio huius ſecreti: *Secundò*, ad quos ſe extendat. *Tertiò*, quando, & quomodo ſingulos obſtringat.

I. Dico *Primò*, ſecretum huius Sigilli grauiter obligat ex iure naturali, diuino, & humano: habetque malitiam iniuſtitiæ, & ſacrilegij.

Probatur primùm: quia jure naturali tenemur præſtare fidelitatem, tueri famam proximi, & alteri non facere, quod nobis fieri nolumus. Probatur ſecundum: quia Confeſſio eſt iuris diuini, ergo & ſecretum Confeſſionis ſine quo hæc redderetur odioſa, & inutilis: qui enim præcipit finem, cenſetur præcipere media ſine quibus finis obtineri, & conſeruari nequit: Tertium patet ex

Capi-

Capite *Omnis vtriuſque*, vbi de hoc ſecreto perpetuum in Eccleſia fuiſſe præceptum declaratur,& eius taranſgreſſori pęna perpetuæ incluſionis decernitur. Granitas precepti patet ex eo, quod in eius violatione dari paruitatem materiæ cum plerisque neget *Malderus Baldellus*, *Diana Part. 5. Tract. 5. Reſol.* 8.

Dices, Peccatum veniale eſt materia leuis: ergo eius reuelatio non poteſt eſſe graue peccatum, cum non poſſit ea penitenti grauiter nocere.

Reſp. negatiuè conſequentiam. Quia etſi non multum lædat penitentem, nocet tamen grauiter Sacramento, cuius vſus redderetur otioſus, ſi vniuerſim liceret leuia etiam delicta ex Confeſſione manifeſtare.

II. Dico ſecundo, Confeſſarius non obſtante Cônfeſſione, poteſt ea notitia vti, quam habet aliunde, dummodò hanc altera non adiuuent, & ſcandalum abſit. Exempli cauſa, ſi Confeſſarius ob indicia extra Donfeſſionem habita, potuerit Caium furti accuſare, & Caius furtum poſtea illi confiteatur, poteſt nihilominus illum accuſare. Ratio eſt, quia ſic non vtitur cognitione Sacramentali, ſed tantùm indicijs ante, vel poſt Confeſſionem aliunde acceptis.

III. Hinc, etiamſi aliquis extra Confeſſionem dicat, hoc tibi committo ſub Sigillo Confeſſionis, & Confeſſarius acceptet, non oritur hinc obligatio Sigilli Sacramentalis, ſed tantum ſecreti naturalis, quod ad aduertendum grauius malum aliquando reuelati poteſt.

IV. Dico tertio, ſub Sigillum non tantum cadunt peccata Confidentis, ſed etiam complicis; item circumſtantiæ peccati, quas taceri penitentis intereſt, E. C. ſi quis dicat, re illegitime natum, ſacros Ordines malè ſuſcepiſſe &c. Ratio, quia etiam per huiuſmodi notitiam pænitentibus odioſa redderetur Confeſſio.

V. Confeſſarius violat Sigillum Confeſſionis; ſi generatim dicat, Titum ſibi confeſſum eſſe peccatum mortale, caſum reſeruatum, aut peccatum aliquod veniale in ſpecie. Siu verò in genere dican, Titium ſibi confeſſum eſſe venialia, vt bene confeſſum eſſe, non referat ſecretum Sigilli Sacramentalis.

VI. Violati Sigilli reus eſt Parochus, qui ſine conſen ſu pænitentis, literas ei dedit deferendas ad Vicarium Epiſcopi, vel alium priuilegiatum, quibus ſignificet ſe latorem harum à peccato reſeruato abſoluere non potuiſſe,

VII. Si penitens ob indiſpoſitionem non abſolutus, cum alijs petat ſchedulam in teſtimonium factæ Confeſſionis, tenetur Confeſſarius eam illi tradere. Nam alij concedendo,& huic negando, indirectè reuelaret eum fuiſſe diſpoſitum ad abſolutionem.

VIII. Si quis merè ficte ad Confeſſionem accedat, quia v. g. penam, aut infamiam incurtet, certumque illi ſit ad Sacram Communionem accedere, illi neganda eſt a Confeſſario ſchedula, ne eius ſimulationi ad Communionem ſacrilegam cooperetur.

IX. Licitum non eſt cum ipſo pœnitente extra Confeſſionem loqui de peccatis ſolùm in Confeſſione auditis. Quia res illa pudorem iniicit, & exprobationem continere ſolet. niſi tamen ipſe penitens licentiam tribuat, quam tribuere cenſendus eſt, ſi ipſe prior de peccatis iilis ſermonem inducat.

X. Si quæras, quomodo ergo Confeſſarius de peccato interogatus reſpondere debeat?

Reſpondeo, Confeſſarium interrogatum, an ſciat, vel audierit peccatum pęnitentis, nō debere tergiuerſari, ſic vt penitentem reddat ſuſpectum: ſed reſpondere debet, etiam cum iuramento ſi opus ſit, nihil ſcire de peccato illo; ſcilicet vt hominem priuatum, cui id reuelare liceat. Quia in circumſtantię Confeſſarij conſignificat, & verba eum interrogantis cum tali cicumſtantia, & ſenſu accipi debent.

XI. Si contingat Confeſſarium, proprium peccatum confiteri non poſſe, niſi reuelet alterius peccatum in Confeſſione auditum, ſuum reticere tenetur. Quia præceptum Sigilli Sacramentalis ſtrictius obligat, quàm præceptum confitendi omnia mortalia; hoc enim ſolùm eſt affirmatiuum.

XII. Ceſſat obligat in Sigilli Sacramentalis ſi penites veniam dederit loquendi alteri de peccato extra Confeſſionem: per hoc enim Confeſſio non redditur odioſa. Debet tamen licentia illa eſſe expreſſe declarata; neque ſufficit venia præſumpta; talis enim præſumptia pænitenti periculoſa, & odioſa eſſe poſſet.

XIII. Si grauis error in ſorro Pęnitentiæ admiſſus fuerit à Confeſſario, qui poſteà corrigendus eſt, debet Pęnitens facere ei poteſtatem agendi ſecum de Peccato: ſi eam facere detrectet, probabile eſſe poſſe Confeſſarium ea non obtenta de peccato loqui, & ſic errorem corrigere. Quia tunc propriè non loquitur extra Confeſſionem, ſed perficit eam, quæ prius inchoata, & imperfecta erat, vt loquitur *Suarez*, *Layman*, *alijque contra Sanchez*, *Reginaldum*, *Bonacinam*.

XIV. Præter Confeſſarium etiam aliæ perſo-

perſonæ obligantur Sigillo, ad quas vel immediatè, vel mediate peccati cognitio ex Sacramento peruenit: vt Laicus, qui adſtans confitentis peccatum audiuit, vel Interpres, vel alij quibus Confeſſarius malitiosè peccatum reuelauit.

XV. Si Confeſſarius cum licentia pœnitentis alteri peccatum reuelauerit, non videtur hic teneri Sigillo Sacramentali: niſi tamen peccatum reueletur ob cauſam ſpectantem ad abſolutionem Sacramentalem, vt docet *Vaſquez, Hurt. Layman de Confeſ. cap. 14. num. 18. contra plures*: quia huius ſcientia non oritur ex Confeſſione, ſed ex licentia ab ipſo pœnitente facta.

XVI. Pœnitens non tentur Sigillo Sacramenti, teneri tamen poteſt interdum lege ſecreti naturalis, ne quid ex Confeſſione manifeſtet, quo vel ſuæ, ſine cauſa, vel Confeſſarii rectæ famæ detrahat.

XVII. Si plures conſpirarunt in necem Confeſſarij, & Titius vnus ex conſpiratoribus propoſitum hoc confiteatur, licitum eſt Confeſſario ſibi conſulere declinando inſidias, licet ſciat ſocios conſpirationis indè ſuſpicaturos, Titium peccatum ſuum confeſſum eſſe. Ratio eſt apud *Layman, hic num.* 21. quia fuga hæc per ſe nullum peccatum manifeſtat, ſed ſolam peccati Confeſſionem, peccatum enim ſocij illi anteà cognitum habuerunt: ita contra aliquos Syluester *Henriquez, Layman. Conink Diſp. 9. Dub.* 4. quibus addit *Moya* infra citandus, Sotum, Candidum, Thomam Sanchez, Fagundez, Th. Hurtado, Leandrum à SS. Sacramento *To.*1. *Tract. 5. Diſp. 10. Quæſt. 68. & 69.* exprimentes etiam caſum quo ſciuit Confeſſarius Vino à ſe conſecrando aliquos miſcuiſſe venenum, poſteà celebrando abſtinere: ſtrictior tamen pluribus eſt *Moya* qui addit, niſi aliundè ipſi pœnitenti periculum mortis immineret.

XVIII. Confeſſarius nullo modo violat Sigillum, ſi hominem ob publica, & manifeſta latrocinia ſupplicio affectum commendet, quod de commiſſis peccatis ritè confeſſus fuerit. Quia, inquit *Layman* peccatum non reuelat, quod ſupponitur omnibus eſſe notiſſimum, ſed ſolam Confeſſionem peccati.

XIX. Confeſſarius notitia, quam habet ex ſola Confeſſione, vti non poteſt in externa gubernatione, adminiſtrationem Sacramentorum, &c. v. gr. Parochus Sacramementum Euchariſtię, Extremæ Vnctionis, Matrimonij aſſiſtentiam, ijs negare non poteſt, quarum impedimentum antea ex ſola Confeſſione intellexerat. Quia Sigillum hoc obligat, ne ipſi etiam Pœnitenti peccatum à Sacerdote extra Confeſſionem exprobretur, aut in memoriam reuocetur. *Coninck, Diana, &c.*

An vnquam in ſuffragio occulto, & gratuito licet ea notitia vti, vide ſuprà *Tract.* 1. *Quæſt.* 16. Et partem negatiuam pluribus pro ea citatis, recenter confirmat P. Mat. del *Moya* in Select. quæſtionum parte altera *d. 3. ad Tractat. 3. de Pænitent. Quæſt. 3. in appendice.*

XX. Si Confeſſarius, non ex confeſſione complicis, ſed extra Confeſſionem ex fide relatione peccatum Pœnitentis intellexerit, non tantùm illum ſpeciatim examinare poteſt, ſed etiam debet; ſi tamen peccatum neget, abſoluere eum tenetur. Cogitare enim debet, eum alteri confeſſum eſſe, vel ob periculum iam confiteri non poſſe, vel alios mentitos fuiſſe: ſiquidem *in Pænitentiæ foro credendum eſt confitenti, ſicuti contra ſe, ita, & pro ſe.*

XXI. Quòd ſi Confeſſarius extra Confeſſionem certiſſimè cognouerit, Pænitentem alicuius criminis reum, quod nondum explauit, puta, quia oculis ſuis vidit furantem, audiuit blaſphemantem, adeòque ex omnibus circumſtantijs colligat, eum ritè diſpoſitum non eſſe, abſolutionem illi negare debet, ob honorem Sacramenti. *Layman, alijque.*

XXII. Poſſet etiam Confeſſarius violare Sigillum Confeſſionis, exponendo Pœnitentiam alteri impoſitam, v. gr. Coronam D. Virginis vel aliam, quæ ſolet pro peccato mortali imponi. *Diana part. 5. Tract. 11. Reſol.* 13. Sic enim indirectè reuelat graue fuiſſe peccatum expoſitum.

XXIII. Notandum denique eſt, poſſe caſum interuenire, in quo Confeſſarius poſſit, & debet obligare Pœnitentem ad manifeſtandum Complicem extra Confeſſionem, ſi ob graue Damnum priuatum aut publicum Pœnitens ad hoc aliundè obligetur. *Lugo diſp.* 16. *num.* 420. &c.

Quæres hinc porrò. Quid agendum, ſi quis confiteretur peccatum occultę conſpirationis in graue damnum, & iniuriam alicuius perſonæ, aut Reipublicæ, etiam Hæreticæ.

Reſpondeo, negandam illi eſſe abſolutionem, niſi præſtet promiſſionem firmiſsimam ab illa conſpiratione penitùs abſtinendi, eamque pro viribus impediendi. Vnde patet Confeſsionem Sacramentalem non tantùm Reipubl.

publ. non eſſe noxiam, vt aliqui calumniantur, ſed etiam maximè vtilem ac ſalutarem.

Plurima notatu digniſſima de rigida obligatione Sigilli Sacramentali nuper deduxit vir doctiſſimus *D. Nicolaus du Bois* in gemino Tractatu de ea materia conſcripto.

Poſtremò, ſingulariter notandum eſt Decretum quo inquiſitio Romana Vniuerſalis anno 1682. omninò prohibuit, ne quis publicè aut priuatim doceat, aut defendat, licere vti ſcientia ex confeſſione acquiſita cũ grauamine Penitentis, quamuis ſecluderetur quæcumque eius reuelatio, & quamuis multò maius grauamen eiuſdem Pænitentis ex non vſu ſequeretur: mandans etiam vniuerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, vt à tali doctrina in praxim deducenda prorſus abſtineant.

CAPVT V.

De Satisfactione.

SAtiſfactio Sacramentalis, eſt aliqua compenſatio iniuriæ Deo illatæ, à Confeſſario iniuncta. Vt autem huius Satisfactionis eſſentia, & neceſſitas intelligatur.

I. Dico primò, Satisfactio hæc eſt pars Pęnitentiæ, quæ ad eam requiritur, non neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm præcepti. Probatur, quia Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 6. docet, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem eſſe quaſi materiam huius Sacramenti. Et quamuis Satisfactio ſit pars tantùm integralis, non poteſt ad Sacramenti complementum ſine peccato omittit.

Dices, Antequam ponatur Satisfactio ſiue impleatur Pænitentia, totum Pęnitentiæ Sacramentum exiſtit; Ergo Satisfactio non eſt pars Sacramenti Pænitentiæ.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia inde tantùm ſequitur non eſſe partem eſſentialem ſicut eſt anima aut corpus reſpectu hominis, cum quo conſiſtit eſſe partem Sacramenti integralem, ſicut eſt pes, aut brachium, ſine quibus tota hominis eſſentia ſubſiſtere poteſt.

II. Dico ſecundò; Ad Satisfactionem neceſſaria eſt in ſatisfaciente, poſt remiſſionem culpæ, opus aliquo modo penale, & actus liber, ac ſupernaturalis: quamuis *Vaſquez* pænalitatem non requirat.

Probatur autem prima pars, quia Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 8. docet nos ſatisfaciendo pati pro peccatis, & ipſas Satisfactiones vocat, pœnas ſatisfactorias. Probatur ſecunda pars, quia ſatisfactio debet moraliter procedere à ſatisfaciente, quod ſolùm fit per actum voluntatis liberum, aliàs non diſtingueretur à ſatiſpaſſione, quam merè aliunde inflictam ſuſtinemus.

III. Peccat Confeſſarius mortaliter, ſi abſque cauſa pro peccato mortali Pœnitentiam nullam iniungat *Suarez*, *Reginaldus*, *Tom.* 1. *lib* 7. *num.* 12. Venialiter tantùm peccat, ſi ob peccata venialia leuis Pœnitentia eſſe iniungenda, *Lugo*, *Diana*, *Part.* 5. *Tract.* 6. *Reſol.* 44.

IV. Sacerdos, quatenùs commodè fieri poteſt, debet pro qualitate peccatorum conuenientes ſatisfactiones imponere: tepidis orationem, iniuſtis eleemoſynam, intemperantibus ieiunium, aliamue corporis afflictationem.

V. Pœnitens non poteſt non admitere Pænitentiam ſi iuſta ſit. Sacerdotes enim *vi* clauium non ſolùm abſoluere, verùm etiam ligare poſſunt. Quare, cùm Sacerdos habeat poteſtatem obligandi Pœnitentem, vt opus pœnitentiæ impleat, Pænitens ille obedire tenetur. Contrarium ſenſit *Caietanus*, *Nauarrus*, *& alij*, ſi velit verb. gr. in Purgatorio ſatisfacere.

VI. Obligatio implendi Pænitentiam ex genere ſuo grauis eſt: à graui peccato excuſat materiæ leuitas, vt ſi quis exiguam Pęnitentiam, aut pęnitentiæ partem ſine contemptu non impleat. Addit *Suarez*, eum qui Pęnitentiam grauem ob ſola venialia peccata impoſitam omittit, non peccare niſi leuiter, durum enim eſſet obligationem ſatisfaciendi pro culpa leui poſſe per ſe grauem fieri, & pænæ æternæ reatum inducere.

VII. Quamuis in Tridentino moueantur Confeſſarij, vt Pęnitentiam peccatis proportionatam iniugant: caſus tamen aliqui ſunt, in quibus leuiorem, quàm peccata merentur, imponere poſſint. 1. Infirma Pœnitentis diſpoſitio, vel corporis, vel animi; ob quam timetur eum impleturum non eſſe maiorem Pœnitentiam. 2. Magnitudo contritionis. 3. Tempus Iubilæi, vel alterius Indulgentiæ Plenariæ. Cùm enim per illam Pænitens ſatisfaciat pęnæ debitæ, non reſtat alia obligatio, quam vt acceptet Pęnitentiam leuiorem, quæ ſe habeat per modum medicinæ contra reliquias peccatorum.

VIII. Plus valet modica Pęnitentia à Sacerdote impoſita, quàm magna ſponte ſuſcepta. Quia illa, non hæc, vim habet Sacramentalem.

IX. Sa-

IX. Satisfacit præcepto Confeſſarii Pænitens, etſi opus Pœnitentiæ impleat in ſtatu peccati mortalis: fructum tamen Satisfactionis non conſequitur, quamdiu priorem ſtatum non dimittit: Deus enim ejus Pænitentiam ad Satisfactionem non acceptat: Obice tamen remoto acceptari docet *Nauarrus*, *Suarez*, *Tolet. Diana*, *Part.* 3. *Tractat.* 3. *Reſolut.* 85.

X. Si Pœnitens oblitus ſit, qualis Pœnitentia ſibi impoſita fuerit, non obligatur vllam pro ea impelere: quia præceptum incognitum non obligat: confitendum tamen erit, ſi mortalis negligentia interuenerit. Quod ſi fiat impotens implendi Pęnitentiam iniunctam v. gr. ieinium ob ſuperuenientem infirmationem, non tenetur eius loco aliam perſoluere: ſic enim fit in aliis præceptis ver. grat. Miſſæ, aut ieiunij: Ita *Lugo*, *Vaſquez*, &c.

XI. Non poteſt Pœnitens ſuam Pœnitentiam commutare in aliud opus etiam euidenter melius, vti docet *Sanchez*, *Con. Lugo*, qui contrariam opinionem, quam *Diana* dicit probabilem, iudicat eſſe temerarium: Quia Pænitentia procedit à volontate Superioris, aliter quàm votum.

XII. Pænitentia imperata, & acceptata, ob cauſam mutari poteſt ab eodem Confeſſario, vel ab altero audita eadem Confeſſione, modò peccata non fuerint reſeruata: Ratio eſt, quia omnes Sacerdotes, vti Vicarij Chriſti, in ordine ad eas perſonas, & peccata, in quæ iuriſdictionem habent, æqualiter iudicant, ac proindè Pænitens poteſt vtriuslibet iudicium ac ſententiam amplecti. Imò probabile eſt, apud plurimos id fieri poſſe, tametſi priora peccata non repetantur in Confeſſione quę alteri de nouo inſtituitur, iuxta *Nauarrum*, *& Dianam*, qui pro ea opinione 14. Doctores adducit. Spectata tamen ratione, in hoc caſu peccata repetenda exiſtimo, quantum neceſſe eſt vt cognoſcatur, qualis tunc fuerit ſtatus Pęnitentis: cùm Confeſſarius incognita cauſa, & ſtatu Pænitentis, in commutanda Pęnitentia idoneus iudex eſſe nequeat.

Quando Pænitentia eſt enormis aut irrationalis, poteſt ea tolli per prudentis Confeſſarij ſolam declarationem etiam extra Confeſſionem: quia alias ab initio quà talis non obligat: *Lugo*, &c.

Quæres primò: Qanta pænitentia videatur eſſe proportionata pro vno mortali ordinario?

Reſpondeo iuſtam ſatis pænitentiam eſſe v. gr. coronam 5. decadum, vel aliam huic æquiualentem: vel quæ ad minùs adæquet vnam ex paruis horis Canonicis verb. gr. tertiam, ſextam aut nonam; vt eſt communis opinio. Quamuis conſultum ſit imponere grauiorem illi qui non videtur aliter compeſcendus v. gr. à frequenti pollutione, aut alio ſimili. Non debet tamen hæc quantitas Pænitentię creſcere ęqualiter creſcente numero peccatorum, quaſi neceſsè foret iniungere pro 10. mortalibus 10. coronas, ſed hoc relinquitur determinandum iudicio prudentis Confeſſarij.

Quæres ſecundo: Quomodò poſſit hæc proportio ſeruari cum hæretico recenter conuerſo, vel maximo peccatore, qui tota vita grauiſſima peccata accumularunt?

Reſpondeo, optimam eſſe praxim, vt illis proſpiciatur de Indulgentia Plenaria, qualem plerique Miſſionarij Hæreticis primò conuerſis ex priuilegio poſſunt elargiri. Secundò, in partem pænitentiæ iniungendo illis opera aliàs præcepta v. gr. Sacra quæ audire tenentur diebus Dominicis, & Feſtis, ac quędam ieiuna quę in Eccleſia occurunt: hęc enim aliquando in Pænitentiam eſſe poſſe iniungi docet *Suarez*, *Vaſquez*, *&* 4. *alij cum Laym. hic l.* 5. *t.* 6. *cap.* 15.

Quæres tertiò: An confeſſarius poſſit aliquando in ſe ſuſcipere explendun onus Pænitentiæ quod Confitenti iniungit: aut alias illius obligationes?

Reſpondeo ad primum, & præcipuum, cum *Suarez de Pænit. Diſp.* 34. *Sect* 4. *num.* 17. Confeſſarium poſſe onus illud Pænitentiæ iniunctę in ſe ſuſcipere ex cauſa rationabili, qualis eſt Pænitentis in explendo infirmitas vel corporalis, vel ſpiritualis: tamen expedit tunc ſaltem partem aliquam à Pænitente expleri.

Idem poteſt in reſtitutione famæ, aut correctione fraterna debita, à qua pænitens vehementer abhorret. Sed rarò ad hoc ex charitate obligari, nec debere ad hæc ſe nimis facilem præbere, docet *Suarez ibidem*

(∴)

CAPVT VI.

De Indulgentijs.

INdulgentia eſt remiſſio pœnę temporalis extra Sacramentum per applicationem ſatiſfactionis Chriſti, & Sanctorum. Alia eſt *Plenaria*, alia *Partialis* tantùm, vt eſt vnius anni, carena, aut quadragena. Dum autem conceditur Indulgentia v.g. vnius anni, aut ſeptem annorum, ſenſus eſt tantam remitti pęnam peccatorum, quanta deleretur per Pęnitentiam vnius, aut ſeptem annorum ſecundùm Canones pro peccatis olim imponi ſolitam, vti infra num. 10. exponitur.

Pro fundamento ſequentium reſolutionum; Quæritur *Primò*, in quo ſita ſit vis Indulgentiarum: *Secundò*, quis habeat poteſtatem eas concedendi, & quid ad earum valorem, & fructum requiratur, &c.

I. Dico *Primò*: Extat in Eccleſia Theſaurus infinitus Satisfactionum ex paſſionibus Chriſti, & Sanctorum, qui poteſt per Indulgentias fidelibus applicari. Probatur ex Clem. VI. Extrauag. *Vnigenitus*, vbi id diſertè declaratur. Ratio huius petitur ex infinito pretio, & valore Paſſionis Chriſti qui nunquam poteſt exhauriri; ergo ſemper reſtat noua ſatisfactio quæ poſſit per Indulgentias Chriſti nomine conceſſas in homines diſpenſari.

Dices, Si Paſſio Chriſti infiniti valoris poſſit ad Indulgētias per ſe ſufficere, ergo irrogatur illi iniuria addendo Satisfactiones Sanctorum.

Reſpondeo, volenti non fieri iniuriam, Chriſto autem glorioſum eſt paſſiones ſuperfluas Martyrium aliorumque Sanctorum ſua cauſa toleratas ad pęnę remiſſionem alijs prodeſſe, cum etiam illæ ex virtute Paſſionis Chriſti ſuum valorem deriuent.

II. Dico *ſecundò*. Habet Eccleſia Chriſti poteſtatem ex Theſauro illo Indulgentias fidelibus elargiendi ad tollendum reatum, non culpæ, ſed pœnæ temporalis.

Probatur hæc poteſtas ex promiſſione generali Chriſti Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis.* Atqui vnum ex vinculis quæ poſſunt remorari hominem à conſecutione gloriæ cæleſtis eſt reatus pœnæ temporalis in hac, vel in altera vita perſoluendæ etiam poſt ſuſcepta Sacramenta, vti fuſius oſtendi ſupra Tom. 1. in Controuerſijs Part. 2. de Purgatorio. Ergo Eccleſia poteſt per Indulgentias illa pœnæ temporalis vincula relaxare.

Dices, Verba Chriſti ad ſummum concedunt poteſtatem remittendi illam pœnam viuentibus *ſuper terram*. Ergò Eccleſia excedit ſuam poteſtatem concedendo Indulgentias pro defunctis in purgatorio.

Reſpondeo negando antecedens: quia illis verbis non ſignificatur eum qui abſoluitur debere eſſe *ſuper terram*, ſed tantùm illum qui actu abſoluit, qualis eſt Chriſti in terris Vicarius, & alij quibus ille in concedendis Indulgentijs facultatem aliquam communicat.

III. Ad Indulgentiæ *Valorem*, requiritur cauſa rationabilis, & proportionata quantitati Indulgentiæ, iuxta prudentem concedentis æſtimationem, quæ peti non debet ex ſola operis difficultate, ſed etiam ex bonitate finis, qui per opus illud intenditur. Ita *Suarez*, *Con. Fil. Bonac. Diſp.* 6. *q.* 1. *p.* 1. Ratio eſt quia Pontifex huius Theſauri non eſt Dominus, ſed Diſpenſator.

IV. Cùm Indulgentiæ ſint gratiæ, non expirant morte concedentis: nec ante notitiam reuocationis, vt notat *Sà*, & ſi concedantur ſine temporis limitatione, cenſendę ſunt eſſe perpetuæ.

V. Poſſunt moribundi plures Indulgentias Plenarias ob plures titulos conceſſas ſimul lucrari, verb. gr. quia habent plura roſaria, vel grana, cruces, &c. quibus ſunt applicatæ; vel titulo Religionis, Confraternitatis, &c. modò non requirant, vt certa opera pro ſpeciali neceſſitate applicentur. Idque fieri etiamſi aliquarum non recordentur, docent *Lugo*, *Diana*, & *alij* contra *Rodriquez*, *Trullum*, *&c.*

VI. Si quis ſæpiùs repetat opera præcepta v. gr. eodem die ſæpiùs legat Roſarium, vel viſitet Eccleſiam, probabile eſt toties lucrari Indulgentias conceſſas pro iſto opere; niſi addita ſit reſtrictio: quia fauores ſunt ampliandi, ita *Henriq. & Rodriq.* Sed probabilius docet *Lugo*, non poſſe paſſim præſumi illam ſe concedentis voluntatem.

VII. Poteſt quis plures Indulgentias ad diuerſos fines conceſſas, vno, & eodem opere lucrari, ſit opus ſi æquè vtile ad finem vtriuſque Indulgentię, nec intra idem tempus poſſit iterari, v. g. hodiernum ieiunium, vel Communio. Ita *Præpoſ. & Layman.*

VIII. Non lucratur Indulgentiam, qui omittit aliquid, quod ſecundùm probabilem ſententiam non eſt neceſſarium ad eam obtinendam, ſi à parte rei id quod ommittitur ad valorem ſit neceſſarium. Ratio, quia bona fides, aut communis error non ſupplet hic de-

ſe-

fectum, aut valorem. *Suarez*, *Sanch. Bonacina.* alijque: Quamuis contrarium velit eſſe probabile *Diana*, Par. 10. Tract. 11. Reſp. 34.

IX. Non impeditur effectus Indulgentiæ, primo ſi modicum tantùm omittas v. gr. ex oratione, eleemoſyna, aut ieiunio requiſito. 2. Et ſi in opere præſtio defuerit intentio lucrandi Indulgentias, vti probabiliter docet *Bonacina*, *Salas*, *aliique* contra *Suarem.* 3. Etſi opera, quæ perſoluiſti verb. grat. ieiunium, aut Sacrum fuerint aliundè ex Eccleſiæ præcepto debita, vti docet *Laym.* Sed in his quando potes, tutiùs ſequeris oppoſitum ne fortè Indulgentię valor impediatur, quamuis alias non parui momenti ſit ſpem habere Probabilem obtinendæ Indulgentiæ.

X. Quando conceduntur Indulgentiæ v. gr. centum aut mille dierum, aut annorum, per hoc non deſignatur totidem dies aut annos auferri ex Pœnis Purgatorij ſed æquiualet totidem diebus aut anni Pœnitentiæ paregendæ ex præſcriptio ſacrorum Canonum, qualis erat pęnitentia 40. dierum in pane, & aqua pro eo qui periurium ſciens admiſſerat, vt patet ex Cap. *Quicumque* 9. q. Indulgentia igitur. v. g. 40. dierum, tantum tollit durationis Purgatorii quantum talis Pœnitentia 40. dierum in pane, & aqua; quanta verò ſit illa duratio nulli, nec Pontifici notum eſt.

XI. Epiſcopi ex iure communi concedere poſſunt vnius anni indulgientias pro die anniuerſario Dedicationis templi, & alio tempore ob iuſtas cauſas 40. dierum, poſſuntque hanc poteſtatem alteri delegare.

XII. Non poſſunt tamen pro defunctis Indulgentias concedere. Quia eorum poteſtas in hoc reſtricta eſt ad ſuos ſubditos. *C. Quod autem de Pęnit. & Remiſ.* Ita *Laym. de Indulgent. Cap.* 4.

XIII. Hic denique benè notandum, Auctores non paucos docere, illum qui ignorat indulgentiam, nihilominus eam lucrari, ſi opus pro quo conceſſa eſt, exequatur. Ita Card. de *Lugo de Pęnit Diſp.* 27. *num.* 8. Sanctarellus, Villalobos, Molina, Layman, Salas, quos refert, & ſequitur Diana 14. *Part. Tracts.* 4 *Reſol.* 24. *& alibi*. Leandr. à SS. Sacramento *Tom.* 1. *Tract.* 5. *de Sacramento Diſp.* 14. *quæſt.* 37. Quod etiam probat *Moya* in Tomo poſtremo ſelectarum quæſtionum, *Diſp.* 3. *quæſt.* §. 2. Quia Pontifex annectens Indulgentiam certo operi, non ſolet communiter exprimere quod intentionem tanquam conditionem requirat: nec ad remiſſionem pęnę per ſe neceſſaria eſt notitia, & acceptatio, vt patet, inquiunt, ex Indulgentia Cruciatæ pro articulo mortis, & animabus Purgatorii, quibus Indulgentia aplicatur ſine earum notitia. Sed quamuis hæc illorum doctrina poſſit eſſe incitamento vt bona opera frequenter exerceantur, non poteſt tamen de Indulgentia reddere ſecurum ſi alia ſit mens concedentis: nam probabilitas ſententiæ non poteſt indulgentiæ valorem ſupplere.

Quæres, An Indulgentiæ datæ alicui Templo expirent; ſi fabrica ſit diruta: aut ſi templo ab Hæreticis occupato aliud Sacellum ſub eodem titulo alibi erigatur, vel aſſumatur.

Reſpondeo ad primum, Indulgentias non expirare, ſi in loco fabricæ dirutæ aliud templum ædificetur. Quia moraliter cenſetur eadem Eccleſia: Ita *Suarez*, *Bonacina*, *Layman. lib.* 5. *Tr.* 7. *cap.* 3. *num.* 5. Quòd ſi templo Superioris auctoritate deſtructo, alio loco nouum ædificetur ſub eodem titulo ac patrono, probabile etiam eſt Indulgentias pariter cum templo aliò transferri, niſi præcisè ratione loci Indulgentiæ ab initio conceſsè fuiſſent. Ita *Suarez*, *Bonacina*, *Layman*, *ſupra*, *S. Antonius* 1. *part. Tit.* 19. *Capit.* 1. *apud Decaſtilium de Purg. Numer.* 118

Reſpondeo ad ſecundum, quando loco templi ab Hæreticis occupari Sacellum alibi ſub eodem titulo aſſumitur, probabile eſſe Indulgentias templo conceſſas in Sacello perſeuerare. Eadem enim videtur eſſe ratio de Sacello vicariè aſſumpto, & templo alibi ędificato. Quia tamen res hæc dependet ab eo, an intentio Pontificis fuerit Indulgentias illas vni loco alligare, vel etiam ad alium locum extendere, conſultiſſimum eſt à ſua Sanctitate pro nouo loco nouas Indulgentias poſtulare.

De Iubilæo.

QVę de Iubilæo dubia ſunt breuiter reſoluam iuxta probabiliorem Theologorum ſententiam. Habet autem Iubilæum, vltra quamlibet Indulgentiam Plenariam, annexas multas facultates quoad abſolutionem à Cenſuris, caſibus reſeruatis, commutandi vota, item effectum certiorem, ob cauſam magis vniuerſalem, longiorem durationem ad duas ſaltem ſeptimanas, &c.

Probabilius videtur idem Iubilæum poſſe bis obtineri, ſi quis opera præſcripta bis perficiat, vt ſemel in prima, & ſemel in ſecunda ſeptimana qua durat Iubilæum, vt docet Lezana, Reginaldus, Diana, & nouiſſimè

Gobat de Iubilæo Cap. 15. contra Card. Lugo & Layman.

Non poteſt aliquis auctoritate propria vnum ex operibus pro Iubilæo præſcriptis commutare in aliud apertè melius; id poteſt Confeſſarius tantùm quando adeſt impedimentum impotentiæ, vt carcer, morbus, iter, nauigatio, &c. nam Bullæ communiter dicunt, *qui nequeunt*.

Quæſtio ſingularis eſt: Quando aliquis neglexit omnia opera pro Iubilęo preſcripta prima, vel ſecunda hebdomoda, ſed taudem ipſo vltimo die noua pietate, & pænitudine ductus, accedit ad confeſſionem & Communionem pro lucrando Iubilæo, an poſſit tunc Cõfeſſarius omnia opera, quorum iam tempus effluxit verbi gratia ieiunia commutare in alias pias actiones, eumque reddere participem Iubilæi, & omnium eò pertinentium?

Reſpondeo probabile eſſe id poſſe fieri, vt docet Filliucius Tract. 8. Num. 268. Sanctarellus Cap. 7. Dub. 1. Diana Part. 5. Tract. 12. Reſol. 26. & poſt illos Gobat Tract. 3. Cap 17. Quia ille ſic conſtitutus haberet veram impotentiam intra illud tempus opera præſcripta peragendi.

Hinc etiam probabiliter reſolues, pro eo qui omnibus peractis, vltima Dominica Iubilæi non poteſt communicare, quia manè inaduertenter ſoluit ieiunium naturale, poſſe per Confeſſarium communionem in aliud opus commutari: quamuis id neget *Lugo* hic num. 19.

Ieiunium quod pro tribus diebus requiritur ad Iubilæum, debet obſeruari intra eadem ſeptimanam, ſic vt probabilius ſit non ſufficere prima ſeptimana ſemel, & ſecunda bis ieiunare: imo nec intra eandem ſeptimanam verbi gratia pro die Mercurij ieiunare die Iouis ſine neceſſitate, & auctoritate Confeſſarii Nam Bullæ expreſſis verbis requirunt *Feriam quartam, ſextam, & ſabbathum alterius ex duabus hebdomadis*. Contrariam opinionem quam tenet Bonacina, Naldus, Palaus apud Dianam, vocat falſam *Lugo* hic Diſp. 33. Num. 205.

Qui nullam poteſt dare Eleemoſynam, non tenetur eius loco aliud peragere. Sufficit eleemoſyna etiam valde modica, iuxta Bullas recentiores, quæ ſic habent, *Qui eleemoſynas pro arbitrio ſuo fecerint*. Qui exercet gratis aliquod opus miſericordiæ corporalis, vt viſitare, & ſolari ægros aut captiuos, videtur ſatisfacere conditioni eleemoſynæ erogandæ: nam illa opera eſſe propriè eleemoſynam docet S. Thomas 2. 2. Quæſt. 32. Art. 3. Videtur etiam perinde eſſe quo tempore intra duas ſeptimanas detur eleemoſyna; & quamuis plerumque in Bulla Iubilæi eleemoſyna ponatur vltimo loco, ille ordo non eſt curandus, vt docet hic Gobat Cap. 30. in fine.

Per Bullas Iubilæi ordinarias, primò, datur facultas eligendi quemlibet Confeſſarium ſed debet is eſſe approbatus ab Ordinario loci: & liber à Cenſura Eccleſiaſtica 2. Tali Confeſſario datur poteſtas obſoluendi à quibuſcumque cenſuris: ſed tantum pro foro interno. Et hæc obſolutio probabiliter poteſt dari à Sacerdote approbato cui non confiteris: Poteſt etiam conferri poſt elapſum tempus Iubilæi, quando intra Iubilæum alia opera perfeciſti, ſed ex obliuione, vel ex iuſta cauſa eo tempore non petijſti abſolutionem à cenſuris: vel quando ipſa abſolutio ex iuſta cauſa debuit differri. Et idem valet de abſolutione à caſu reſeruato poſt tempus Iubilæi elapſum? Ita Filliucius, Cardinalis Lugo de Pænit. Diſp. 20. Num. 99.

Tertio, datur facultas abſoluendi à Caſibus Reſeruatis, etiam in Bulla Cænæ: nec excipitur hæreſis niſi id exprimatur.

Quartò, poteſtas *commutandi*. omnia vota in alia pia opera, votis Caſtitatis, & Religionis dumtaxat exceptis: ſic enim verba Bullæ ſonare ſolent. Non præbent tamen poteſtatem in votis *diſpenſandi*. Nec commutandi vota in præiudicium alicuius tertij, quando iam ſunt acceptata, *Suarez alijque*, Per votum caſtitatis ſupra exceptum, intelligitur votum abſolutum caſtitatis perpetuæ, & perfectæ, iuxta ea qua dixi ſupra P. III. Trac. I. in fine de facultatibus ordinariis quorundam Regularium.

Qui omiſit lucrari Iubilæum in ſua Diœceſi aut Patria, Durante tempore in ea conſtituto, poteſt illud lucrari alio loco, in quo tempus præſcriptum nondum effluxit: imo probabiliter in ſua Patria, ſi ante ignorauit Iubilæum ibi publicatum fuiſſe, vti tradit cum alijs *Diana* Part. 3. Tract. 4. Reſol. 151.

Quando durante Romæ Iubilæo Anni Sancti ſingulis 25. annis, ſuſpendi ſolent extra Vrbem aliæ Indulgentię Plenariæ, non intelligitur illa ſuſpenſio de conſtitutis in mortis articulo quo minus poſſint lucrari alias Indulgentias plenarias; ita contra Layman, & alios docet cum aliis Lezana, & Bonacina ex Declarationem Vrbani VIII. anno 1625. Neque ſuſpenduntur Indulgentię aliæ

pro

pro defunctis, etiam in Communione generali, vt docet Cardinalis *Lugo*, alijque, Neque Indulgentiæ conceſſæ particularibus perſonis v. gr. Perſonæ Regus, aut alicuius Religioſi, vt habet Sanchez, Filliucius, Diana, Bonacina, & Lugo adducens declarationem Vrbani VIII. Neque conceſſæ ab Epiſcopo, aut alio quam à Pontifice, Sanchez, Diana, Bonacina; Lugo Diſp. 20. Sect. 8. Neque ceſſant aliæ Indulgentiæ non plenariæ, vt docet Nauarrus apud Zerolam, pro qua ſententia refert *Pellizarius* declarationem Vrbani VIII. Quia inquiunt, etſi poſtremæ Bullæ dicant, *Durante iubilæo omnes & ſingulas Indulgentias ſuſpendimus*, alij tamen Pontifices ante Clementem VIII. addiderunt *plenarias*, & ſequentes Bullæ dicunt ſe procedere, *exemplo prædeceſſorum*.

Propter ſimilem cauſam diſputatum eſt, an per poſtremum Iubilæum Anni Sancti conceſſa fuerit poteſtas, aut ſuſpenſa ea quæ datur Regularibus priuilegiatis, abſoluendi à caſibus pontifici reſeruatis. Quam quæſtionem ex profeſſo recenter tractat P. Georgius *Gobat* de Iubilæo Cap. 48. qui omnes particulares indulgentias, earumque vim, aut reuocationem, præcæteris accuratiſſimè proſequitur.

De Indulgentijs Com. generalis quæſtiones ſingulares.

I. AN quando Societas intra eandem vrbem habet duas Eccleſias, Indulgentia Communionis generalis vtrobique obtineri poſſit?

Reſpondent affirmatiuè qui hanc quæſtionem tractarunt pauci, *Hauinus de purgatorio*, *Quintanaduennas* in Appendice Tract. I. *Gobat* de indulgentijs Capit. 25. Num. 198. inter alias plurimas rationes allegans Declarationem P. N. Mutij Vitelleſchi Societat. Generalis.

II. An in Sacellis, Oratorijs, & Capellis Collegiorum aut Domorum Societatis poſſit hæc Indulgentia obtineri?

Reſpondet affirmatiuè, *Quintan. ibidem Dub. 6. pag.* 272. affirmans ita cenſuiſſe viros doctos ea de re conſultos, & inter alios Iacobum Granadum, Matthæum Rodericum; Ferdinandum de Mendoza, Ioannem de Pineda, &c. Quia illa ſacella, capellæ, & oratoria cum principalis eiuſdem loci Eccleſiam vnam Eccleſiam conſtituunt, quod pluribus argumentis ibidem fuſius confirmat.

III. An in Eccleſijs Seminariorum Societatis vbi variarum Nationum Alumni degunt, poſſit hæc Indulgentia validè ac licitè celebrari.

Reſpondent *Quintau. ibidem*, id probabiliſſimum videri: Quia illę ſunt verè Eccleſię Societatis. Et quia illa Seminaria ſunt ſimul Collegium, Domus, & habitatio Religioſorum Societatis, vti alia eius Domicilia, quod ibidem fuſius declarat: quamuis de Eccleſia principali res hæc certior habenda.

IV. An poſſit hæc Indulgentia Com. Gen. à Societate celebrari in Eccleſia ſæculari, & Quid ad hoc requiratur.

Reſp. ad I. affirmatiuè. Conſtat hoc ex tenore conceſſionis qui ſic pergit: *Chriſti Fidelibus qui aliquam Societatis Ieſu, vel quamcumque aliam ſæcularem Eccleſiam vbicumque exiſtentem, vna ex Dominicis cuiuslibet menſis, &c. viſitauerint, & ijs Dominicis in prædictis Eccleſijs Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, &c.*

Ad ſecundum, pro Eccleſia ſæculari in particulari deligenda requiritur deſignatio Superioris principalis Societatis iſtius loci vbi Eccleſia ſæcularis deligitur, & conſenſus Ordinarij, &c. vti exprimitur in hac Conceſſionis clauſula: *Et quoad Eccleſias ſæculares de licentia Ordinariorum locorum, illarumque Rectorum conſenſu agitur, &c.* Circa hæc plurima in particulari fusè elucidat *Quintan. ſuprà, & Appendicis Dub. 7. & 8. pag. 277. &c.*

CAPVT VII.

Indulgentiæ quædam Miſſionibus propriæ.

NOta, Vt aliquis gaudeat priuilegijs Miſſionarij, requiritur vt legitimo Superiori Miſſionis titulo deſtinetur ad terras infidelium, vel hæreticorum: non ſufficit autem vt quouis modo in terris illis Paſtori aut Sacerdotis munus exerceat. Praxis hic habet vt Sacerdotes indonei, qui è Belgio v. gr. in Hiberniam tranſeunt, pro quibusdam Miſſionariorum facultatibus ad Internuntium recurrant.

Primò itaque, Miſſionarij Regulares profecturi non tantùm ad infideles, ſed etiam ad parte hæreticorum v. gr. Hiberniam, Angliam; aut Hollandiam, lucrantur plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, quando per celebrationem Miſſę aut ſacram Synaxim itineri primò ſe accingunt: & iterum quan-

do ad Miſſionis ſuæ locum peruenerunt. Conceſſit Paulus V. in Bulla edita an. 1606. §. 12.

II. Poſſunt ijdem Miſſionarij poſt Concionem ſuis Auditoribus concedere Indulgẽtias 18. annorum, & dierum 221. Item per Quadrageſimam Feria 4. & 6 largiri Indulgentias 156. annorum; vti patet ex Bullis Gregorij IX. Alexandri IV. Nicolai IV. quæ citantur in Comp. Minorum de Indulg. fol. 242.

III. Habent etiam plurimi Indulgentiam Altaris priuilegiati, id eſt, vt quoties legunt Miſſam pro defunctis, toties liberent vnam animam è purgatorio: vti varijs conceſſit Vrbanus VIII. & pro ſuis ſępius obtinuit, & obtinet Præpoſitus Generalis Societatis.

IV. Poſſunt concedere ſingulis quos ad fidem conuerterunt, præmiſſa Sacramentali confeſſione, Indulgentiam plenariam. Idem Vrbanus VIII.

V. Regulares in Miſſionibus poſſunt fidelibus communicare, & publicare eaſdem Indulgentias quas habent in partibus Catholicorum. Ita expreſsè declarauit Vrbanus VIII. in Bulla, *Saluatoris*, data pro Clero, & Religioſis Miſſionarijs in fæderatis Belgij Prouincijs die 5. Maij 1626 Et poſtea confirmata ab Alexandro VII. per ſuum Breue 20. Septembris 1656. vbi ſic habetur §. 17. *Quoad publicationem Indulgentiarum, poterunt Regulares, & Patres Societatis illas publicare quas Ordines, & Societas habet, & hactenus habuit vbique terrarum, &c.*

VI. Poſſunt etiam concedere Indulgentias Confraternitatum, & eaſdem in Miſſionibus inſtituere; vti in eadem Bulla declaratur §. 18. his verbis: *Quoad inſtitutionem Confraternitatum, & Sodalitatum permittet Vicarius Regularibus, & Patribus Societatis, illas quæ à Sede Apoſtolica approbatæ, & ab Ordinibus aſſignatæ ſunt: ita tamen vt nemo aſtringatur, & teneatur ad particulares Confeſſarios, vel ad Sacramenta ab illo Ordine ſolum precipienda.*

VII. Refertur conceſſio Vrbani VIII. anno 1626. facta Miſſionarijs Ordinis Minorum vt poſſint per Hiberniam concedere omnibus exiſtentibus in gratia plenariam Indulgentiã in omnibus Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, & in mortis articulo, modò ſemel in anno plenariam vitæ ſuæ confeſſionem inſtituant: Hanc ſi durat participant Patres Prædicatores, & alij quibus competit priuilegiorum communicatio: niſi ſpecialis reſtrictio acceſſerit.

VIII. Conceſſum eſt inſuper Miſſionarijs Societatis in Anglia, Hibernia, & Scotia anno 1580. 3. Aprilis vt omnes Catholici pro prima vice qua ſacram Euchariſtiam de eorum manibus acceperint, lucrentur Indulgentiam plenariam.

Item, ſemel ſingulis menſibus in Templo, aut Sacello Patrum Societatis Die Dominica ab ipſis deſignanda communicando, omnibus Chriſti fidelibus conceduntur Indulgentiæ plenariæ pro viuis, aut defunctis, ſic vt poſſint animam à purgatorio liberare, vel ſibi plenariam Indulgentiam lucrari. Et hæc Indulgentia ſingulis ſeptennijs à Sede Apoſtolica renouari ſolet. Quando Societas habet duas Eccleſias intra eandem Vrbem poſſe hanc Indulgentiam vtrobique obtineri, cum *Hautino* & *Quintanaduenna*, exiſtimat & deducit *GOBAT* de Indulgentijs *cap.* 27. *nu.* 198. vti ſupra dictum *pag.* 173.

IX. Omnes Chriſti fideles verè Pœnitentes, & confeſſi, aut propoſitum habentes confitendi temporibus à Iure conſtitutis, qui viſitauerint Eccleſias, & alia pia loca Societatis in diebus Natiuitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, nec non diebus Veneris, & Dominicis totius anni, ac Quadrageſimalibus vſque ad octauam Paſchę, & inibi ſemel Pater, & Aue recitauerint, & Verbum Dei, ſi in illis prædicetur, deuotè audierint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis Pęnitentijs conſequentur. Paulus III. in Compend. Priuil. Soc. §. 24.

In Feſto autem Circumciſionis quemcumque locum ad hoc deſignatũ, vbi aliqui Societatis habitauerint, viſitantibus, & quinquies, Pater, & Aue recitantibus pro Eccleſiæ exaltatione, &c. conceditur Indulgentia plenaria in forma Iubilęi à Gregorio XIII. ibidem pag. 188. & à Paulo III. pag. 49.

Gregorius XV. in Bulla quæ incipit, *Pietatis*, concedit Societati vbiuis locorum pro docentibus, diſcentibus, & promouentibus in Catechiſmis doctrinam Chriſtianam, Plenariam Indulgentiam ſemel in anno Die Feſto ab Ordinario deſignando, in loco vbi doctrina Chriſtiana traditur, ritè confeſſis, & S. Euchariſtia refectis. Item, Indulgentiam plenariam in mortis articulo, corde contritio ſaltem nomen Ieſu inuocando. Item, ſumentibus SS. Euchariſtiam ſingulis menſibus Indulgentiam 7. annorum & totidem quadragenas. Qui verò curabunt vt alij pueri, famuli, &c. ad Catecheſim accedant, ducentos dies Indulg. lucrantur. Et qui in diebus ſtationum Vrbis Catecheſim docuerint, aut diſcent, lucrantur Indulgen-

gentias ſtationum; quibus & aliæ in citata Bulla adijciuntur.

Paucas pro notitia Fidelium Indulgentias, easque ex certioribus recenſui, quas tamen omnes decretis Apoſtolicis cõformari cupio. De cætero Curatores animarum tam ſæculares, quàm Regulares in Miſſionibus plures habent Indulgentias ſuo vel Ordini, vel Eccleſiæ attributas prout eas à Sede Apoſtolica obtinuerunt.

N O T A.

VT ſecurius, & maiori cum notitia tam in prædictis, quam in reliquo Indulgentiarum omnium vſu procedatur, commodum ſane ſingulare me facturum arbitror, hîc inſerendo ex Romano exemplari poſtremum Sacræ Congregationis Decretum à Romano Pontifice moderno probatum, & mandatum inuiolatè ſeruari anno 1678. ex quo authenticè, & in particulari colligi poterit, quænam Indulgentiæ ſint abrogatæ, aut reprobatæ, & inde veræ, & propogatæ facilius diſcerni; in quo paſſim plurimi dubijs maximis implicantur.

D E C R E T V M.

De Indulgentiis recenter editum anno 1678.

DElatæ ſæpius fuere ad Sacram Congregationem Indulgentijs, Sacriſque Reliquijs præpoſitam, indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falſæ, quæ per diuerſas orbis Chriſtiani partes circumferuntur: aliæ verò examinandæ, quæ adhibito ſtudio inuentæ ſunt vel Apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus reuocatæ, vel nullæ, quod datum ijs tempus præteriiſſet: quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Chriſti fideles, harum rerum minus peritos fallunt, qui ſpe Indulgentiæ, Remiſſioniſque peccatorum ſuorum conſequendæ fruſtrantur. Quam ob rem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies ſerpenti occurrere, Animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati conſulere, plures illarum ſingulari diligentia colligi, & in Indicem referri curauit.

Tales in primis ſunt illæ, vt aſſerunt conceſſæ à Ioanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Ieſu Chriſti Domini noſtri, Precor te, pijſſime Domine, &c. Ab Vrbano II. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, vt vulgo dici ſolet, Compagnolæ, & Sanctæ Victoriæ, ab Eugenio III. Reuelationi de plaga in humero Ieſu Chriſti factæ S. Bernardo, ab Innocentio III. Archi-Confraternitati, & Ordini Redemptionis, à Bonifacio IX. viſitantibus Capellam Sancti Nicolai de Tolentino in eius Feſto. A Ioanne XXII. oſculantibus menſuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis. Ab Alexandro VI. imagini Beatæ Mariæ, vulgo dictæ Lagheti, A Leone X. geſtantibus Funiculum Sancti Franciſci, primum in Vrbe impreſſæ, deinde Mediolani anno 1663. ſuas tamen habent (& veras Confratres Archi-Cõfraternitatis Cordigerorum Sancti Franciſci) recitantibus ſalutationem Angelicam ad pulſum horologij, & imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictę cuius pedibus luna ſubiecta eſt, a Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, A Clemente VIII. dicentibus Orationem, ò Magnum Myſterium, & Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Auennione impreſſæ, cum alijs pro Animabus Chriſti Fidelium defunctorũ, impreſſæ Matriti 20. Iulij 1606. A Paulo V. cantantibus hymnum, te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virg. confitemur &c. Vel ſi die Sabbati intererint cum idem canitur: Et Coronis, Roſariis, imaginibus, & numiſmatibus, quæ Medalias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo ſupplicante Anno 1611. dum Eccleſia Romæ in honorem Sancti Caroli ædificaretur: & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, *Sij lodato il Santiſſimo Sacramento*, Laus Sanctiſſimo Sacramento, ab Vrbano VIII. in honorem eiuſdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti: & Sacerdotibus, celebrata Miſſa, dicentibus, Aue Filia Dei Patris, Aue Mater Dei Filii &c. A Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac veſpere conſuetam Antiphonam, Angelus Domini, &c. & in finè, Deo gratias, & Mariæ: Ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, vt aiunt, Coronæ Myſteriorum Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti prece Magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis Sancti Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, vnam liberari animam quolibet die à Purgatorij pœnis affirmant. Tales aliæ Peruſij Confraternitatis Sanctorum Sebaſtiani, & Rochi, & Romæ Societatis Sancti Bernardi ad columnam Traiani: tales demum aliæ Cruceſignatorum Sancti Euſtorgi Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Eius generis ſunt, & illæ conceſſæ, vt aiunt, Cappellæ Roſarij in Eccleſia Sancti Antonij de Rouigo, ſeu Rodigij, vel Eccleſiæ Sanctiſſimæ Trinitatis Bergomi, aut Sancti Petris Montis Todoni in die Inuentionis Sanctiſſimæ Crucis: vel geſtantibus funiculum Sancti Franciſci de Paula: vel celebrantibus Miſſas Sancti Auguſtini, aut alias quinque in honorem quinque feſtiuitatum Beatæ Virginis, vel recitantibus Officium Sanctæ Franciſcæ Romanæ, aut Antiphonam, ò Paſſio magna &c. in memoriam Paſſionis Ieſu, aut Roſarium Sanctæ Annæ (quod congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impreſſa cum imagine Sanctæ Annæ circumferri ſolet, Aue Gratia plena, &c. (quæ Oratio prohibetur, aut Officium Conceptionis Beatæ Virginis Immaculatæ, quod aſſerunt à Paulo V. probatum fuiſſe, aut orationem, Deus, qui nobis in Sancta Syndone, &c. (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. conceſſa precibus Duciſſæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, Aue Filia Dei, &c. poſt communionem recitandam, vel aliquo coſpicuo ſigno venerantibus SS. Euchariſtiæ Sacramenti Nomen; Indulgentiæ rurſus 80000 annorum veteri de Tabula exſcriptæ, quam in Baſilica Lateranenſi aſſeruari affirmant, pro dicentibus Orationem illam verè piam, Deus qui per Redemptione mundi, &c. Tum quæ impreſſæ fuerunt Papiæ anno 1670. ſub hoc titulo, ſommario delle Indulgenze conceſſe dalla Santità di noſtro Signore Papa Leone X. all'Imagine della Concezione della glorioſa Vergine Maria; vel Piſauri ſub nomine B. Ioannæ, anno 1608. euulgatæ, vel Barlettę, ſeu Baruli à Recitantibus quaſdam, non ſane malas orationes, lucrandæ, vel Parmæ à viſitantibus per quadrageſimæ dies Eccleſias tertij Ordinis S. Franciſci, vel Piſtorij, & Raſtallę à recitantibus Orationem, Aue Sanctiſſima Maria, Mater Dei Regina Cœli, &c. Et aliæ in peculiari libro impreſſo deſcriptæ, quibus frui dicunt deuotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ ſunt, quæ Crucibus Carauacenſibus tributæ dicuntur, vel Coronæ ſeu Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precear[illegible]js conſtat, vel granis, crucibus, & Coronis Aloyſiæ ab Aſcenſione Hiſpaniæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel menſuræ altitudinis Ieſu Chriſti Domini noſtri, vel imagini, aut menſuræ vulneris lateri eius inflicti, vel orationi, vt aiunt, in ſepulcro Domini noſtri repertæ, & Indulgentiæ, vt aiunt, innixæ reuelationi factæ Sanctis Brigittæ, Mictildi, & Eliſabet, vel B. Ioannę de Cruce, & conceſſæ, vt aſſerunt, granis: quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hiſpaniarum Regem, & Miniſtrum Generalem Fratrum Minorum Obſeruantiæ S. Franciſci.

Omnes verò, & ſingulas iam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim eſſe confictas, & plane falſas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini ſuffragari poſſunt; eaſque in futurum vllo loco, vt veras publicari, & lucrandas Chriſti fidelibus proponi vetat; foliaque, & libros, vbi ſic proponuntur, ſeu aſſeruntur, omnino præcipit aboleri, niſi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris, & legitimis, ratiſque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias conceſſas, ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Ianuarij 1597. Coronis, granis, ſeu calculis, crucibus, & imaginibus Sacris, vel ante breue Pauli V. quod incipit, Romanus Pontifex &c. editum 23. Maij 1606. perſonis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel antè Conſtitutionem 115. Clementis VIII. cuius initium, Quæcumque &c. & 68. Pauli V. incipientem; Quæ ſalubriter, &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archi-Confraternitate vlla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Ieſu, Capitulo, vel Cœtu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliiſque perſonis, vel perſona etiamſi eorum, vel eius mentio ſpecialis, & indiuidua facienda eſſet, niſi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innouatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris, & momenti pariter declarat.

Porrò Summa Indulgentiarum pro Cōgregationibus Doctrinæ Chriſtianæ, Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, nominis Dei, Roſarij B. Mariæ de mercede captiuorum, Mariæ de Monte Carmelo Cincturiæ S. Auguſtini & S. Monicæ, niſi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò Stationum Vrbis, quæ à Romanis Pontificibus ſingulari quodā beneficio vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut perſonis, diebus tantùm ſtationum,

in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſſe declarat: ſemel autem dumtaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctiſſ. cuncta Sanctitas ſua probauit, & inuiolate ſeruari iuſſit. Datum Romæ 7. Martij 1678. Aloyſius Cardinalis Homodeus. Loco ✠ Sigilli, Michael Angelus Riccius Secretarius.

Die 12. menſis Martij 1678. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Curiæ in acie campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me Rochum de Stephanis SS. Domini noſtri Papæ Curſ. Laurentius Segnus Magiſter Curſorum.

Annotatio ad præcedentia.

HIc accuratè obſeruandum, *Primò*, cuius Temporis, Loci, aut Perſonarum, Indulgentiæ ſint abrogatæ, ne aliæ quę apparere poſſint illis ſimiles, pro reuocatis accipiantur. *Secundò*, obſeruandæ ſunt clauſule exceptiuæ, quæ circa finem adduntur: *Niſi fuerint deinde Pontificis Romani auctoritate innouatæ, aut confirmatæ*: Item. *Niſi ab eadem Congregatione recognita non permittuntur*. Poſſent enim ex illis quædam à ſancta Sede denuò confirmatæ, aut ritè recognitæ, ſuum valorem, & robur obtinuiſſe.

Edita eſt pridem Bulla à Sixto V. *anno* 1606. reuocans Indulgentias Regularibus pro ipſis conceſſas, & nouas earum loco ſubſtituens, quas accuratè refert, & explicat P. *Mathæus* de *Moya* in ſelectarum Quæſtionum parte altera recentiori, *Diſp.* 4. *Quæſt.* 8. Plura ſi quis ſcire velit de hoc Auctore, Virtute pridem, & doctrina celebri, & Sereniſſimæ Hiſpaniarum Reginæ Mariæ Annæ à ſacris Confeſſionibus, conſulere poterit recentem Tractatum à Daniele Campfordo diligenter elaboratum.

CAPVT VIII.

Praxis, & forma Hæreticos Eccleſię Catholicæ reconciliandi.

PRimò, Si hæreticus, qui cupit reconciliari Eccleſiæ, habeat iuſtam cauſam dubitandi, an fuerit inter hæreticos validè baptizatus, debet anteomnia Baptiſmus illi ſub conditione conferri, cum hac forma, Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.

Secundò, Si Sacerdos, qui hæreticum reducit, non habeat facultatem extraordinariam, quæ requiritur ad abſoluendum ab hæreſi, debet eum remittere ad Epiſcopum, vel alium qui tale priuilegium habet, vt ab hæreſi, & excommunicatione illi adiuncta abſoluatur.

Tertiò, debet inſtrui in punctis fidei, præſertim contentis in Symbolo Apoſtolorum, & in præcipuis Articulis, in quibus antea diſſidebat ab Eccleſia Romana; quos inueniens explicatos ſupra Tom. I. in parte II. controuerſiarum fidei.

Quartò, Ante Confeſſionem Sacramentalem debet ab eo exigi Hæreſis abiuratio, nuncupando profeſſionem Catholicæ fidei iuxta formulam in Tridentino præſcriptam, quam pro confeſſarij commodo in huius cap. fine ſubijciemus.

Si is, qui reconciliatur, fuerit tantùm occultè hæreticus, ſufficit dictam fidei Profeſſionem aut æquiualentem occultè præſtare, cum vera contritione de ſua hæreſi, & firmo propoſito non relabendi, ita Thom. à Ieſu de Conuerſ. Gent. l. 8. pag. 2. Quòd ſi fuerit publicè hæreticus, requiritur abiuratio publica, verb. grat. præſente aliquo populi cœtu in ſacro, aut Concione: niſi tamen grauis damni periculum à publica abiuratione excuſet.

Quintò, debet inſtrui de modo examinandi conſcientiam in ordine ad Confeſſionem generalem ſuorum peccatorum, quod commodè fiet proponendo ipſi præcepta Decalogi, vt à nobis inferiùs explicata, aut in alia forma breuiori. Vt verò exponat admiſſa contra præcepta Eccleſiæ, vt eſt omiſſio Sacri, ieiunij, &c. ſufficit explicare ſpatium temporis, quo in hæreſi verſatus fuit, ex hoc enim ilia ſatis intelliguntur. Hæc autem Confeſſio fieri debet, & Pænitentia idonea iniungi, antequam ad ſacram Communionem admittatur.

Sextò, priùs abſolui debet à vinculo excommunicationis, quam per Hæreſim incurrit, quàm ipſi conferatur abſolutio peccatorum. Excommunicatio enim impedimentum eſt abſolutionis Sacramentalis ab hæreſi, & cæteris peccatis.

Poſtremò, Poſt abſolutionem ab excommunicatione, hæreſi, & peccatis, admonendus eſt (niſi prudentia aliud dictet) manere irregularitatem, & incapacem eſſe ad Ordines ſacros, & beneficia Eccleſiaſtica, niſi accedat diſpenſatio Pontificijs, vel alterius cui ille diſpenſandi poteſtatem commiſit.

Poteſt

Poteſt denique Confeſſarius, ſi habeat Miſſionarij priuilegium, hæretico ſic conuerſo in prima Communione pro maiori animæ ſolatio Plenariam peccatorum Indulgentiam largiri, vt ſuprà notatum eſt.

Forma Profeſſionis Fidei pro illis alijſque ex Tridentino, & Bulla Pii IV.

EGo N. N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continetur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, &c. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſię obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam iuxta eum ſēſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpetratione ſacrum Scripturarum, admitto: nec eam vnquam niſi iuxta vnanimen conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor: Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ Legis à Ieſu Criſto Domino noſtro inſtituita, atquæ ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam; Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illa que gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſię Catholicę Ritus in ſupradictorum omnium Saramentorum adminiſtratione recipio, & admitio. Omnia, & ſingula, quæ peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector; & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorum Sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem vnà cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Criſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem: quam Conuerſionem Catholica Eccleſia transubſtantiationem appellat: Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Criſtum, verumque Sacramentum ſumiCōſtanter teneo Purgatorium eſſe animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: Similiter, & Sanctos vnà cum Criſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe eoſque orationes Deo pro nobis offerre: atque eorum Reliquias eſſe venerandas: Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertinendam. Indulgentiam etiam poteſtatem à Criſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano popula maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco: Romanorumque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Ieſu Criſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro: Cætra item a Sacris Canonibus, & Occumenicis Cōciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hęreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, ego pariter damno, & anathematizo Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt; quam in præſenti ſponte profiteor & veraciter teneo, eandem integram inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in me erit, curaturum, Ego idem N. N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hęc Sancta Dei Euangelia.

Praxis diſponendi ad actus in Contritione perfecta requiſitos.

I. COnſidera N. ſeriò, & cum intimo animi ſenſu, te grauiter offendiſſe, & toties offendiſſe infinitam Dei maieſtatem, tuum Creatorem, Redemptorem, & Iudicem ſupremum, qui eodem momento quo peccabas poterat te detrudere ad ęterna inferorū ſupplicia, in quibus hac ipſa hora, & per infinita annorum milla ſine ſpe veniæ ardere debuiſſes, vt alii innumeri, *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*.

II. Ex altera parte expende, Paternam Dei Miſericordiam, Bonitatem, & Benignitatem infinitam, qui te tanquam Filium prodigum expanſis in Cruce brachiis, ad Pęnitentiam adducit, & inclinato Capite ad oſculum ęternæ pacis, & amoris admittit, dicens: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat*. Quia rex aut Princeps ſubditum, & mancipium ſuum læſæ maieſtatis reum tam benignè obſolueret, & ad ſuam aulam, & gratiam

tiam admitteret? O Pater miſericordiarum. O Deus totius conſolationis meæ.

Actus breuis Contritionis perfectæ cum ſpe veniæ, & propoſito emendationis, &c.

DOmine Ieſu Chriſte, Creator, & Saluator meus. 1. Doleo medullitus ex toto corde, & ex tota anima mea, quod ego ingratus toties offenderim, & tam grauiter offenderim infinitam maieſtatem, & amabiliſſimam bonitatem tuam? & ideò doleo vel maximè, quia Tibi Deus meus peccando diſplicui, quem propter teipſum, & tuam infinitam bonitatem, & excellentiam ſuper omnia diligo, & amo, & amplius amare deſidero in æternum. 2. Proinde firmiter ſtatuo ac propono, me non amplius Te offenſurum; ſed omnes peccandi occaſiones pro viribus deuitaturum: me inſuper de noxis meis ritè confeſſurum, & Pœnitentiam, quæcumque iniuncta fuerit, expleturum. 3. Vt verò nunc animo contrito, & humili peccatorum meorum veniam ſuppliciter efflagito, ita firmiter ſpero ac confido, ab infinita bonitate tua, per merita ſanctiſſimæ Paſſionis, Sanguinis, ac Mortis tuæ, ea mihi remittenda: præſtandam etiam gratiam qua vitam meam emendem, & in ſanctiſſimo ſeruitio tuo vſque in finem perſeuerem.

Forma integra Abſolutionis, vt eſt in Rituali Romano expreſſa.

MIſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitã æternam, Amen. *Deinde eleuata manu pergit.* Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus, Amen.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius te abſoluo ab omni vinculo, excommunicationis, ſuſpenſionis *ſuſpenſionis circa laicos ommittitur*) & interdicti in quantum poſſum, & tu indiges: Deinde ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti, Amen.

Paſſio Domini noſtris Ieſu Chriſti, merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris; ſit tibi in remedium peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium æternæ vitæ, Amen.

Nota; In abſolutione Hæretici in foro interno addi ſolere: Ab omni vinculo excommunicationis, quam per hæreſim incurriſti, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & Communioni Fidelium.

Praxis varia ad facilem Confeſſarij directionem: item Remedia & Documenta Pœnitenti ſuggerenda contra ſingulas Peccatorum ſpecies, traduntur infra Tractatu 6. in fine.

TRACTATVS QVARTVS DE SACRAMENTIS RELIQVIS ET CENSVRIS.

SVmula materiæ. *Præter ſingula Sacramenta, quæ ſuo ordine ſequuntur, cum Quæſtionibus ſingularibus, & Modernis, Ad Sacramentum* Eucharistiæ *in fine appenitur de* Miſſæ Sacrificio, *& Singularibus eo pertinentibus. Item,* De Horis Canonicis, *cum* Rubricarum *Romanarum in Horis ac Miſſa notitia ſingulari. Ad Sacramentum Ordinis,* *Irregularitates, cenſuræ, &c. Ad Sacramentum Matrimonii Praxis* Diſpenſationum, *etiam in Pœnitentia Romana. De* Cenſuris *ſingulis in particulari, &c.*

CAPVT I.

De Baptiſmo.

COntrouerſiæ de Baptiſmo cum Hęreticis Anabaptiſtis traduntur ſuprà Tomo I. pag. 83. De alijs ſingulis circa Baptiſmum erroribus agitur Tomo I. pagin. 146.

De Baptiſmi prima Inſtitutione, de tempore quo cœpit obligare, de Baptiſmo per *Martyrium*, & cæteris ad verum Martyrium pertinentibus traduntur ſupra pag. 61. De *Circumciſioni* veteris Teſtamenti an fuerit verum Sacramentum, & Baptiſmo æquiualens, reſoluitur ſuprà Tom. II. Part. I. pag. 59.

CAPVT II.

Ad Baptiſmi Sacramentum ſingulariter, & practicè pertinentia.

§. I.

De eius materia, forma, & vnitate.

I. BAptiſmus definitur in Catechiſmo Trident. Part 2. Cap. 2. Sacramentum regenerationis per aquam in verbo Proprium enim Baptiſmi eſt hominibus primam gratiam, & vitam ſpiritualem conferre, vt qui naſcitur filius iræ, & mortis per peccatum originale, incipiat per Baptiſmi gratiam renaſci in ſer- tem, & adoptionem filiorum Dei, iuxta illam Chriſti ſententiam Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua,* & *Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Præceptum tamen Baptiſmi ſuſcipiendi omnibus commune non niſi poſt Reſurrectionem ſuam euulgatur Matth. vl. *Euntes docet omnes gentes, bap-*

tes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ita cum communi D. Thom. q. 66. Art. 2.

II. Ex his colligit Eccleſia materiam Baptiſmi remotam à Chriſto conſtitutam eſſe aquã elementarem, prout vſibus humanis inſeruire ſolet materiam verò proximam eſſe ablutionem corporis, quę per aquam exercetur. Quod ſi contingat aliquid horum deficere, vt vel aqua non ſit naturalis, vel non idonea ad corporiis ablutionem, Baptiſmus erit inualidus, defectu materię à Chriſto requiſitę, quam ſuprà de Sacramentis, in genere, oſtendimus pertinere ad eſſentiam Sacramenti, & à nullo poſſe immutari.

III. Hinc in ordine ad praxim, Dicendum primò, aquam per mixtionem alterius corporis deſinere eſſe materiam Baptiſmi, quando in toto mixto plus extraneæ ſubſtantiæ quàm aquę continetur: quod colligi debet ex odore, ſapore, denſitante, alijſque accidentibus, quæ ſenſum experimento percipiuntur, vti habet ſententia communis cum D. Thoma Quæſt. 66. Ar. 4. Et probatur ex eo, quod inter homines tale mixtum non ſoleat pro aqua vſuali haberi aut vſurpari, quando autem mixto non eſt adeò notabilis, non deſinit aquæ nomen, & vſum retinere.

Vnde inferes primò, etſi non ſufficit lutum validè tamen per aquam lutoſam Baptiſmum conferri: Secundo, non ſufficere aquam artificialem, qualis eſt aqua roſacea, aut alia, quæ ex floribus aut herbis diſtilatur, quia magis habet floris, quàm aquæ ſubſtantiam: Tertiò, idem dicendum de ſale reſoluto, de ſaliua, ſudore, aut lachrymis: non autem de tenui cereuiſia, quam probabilius eſt aquę naturam non amittere. Nihil proindè horum adhibendum eſt, niſi infantis ſine Baptiſmo morientis neceſſitas cogat.

IV. Dicendum ſecundò, aquam accidentaliter tranſmutatam non eſſe materiam Baptiſmi quamdiu non eſt idonea ad abluendum, ſecùs quando poteſt ablutioni ſeruire. Hinc aqua in glaciem, aut niuem concreta tunc tantùm poteſt eſſe idonea materia Baptiſmi, quãdo aliqua ex parte reſoluta corpus humectare, & abluere poteſt. Quod autem aqua ſit calida, colorata, aut turbida, nihil obſtat valori huius Sacramenti, quamdiu manet vera aqua, & corpori abluendo accommodata.

V. Dicendum tertiò, Quoad partem corporis abluendam, Baptiſmum certò validum eſſe, ſi caput, pectus, vel ſcapulę abluantur, cùm hæ ſint præcipuæ partes corporis Verùm ſi tantùm manus aut pes abluatur dubius eſt Baptiſmus, ac propptereà extra neceſſitatem illicitè ſic confertur. Quod ſi collatus ſit, poſtea debet ſub conditione repeti. Idem ſentiendum de infante pelle adhuc ſecundina circumdato; vel ſi ſoli capilli abluantur, ita vt corporis pars non tangatur *Cuninck*, *Laym. Diana Part. 3. Tract. 3. Reſol. 1. 3.*

VI. Sed *quæſtio* eſt, quæ Quantitas aquę poſſit ad Baptiſmi valorem ſufficere?

Reſpondeo, quamlibet ſufficere quę ſeruiat ad ablutionem ſenſu humano perceptibilem vt docet hic *Hurtado Diſput. 1. Diffic.* 6. Contra *Suarem*, *Valent.* &c.

Dices, qui manè ſe aſperſit aqua benedicta verè dicit ſe hodie non lauiſſe ergo ad moralem ablutionem non ſufficit quęuis aquę ſenſibilis aſperſio aut ablutio.

Reſpondeo neg. conſequentiam: quia affirmans in caſu ſe non lauiſſe, id non intelligit de quauis morali ablutione, ſed de illa in qua ſolent homines aqua liberaliùs affuſa manus ac faciem abluere, vti ipſæ circumſtantiæ ſignificant.

VII. Forma Baptiſmi in occidentalibus Eccleſijs hæc vſurpatur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen*. Sumitur ex Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Ratio huius inſtitutionis eſt: quod cùm Batiſmus ſit introitus in Eccleſiam Chriſti, oporteat in eius ſuſceptione expreſſam fidei Chriſtianæ profeſſionem facere per Dei vnius, & trini inuocationem.

VIII. Debet in forma Baptiſmi perſona altera à baptizante exprimi, vt appareat diſtinctio perſonarum baptizantis; & baptizandi; cùm nemo à ſeipſo baptizari poſſit, *Cap. debitum*, de Baptiſmo. Obeſſet etiam valori omiſſio vocum, *In nomine Patris &c.* Ratio huius, eſt Chriſti inſtitutio.

IX. Accidentales mutationes formę Baptiſmi etſi valorem non impediant adminiſtrationem illicitam reddũt excepto neceſſitatis caſu, v. gr. ſi omittas, ego, aut tranſpoſitio fiat, *te ego baptizo*. Item, ſi aliqua perſona tranſponatur, v. gr. nominando Filium ante Patrem: ſi modica verborum interruptio fiat, aut ſi ſuperflua addantur, v. g. Ego Ioannes te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus ſancti.

X. Si dubium rationabile ſit de valore collati Baptiſmi, repeti debet ſub conditione, hac forma, *Si non es baptizatus ego te baptizo in nomine &c.* Idque locum habet, tàm in dubio *iuris*, verb. grat. ſi Doctores diſcrepent, an valeat Baptiſmus tali modo collatus, quam in dubio *facti*, ſi abſolutè incertum ſit, verum fuerit collatus Baptiſmus, ver. grat. ſi infans expoſi-

poſitus ſit nulla ipſi adiecta ſchedula aut ſigno quo Baptiſmus ei collatus fuerit: imò ſi ſignum illud non ſit ſatis certum praxis hîc habet vt talis iterum ſub conditione baptizetur.

XI. Faciliùs ſub conditione repetitur Baptiſmus in fante quàm adulto, eo quod adultus per fidem, & actum contritionis ſaluari poſſit, etiamſi Sacramentum Baptiſmi non acceperit.

Quæres primò. An moderni hæretici dum conuertuntur, debeant ſub conditione baptizari.

Reſpondeo negatiuè regulariter. Si tamen dubium ſit, v. g. an adhibita fuerit aqua roſacea, vel an alius aquam applicuerit, alius formam protulerit, ſub conditione baptizari debent.

Quæres ſecundò: An licitum ſit Sacerdoti occulte baptizare filiū hæretici de vita periclitantem, ſi dubitet an valide baptizatus fuerit, vel ad Baptiſmum poſteà ſuſcipiendum ſuperuicturus?

Reſpondeo affirmatiuè, imò recte faciet, ſi ſub ſpecie alicuius ſolatij aut medecinę prębendę ad tale miniſterium ſibi aditum procuret, quantumuis parentes inuitos eſſe cognoſcat.

Quod ſi talis puer vel adoleſcens ſit filius Anabaptiſtæ, abſolute baptizandus erit, cùm illa Secta ſoleat ſuos ante annum ætatis trigeſimum baptizare; niſi aliundè conſtet puerum alia via ad Baptiſmum peruenisse.

In Baptiſmo per obſtetricem collato quid agendum ſit ex præſcripto Paſtoralis Mechlinenſis, vide hic infrà §. 3. num. 7.

De Baptiſmo in partibus Hæreticorum plures quæſtiones reſoluuntur infrà *Tract*. 6. *Quæſt*. 28.

§. II.

De diſpoſitione ſuſcipientis Baptiſmum.

I. AD valorem Baptiſmi non requiritur fides, aut alia bona diſpoſitio ſuſcipientis, ſed ſufficit libera voluntas, quamuis habita ob peruerſum finem. Quia conueniens fuit Sacramentum hoc ita à Chriſto inſtitui, vt quantum moraliter fieri poſſet, ſciretur vtrùm homo ſuſcepiſſet Sacramentum, quod non fieret, ſi multùm dependeret ab interna diſpoſitione.

II. Ad obtinendam tamen gratiam ſanctificantem in Baptiſmo requiritur bona ſuſcipientis adulti diſpoſitio, conueniens ſancto ritui Sacramenti quod ſuſcipitur, quia Sancta ſancte tractari debent. Et quidem ad Baptiſmum in adultis requiritur fides ſupernaturalis, tamquam fundamentum iuſtitiæ Chriſtianæ: deindè Pœnitentia, vt colligitur Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*. Et Marci vltimò: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*.

III. Verumtamen opus non eſt vt contritio hominis baptizandi perfecta ſit, ſed ſufficit attritio ex ſupernaturali motiuo concepta. Eſt enim hoc Sacramentum per ſe inſtitutum vt hominem iuſtificet.

IV. Peccata ante Baptiſmum commiſſa non ſunt materia abſolutionis poſt Baptiſmum conferendæ. Quia poteſtas clauium non extendit ſe niſi ad ſubiectos iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, & reſpectu eorum actuum, qui tempore iuriſdictionis committuntur, ſoli autem baptizati ſunt ſubditi Eccleſiæ. Ac proinde ab adulto baptizando nulla peccatorum Confeſſio Sacramentalis exigi debet.

V. Extra caſum neceſſitatis non debet Baptiſmus ſine ſolemnitatibus conferri, etiamſi per vnum aut alterum menſem expectandum ſit, v. g. dum Patrini adueniat: habenda interim eſt cura, ne infans ſine Baptiſmo decedat. Quod ſi infans, ob periculum mortis, ſine ſolemnitatibus, & cæremonijs baptizatus fuerit, ſolent illæ poſteà ſuppleri.

§. III.

De Miniſtro Baptiſmi.

I. QViuis homo ratione præditus validè baptizat. Nititur hæc aſſertio inſtitutione Chriſti, quam vſus Eccleſiæ, & traditio oſtendit. Ratio verò inſtitutionis eſt ſumma Baptiſmi neceſſitas.

II. Peccat grauiter extra neceſſitatem baptizans, cui id de iure, & ex officio non competit. Peccat itidem ille, cui iure, & ex officio competit baptizare, ſi extra neceſitatem non ſolemnites baptizet, nam Canones ob honorem Sacramenti ſeuere præcipiunt, vt Sacerdos ſolemniter in Eccleſia baptizet, niſi tamen obſtet alicuius perſonæ infamia, aut damnum notabile inde ſecuturum.

III. Parentes grauiter peccant, qui offerunt prolem baptizandum alieno Parocho ſine

ne licentia proprij. Quia Eccleſiæ ordinationi cum violatione alieni iuris aduerſantur: Niſi conſtet ſpeciale priuilegium interuenire.

IV. In caſu neceſſitatis hic ordo obſeruandus eſt; vt præſente Sacerdote aut Epiſcopo non baptizet Diaconus: præſente Diacono non baptizet Clericus inferior; præſente Clerico non Laicus; præſente viro non fœmina, denique præſente fideli non hęreticus aut infidelis. Et ſi hic ordo peruertatur, ita vt præſente Sacerdote alius ſeu Clericus, ſeu Laicus baptizare præſumat, erit peccatum ſacrilegij mortale, ſimiliter ſi infidelis baptizet præſente fideli. Circa Clericos verò Sacerdote inferiores, marem item, & feminam, non videtur eſſe culpa pluſquam venialis, imò nulla erit, ſi cauſa ſubſit.

V. Miniſter Baptiſmi debet eſſe vnicus; quare ſi alius materiam apponat, alius formam proferat, nihil efficitur. Quia tali caſu forma, ego te baptizo, eſt falſa, cum illam proferens non baptizet aquam applicando. Quod ſi ſimul plures Miniſtri materiam, & formam ſuper vno homine baptizando abſoluta intentione ſimul abſoluant, ſinguli vere conficiunt Sacramentum tamquam cauſæ totales. Ratio eſt, quia vnius actio alterius actionem non impedit, & vterque verè baptizat.

VI. Requiritur etiam in Miniſtro intentio baptizandi ſaltem coſuſa more Eccleſiæ, vt de Sacramento in genere probatum eſt.

Si contingat Miniſtrum baptizare marem quem putat eſſe fæmellam, nihil oberit valori Baptiſmi. Quia intendit baptizare infantem ſibi præſentem. *Bonacin. P. 4. num. 26. &c.*

VII. In homine apud hæreticos baptizato poſſunt ſuppleri cæremoniæ; ſed non eſt moris; ne fortaſse rudis populus exiſtimet nos hæreticorum Baptiſma debita forma collatum tamquam minùs validum improbare.

Quæres Primo: An Parochus baptizare debeat infantem quem obſtetrix affirmat ſe, apparentem mortis periculo, rite baptizaſſe, Negat *Sotus*, *Victoria de Caſtro*, *& plures alij*, aſſerentes ſolummodò ſupplendas eſſe ceremonias, quæ ſolent in publico Baptiſmo adhiberi.

Reſpondeo tamen, in tali caſu infantem iterum à Parocho ſub conditione baptizandum eſſe, ſi præter obſtetricis teſtimonium aliam certitudinem non habeat de Baptiſmo validè adminiſtrato. Confirmatur hæc reſponſio auctoritate Paſtoralis Mechlinienſis, in quo vniuerſaliter id fieri præſcribitur, his verbis; *Conditionalis baptizatio facienda eſt circa infantes, qui ab obſtetricibus baptizati eſſe referuntur*. Idemque diſertè docet *Malanus & Syluius in 3. Part. quæſt. 66. Art. 9. Dub. 2.*

Et fauet ratio: quia etſi obſtetrix poſteà interrogata, oſtendat ſe callere formam, & ritum baptizandi, poteſt tamen prudenter dubitari, an ex acceleratione, aut turbatione animi inter ſtrepitus, & clamores parentum domeſticorum, in ipſo baptizandi actu errorem aliquem admiſerit, quales aliquando interueniſſe hiſtoriæ non paucę teſtantur.

Et idem ordinariè dicendum videtur, quando infantes ab alijs laicis, ſiue viris, ſiue fęminis in ſimili caſu domi baptizantur; cùm res tanti momenti magnam exigat cautelam ac ſecuritate. Dixi, *ordinariè*, quia non aſſentior illis qui id vniuerſaliter requirunt. Inueniuntur enim viri Laici in hoc non minus docti ac periti, quàm ſint aliqui Clerici, & Sacerdotes.

Quæres ſecundo: An infans, qui ante quartum videtur moriturus, poſſit in matris vtero ab obſtetrice, vel alio quopiam baptizari?

Reſpondeo affirmatiuè, ſi v. gr. obſtetrix adeo perita ſit, vt manu in matris vterum inſerta infantis corpus aliqua ex parte aqua perfundere poſſit, adiecta verborum forma conſueta: Ita docet *Suarez & 6. alij apud Dianam Part. 1. Tract. 15.*

Idem dicendum eſt, quando matre prægnante ſubito extincta, poſſit in eius corpore aditus aperiri, & per illum in prolem adhuc viuentem aqua infundi.

Quæres tertiò: An Miniſtro illicitum ſit ſub peccato mortali baptizare Aqua non benedicta in Baptiſmo ſolemni ſiue publico? Nam in priuato mortale inde non contrahi plerique agnoſcunt.

Reſp. Culpam lethalem inde non committi; quamuis contrarium docere videatur *Bonacina* de Bapt. Diſt. 2. Quæſtion. 2. Part. 7. Num. 19. & *Magnus* Quæſt. 71. Art. 4. Concluſ. 2.

Ratio eſt, quia etſi aqua benedicta vtendum tradant etiam Patres antiqui, nullum tamen exat formale præceptum de præmittenda baptiſmalis aquæ benedictione. 2. Ex grauitate materiæ cenſeri ſolet grauis vel leuis omiſſio alicuius ritus in celebratione Baptiſmi ſolemnis. Atqui materia grauis non videtur omiſſio illa benedictionis, cum ſolum

lum ad maiorem decentiam illa addatur ad aquam per ſe ad valorem Baptiſmi ſufficientem. Probant hæc à paritate rationis in ritibus aliorum Sacramentorum *Granadus*, & alij apud *Quintanaduenas de Sacramento Baptiſmi Quæſt. Sing.* 22.

Quæres quartò: An Parochus qui Baptiſmum pluribus annis inualidè adminiſtrauit, ſiue ex malitia, ſiue ex ignorantia, teneatur cum graui detrimento bonorum, vitæ, aut famæ hunc valoris defectum ita propalare vt Baptiſmi illi iterari, aut ſuppleri poſſint?

Reſpondeo affirmatiuè, quod plurium Theologorum auctoritate confirmat *Layman* Lib. 1. Tract 3. Cap. 3. Num. 2. agens de obſtetrice inualidè baptizante, & diſertius pluribus citatis, *Quintanaduenas* Tract. 1. Quæſt. Sing. 19.

Ratio eſt 1. quia ex communi principio Theologorum, ſalus animæ perdenda preferenda eſt vitæ corporali: ergo multo magis ſalus tot innocentium defectu Baptiſmi perdenda. Nam moraliter certum eſt aliquos ex illis infantibus morituros ante annos diſcretionis quibus poſſint per contritionem perfectam ſaluti ſuæ conſulere. 2. Quia ex illis inualidè baptizantis qui ad Sacerdotij, & Cōfeſſarij munus peruenerint inualidè etiam conſecraturos & abſoluturos indubitatum eſt, ex quo etiam alijs fidelibus nocumentum obueniret grauiſſimum.

§. IV.

De Patrinis.

I. AD munus Patrini tria requiruntur: 1. Vſus rationis (non certa ætas) 2. Vt Patrinus in Baptiſmo ſit ipſe baptizatus, & Patrinus in Confirmatione ſit confirmatus, alioqui inualidè ſuſcipiet munus Patrini, & non contrahet cognitionem ſpiritualem. 3. Requiritur intentio formalis gerendi munus ſpiritualis Patris ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ, nec ſufficit infantem materialiter tantùm tenere.

II. Religioſi Patrini eſſe non debent; ne ob ſpiritualem cognationem nimia familiaritas cum ſæcularibus, præſertim fœminis, contrahatur. Excipe tamen, ſi Religioſus ſit Epiſcopus, aut ſi contraria conſuetudo Prælatis non contradicentibus id alicubi permitteret.

III. Parens non debet propriam prolem ſuſcipere, ne contracta cognatione ſpirituali cum coniuge debitum petere non poſſit. Nec decet vt duo coniuges alienam prolem ſuſcipiant, poteſt tamen conſuetudine honeſtari. Vnde *Coninck* monet duos coniuges ſuſcipientes alienam prolem non contrahere cognationem ſpiritualem, alioquin talis ſuſceptio ipſis grauiter prohibita eſſet.

IV. Patrinus vnus eſſe debet, ſiue mas, ſiue mulier, vel ad ſummum duo, mas, & fœmina. Conſtat ex Trident. Seſſ. 24 Cap. 4. de Reform. Vbi Parochus obligatur vt nomen baptizati, ac patrinorum in librum diligenter referat, eoſque moneat de cognatione ſpirituali contracta inter ipſos, & baptizatum, & illius patrem; ac matrem: nec non inter baptizantem ac baptizatum, & huius patrem ac matrem tantùm.

V. In priuato Baptiſmo non eſt opus patrino: non enim videtur Eccleſia parentes voluiſſe ad hoc obligare, cùm in neceſſitate vix idoneus eligi poſſit. Si tamen adhibeatur, contrahat cognationem ſpiritualem, eo quod patrinus non adhibeatur tantùm ob maiorem ſolemnitatem, ſed etiam propter obligationem inſtruendi puerum in rebus fidei.

Alij tamen negant à Patrinis in priuato Baptiſmo cognationem ſpiritualem contrahi, *Sotus*, *Sanchez*, *Maratius &c.*

VI. Solent in quibuſdam Germaniæ locis Catholici eſſe Patrini filijs hæreticorum baptizante illos Miniſtro hæretico indebita forma, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis. Neque conſuetudo videtur improbanda, quia Patrini officium eſt vt externa ſuſceptione profiteatur quod hominem modò ſpiritualiter genitum ſuſcipiat in curam ſuam tanquam ſpiritualis eius nutritius, & pædagogus, id autem præſtare poteſt Catholicus, etiamſi infans ab hæretico baptizetur.

Quæres: An etiam ad Baptiſmum infantis Catholici apud Sacerdotem Catholicum liceat admittere Patrinum hæreticum?

Reſpondeo negatiuè, cum commmuni Doctorum. Si tamen timeretur grauis indignatio amicorum, etiam hæreticorum, aut aliud grauius incommodum, probabile eſt talem patrinum ſine crimine poſſe admitti, qui etiam contrahet cognationem ſpiritualem, ita docet *Caſtrop. Layman, l. 5. Tract. 2. Cap. 9. Diana Par. 9. Tract. 7. Reſſol.* 31.

CA-

CAPVT III.

De Sacramento Confirmationis.

COnfirmationem verum eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & in primitiua Eccleſia vſurpatum, probatum eſt ſupra in Controu. Part. 1. cap. vlt.

I. Materia remota Sacramenti Confirmationis eſt Chriſma ex oleo, & balſamo confectum, atque ab Epiſcopo benedictum. Colligitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, ex perpetuo Eccleſiæ vſu, & traditione, quæ teſtatur Chriſmatis confectionem ſemper Epiſcopo reſeruatam fuiſſe.

II. *Forma* huius Sacramenti eſt: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

III. *Effectus* Confirmationis eſt augmentum gratiæ ſanctificantis: inſuper actualis gratiæ auxilium ac robur tempore opportuno conferendum ad fidem conſtanter profitendam.

IV. Conuenit vt adulti peccati mortalis ſibi conſcij, ante Confirmationis ſuſceptionem ſacramentaliter confiteantur. Licet enim nullum præceptum extet, adeòque contritio ſufficiat, tutiùs eſt tamen confiteri ad remouendum obicem gratiæ quæ à Sacramento confertur.

V. Subiectum capax huius Sacramenti eſt omnis, & ſolus homo baptizatus. Ratio congrua eſt, quia ſicut natura quos generauit conatur perficere, ita Deus, & Eccleſia, quos generauit per baptiſmum, ad perfectionem gratiæ ſtatum adducit per Confirmationis Sacramentum.

VI. Olim infantibus ſtatim poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum conferebatur. Verùm hodie in pleriſque Eccleſijs conſuetudo eſt vt non niſi rationis compotes confirmentur. Ratio, partim vt Sacramentum maiori cum vtilitate ſuſcipiatur, vtpote concurrente actuali fide, & reliqua diſpoſitione ſuſcipientis, partim vt abſit periculum repetendi.

VII. Perpetuò amentes, vti & infantes in mortis periculo vtiliter, & rectè confirmantur, vbi id eſt in vſu. Quia huiuſmodi cum fructu ſpirituali, & ſine irreuerentia Sacramentum Confirmationis ſuſcipiunt, ſicut & Baptiſmum. Eſt enim tantùm per accidens quod numquam ſint ſpiritualiter militaturi.

VIII. Hodie non ſatis conſtat præceptum ſuſcipiendi Sacramentum Confirmationis, ſecluſo contemptu &c. Eſt tamen peccatum ſaltem veniale ſatis graue ſine cauſa aliquem ordinare qui confirmatus non eſt, cùm Eccleſiarum conſuetudo repugnet.

IX. Miniſter ordinarius huius Sacramenti ſolus Epiſcopus eſt. Colligitur ex Act. 8. & 10. & traditur in Concilio Florentino. Poteſt tamen Pontifex ex plenitudine poteſtatis ſuæ committere ſimplici Sacerdoti poteſtatem miniſtrandi hoc Sacramentum.

Quæſtionem hinc mouet *Card. Lugo.* Reſpon. Moral. Lib. 1. Dub. 7. An Abbas cui conceduntur functiones Epiſcopales, excepta dumtaxat collatione Ordinum, conſecratione Eccleſiæ, & Altarium, poſſit conferre Sacramentum Confirmationis? quod aliquando in Sacra Congregat. controuerſum fuit.

Reſpondet, audita ſententia ſacræ Congregationis Gregorium XIII. die 13. Martij anno 1574. reſpondiſſe, non comprehendi in ea conceſſione collationem huius Sacramenti; Quia in generali conceſſione non intelliguntur ea quæ ſunt ſpecialiter reſeruata, & de quibus facienda eſt ſpecialis mentio: non ſolet autem concedi hæc facultas ſoli Sacerdoti ſine cauſa vrgenti, vti colligitur ex *Capi. Peruenit. Diſtin.* 95. & ex Decreto Eugenij in Concilio Florentino, & fuſius oſtendit *Suar. Part.* 3. *Tom.* 3 *Diſp.* 36. *Sect.* 2.

X. Ad cæremonias pertinet, 1. Benedictio Chriſmatis. 2. Adeſſe debet Patrinus ex præcepto obligante ſub mortali, niſi adſit grauis cauſa: debet is eſſe diuerſus à patrino Baptiſmi, niſi neceſſitas aliud poſtulet. 3. Recitantur orationes cum impoſitione manus ſuper Caput. 4. Frons Chariſmate vncta vitta ligatur, quæ circumfertur donec Vnctio ſit ſiccata: vbi ſcilicet non eſt conſuetudo, præſertim inter hæreticos, ſtatim poſt collatum Sacramentum frontem abluendi (ſi fieri poſſit) in fonte Baptiſmatis: poſtquam frons lota, & Vitta depoſita eſt: ea comburi ſolet, ſaltem non debet ad profanum vſum adhiberi. 5. Epiſcopus confirmato leuem alapam infligit. 6. In C. *vt ieiuni* Diſt. 5. de Conſec. mouentur Epiſcopi vt ieiuni hoc Sacramentum miniſtrent, & non niſi ieiunis. Ex rationabili tamen cauſa aliter fieri poſſe monent DD. communiter.

Quæres primò. An liceat Matrimonium contrahere, Profeſſionē Religioſam emittere, vel Euchariſtiam aliaue Sacramēta ſuſcipere vel miniſtrare, ante ſuſceptionem Cōfirmationis.

Reſpondeo affirmatiuè, iuxta ſequentia cum *Suarez hic Diſput.* 38. *Sect.* 1. Hæc obligatio,

gatio, inquit, non habet locum reſpectu quinque Sacramentorum, nam Baptiſmus neceſſariò antecedere debet,& licet reſpectu Euchariſtię regulariter ſit melius vt cõfirmatio antecedat, tamen hic ordo non eſt in præcepto vti ex vſu Eccleſię conſtat, &c. Conſonat *Granadus* hic Tract.4.Diſp.2. de Conf. & *Zambranus* Cap.2.Diſp.3.Num.2. Nulla, inquit, erit culpa, ſi Euchariſtia vel alia Sacramenta pręter *Baptiſmum*, & *Ordinem* miniſtrentur ante Confirmationem. Idem dicendum de Profeſſione Religioſa, vti, & Matrimonio, cum nec matrimonium, nec tria vota in Religione nuncupanda, eorumque obſeruatio, à Confirmationis ſuſceptione aut effectibus dependeant.

Quæres ſecundò: Quanta ſit obligatio Epiſcoporum vt conferant ſuis ſubditis Sacramentum Confirmationis.

Reſpondeo, grauem illis incumbere obligationem vt ex parte ſua præbeant ſubditis opportunitatem vt hoc Sacramentum ſuſcipiatur, vti docet *Suarez in 3.P.q.72 Diſp* 38. *Sect.* 2. *Syluestor v. Confirmatio*, *&c.* Quia cùm ſint Paſtores, tenentur gregem ſuum paſcere, non tantùm in rebus ad ſalutem abſolutè neceſſarijs, ſed etiam in ijs, quæ conducunt ad ſingularem eius vtilitatem, maximè inter hæreticos, vbi neceſſe eſt ad conſtantem fidei confeſſionem hoc Sacramento roborari. Hinc etiam Parochis incumbit, pueros in catecheſi de huius Sacramenti virtute edocere, & ſuo tempore Epiſcopis confirmandos offerre.

Quæres tertiò: An liceat cuicumque in aliena Parœcia, aut Diœceſi confirmari.

Reſpondeo, quoad primam partem de Parœcia affirmatiuè. 1. Quia nullum extat pręceptum quo minus aliqui in aliena Parœcia eiuſdem Dięceſis confirmetur. 2. Quia cum adminiſtratio Confirmationis ſpectet ad proprium Epiſcopum, etiam Titularem, quoad hoc iurisdictionem habet vti in ſingulas Parœcias, ita in ſingulos Parochianos ſuæ Dięceſis, etſi in parœcia propria non exiſtant.

Ad ſecundam partem de Dięceſi, reſpondetur, Nemini licere confirmari in aliena *Diœceſi* abſque licentia ſui Ordinarij. Probatur ex communi ſententia cum *Suario*, *Bonacina*, *Filucio*, *Reginaldo*, *alijſque apud Leandrum de Sacramentis*, *Tract.*3. *d.* 2. *q.* 9. qui docent abſque graui peccato non poſſe Epiſcopum in aliena Diœceſi ſine conſenſu proprij Epiſcopi, confirmare. Ergo nec ſubdito licet Confirmationem in aliena Diœceſi ſuſcipere. 2. niſi Ordinarij ſui Dimiſſorias exhibeat.

In hanc rem multum auctoritatis, & lucis adfert Declaratio Cardinalium quæ extat apud *Bellarminum in Tridentinum Seſſ.* 7. *de Sacram. fol.*64. quæ ſic habet. *Omnes, etiam Prælati exempti, etiam iuriſdictione Epiſcopali, ſi ſint intra fines Diœceſis, tenentur accedere ad Epiſcopum Diœceſis per Confirmatione, ſi verò non ſint in Diœceſi aliqua, adeant quam maluerint.*

Ritus omnes in adminiſtratione Confirmationis, & reliquorum Sacramentorum, traduntur infra in fine *Tom. III. huius operis.*

CAPVT IV.

De Sacramento Euchariſtiæ.

REalem Chriſti præſentiam in Sacramento Euchariſtiæ, Tranſmutationem panis, & vini, Communionem Laicorum ſub vnica ſpecie, &c. contra Sectarios accuratè probata inuenies ſupra *T. I.* in Controuerſijs Fidei Part.II.Cap.3.4.& 5.

Porrò ad Quæſtiones alias, & principia hic præmittenda.

Dico breuiter primò; In Conſecratione ex vi verborum ſub ſpeciebus panis conſtituitur Corpus Chriſti, & per concomitantiam etiam Sanguis, anima, diuinitas, aliaque ipſis vnita: vti & in Calice conſtituitur ſolus Sanguis ex vi verborum, & reliqua per concomitantiam. Conſtant hæc ex Trident.Seſſ.13.Cap.3.

Dico ſecundò. Chriſtus exiſtit totus in toto, & totus in ſingulis partibus hoſtiæ conſecratæ: ſic nempe vt nulla pars ſenſibilis hoſtię ſiue diuiſę, ſiue coniunctæ ſit tam exigua quin totum Chriſtum contineat. Probatur ex Trident.Seſſ. 13.Cap. 3. vbi id negantibus de Partibus diuiſis anathema dicit Can. 3.

Dicò tertiò: Statuitur Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis non per nouam productionem, vt aliqui Theologi volunt, ſed per adductionem, id eſt, per nouam tantùm præſentiam qua corpus eius exiſtens in cœlo ſimul in altari ſub ſpeciebus Sacramentalibus collocatur. Nihil enim aliud ad hoc videtur eſſe neceſſarium.

Dico quartò; accidentia ſiue ſpecies panis, & vini remanent in Euchariſtia extra ſubiectum, ſic vt color, & ſapor, & alia, quæ in hoc Sacramento ſenſu percipimus, in Corpus Chriſti tamquam ſubiectum non recipiantur. Ita colligitur ex Concilio Conſtantienſi. ſ. 8. contra Vvicleffum id negantem: Non enim ſunt illa in ſubſtantia panis iam deſtructa, neque in Corpore Chriſti, quod in Euchariſtia eſt glorioſum, & paſſionis expers. Probabile etiam eſt, contra Thomiſtas, reliqua accidentia

dentia non recipi inquantitatem, quæ fortè à ſubſtantia non diſtinguitur.

Dico quintò: Deſinit Chriſtus eſſe ſub ſpeciebus conſecratis, quando ſpecies ſic immutantur, vt deſineret forma panis & vini, ſi illic loco Chriſti adeſſent. Hinc in ſtomacho ſpeciebus Euchariſticis per calorem naturalem deſtructis præſentia Criſti euaneſcit. His principiis ita conſtitutis ad reſolutiones practicas propiùs accedamus.

§. I.

De Materia, & forma Sacrmenti Euchariſtiæ.

I. MAteria huius Sacramenti eſt panis, & vinum: vti patet ex inſtitutione Chriſti *Matt.26.* & *Marc.* 14. Panis ille neceſſitate Sacramenti debet eſſe Triticeus, ex praxi, & ſenſu Eccleſiæ: & Concilio Florentino, quod eodem modo panem triticeum aſſignat, quo vinum pro calice quod conſtat requiri ad valorem Sacramenti. Huic tamen non officit immixta fuiſſe tritico pauca grana alterius frumenti, quia per hoc non deſinit eſſe panis triticeus vſualis, ita *D. Thom. alijque*.

II. Oriza, auena, milium, hordeum, non ſunt materia huius Sacramenti; cum ex ijs non ſoleat panis confici pro hominis victu niſi ob defectum tritici, quare nec ſimpliciter panis vocabulum meretur.

III. Vt panis Azymus ſit, non eſt de neceſſitate Sacramenti, quamuis id congruentius ſit, cùm etiam Chriſtus in azyno conſacrauerit. Obſeruanda tamen eſt conſuetudo vtriuſque Eccleſiæ, ita vt non ſolùm Latinus peccet, ſi in fermentato conſecret, ſed etiam Græcus ſi in azyno, quamdiu intra terminos Eccleſiæ ſuæ commorantur: Quod etiam obſeruandum eſt in caſu neceſſitatis, etiamſi ægrotus abſque viatico decedere deberet. Ratio eſt, quod Eccleſiæ vtilitatem, maieſtatem, tantique myſterij reuerentiam valdè intereſt, vniuerſales in eo Ritus obſeruari, Quare cum Sacramentum hoc non ſit abſolutæ neceſſitatis, meritò ratio publica priuato commodo ſpiritali præfertur.

IV. Acetum non eſt materia conſecrationis, cùm ſit vinum corruptum, poteſt tamen validè Sacramentum confici ex vino acido vel aceſcente, ſicut ex pane mucido nondum corrupto, ſed ad corruptionem diſpoſito. Denique neque Areſta validè conſecrari poteſt, cum Agreſta, vt potè ex vinis immaturis expreſſa, nondum ad naturam vini peruenerit.

V. Admixtio aquæ ad vinum non eſt de eſſentia Sacramenti, ſed præcepti tantùm Eccleſiaſtici ſub peccato mortali obligantis. Non eſt tamen improbabilis opinio Alphonſi à Caſtro, etiam ex Chriſti præcepto ab Apoſtolis nobis traditio, vinum aqua miſcendum eſſe.

VI. Ad eſſentiam formæ pertinent tantùm hæc verba, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Reliqua tamen verba, *Noui, & Æterni Teſtamenti*, &c. ſine graui peccato omitti non poſſunt.

VII. ad valorem Conſecrationis requiritur vt Sacerdos materiam conſecrandam determinatè cognoſcat, & intendat. Quia omnis actio tranſies verſatur circa ſingularia determinata, idque in caſu noſtro ad veritatem vocis demoſtratiuæ *Hoc*, & *Hic* neceſſariò requiritur.

VIII. Sacerdos cenſetur habere intentionem Eccleſiaſticæ conſuetudini conformem, niſi eam contrario actu excludat. Vnde etſi exiſtimet quinque tantùm hoſtias adeſſe, cùm ſint ſex, omnes conſecrat. Quia ſpeculatiuus ille error non obſtat practice intentioni conſecrandi omnes hoſtias ante ſe conſtitutas. *Suarez, Syluest. Herinq.*

IX. Si quis inſcio ſeu non aduertente Sacerdote Hoſtias minores in altari ponat, non conſecrabuntur. Quia nec actualis, nec virtualis intentio in illas fertur. Si verò Sacerdos antequam egrediatur Sacriſtia de conſecrandis hoſtijs in altari poſitis, vel Ponendis admonitus, eas conſecrare proponat, etiamſi poſteà obliuiſcatur, cenſeri debent conſecratæ. Quia in tali caſu adeſt intentio virtualis, hoc eſt, prior intentio continuatur in actibus qui poſteà ſequuntur in ordine ad conſecrationem. Ita *Reginal. Laym. lib. 5. Tract. 4. Cap. 2. Bonac. Tract 1. d. 4. q. 2. p. 2.* & alij qui iudicant id in praxi tutum eſſe.

X Si formulæ, id eſt, paruæ hoſtiæ ad ferantur Sacerdoti paulò poſt oblationem, vel (vt addit Auerſa q. 11. §. 12.) ante inceptam præfactionem, licitè eas conſecrat, oblationem ſola mente ſupplendo, Ita *Poſſeuin. Gauantus Tambur. Diana, Par. 2. Tract. 14 Reſolut. 71.*

§. II.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

I. EVchariſtiam miniſtrare ſolus poteſt ex officio Sacerdos habens iuriſdictonem ordinariam, aut ſibi delegatam: Peccat proinde grauiter, qui ſine omni iuriſdictione Euchariſtiam diſpenſare præſumeret. Et ſi ſit inferior Sacerdote v. gr. Diaconus irregularitatem incurrit.

II. Si tamen Sacerdos carens iuriſdictione præſumat ob rationabilem cauſam, factum ſuum à Parocho approbandum, licite Euchariſtiam adminiſtrat, *Bonacina Reginal. hic num. 19. alijque.*

III. Si periculum ſit ne infirmus ſine ſacro viatico moriatur, & proprius Paſtor ſit abſens, vel impeditus, vel malignè neget, poterit viaticum conferre quiuis Sacerdos tam ſæcularis quàm regularis, & in horum defectu etiam Diaconus. Quia in hoc caſu cenſetur ea poteſtas collata ab Epiſcopo, aut Pontifice, Ita *Suarez, Bonacina, Lugo, Layman, Libr. 5. Tractat. 4. Cap. 7.*

IV. Etſi Regulares ex ſuis priuilegiis poſſint proprijs Templis communicare quoſcumque fideles, ſiue per ſe, ſiue per alios Sacerdotes: illa tamen poteſtas, lege ordinaria, non extendit ſe ad communionem præbendam ratione Viatici in articulo mortis aut in Feſto Paſchatis, per quam ſcilicet ſatisfiat præcepto annuæ communionis, cui ſi communicans alio tempore ſatisfiat: illa communio ei libera manet, vti docet *Sa, Filiuc. & vſus communis.*

V. Non licet tamen Religioſis ad quamuis communionem, ſine facultate Epiſcopi, aut Parochi, Euchariſtiam publice per plateas deferre, niſi forte ad milites, aut alios apud quos Paſtoris munus obeunt. Quia id iuri Parochorum per conſuetudinem obtento derogaret. Proinde quando de licentia Ordinarij ægris communionem præbent, id debet priuatim fieri.

VI. In Miſſionibus autem, vbi in priuatorum domibus paſſim celebratur, facultas in Sacro præbendi communionem cuiuis legitimè accedenti conceſſa cenſetur cuiuis Sacerdoti, niſi hoc alicubi peculiari ac legitimo præcepto eſſet inhibitum.

Quando Sacerdos non conficit, ſed ſolum adminiſtrat alijs Euchariſtiam in ſtatu peccati, probabile eſt illum non peccare mortaliter quamuis non deſinit graues Auctore, qui communius docent oppoſitum, ideoque curandum, vt Sanctum non niſi ſanctè tractetur.

VII. Quamuis teneatur Miniſter Euchariſtiam manu porrigere: non eſt tamen improbabile ex graui cauſa licere mediante inſtrumento idoneo eam communicantis oris inſerere, apud *Diana in Part. 4. Tract. 4. Reſol. 114.* Quod confirmatur ex eo, quod in magna oris ſiccitate licitum eſſe hoſtiæ particulam in cochleari cum vino traijcere docent *Prep. Eſcob. Diana Part. 4. Tract. 4. Reſol. 104.*

VIII. Grauiter peccat Miniſter præbens Euchariſtiam ſub vtraque ſpecies, ſecluſo Pontificis indulto.

IX. A mortali Miniſtrum excuſari qui ſolas ſpecies vini daret ægro impotenti hoſtiam deglutire, ſentit *Amicus apud Dianam Part. 8. Tract. 1. Reſol. 24. &c.*

Quæris Card. *Lugo* in Reſp. Moral lib. 1. dub. 11. An licet Euchariſtiam deferre infirmo adorandum aut deoſculandam, quando eam ſumere non valet.

Reſpondet autem negatiuè, Quia ſi ſic adhiberetur inſtar Reliquiarum, minueretur reuerentia debita tantæ maieſtati, & alia ſequerentur incommoda: propter quæ ea praxis à Pontifice prohibita eſt, vti refertur in Declar. Conc. Trid. in Seſſ. 13. Can. 7. apud *Lugo* loco citato.

X Tenetur Sacerdos negare Communionem perſonis ad illam indiſpoſitis v. g. publico peccatori, vſurario, meretrici, concubinario. Quia illis miniſtrando eorum peccato cooperaretur, & Sacramentum graui irreuerentia afficeret.

XI. Si occultè tantum conſtet ſuſcipientem eſſe indiſpoſitum, illi occultè petenti negari debet, non tamen petenti publicè, ne per hoc infamiam incurrat. Quod ſi indiſpoſitio occulta ſolùm ex Confeſſione cognita fuerit, ne quidem licebit eam negare occultè poſtulanti. Quia illa eſſet quædam peccati admonitio, quæ Confeſſionis ſigillo aduerſatur. *Bonacina, Layman, Lugo, &c.*

Quæſtio eſt, An ſi reus confugiat ad Sacerdotem Euchariſtiam publice portantem gaudeat immunitate, ſicut confugiens ad Eccleſiam?

Reſpondetur affirmatiuè cum *Nauarro ca. 4. n. 18.* qui hanc ſententiam dicit communem cum Hoſtienſi, Angelo, Claro &c.

Sed *Quæritur vlterius*, An idem dicendum ſit ſi Reus qui v. gr. dicitur ad ſupplicium confugiat

fugiat ad complexum Sacerdotis, qui Euchariſtiam in pyxide occultè portat?

Reſpondet ad hunc caſum affirmatiuè: *Quintanaduennas Tract. 4. Sing. vlt.* qui teſtatur illum caſum actu contigiſſe. Quia ratio cur Euchariſtia publicè portata, & templa gaudeant hoc priuilegio, eſt reuerentia, & veneratio huius Sacramenti, quæ non minùs exibenda eſt dum occultè defertur. Si enim liberatur reus, teſte *Bartolo, Claro, Baldo*, aliijſq; qui ductus ad ſuplicium occurrit Cardinali, ſi hic ſuum pileum purpureum iſtius capiti imponat aut imponi faciat, quanto magis in caſu præſenti. Ita ibidem Num. 5.

§. III.

Diſpoſitio requiſita in ſuſcipiente Euchariſtiam.

I. QVoad animæ diſpoſitionem: Certum eſt, qui eſt in ſtatu peccati mortalis, graui præcepto obligari ad confitendum ante ſumptionem Euchariſtiæ; niſi adſit neceſſitas celebrandi, aut communicandi, & deſit copia Confeſſarij, *ex. Trident. Seſſ. 13. cap. 7.*

II. Idem dicendum eſt de eo, qui dubitat, an admiſerit peccatum mortale, aut an fuerit illud ritè confeſſus, *Suarez, Sanchez, Bonacina, d. 4. q. 6. cap. 7.*

III. Si autem grauis vrgeat celebrandi, aut commnicandi neceſſitas, tenetur præmittere actum contritionis: & ſi fuerit Sacerdos, præcipit Tridentinum, vt non differat poſtea *quàm primùm* confiteri. Quia alias omittendo contritionem poneret obicem gratiæ, & grauem committeret irreuerentiam, & ſacrilegium.

Notandum verò eſt, quid circa illud *quàm primùm*, nimis laxe ſumptum, decernat Alexander VII per propoſitionem 38. diſerte prohibitam: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confiteri* quàm primùm, *eſt conſilium, non præceptum*. Et propoſ. 39. *Illa particula*, quàm primùm *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*.

IV. Neceſſitas autem grauis excuſans à Confeſſione eſt primò: Periculum mortis. 2. Hoſtia pro moribundi viatico conſecranda. Ita *Suarez, Coninck, Lugo*, 3. Si ſacrificium, vel Communio non poſſit omitti abſque graui infamia, vel ſcandalo. 4 Si Parochus ex officio celebrare debeat, vt populus audiat Sacrum, ob quam cauſam etiam alteri, qui non eſt Parochus; id licere ſentit *Diana, cum aliјs 11. Part. 9. Tract. 3. R ſol. 9. 5.* Si quis in ſcamno communicantium recordetur peccati mortalis, quod oblitus eſt confiteri, nec ſine nota, aut ſcandalo graui recedere poſſit. De quo vide eoſdem ſuprà: & in hoc Opere ſuprà pag.

Notat autem *S. Bonauentura* apud *Bonacinam* Diſput. 4. de Euchar. Quæſt. 6. Part. 1. Num. 19. Hanc doctrinam notandum eſſe peculiariter timidis, & ſcrupuloſis, qui quamquam tunc vere eliciant contritionis actum, ſibi tamen continuo perſuadent ſe illum non elicuiſſe, qui poſſint prædictis ſecure acquieſcere.

Vnde vlterius patet, dari poſſe caſus in quibus aliquis incertus de ſtatu gratiæ poſſit ſe ad communicandum ſine peccato reſoluere.

V. *Quæres*; quando nam in prędictis cenſeri poſſit deeſſe copiam Confeſſarij?

Reſp. Quando ſine magna moleſtia non potes abſentem adire, aut præſenti ſine graui incommodo Confeſſioni extrinſeco, ſiue tuo, ſiue alieno, peccatum aperire.

VI. Quoad *diſpoſitionem corporis*. Communicandi, aut celebrandi impedimentum per ſe non eſt pollutio inuoluntaria, aut etiam voluntaria per pœnitentiam expiata, niſi mentē relinquat turpi recordatioue infeſtatam. Idem dicendum eſt de actu coniugali, etſi conſilij ſit nocte Communionem antecedente abſtinere, præſertim ſi ſint coniuges, qui rarò communicant *Sanch. Fillinc. Eſcob. &c.*

VII. Ex præcepto Eccleſiæ regulariter non licet cuiquam communicare, niſi ieiunio, ieiunio naturali, id eſt, vt à medio noctis nihil omninò aut per modum cibi, aut pottus, aut medicinæ ſumpſerit, Ita communiter Doctores.

VIII. Non cenſetur hoc ieiunium violari per aliquid, quod per modum ſaliuę, aut reſpirationis in ſtomachū traijcitur, *Fagundez, aliјque communiter*. Idem eſt de fumo tabaci, aut folio orè tantùm maſticato: quamuis hæc, niſi valetudinis ratio excuſet, videri poſſint aliquam habere indecentiam. *Præpoſitus, Lugo, Granados*.

IX. Si dubium ſit, an aliquid deglutiueris, aut ſumpſeris poſt duodecimam noctis, non impediri à Communione, aut à Miſſæ celebratione, probabiliter docet *Layma. 1. Tract. 1. c. 1. apud Dianam* hic *Reſp. 29*.

V. Non eſt per ſe peccatum ſtatim à Communione cibum ſumere, etſi conſulutum ſit abſtinere, donec ſpecies ſint cōſumpte: illas autem in Laico intra medium quadrantem, in

Sacerdote intra quadrantem conſumi in ſtomacho recta diſpoſito, vt certum cenſet *Card. Lugo* ex iudicio Medicorum à ſe conſultorum *Diſp. 12. Sect. 3. num. 54.*

XI. Caſus autem ſunt in quibus non ieiunus poſſit communicare: *Primò*, quoties eſt mortis periculum; & quidem à non ieiuno poſſe repeti Viaticum, quoties recurrit idem periculum etiam in eodem morbo poſt interuallum vnius, aut alterius diei, ſi magna ægri vrgeat deuotio, aut vtilitas, docet probabiliter *Layman l. 5. Tract. 4. Cap. 6. aliįque*, in quo ſpectandum eſſe loci conſuetudinem monet *Card. Lugo de Eucha. d. 15. Sect. 3.*

Non videtur tamen multis licitum Sacerdoti non ieiuno conſecrare ad dandum alteri viaticum. Quia præceptum viatici non obligat, quando ritè haberi non poteſt, *Suarez, Vaſq. Hurt. aliįque.* Contrarium tamen non eſt improbabile, præſertim in caſu, quo aliud Sacramentum haberi non poteſt, vti docet *Laym. Lib. 5. Tract. 4. cap. 6. num. 21. Filliuc. Lugo, Fernand. Maior.*

Secundò, Poteſt Sacerdos celebrare non ieiunus, ſi aquam pro vino calici infuſam hauſerit, tunc enim ad ſeruandam Sacrificij integritatem debet deuuò vinum offerre, conſecrare, & ſtatim ſumere ſine nouę hoſtiæ Conſecratione, *ita Doctores communiter.*

III. Quando poſt hauſtam ablutionem videt in patena vel corporali reliquias hoſtiæ conſecratæ, poteſt eas abſumere. *Henriquez, & 5. alij.*

IV. quando poſt conſecrationem Sacerdos ex deliquio, morte, aut languore non poteſt Sacrificium perficere, debet alius Sacerdos, etiam non ieiunius in defectum ieiunij, ſuccedere, & Sacrum abſoluere. *Con. & 3. alij.*

V. Quando Sacerdos poſt Conſecrationem recordatur, ſe non eſſe ieiunum, poteſt nihilominus ſpecies conſecratas ſumere. *Vaſqu. & 3. alij.* Quòd ſi ante Conſecrationem id recordaretur, recedere tenetur ab Altari, ſi tamen ſine graui nota, & incommodo id fieri poſſit. *Præpoſit. & Diana.*

Idem probabiliter in praxi dicendum, ſi finito ſacro in Sacriſtia Sacerdos inueniat in patena, Calice, aut corporali fragmentum aliquod hoſtiæ conſecratæ, ſi nullus poſt eum Sacerdos ibi celebraturus ſit, nec adſit pixis, in qua Euchariſtia aſſeruatur. *Suarez, Diana, & 5. alij.*

Imo addit non improbabiliter *Suarez, & Diana, &c.* poſſe Sacerdotem poſt diſtributam populo communionem vaſa ſacra purificare, & particulas in eadem vel etiam in alia Miſſa conſecratas abſumere, ſi nequeant decenter ſeruari: quia illa eſt tantum vnica, ſaltem in priori caſu, conſumatio eiuſdem Sacrificij.

Quæſtio eſt ſingularis, *Primò*, An poſſit Sacerdos extra Sacrificium ſibi Euchariſtiam miniſtrare? Negat *Filliucius* Tom. 1. Tract. 4. Cap. 9. &c. Probabilius tamen *Suarez* de Euchar. Diſp. 72. Sect. 3. docet Sacerdotem, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam deuotionis cauſa ſibi Communionem extra Sacrificium præbere poſſe, ſi non adſit alius Sacerdos qui id præſtare poſſit. Quia tunc ſufficiens cauſa videtur, cum non exiſtat præceptum vt ſit diſtinctio perſonæ recipientis, & præbentis hoc Euchariſtiæ Sacramentum.

Quæres Secundò: An in Miſſione, dum ingruit periculum ab irruentibus Hæreticis qui putantur ſacram Hoſtiam malè tractaturi, poſſit Euchariſtia ſumi à non ieiunis etiam laicis, ſi alius deſit? Item, an poſſit Sacerdos hoſtiam Laico tradere, vt cum ea aufugiat.

Reſpondeo ad vtrumque caſum affirmatiuè. Quia præcepto diuino, de cauenda irreuerentia Chriſto inferrenda cedere videtur præceptum Eccleſiæ de præuio ieiunio, & Euchariſtia à Laicis non tractanda, & conſentire videtur *Suarez, Lugo hic n. 87.*

Quæres tertiò: Quid ſi Laicus ille ſumpturus Euchariſtiam iudicet ſe non eſſe in ſtatu gratiæ?

Reſpondet *Card. Lugo Diſp.* 14. de Euchar. Sect. 1. Num. 1. & *Diana* Part. 5. Tract. 13. Reſol. 74. Si irruente Paganorum vel Hæreticorum multitudine in Eccleſiam timeretur SS. Euchariſtiæ contemtus, & violatio, Fidelem quemlibet etiam conſcium mortalis poſſe illam ſumere, conando ſi tempus ferat contritionem elicere: Imò addit *Tambur.* tali caſu ad hoc teneri.

Quęres quartò: An ſi Laicus in articulo mortis alium Miniſtrum non habeat, poſſit Euchariſtiam ſibi miniſtrare, aut eam ab alio Laico reuerenter ſuſcipere?

Reſpondeo affirmatiuè, idemque docet *Suar. Con. & alij* 12. cuius exemplum habemus in Maria Stuarta Scotiæ Regina, dum ab hęreticis caſtro incluſa teneretur: etſi ſint qui exiſtiment, eam ad hoc à Pontifice Priuilegium accepiſſe.

§. IV.

§. IV.

Præceptum ſummendi Euchariſtiam.

I. CErtum eſt dari præceptum diuinum grauiter obligans fideles adultos ad ſumendum Euchariſtiam tam in articulo mortis, quàm aliquoties in vitæ decurſu: Ita ex ſcripturis, & praxi Eccleſia declarat *Trid. Seſſ.* 13. *cap.* 6.

II. Perarticulum mortis, hic intelligitur grauis morbus, periculoſus conflictus, difficile puerperium, quale ſolet eſſe primum &c. *Suar. Vaſq. alijque*, niſi quis paucis ante illud periculum diebus communicaſſet.

III. Non eſſe tamen mortale, in tali mortis periculo Communionem omittere, dummodo in Paſchate eam ſumpſerit, docet *Syluester Sà*, *Fumus*, *Caiet. v. communio*. Sed tenendam cenſeo ſententiam, his contrariam, quam docet Suar. de Euchar. *Diſp.* 69. *Sect.* 3. Henriquez. *Lib.* 8. *Cap.* 4 Zambrius de Euchar. *Cap.* 3. *Dub.* 1. Layman de Euchar. *Lib.* 5. *Tract.* 4. *cap.* 53. cum Paludano *in* 4. *Diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 1. qui conatur tempus aliquod certum determinare hoc modo: ſi infirmus paulo ante v. gr. octo vel decem diebus ſanus communicauit, non tenetur iterum communicare in morbum periculoſum lapſus; ſi verò longius tempus v. g. vnius menſis à communione in ſanitate ſumpta elapſum eſt, debet iterum communicare ſi indicat in præſens mortis periculum. Si etiam æger cum periculoſis tentationibus conflictetur ſine alio remedio per accidens fieri poteſt, vt teneatur intrà breuius tempus Communionem ſumere.

IV. Probabilius eſt, in mortis articulo dandam eſſe Communionem Pueris, quando ſciunt Euchariſtiam ab alio cibo verè diſtinguere, *Laym. Suarez*, *Lugo Diſt.* 13. *S.* 4. *num.* 38. Damnatis ad mortem non licet iudici ſine graui cauſa tempus ad communicandum denegare, *Suarez*, *Bonacina*, *alijque communiter*.

V. Etſi Chriſtus tempus Communionis, extra periculum mortis, non præſcripſerit. Eccleſia tamen pro eo determinauit tempus *Paſchale*, quod communiter numeratur à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiue Aliquibus tamen locis totam Quadrageſimam comprhendit, & aliter extendi poteſt ex legitima loci conſuetudine vel indulto: poteſtque Confeſſarius, maximè Parochus ex iuſta cauſa tempus prorogare, vt docet *Sà & alij* de quo fuſius *Bonacina D.* 4. *q.* 7. *p.* 2.

Hæc communio Paſchalis, eiuſque tempus limites, & omiſſionis pœnæ in Lateranenſi ritè exprimuntur, & in iure canonico ex Cap. *Omnis vtriuſque ſexus* de Pœnit. & Remiſs. hoc tenore. *Omnis vtriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenit ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reuerenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprij Sacerdotis Conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin, & viuens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura.*

Hanc vltimam de pœna clauſulam, cenſent Theologi plures non incurri ipſo facto, ſed poſt latam ſententiam, & vix iam in vſu eſſe vt ſententia illa actu, & efficaciter proferatur.

VI. Huic præcepto non ſatisfit per indignam ſiue ſacrilegam Euchariſtiæ ſumptionem: imò duplex peccatum admittitur, vnum contra reuerentiam Sacramenti, alterum contra præceptum Eccleſiæ requirentis communionem quæ non cedat in ſpiritualem ruinam ſuſcipientis, aut in Sacramenti contemptum.

VII. Probabilius eſt eum, qui non communicauit in Paſchate, teneri poſtea ſupplere. *Suarez*, *Bonacin. Con. Lugo*. Non tenetur tamen præuenire, qui præuidet ſe tempore Paſchali impediendum, vt probabiliter docet *Suarez*, *Azor. &c.*

VIII. Tenetur quis Communionem Paſchalem ſumere in Parochia à Paſtore ſuo niſi tamen huius licentia, priuilegio, aut conſuetudine eximatur. *Nauar. & Suarez hic D.* 72. *Sect.* 2.

Licentiam illam alibi communicandi poſſe etiam concedi à proprio Epiſcopo, Vicario generali tradit *Suarez* de Euch. Diſp. 71. Sect. 2. *Tamburinus* hic cap. 4. §. 5. Vbi & oſtendit, Parochum etſi poſſit dare licentiam differendi, non ideò tamen poſſe abſolute liberare à Communione Paſchali.

IX. Sacerdos vbiuis celebrando ſatisfacit præcepto communionis Paſchalis, *Bonacina D.* 4. *q.* 7. *p.* 2. *&c.*

X. Eximuntur ab hoc præcepto peregrini, & vagi quamdiu Parochiam non habent, aut ab ea abſunt: *Ita communis*.

XI. Priuilegium quod aliqui allegant pro Communione Paſchali datum Mendicantibus, alij communis negant apud Dianam *P.* 2. *Tract.* 14. *Reſol.* 73. Neque conſultum videtur

detur cum Paſtorum offenſione illud in praxim reducere, quibus proprium eſt illo præſertim tempore pecoris ſui vultum cognoſcere, neque in ordine ad ſatisfaciendum præcepto conſiſtit cum reſpondeo Cong. Cardinalium die 31. Ianuarij 1682.

Praxim diſponendi ægrum, aut moribundum ad Viaticum deuotè ſuſcipiendum vide infra in fine huius operis, Tom. III.

DECRETVM

Modernum anni 1679.

De Communione quotidiana, modo deferendi Sacram Eucharestiam ad infirmos, & aliis ac venialium confeſſione ſimplici Sacerdoti non approbato, & Romæ datum 22. Februarii 1679.

CVm ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio peruenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere vſum Quotidianæ communionis, etiam in feria ſexta Paraſceue, & ſimul affirmari eandem Quotidianam communionem præceptam eſſe à iure diuino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleuiſſe, videlicet, quod aliqui, non in Eccleſia, ſed in priuatis Oratorijs, & Domi, & cubantes in lecto, & non laborantes vlla graui infirmitatis nota ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quàm argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes ſeculares aut regulares: alijque in communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolitio: ac tandem quis confiteatur peccata venialia Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo aut ordinario.

Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium, Concilij Tridentini interpretum, eadem Sac. Congregatio præuia natura diſcuſſione ſuper prædictis vnanimi ſententia ita cenſuit: Etſi frequens, quotidianuſue Sacroſanctæ Euchariſtiæ, vſus à Sanctis Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus, nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi aut ab ea abſtinēdi certos ſingulis menſibus aut ebdomadis Dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicauit. Cum, inquit, optaret quidem Sacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent: Idque non immeritò; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, varie ob negotia ſpiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei Dona paruulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certè de cuiuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui: Et propterea quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, confeſſariorum ſecreta cordis explorātium iudicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negotiatioribus, & coniugatis quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt; In coniugatis autem hoc amplius animaduertent, cum B. Apoſtolus nolit eos inuicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacent orationi, eos ſeriò admoneant, tanto magis ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam continentie vacandum puriorique mente ad cæleſtium epularum communionem eſſe conueniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana ſacræ communionis ſumptione vnica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſinguli permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet, illudquo omninò prouideat, vt nemo à ſacro conuiuio, ſeu frequenter ſeu quotidie acceſſerit repellatur, & nihilominus det operam, vt vnuſquiſque dignè pro deuotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuauitatem deguſtet.

Item, Moniales quotidie ſacram Communionem petentes admonendæ erunt, vt (fiat) in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis ſi quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore ſpiritus ita incaluerint, vt dignæ frequentiori, aut quotidiana ſanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à Superioribus permittatur.

Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum vti, & cum eis conſtitutum haberi, vt cum Fideles ad ſanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendat, eos qui ad frequentionem aut quotidianam ſalutiferi Cibi ſumptionem deuoto ſtudio excitantur, debere, ſiue Laici negotiatores ſint, ſiue coniungati, ſiue quicumque

alij,

alij, ſuam agnoſcere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti ac Diuini iudicij formidine diſcant celeſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, reuereri; & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad maiorem prę-parationem accingere.

Epiſcopi autem in quorum Diœceſibus viget huiuſmodi deuotio erga Sanctiſſimum Sacramentum pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum vt omnis irreuerentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptio tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur. Quod abunde continget, ſi ij qui deuoto huiuſmodi ſtudio diuina pręſtant gratia tenentur, ſeque ſacratiſſimo pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeq; probare cum timore, & charitate aſſueuerint: quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit; atque in celeſti regno ſe præmium eſt daturus, precatur ſacra Congregatio, vt ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur.

Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarij redaguant eſſerentes communionem quotidianam eſſe de iure diuino, doceant in Eccleſijs ſeu Oratoris priuatis, ex diſpenſatione, ſeu priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanct. Euchariſt. nec eam vllo modo deferendam in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes Domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos ſi ab Eccleſia deferatur, publice, & cum pompa iuxta formam ritualis Romani, ſi verò ab Oratorio priuilegiato cum forma decenti. Curent etiam vt circa communionem in Feria Sexta Paraſceuę, Miſſalis rubricę & Eccleſię Romanę vſus ſeruentur; inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtię formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſeu conſuetas.

Non permittant vt Venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdotis non approbato ab Epiſcopo aut ordinario. Si Parochi, & Confeſſarij etiam regulares, aut quicumq; alij Sacerdotes ſecus egerint, ſciant, Deo optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & ordinariorum iuſtam ac rigoroſam animaduerſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Ieſu, facultate ipſis Epiſcopis, & ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua approbauit ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

F. Card. Columna Præſa,

Su. Archiepiſc. Brancacius
Epiſc. Viterbienſis Secret.

Die 15. Menſis Februarij 1679. ſuprà dictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Vrbem, ad valuas curiæ, & in acie campi Floræ, vt moris eſt, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Curſorem. Pro D. Magiſtrum curſorum Gregorius Staggius Apoſt. Curſor.

§. V.

De Sacrificio Miſſæ.

CHriſtum in vltima Cęna non tantùm Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſſe, ſed etiam Sacrificium Miſſæ ordinaſſe per Sacerdotes in Eccleſia perpetuò offerendum probatum eſt ſuprà in Controu. Tom. I. Tract. II. Cap. 5. Hic reſolutiones ad praxim ſpectantes breuiter trademus.

I. Tenetur quiuis Sacerdos legitimè non impeditus ſaltem bis terue in Feſtis ſolemnioribus per annum celebrare, vt docet *Suarez cum communi*, contra *Lugo*, *Tamb. Dianam*. Imò vbi receptum eſt Tridentinum, inquit *Buſen*, grauiter obligantur mandante Epiſcopo celebrare ſingulis Dominicis, & Feſtis.

Non poſſe tamen Epiſcopos Laicis præcipere, vt diebus Dominicis aut Feſtis Sacrum, aut Concionem in ſua Parochia audiant, vbi poſſunt id alibi æque præſtare, docet ex declaratione Clementis VIII. anno 1592. die 1. Decembris, *Diana*. Part. 10. Tract. 12. Reſol. 25. de quo fuſius ſupra Tomo. 2. Tract. 1. q. 23.

II. Sacerdos, qui habet Facultatem bis de die celebrandi, v. gr. ob duplicem Parochiam, poterit hoc facere diebus feriatis, ſi valdè frequens ſit populus, vt in concurſu peregrinantium *Suarez*, *& 8. alij*. In prima tamen Miſſa non poteſt ſumere ablutionem, vt maneant ieiunus. Poteſt autem magna neceſſitas permittere vt etiam ſæpius à ieiuno celebretur. *Suarez Diana*, *Part. 10. Tract. 16. Reſol. 13.*

Diſplicere dicta eſt hæc doctrina cuidam Præ-

Prælato, quem ego plurimum veneror. Et in illius gratiam adduco inſuper pro hac reſolutione Thomam Hurtadum in Reſolut. Moral. Tract. 2. Cap. 7. num. 430. Quia, inquit, in Cap. *Conſuluiſti*, & Cap. *ſufficit*, Pontifices Alexander, & Innocentius III. concedunt Priuilegium & declarant, *ex iuſta cauſa, & ſuadente neceſſitate* Sacerdotem poſſe celebrare pluſquam ſemel de die: ergo, inquit, cum hoc priuilegium non concedatur cum limitatione, aut vni Sacerdoti in particulari, ſed in communi, manet in ſuo vigore quando cauſa eſt legitima, & vrget neceſſitas, vt ſi ob anguſtias loci die ſolemni magna populi multitudo non poſſit niſi ad vnum anguſtum locum ſucceſſiuè conuenire. Et huic ſententiæ nouiſſimè ſubſcribit etiam *Leander* de Sacramentis Part. 2. Tract. 8. de Sacrif. Miſſæ Diſp. 6. Quæſt. 41. quam iudicat eſſe longè probabiliorem, & pro ea inſuper citat Card. *Lugo* P. Hurtado, Petrum de Ledeſma, Marcum de los Huertos, Naldum, & Philiarchum. Quia, inquit, in iure non determinatur pluralitas Miſſarum: nec in textu citato eſt ſermo de duplici aut triplici, aut multiplici Miſſa celebranda, vt aduertit idem Cardinalis Lugo n 41. Ita ille. Cui ego addo, hæc locum habere, vbi non obſtat Superioris prohibitio, aut conſuetudo contraria, de qua ſpectat ad Prælatum in ſua diœceſi iudicare.

III. Sacerdos ob infirmam valetudinem non poteſt celebrare operto capite etiam extra Canonem ſine licentia Pontificis. Id enim expreſsè ſtauit Vrbanus XIII. & pridem declarauit S. Congreg. Rituum 13. Iulij 1.29. *apud Gauantum* Vbi verò ad Pontificem non datur recurſus diſpenſare poteſt Epiſcopus, aut prælatus pro ſuis Regularibus, *Henriq. aliique*. Et in Polonia eam licentiam pro tempore hyemali conſuetudo obtinuit. Qui autem id faceret abſque diſpenſatione in graui neceſſitate celebrandi, ſecluſo ſcandalo & contemptu, non peccare docet *Ledeſma*, *Diana &c.*

IV. In caſu neceſſitatis licitum eſt celebrare cum ſtola, manipulo, aut cingulo non benedictis, aut etiam ſine aloquo ex ijs. *Suarez, & 4. alij* Imò etſi aliquis citra neceſſitatem ſine aliquo horum celebraret, non peccare mortaliter, ob leuitatem materiæ, tradit *Suarez, Henriq. cum 6. alijs.*

V. In graui neceſſitate ſine Miniſtro licet celebrare, v. gr. ad dandum viaticum infirmo. *Leſſius, & 7.* vel ne populus aut ipſe Sacerdos Miſſa careat die feſto, *Præpoſit &c.* Non licet tamen in caſu fœminam ad miniſtrandum admittere; niſi fortè, vt ex loco remoto reſpondeat, ſed non vt accedat ad altare vrceolos miniſtrando, qui poſſunt in cornu altaris collocari. *Lugo, & 3. alij.*

VI. Non eſt mortale, ſi in Miſſa defunctorum ommittuntur ſequentia, *Dies iræ, &c. Bordonus, & alij*. Imò in Anniuerſario, & Miſſis quotidianis defunctorum legitur id tantùm pro arbitrio Sacerdotis.

Sacerdos Regularis, ſi in Canone pro nomine Epiſcopi ponat nomen ſui Generalis, peccat mortaliter, quia Miſſale eſt ad vnquem obſeruandum, ex *Declar.* Cardinalium.

VII. Sacerdos non poteſt hoſtiam à ſe conſecratam deponere in ſacrarium, & ſumere aliquam ex hoſtijs antea conſecratis: quia ad integritatem Sacrificij ſpectat ſumptio hoſtiæ tunc conſecratæ; *Lugo & 5.* Poſſet tamen ea iuſta cauſa celebrare cum hoſtia minori, qualis ſolet dari Laicis, quando non poſſet haberi maior, *Marchant. Diana.*

Quæris hic P. BOSCO Theol. inſignis *Diſp. 4. Sect. 12. concl. 9.* An Sacerdos Laico communicare volenti poſſit ex cauſa præbere partem hoſtiæ qua ipſe celebrat?

Et rectè reſpondet affirmatiue, quia id non obeſt integritati Sacrificij, nec peculiarem inuoluit indecentiam: docetque ſufficientem cauſam eſſe magnam petentis deuotionem, aut moram expectationis donec in Sacro ſequenti minor hoſtia conſecretur, ſi prudenti iudicio mora cenſeatur incommoda, idemque ſoluit *Dicaſtilio D. 11. num. 117*

Quæres porrò: An Sacerdos poſſit ex ſuo calice communem ablutionem dari Laico communicanti?

Reſpondeo, etſi id per ſe non ſit illicitum occurrente ratione peculiari, v. g. perſonæ valde honoratæ, non licet tamen illum morem frequenter vſurpare: quia induceret in populo rudiori ſuſpicionem Communionis Laico datæ ſub vtraquè ſpecie, quam Eccleſiæ conſuetudo non permittit.

VIII. Altare pro Sacrificio inſterni debet Mappa triplici. Non requiri vt mappæ ſint benedictæ docet *Suarez cum pluribus.*

Si quis mappam vna adhiberet preter corporale, non eſſet mortale: ſicut eſſet, ſi nullam poneret. In neceſſitate autem celebrandi, v. g. die Feſto, &c. nullum erit peccatum, ſi vna ſit cum corporali *Leandr. & 3.* Sicut etiam poſſe tunc adhiberi mappam non benedictam, v. g. ſudarium, ſi mundum eſt, & poſtea rurſus applicari ad vſus conſuetos docet *Fagundez, & 11. alij.*

IX: Si

IX. Sine Lumine ſacrificare numquam licet adeò vt ſi extingueretur ante Conſecrationem, nec aliud haberi poſſet, pergere Sacerdoti non liceret etiamſi alias moribundus ſine viatico eſſet moriturus, *Fagund Lugo &c.*

X. Vt. Viaticum moribundo detur, licet etiam à media nocte Sacrum facere, *Lugo, & alij* 7. vel etiam hora tertia poſt meridiem, *Hurt. & Leander*. Neque ad hæc opus eſſe licentia Epiſcopi, *Præpoſit alijque*. Imò hæc Regularibus permittuntur per Priuilegium Eugenij IV. ſaltem ex iuſta cauſa, v. gr. itineris faciendi, *Dicaſtilio, & alii* apud Tambur. & Lugo hic *Sect.* 1. *num.* 41. De lege autem communi licitum eſt cuius Sacerdoti inchoare Sacrum duabus horis ante ortum Solis; & media hora poſt meridiem, *Layman* fuſius. Aut etiam integra hora, ſi v. gr. concurſus populi, Principis viri expectatio, aut neceſſarium iter Sacerdotis id requirat.

Ad quem autem Miſſionarius, aut Parochus, qui Priuilegium non habet, poſſit recurrere pro diſpenſatione quoad horam, locum, aut facultatem celebrandi ſæpius de die, aut coram excommunicatis, aut deferendi Euchariſtiam ſine lumine, videre eſt ſupra in Tom. II Cap. V. §. 1. de facultat. Miſſionum.

Quæres primò. An Sacerdos teneatur ſumere Calicem conſecratum ſi in eum incidat araneus, aut aliud venenatum; & quid eo caſu agere debeat?

Reſpondeo, ſumendum non eſſe: ſed ſpeciebus in alio loco decenter repoſitis, aliud vinum cum aqua Calici infundendum, quod ſtatim conſecrari, & in eodem Sacrificio ſumi debet. Species autem vini infectæ ſeruari poſſunt donec exhalentur; aut corrumpantur, & reſiduum in piſcinam mittatur. Vel certè, quod commodius eſt, efficiatur vt intincto panno lineo imbibantur, quo ſiccato, & poſteà combuſto cineres piſcinæ committantur, ita *Leſſius de Sacr. Quæſt.* 83. *Art.* 2. *Num.* 70.

Quæres ſecundò, An licitum ſit Sacerdoti, ſi ſciat hæreticorum adeſſe, Miſſæ Sacrificium inchoare, aut inchoatum perficere?

Reſpondeo affirmatiuè, ſecluſo ſcandalo alioue abuſu, vti contra *Pontium* docet *Card. Lugo*, qui refert ſe vidiſſe ita fieri pluribus Cardinalium aſſiſtentibus, & ſcientibus ſimul hæreticos intereſſe.

§. VI.

De ſtipendio pro celebratione Miſſæ.

I. ADuerte, licitum non eſſe ſtipendium vllum accipere pro ipſo Miſſæ Sacrificio: quia cum ſit res ſacra peccatum Simoniæ committeret, qui pro eo pretium admitteret Sacerdos igitur ſolùm intendere debet ſuam in celebrando operam, ac præuium ſtudium pro pretio concedere, iuſtum enim eſt eum, qui ſeruit altari, de altari, viuere.

II. Si is, qui Miſſam procurat, non præbet iuſtum ſtipendium ab Epiſcopo, vel conſuetudine taxatum, non ideò poſt Sacerdos accipere à diuerſis plura modica, quæ iuſto ſtipendio æquiualeant, & pro illis vnicam miſſam celebrare. Nam etſi *Suarez alijque* id aliquando docuerint, poſt decretum Congregationis Cardinalium nunc omninò prohibitum eſt.

III. De ijs qui iuſtum Miſſarum numerum procurant, ſed parte eleemoſynæ ſibi retenta, auctoritate Vrbani VIII. ſic ſtatuit eadem Congregatio §. 4. *Omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiusdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.*

Circa hoc Decretum propoſita eſt Congregationi dubitatio, ſi detur eleemoſyna ſolita maior, an ſatis non ſit dare ſaltem ſtipendium iuſtum, & conſuetum?

Reſpondet Congregatio claris terminis, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe, vti videre eſt *Bularij p.* 4 *ſol.* 319.

IV. Qui tamen ab amico pro Miſſa ſtipendium ſolito maius accepit, idque intuitu ſolius amicitiæ, poteſt per alium dato illi tantùm iuſto ſtipendium ſatisfacere. Quia ſolam amici gratiam, nihil de ſtipendio ſibi reſeruat.

V. Sed quid Sacerdos iure ſuo ad maius ſtipendium vltrò cedat.

Reſpondeo, id non poſſe rectè præſumi, plerumque enim id facit ex metu, ne ſibi Sacra alio tempore ſubtrahantur, non autem ex liberali, & expreſſa donatione, vt hic *C. Lugo* rectè aduertit.

VI. Probabile eſt, Sacerdotem, qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare, v. gr. pro populi commoditate abſque obligatione applicandi Sacrificium, poſſe pro illius applicatione aliud ſtipen-

ſtipendium accipere. Huic enim reſolutioni non obſtare Congregationem Cardinalium apud Gauantum, & alio docet *Card. Lugo, & alij 8. hic apud Dianam.*

VII. Sacerdos, qui pro hodierna Miſſa nullum accipit ſtipendium, non poteſt illam applicare pro eo, qui daturus eſt illi proximum ſtipendium, quamuis id affirmet *Henriq. cum alijs* 6. Sed contra communem Eccleſiæ conſuetudinem, & decretum Cardinalium ex mandato Clementis VIII. Miſſas tamen hebdomadarias alicuius Capellæ poteſt Sacerdos ex cauſa anticipare.

VIII. Sacerdos, qui abſolutè omittit Sacra, pro quibus accepit ſtipendium, quod conſtituit materiam grauem in genere iuſtitiæ, tenetur ſub mortali ſtipendium reſtituere, niſi Sacra per alium velit procurare. Quia ex contractu, ſaltem implicito, illud officium pro iſtiuſmodi beneficio debetur.

IX. Peccat etiam grauiter, qui differt ad tempus abſolutè longum celebrationem Miſſarum, pro quibus ſtipendium accepit. Non cenſetur dilatio abſolutè longa, ſi Sacerdos ſimul accipiat 50. vel. 60. Sacra per totidem dies à ſe ſolo legenda. Differre etiam ad tres menſes non eſſe aliquando tempus abſolutè longum ex mente Sacræ congregationis probabiliter eximat *Villalobus*, & 3. *alij apud Dianam Part. 2. Tract. 4. Reſ.* 25.

An, aut qualiter ſtipendium pro Miſſa aut alijs miniſterijs admiſſum repugnet voto paupertatis in Societate, diſcurrit accuratè *Moya* in Select. Quæſt. parte poſtrema *pag.* 336.

Quæres, An magis proſint, & plus valoris habeant Sacra quę dato ſtipendio celebrantur à Sacerdote piæ, ac probatæ vitæ, quàm ab alio qui eſt minus pius, probus aut deuotus?

Reſpondeo affirmatiuè ordinariè loquendo. Quia etſi ex opere operato valor Sacrificij ſit æqualis, ex opere tamen operantis, celebrantis probitas, pietas, & actualis deuotio, vti Deo eſt acceptior, & gratior, ita maiorem vim habet impetrandi pro alijs nouas gratias ac beneficia, & ſatisfaciendi pro reatu pœnę debitæ. Adde quod talis meritò præſumatur magis fidelis in numero Sacrorum integrè, & tempeſtiue perſoluendo. Poterit vel inde Sacerdotibus magis diſſolutis ſtimulus accedere vt ſanctius viuant, ac deuotius celebrent, niſi velint alijs meritò poſtponi.

APPENDIX.

De Horis Canonicis, & alia de Miſſa.

§. I.

De Officio Canonico.

I. CLericus incipit obligari ad horas Canonicas à puncto temporis, quo Subdiaconatum ſuſcepit, non ante, & quidem ad Horas reſpondentes illi horæ, qua ordinatur, ex conſuetudine, & præcepto Eccleſiæ. Qui autem habet beneficium Eccleſiaſticum, obligatur etiam titulo iuſtitiæ, adeò vt ad reſtitutionem teneatur iuxta proportionem Officij prætermiſſi, & in Confeſſione explicare, ſe beneficium habere, ſi id Confeſſarius ignoret. Patet iſta obligatio ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & Bulla Pij V. *apud Dianam*

II. Ad horas non tenentur Nouitij, Conuerſi, Religioſi aliqui ad Chorum non deſtinati, vt ſunt Militares, Hoſpitalarij, &c. Moniales verò obligantur; has tamen, ſi officium tantùm ſemel iterumque omittant, mortalis peccati damnare non audet *Cai. Armilla, Medina, Leſſius in Poſthumis, Diana de Horis Can. Tract.* 12. *Reſol.* 17.

Idem etiam dicendum de Religioſis profeſſis qui nondum ſacris ſunt initiati, docent non pauci, & aliqui eos ad Horas ex præcepto non obligari, quos adducit *Moya* in parte poſtrema, ad tractatum de Religione *Diſput. Quæſt.* 6. Sed ipſe in hoc multò rigidior, contrariam ſententiam ſuſtinet, & multis argumentis fusè probat.

III. Habentes onus Horum peccant mortaliter, ſi notabilem earum partem ſine iuſta cauſa omittant. Non cenſetur pars notabilis aut graue peccatum, ſi quis omittat vnum Pſalmum, lectionem, aut aliam partem his æquiualentem, v. gr. tertiam partem paruæ horæ. Docet autem *Palao l.* 1. *p.* 5. partem notabilem eſſe in Matutino, quod eſt æquale vni paruæ horæ. *Sanchez* in ſumma *Tom.* 1. *Lib.* 1. *C.* 18. *Num.* 8. cenſet tres lectiones cum reſponſorijs, in feriali officio, eſſe materiam paruam, id eſt, non ſufficientem ad peccatum mortale.

IV. *Cauſæ Excuſantes* à recitatione Officij Canonici ſunt variæ, infra recenſendæ. Inter

has

has precipua, & maximè frequens eſt, *Corporis ægritudo*, quæ talis ſit vt à recitatione Horarum impediat.

Quæſtio autem de hoc reſtat ſingularis, & pij perſonis ſummi momenti, Quanta, & qualis cenſeri debeat ægritudo illa quę ab horarum obligatione excuſet?

Theologis plurimis à me lectis de hac quæſtione tenerę conſcientiæ perſonis intricatiſſima, Neminem vt arbitror reperi qui rem totam accuratius paucis tradat, & probet quam *Ioannem Sanchez* in Moralibus communi paſſim iudicio ſolidiſſimum, cuius proinde ipſa verba hic refero, *in Conſilij Moralibus* Lib 7. Cap. 2 Dub. 45. *In hoc* (periculo incurrendi damni ex recitatione Breuiarij, & ſimiliter in auditione Miſſæ) *eſt tenenda media quædam via, ita vt, qui eger eſt, ſi ex recitatione Horarum* (aut ſacri auditione) veroſimiliter credat, *ſtomachi aliquam cruditatem, vel capitis grauedolentiam* (ſiue grauitatem) *vel virium laſſitudinem vel etiam credat, febrim tardius remittendam, excuſetur ab horis.* Ratio, inquit, eſt, quia huiuſmodi damna, quæ in corpore valido, & ſano, ſunt leuia, in ægroto ſunt grauia mala, & confirmatur, quia, cum omnia præcepta Charitati deſeruiant, quæ valde benigna circa infirmos eſt, non eſt veroſimile, quod Eccleſia, quæ eſt ſapientiſſima Mater, hominibus morbo affectis, velit addere moleſtiam orandi, etiamſi non multum lædantur. Item quod Cap. *Clericus* Diſt. 91. pro legitima cauſa non orandi habeatur, *inæqualitas Corporis*, quæ non ſonat morbum grauem, ſed potius leuem: Etiamſi autem huiuſmodi infirmi, dum febri, aut alio morbo laborant, bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros animi gratia legant, non inde ſequitur, teneri recitare horas: Ratio eſt, quia lectiones illæ, & ſermones ęrgo voluptatem afferunt, nec morbus ingraueſcit, ſed potius decreſcit; at recitatio eſt res ſeria, & natura ſua caput grauat, ac mœrorem, & moleſtiam infert. Ita pergit Sanchez loco citato.

In dubio de ægritudinis grauitate, aut incommodo, aut periculo relapſus ſufficienti, vt ab horis Canonicis excuſet, acquieſcendum iudicio vel ſuperioris, vel Confeſſarij, vel prudentis, & probi Medici, docet cum Nauarro, Armilla, Azorio, Suarez; *Layman lib. 4. Tract. 1 Cap. 6.* Et hoc iudicio habito, non opus eſſe diſpenſatione docet *Bonacina*, *Caſtropalaus* tractantes de *Horis Canonicis*.

Reſoluit porrò *Layman* ſupra num. 2 his verbis: Si certum ſit te ob ægritudinem integrum Canonicum Officium recitare non poſſe, dubites autem an vnam aliquam Horam poſſis, præſuma te omnino excuſatum. Quia Præcepta Eccleſiaſtica non tanto rigore obligant, vt etiam doctis & timoratis materiam anxietatis, & ſcrupulorum pariant.

Quod ſi Eccleſia non intendat, propter prædictas anxietates, & ſcrupulos *Dubios* de valetudine ad Officium ſufficienti, ſuo præcepto Officij recitandi comprhendere; ſatis inde colligitur, illos in tali ſtatu præcepto Horarum non comprehendi: Et in dubio an caſus ille præcepto comprehendatur, poſſeſſionem, & preſumptionem ſtare non pro præcepto in hoc incerto, ſed pro operantis libertate, iuxta Princ. 6. ſupra Pag. 10. quo in liberando infirmo in prædictis, multum iuuari poſſunt in reſoluendo Superiores, Confeſſarij, alijque viri verè timorati.

V. Excuſant etiam ab Horis alia impedimenta, damna, & occupationes quæ non ſint minoris momenti, aut obligationis quam Officij omiſſio, vt itercontinuum, & vrgens aſſiſtentia ægri, aut moribundi, &c. Item carentia Breuiarij, niſi tamen ſcias totum officium, vel aliquas horas integras de memoria recitare. Dixi, integras, quia etſi ſcias varios Officij Pſalmos probabile eſt ad hos recitandos non obligari. Quia Pſalmi, non ſunt horæ, aut officium Canonicum: *Eſcobar, Malderus, Io. Sancius, Garzias, &c. hic apud Dianam.*

VI. Inter Hæreticos iuſtum aliquando impedimentum eſt metus proditionis; Item, grauis aut repentina occupatio, vel opera Charitatis maioris momenti, quam horæ, quæ ſine ſcandalo, vel graui incommodo tuo, vel alterius omitti non poſſunt. Quo modo etſi Concionatores, vel Confeſſarij aliquando excuſari poſſint, idque ex benigna Eccleſiæ intentione, vt docet *Silueſter*, *& Layman*, teneri tamen illos anticipare, ſi poſſint, v. g. ſit mane præuideant ſe tota die Confeſſionibus occupandos, quæ differi non poſſint, hic in fine magis patebit.

VII. Denique excuſat Diſpenſatio, quam ſolus Pontifex poteſt concedere ſine cauſa, cum cauſa ſufficienti id poteſt pro ſuis Epiſcopus, & ſimilem habens in ſuos ſubditos poteſtatem: de cauſa dubia ſupra dictum.

VIII. Vnum Officium pro alio recitare, extra ſolemniora Feſta per annum, non eſt mor-

etiam ad alias Votiuas reducantur.

Sed hæc intelligenda ſunt, *regulariter*, ſcilicet non occurrente cauſa graui, aut peculiari priuilegio: qualis cauſa eſſet neceſſitas publica, belli, pluuiæ, ſalus Principis periclitantis, aut ſimiles.

Contra prędictam Rubricam, Miſſam mutare ſaltem in Miſſis priuatis, peccatum eſſe mortale negat *Bonacina* alios citans, *de Sacramentis D. 4. q. vlt. Et Suarez de Sacramentis* Diſp. 83. Sect. 3 &c. De ordinationem eſſe ſaltem venialem plerique admitunt.

Cauſę etiam dictis diebus Sacrum legitimè immutandi poſſunt eſſe, Corpus inſepultum in Eccleſia præſens, etiam vt die Dominico, vel Feſto duplici legatur Sacrum *de Requiem*: ſed non in Dominica Reſurrectionis, vel ſimili multum ſolemni.

Miſſæ Anniuerſariæ pro Defunctis, ſi incidant in Feſtum duplex, quomodò debeant transferri, tradit *Gauantus in Rubric. Miſſar. P. 1. Tract. 5. Num. 2.*

Sed de his extat recentius Decretum generale Sacræ Congregationis Rituum die 5. Augusti 1662. In quo diſtrictè præcipit omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti, etiam neceſſario exprimendi, vt impoſterum omnino dictam Rubricam ſeruent, ita vt Miſſas priuatas pro Defunctis ſeu *de Requiem* in Duplicibus nullatenus celebrare audeant vel pręſumant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ huiuſmodi celebrandæ incidant in Feſtum Duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimẽto ſit, ſed dicãtur de Feſto currenti cum applicatione Sacrificij iuxta mentem eorumdem Benefactorum .... In eos autem qui contra facere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarij tum ſæculares tum regulares, pro modo culpæ animaduertant.

Et facta de prędictis Sanctiſſimo Relatione ſanctitas ſua annuit, & cum applicatione Sacrificij ſatisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit. Eadem die 5. Auguſti 1662. Ita habent verba Decreti, quod extat impreſſum in Ordine ſiue Directorio Miſſæ Duaci anno 1683. & alibi.

Altera cauſa Miſſam immutandi poteſt eſſe, ſi quis careret Miſſali nouo in quo continetur Miſſa de Feſto duplici iſtius diei: tunc ſcilicet poſſe legi Votiuam, ne illo die Sacrum omittatur, tradit *Tamburinus Lib. 2. Cap. 6.*

Vbi in particulari caſu reſoluit, Prælatum Illuſtriſ. qui ob valetudinis infirmitatem non poterat diu pedibus conſiſtere, potuiſſe in Dominica Palmarum pro Miſſa diei, in qua eſt Paſſionis lectio prolixa, legere Miſſam votiuam de Paſſione Domini in ſuo Oratorio priuato.

Quæres ſecundo: An iuxta Rubricas Miſſalis, & S. Congregationis Decretum, poſſit de quouis Sancto Canonizato, etiam in Calendario non expreſſo, Miſſa Votiua priuatim aliquando celebrari?

Reſpondent plures hoc non repugnare Rubricis Miſſalis; Cum illis §. 4. num. 3. concedatur, vt *Miſſæ priuatæ dici poſſint pro arbitrio Sacerdotis quocumque die Officium non eſt duplex.* Ergo Miſſa prædicta ſaltem aliquando permiſſa cenſetur. Hunc communem eſſe Theologorum ſenſum tradit *Caſtropalao de fide Diſput. 1. §. 5. punct. 3. Num. 3.*

§. III.

De Priuilegio Officium, & Miſſam recitandi, & celebrandi certis diebus de Ven. Sacramento, & B. Virginis Conceptione.

Q*Væritur* primo, in quo fundetur praxis aut Priuilegium Regularium Mendicantium qui die Iouis non impedito legunt Officium, & celebrant Miſſam de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento?

Reſp. Fundari maxime in Conceſſione Pij V. Pontificis facta Fratribus Minoribus de Obſeruantia, per Bullam ſpecialem Romæ datam 8. Ianuarij, anno 1568. quam adfert Emanuel Rodriquez *Bullari; To 2.* quæ ſic habet. *Nos pium hoc veſtrum deſiderium in Domino collaudantes, ac huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & veſtrum cuilibet vbilibet exiſtentibus, vt qualibet Quinta Feria (quæ totius Quadrageſimæ, & Aduentus non fuerit, & in qua aliquod Feſtum, ſeu Octaua non inciderit) omiſſo occurrenti Officio, illud de Corpore Chriſti, iuxta illud quod in præſenti Breuiario Romano in eius ſolemnitatis die recitandum proponitur, recitare libere, & licite valeatis: Ita tamen quod illud ſic recitando, debito ad quod adſtricti eſtis, in omnibus, & per omnia perinde ſatisfacere cenſeamus, ac ſi Officium pro tempore occurens, & vobis à Romana Eccleſia propoſitum recitaretis.* Quo Priuilegio graudent alij communicationem Priuilegiorum habentes.

Conſtat ex verbis prædicti Priuilegij, excipi, Quintas Ferias Quadrageſimæ, & Aduentus: Non autem excipi Quintas Ferias in [illegible] inci-

inciderint Vigilię Sanctorum, aut Solemnitatum, cum has Priuilegium non excipiat. Cenſentur autem excipi Feſta Semiduplicia, non verò ſimplicia, vti habet interpretatio, & conſuetudo communis apud *Emanuelem Rodriquez* ſupra & *de Quæſt. Regul. Tom.* 1. *q.* 42. *num.* 16. Et idem diſertè exprimitur in Priuilegio ſimili de Officio nominis Ieſu conceſſo à Clem. VIII. Fratribus Eremitis S. Auguſtini, quod incipit, *Decet Romanum Pontificem.*

Quæritur ſecundò, In quo fundetur praxis, ſiue Priuilegium conceſſum Minoribus, & alijs qui cum ipſis in Priuilegij communicant, celebrandi Miſſam, & diuinum Officium recitandi de B. Virginis Conceptione in Sabathis nouem Lectionum Officio non impeditis?

Reſp. Pro hoc Priuilegio extare varia viuæ vocis oracula apud Auctores paſſim comprobata. Sed cum Vrbanus VIII. per Bullam editam Romæ anno 1631. reuocauerit Viuæ vocis oracula Religioſis conceſſa, etiam Sigillo munita, &c. ne quęſtio hęc ab illis variè diſputatis incerta dependeat.

Aſſignatur Bulla expreſſa, & eiusdem quidem Vrbani VIII. anno 1625. pro fundatione Monaſterij Monialium ab Apoſtolicæ Sedis Nuncio Iulio Epiſcopo Grauinenſi executioni mandanda, in qua inter alia hęc exprimuntur: *Quæ Moniales omnes inibi diuina Officia iuxta Rubricas Miſſalis, & Breuiarij Romani, nec non Officia Sanctorum dicti Ordinis, ex illius etiam Breuiario deſumenda, ſingulis Sabbatis diebus Officio duplici vel Semiduplici non impeditis, etiam Officium Conceptionis B. Mariæ (prout in ordine S. Franciſci fieri conſueuit) ſingulisque diebus in Completorio Antiphonam*, Conceptio tua, *cum eius oratione recitent, cantent, & celebrent.*

Vnde deducitur, Priuilegium hoc Ordini S. Franciſci conceſſum, hoc authentico Diplomate confirmari, & per hoc de nouo concedi. Et ex eo quod hoc huiuſmodi Monaſterij Monialibus in Bulla conceſſũ ſit, concedi etiã Religioſis Mendicantibus in talibus Priuilegijs communicantibus. Vti videri poteſt de communicatione Priuilegiorum in Bulla Sixti IV. Bonifacij VIII. Innocentij VIII. Alexandri IV. Iulij II. ac Leonis X. &c. Ac ſpecialiter inſpici poteſt Bulla Sixi IV. Iulij II. ac Leonis X. in quibus conceditur Fratribus Minoribus vt fruantur omnibus indultis, gratijs, immunitatibus, & alijs conceſſis tum Sororibus ſuis Ordinis, tum earum Domibus, Eccleſijs, & Monaſterijs. Videri inſuper poſſunt quę Pius V. Societati Ieſu conceſſit anno 1571. vbi incipit, *Dum indefeſſa*, pro communicatione omnium Priuilegiorum cum Mendicantibus. Quod tamen non intelligitur de Sanctis proprijs cuiuslibet Ordinis. Quæ fuſiùs tradit. *Emanuel Rodrig. Tom.* 2. *Quæſt.* 69. *Art.* 2. & *Hieronymus Rôdrig. Reſol.* 65. *num.* 2. & *Portel. Par.* 3. *caſ.* 28. *num.* 3. ac *Ant. de Quintanaduenas Tract.* 8. *Sing.* 13. &c. Vbi etiam varios adducit pro vſu pręcicti Priuilegij etiam in Sabbathis Aduentus, & Quadrageſimæ, quod tamen ſatis liquere non exiſtimo.

Quæritur tertiò, An ſi Officium, aut Lectiones fuerint ab Apoſtolica Sede approbatæ pro aliqua Diœceſi, poſſint alij, alibi in iſtius Sancti Officio iſtis vti?

De hoc affirmatiuè reſpondet *Quintanaduenas* ſupra Tract. 8. Sing. 2. num. 6. Et licet, inquit, neque Ordinarij, neque quiuis in particulari poſſint recitare Officia à Sede Apoſtolica non approbata: approbatis nihilominus vel pro vniuerſali Eccleſia, vel pro aliqua Diœceſi, poſſint pro ſua ſinguli vti. Intellige iuxta normam Rubricarum. Et in hanc rem adducit officia, & Lectiones particulares aliquorum Martyrum à Gregorio XIII. approbatas pro Eccleſia Condubenſi, quibus, ait, vti potuiſſe Eccleſiam Hiſpalenſem, quæ Sanctos illos vt Naturales, ſiue in illa Diœceſi natos celebrat. Vbi, & Laymani *Lib.* 4. *Cap.* 5. & Emanuelis *Rodrig.* pro hac doctrina verba recitat.

Quæritur quartò, Quid requiratur ad ſtatuendum *Oratorium* pro celebratione Miſſæ in Domibus priuatis, etiam ſæcularium?

Reſpondeo requiri, ordinariè loquendo, facultatem, ſaltem tacitam, Ordinarij, cui etiam eam tribuere videtur Trident. *Seſſ.* 22. *Decreto de reform.* Poſſe etiam facultatem illam Oratorij ſemel conceſſam ad aliud Familiæ migrantis locum æquè decentem transferri, colligitur ex *Barboſa* in Declar. Trident. Seſſ. 22. Num. 5. 6.

Sed Paulus V. Bulla edita anno 1615. declarauit prædictam facultatem Oratorij priuati ad ſolum Pontificem ſpectare, idque etiam poſt Tridentinum, apud *Trullencium*, *Fagundez*, &c. quod intelligunt de conceſſione Altaris, & Oratorij ſtabilis: adeòque in caſu particulari poſſe Ordinarium concedere vt in Domibus priuatis Miſſa celebretur.

detur cum Paſtorum offenſione illud in praxim reducere, quibus proprium eſt illo præſertim tempore pecoris ſui vultum cognoſcere, neque in ordine ad ſatisfaciendum præcepto conſiſtit cum reſpondeo Cong. Cardinalium die 31. Ianuarij 1682.

Praxim diſponendi ægrum, aut moribundum ad Viaticum deuotè ſuſcipiendum vide infra in fine huius operis, Tom. III.

DECRETVM

Modernum anni 1679.

De Communione quotidiana, modo deferendi Sacram Euchareſtiam ad infirmos, & aliis ac venialium confeſſione ſimplici Sacerdoti non approbato, & Romæ datum 12. Februarii 1679.

CVm ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio peruenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere vſum Quotidianæ communionis, etiam in feria ſexta Paraſceue, & ſimul affirmari eandem Quotidianam communionem præceptam eſſe à iure diuino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleuiſſe, videlicet, quod aliqui, non in Eccleſia, ſed in priuatis Oratorijs, & Domi, & cubantes in lecto, & non laborantes vlla graui infirmitatis nota ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quàm argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes ſeculares aut regulares: alijque in communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolitio: ac tandem quis confiteatur peccata venialia Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo aut ordinario.

Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium, Concilij Tridentini interpretum, eadem Sac. Congregatio præuia matura diſcuſſione ſuper prædictis vnanimi ſententia ita cenſuit: Etſi frequens, quotidianuſue Sacroſanctæ Euchariſtiæ, vſus à Sanctis Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus, nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi aut ab ea abſtinēdi certos ſingulis menſibus aut ebdomadis Dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicauit. Cum, inquit, optaret quidem Sacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent: Idque non immeritò; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, varie ob negotia ſpiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei Dona paruulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certè de cuiuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui: Et propterea quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, confeſſariorum ſecreta cordis explorātium iudicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negotiatioribus, & coniugatis quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt; In coniugatis autem hoc amplius animaduertent, cum B. Apoſtolus nolit eos inuicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacent orationi, eos ſeriò admoneant, tanto magis ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam continentie vacandum puriorique mente ad cæleſtium epularum communionem eſſe conueniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana ſacræ communionis ſumptione vnica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſinguli permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet, illudquo omninò prouideat, vt nemo à ſacro conuiuio, ſeu frequenter ſeu quotidie acceſſerit repellatur, & nihilominus det operam, vt vnuſquiſque dignè pro deuotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuauitatem deguſtet.

Item, Moniales quotidie ſacram Communionem petentes admonendæ erunt, vt (ſiat) in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis ſi quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore ſpiritus ita incaluerint, vt dignæ frequentiori, aut quotidiana ſanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſunt, id illis à Superioribus permittatur.

Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum vti, & cum eis conſtitutum haberi, vt cum Fideles ad ſanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendat, eos qui ad frequentionem aut quotidianam ſalutiferi Cibi ſumptionem deuoto ſtudio excitantur, debere, ſiue Laici negotiatores ſint, ſiue coniungati, ſiue quicumque alij,

alij, ſuam agnoſcere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti ac Diuini iudicij formidine diſcant celeſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, reuereri; & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad maiorem prędparationem accingere.

Epiſcopi autem in quorum Diœceſibus viget huiuſmodi deuotio erga Sanctiſſimum Sacramentum pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ,& iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum vt omnis irreuerentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptio tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur. Quod abunde continget, ſi ij qui deuoto huiuſmodi ſtudio diuina pręſtant gratia tenentur, ſeque ſacratiſſimo pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeq; probare cum timore, & charitate aſſueuerint: quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit; atque in celeſti regno ſe præmium eſt daturus, precatur ſacra Congregatio, vt ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur.

Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarij redaguant eſſerentes communionem quotidianam eſſe de iure diuino, doceant in Eccleſijs ſeu Oratoris priuatis, ex diſpenſatione, ſeu priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanct. Euchariſt. nec eam vllo modo deferendam in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes Domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos ſi ab Eccleſia deſeratur, publice, & cum pompa iuxta formam ritualis Romani, ſi verò ab Oratorio priuilegiato cum forma decenti. Curent etiam vt circa communionem in Feria Sexta Paraſceuę, Miſſalis rubricę & Eccleſię Romanę vſus ſeruentur; inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtię formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſeu conſuetas.

Non permittant vt Venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdotis non approbato ab Epiſcopo aut ordinario. Si Parochi, & Confeſſarij etiam regulares, aut quicumq; alij Sacerdotes ſecus egerint, ſciant, Deo optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & ordinariorum iuſtam ac rigoroſam animaduerſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Ieſu, facultate ipſis Epiſcopis, & ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua approbauit ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

F. Card. Columna Præſa,

Su. Archiepiſc. Brancacini
Epiſc. Viterbienſis Secret.

Die 15. Menſis Februarij 1679. ſuprà dictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Vrbem, ad valuas curiæ, & in acie campi Floræ, vt moris eſt, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Curſorem. Pro D. Magiſtrum curſorum Gregorius Staggius Apoſt. Curſor.

§. V.

De Sacrificio Miſſæ.

CHriſtum in vltima Cęna non tantùm Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſſe, ſed etiam Sacrificium Miſſæ ordinaſſe per Sacerdotes in Eccleſia perpetuò offerendum probatum eſt ſuprà in Controu. Tom. I. Tract. II. Cap. 5. Hic reſolutiones ad praxim ſpectantes breuiter trademus.

I. Tenetur quiuis Sacerdos legitimè non impeditus ſaltem bis terue in Feſtis ſolemnioribus per annum celebrare, vt docet *Suarez cum communi*, contra *Lugo*, *Tamb. Dianam*. Imò vbi receptum eſt Tridentinum, inquit *Euſen*, grauiter obligantur mandante Epiſcopo celebrare ſingulis Dominicis, & Feſtis.

Non poſſe tamen Epiſcopos Laicis præcipere, vt diebus Dominicis aut Feſtis Sacrum, aut Concionem in ſua Parochia audiant, vbi poſſunt id alibi æque præſtare, docet ex declaratione Clementis VIII. anno 1592. die 1. Decembris, *Diana*. Part. 10. Tract. 12. Reſol. 25. de quo ſuſius ſupra Tomo. 2. Tract. 1. q. 23.

II. Sacerdos, qui habet Facultatem bis de die celebrandi, v. gr. ob duplicem Parochiam, poterit hoc facere diebus feriatis, ſi valdè frequens ſit populus, vt in concurſu peregrinantium *Suarez*, *&* 8. *alij*. In prima tamen Miſſa non poteſt ſumere ablutionem, vt maneant ieiunus. Poteſt autem magna neceſſitas permittere vt etiam ſæpius à ieiuno celebretur. *Suarez Diana*, *Part.* 10. *Tract.* 16. *Reſol.* 13.

Diſplicere dicta eſt hæc doctrina cuidam Præ-

Prælato, quem ego plurimum veneror. Et in illius gratiam adduco inſuper pro hac reſolutione Thomam Hurtadum in Reſolut. Moral. Tract. 2. Cap. 7. num. 430. Quia, inquit, in Cap. *Conſuluiſti*, & Cap. *ſufficit*, Pontifices Alexander, & Innocentius III. concedunt Priuilegium & declarant, *ex iuſta cauſa*, *& ſuadente neceſſitate* Sacerdotem poſſe celebrare pluſquam ſemel de die: ergo, inquit, cum hoc priuilegium non concedatur cum limitatione, aut vni Sacerdoti in particulari, ſed in communi, manet in ſuo vigore quando cauſa eſt legitima, & vrget neceſſitas, vt ſi ob anguſtias loci die ſolemni magna populi multitudo non poſſit niſi ad vnum anguſtum locum ſucceſſiuè conuenire. Et huic ſententiæ nouiſſimè ſubſcribit etiam *Leander* de Sacramentis Part. 2. Tract. 8. de Sacrif. Miſſæ Diſp. 6. Quæſt. 41. quam iudicat eſſe longè probabiliorem, & pro ea inſuper citat Card. *Lugo* P. Hurtado, Petrum de Ledeſma, Marcum de los Huertos, Naldum, & Philiarchum. Quia, inquit, in iure non determinatur pluralitas Miſſarum: nec in textu citato eſt ſermo de duplici aut triplici, aut multiplici Miſſa celebranda, vt aduertit idem Cardinalis Lugo n 41. Ita ille. Cui ego addo, hæc locum habere, vbi non obſtat Superioris prohibitio, aut conſuetudo contraria, de qua ſpectat ad Prælatum in ſua diœceſi iudicare.

III. Sacerdos ob infirmam valetudinem non poteſt celebrare operto capite etiam extra Canonem ſine licentia Pontificis. Id enim expreſsè ſtauit Vrbanus XIII. & pridem declarauit S. Congreg. Rituum 13. Iulij 1.29. *apud Gauantum* Vbi verò ad Pontificem non datur recurſus diſpenſare poteſt Epiſcopus, aut prælatus pro ſuis Regularibus, *Henriq. aliique*. Et in Polonia eam licentiam pro tempore hyemali conſuetudo obtinuit. Qui autem id faceret abſque diſpenſatione in graui neceſſitate celebrandi, ſecluſo ſcandalo & contemptu, non peccare docet *Ledeſma*, *Diana &c.*

IV. In caſu neceſſitatis licitum eſt celebrare cum ſtola, manipulo, aut cingulo non benedictis, aut etiam ſine aloquo ex ijs. *Suarez*, *& 4. alii* Imò etſi aliquis citra neceſſitatem ſine aliquo horum celebraret, non peccare mortaliter, ob leuitatem materiæ, tradit *Suarez*, *Henriq. cum 6. aliis.*

V. In graui neceſſitate ſine Miniſtro licet celebrare, v. gr. ad dandum viaticum infirmo. *Leſſius*, *& 7.* vel ne populus aut ipſe Sacerdos Miſſa careat die feſto, *Præpoſit &c.* Non licet tamen in caſu fœminam ad miniſtrandum admittere; niſi fortè, vt ex loco remoto reſpondeat, ſed non vt accedat ad altare vrceolos miniſtrando, qui poſſunt in cornu altaris collocari. *Lugo*, *& 3. alij*.

VI. Non eſt mortale, ſi in Miſſa defunctorum ommittuntur ſequentia, *Dies iræ*, *&c. Bordonus*, *& alij*. Imò in Anniuerſario, & Miſſis quotidianis defunctorum legitur id tantùm pro arbitrio Sacerdotis.

Sacerdos Regularis, ſi in Canone pro nomine Epiſcopi ponat nomen ſui Generalis, peccat mortaliter, quia Miſſale eſt ad vnquem obſeruandum, ex *Declar.* Cardinalium.

VII. Sacerdos non poteſt hoſtiam à ſe conſecratam deponere in ſacrarium, & ſumere aliquam ex hoſtijs antea conſecratis: quia ad integritatem Sacrificij ſpectat ſumptio hoſtiæ tunc conſecratæ; *Lugo & 5.* Poſſet tamen ea iuſta cauſa celebrare cum hoſtia minori, qualis ſolet dari Laicis, quando non poſſet haberi maior, *Marchant. Diana.*

Quæris hic P. BOSCO Theol. inſignis *Diſp. 4. Sect. 12. concl. 9.* An Sacerdos Laico communicare volenti poſſit ex cauſa præbere partem hoſtiæ qua ipſe celebrat?

Et rectè reſpondet affirmatiue, quia id non obeſt integritati Sacrificij, nec peculiarem inuoluit indecentiam: docetque ſufficientem cauſam eſſe magnam petentis deuotionem, aut moram expectationis donec in Sacro ſequenti minor hoſtia conſecretur, ſi prudenti iudicio mora cenſeatur incommoda, idemque ſoluit *Dicaſtilio D. 11. num. 117*

Quæres porrò: An Sacerdos poſſit ex ſuo calice communem ablutionem dari Laico communicanti?

Reſpondeo, etſi id per ſe non ſit illicitum occurrente ratione peculiari, v.g. perſonæ valde honoratæ, non licet tamen illum morem frequenter vſurpare: quia induceret in populo rudiori ſuſpicionem Communionis Laico datæ ſub vtraquè ſpecie, quam Eccleſiæ conſuetudo non permittit.

VIII. Altare pro Sacrificio inſterni debet Mappa triplici. Non requiri vt mappæ ſint benedictæ docet *Suarez cum pluribus*.

Si quis mappam vna adhiberet preter corporale, non eſſet mortale: ſicut eſſet, ſi nullam poneret. In neceſſitate autem celebrandi, v. g. die Feſto, &c. nullum erit peccatum, ſi vna ſit cum corporali *Leandr. & 3.* Sicut etiam poſſe tunc adhiberi mappam non benedictam, v. g. ſudarium, ſi mundum eſt, & poſtea rurſus applicari ad vſus conſuetos docet *Fagundez*, *& 11. alij*.

IX: Si

IX. Sine Lumine ſacrificare numquam licet adeò vt ſi extingueretur ante Conſecrationem, nec aliud haberi poſſet, pergere Sacerdoti non liceret etiamſi alias moribundus ſine viatico eſſet moriturus, *Fagund Lugo &c.*

X. Vt Viaticum moribundo detur, licet etiam à media nocte Sacrum facere, *Lugo, & alij* 7. vel etiam hora tertia poſt meridiem, *Hurt. & Leander*. Neque ad hæc opus eſſe licentia Epiſcopi, *Præpoſit aliique*. Imò hæc Regularibus permittuntur per Priuilegium Eugenij IV. ſaltem ex iuſta cauſa, v.gr. itineris faciendi, *Dicaſtilio, & alii* apud Tambur. & Lugo hic *Sect.* 1. *num.* 41. De lege autem communi licitum eſt cuius Sacerdoti inchoare Sacrum duabus horis ante ortum Solis; & media hora poſt meridiem, *Layman* fuſius. Aut etiam integra hora, ſi v. gr. concurſus populi, Principis viri expectatio, aut neceſſarium iter Sacerdotis id requirat.

Ad quem autem Miſſionarius, aut Parochus, qui Priuilegium non habet, poſſit recurrere pro diſpenſatione quoad horam, locum, aut facultatem celebrandi ſæpius de die, aut coram excommunicatis, aut deferendi Euchariſtiam ſine lumine, videre eſt ſupra in Tom. II Cap. V. §. 1. de facultat. Miſſionum.

Quæres primò. An Sacerdos teneatur ſumere Calicem conſecratum ſi in eum incidat araneus, aut aliud venenatum; & quid eo caſu agere debeat?

Reſpondeo, ſumendum non eſſe: ſed ſpeciebus in alio loco decenter repoſitis, aliud vinum cum aqua Calici infundendum, quod ſtatim conſecrari, & in eodem Sacrificio ſumi debet. Species autem vini infectæ ſeruari poſſunt donec exhalentur; aut corrumpantur, & reſiduum in piſcinam mittatur. Vel certè, quod commodius eſt, efficiatur vt intincto panno lineo imbibantur, quo ſiccato, & poſteà combuſto cineres piſcinæ committantur, ita *Leſſius de Sacr. Quæſt.* 83. *Art.* 2. *Num.* 70.

Quæres ſecundò, An licitum ſit Sacerdoti, ſi ſciat hæreticorum adeſſe, Miſſæ Sacrificium inchoare, aut inchoatum perficere?

Reſpondeo affirmatiuè, ſecluſo ſcandalo alioue abuſu, vti contra *Pontium* docet *Card. Lugo*, qui refert ſe vidiſſe ita fieri pluribus Cardinalium aſſiſtentibus, & ſcientibus ſimul hæreticos intereſſe.

§. VI.

De ſtipendio pro celebratione Miſſæ.

I. ADuerte, licitum non eſſe ſtipendium vllum accipere pro ipſo Miſſę Sacrificio: quia cum ſit res ſacra peccatum Simoniæ committeret, qui pro eo pretium admitteret Sacerdos igitur ſolùm intendere debet ſuam in celebrando operam, ac præuium ſtudium pro pretio concedere, iuſtum enim eſt eum, qui ſeruit altari, de altari, viuere.

II. Si is, qui Miſſam procurat, non præbet iuſtum ſtipendium ab Epiſcopo, vel conſuetudine taxatum, non ideò poſt Sacerdos accipere à diuerſis plura modica, quæ iuſto ſtipendio æquiualeant, & pro illis vnicam miſſam celebrare. Nam etſi *Suarez aliique* id aliquando docuerint, poſt decretum Congregationis Cardinalium nunc omninò prohibitum eſt.

III. De ijs qui iuſtum Miſſarum numerum procurant, ſed parte eleemoſynæ ſibi retenta, auctoritate Vrbani VIII. ſic ſtatuit eadem Congregatio §. 4. *Omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.*

Circa hoc Decretum propoſita eſt Congregationi dubitatio, ſi detur eleemoſyna ſolita maior, an ſatis non ſit dare ſaltem ſtipendium iuſtum, & conſuetum?

Reſpondet Congregatio claris terminis, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe, vti videre eſt *Bularij p.* 4 *fol.* 319.

IV. Qui tamen ab amico pro Miſſa ſtipendium ſolito maius accepit, idque intuitu ſolius amicitiæ, poteſt per alium dato illi tantùm iuſto ſtipendium ſatisfacere. Quia ſolam amici gratiam, nihil de ſtipendio ſibi reſeruat.

V. Sed quid Sacerdos iure ſuo ad maius ſtipendium vltrò cedat.

Reſpondeo, id non poſſe rectè præſumi, plerumque enim id facit ex metu, ne ſibi Sacra alio tempore ſubtrahantur, non autem ex liberali, & expreſſa donatione, vt hic *C. Lugo* rectè aduertit.

VI. Probabile eſt, Sacerdotem, qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare, v. gr. pro populi commoditate abſque obligatione applicandi Sacrificium, poſſe pro illius applicatione aliud ſtipen-

ſtipendium accipere. Huic enim reſolutioni non obſtare Congregationem Cardinalium apud Gauantum, & alio docet *Card. Lugo, & alij 8. hic apud Dianam.*

VII. Sacerdos, qui pro hodierna Miſſa nullum accipit ſtipendium, non poteſt illam applicare pro eo, qui daturus eſt illi proximum ſtipendium, quamuis id affirmet *Henriq. cum alijs 6.* Sed contra communem Eccleſiæ conſuetudinem, & decretum Cardinalium ex mandato Clementis VIII. Miſſas tamen hebdomadarias alicuius Capellæ poteſt Sacerdos ex cauſa anticipare.

VIII. Sacerdos, qui abſolutè omittit Sacra, pro quibus accepit ſtipendium, quod conſtituit materiam grauem in genere iuſtitiæ, tenetur ſub mortali ſtipendium reſtituere, niſi Sacra per alium velit procurare. Quia ex contractu, ſaltem implicito, illud officium pro iſtiuſmodi beneficio debetur.

IX. Peccat etiam grauiter, qui differt ad tempus abſolutè longum celebrationem Miſſarum, pro quibus ſtipendium accepit. Non cenſetur dilatio abſolutè longa, ſi Sacerdos ſimul accipiat 50. vel. 60. Sacra per totidem dies à ſe ſolo legenda. Differre etiam ad tres menſes non eſſe aliquando tempus abſolutè longum ex mente Sacræ congregationis probabiliter eximat *Villalobus, & 3. alij apud Dianam Part. 2. Tract. 4. Reſ. 25.*

An, aut qualiter ſtipendium pro Miſſa aut alijs miniſterijs admiſſum repugnet voto paupertatis in Societate, diſcurrit accuratè *Moya* in Select. Quæſt. parte poſtrema *pag. 336.*

Quæres, An magis proſint, & plus valoris habeant Sacra quę dato ſtipendio celebrantur à Sacerdote piæ, ac probatæ vitæ, quàm ab alio qui eſt minus pius, probus aut deuotus?

Reſpondeo affirmatiuè ordinariè loquendo. Quia etſi ex opere operato valor Sacrificij ſit æqualis, ex opere tamen operantis, celebrantis probitas, pietas, & actualis deuotio, vti Deo eſt acceptior, & gratior, ita maiorem vim habet impetrandi pro alijs nouas gratias ac beneficia, & ſatisfaciendi pro reatu pœnę debitæ. Adde quod talis meritò præſumatur magis fidelis in numero Sacrorum integrè, & tempeſtiuè perſoluendo. Poterit vel inde Sacerdotibus magis diſſolutis ſtimulus accedere vt ſanctius viuant, ac deuotius celebrent, niſi velint alijs meritò poſtponi.

APPENDIX:

De Horis Canonicis, & alia de Miſſa.

§. I.

De Officio Canonico.

I. CLericus incipit obligari ad horas Canonicas à puncto temporis, quo Subdiaconatum ſuſcepit, non ante, & quidem ad Horas reſpondentes illi horæ, qua ordinatur, ex conſuetudine, & præcepto Eccleſiæ. Qui autem habet beneficium Eccleſiaſticum, obligatur etiam titulo iuſtitiæ, adeò vt ad reſtitutionem teneatur iuxta proportionem Officij prætermiſſi, & in Confeſſione explicare, ſe beneficium habere, ſi id Confeſſarius ignoret. Patet iſta obligatio ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & Bulla Pij V. *apud Dianam*

II. Ad horas non tenentur Nouitij, Conuerſi, Religioſi aliqui ad Chorum non deſtinati, vt ſunt Militares, Hoſpitalarij, &c. Moniales verò obligantur; has tamen, ſi officium tantùm ſemel iterumque omittant, mortalis peccati damnare non audet *Cai. Armilla, Medina, Leſſius in Poſthumis, Diana de Horis Can. Tract. 12. Reſol. 17.*

Idem etiam dicendum de Religioſis profeſſis qui nondum ſacris ſunt initiati, docent non pauci, & aliqui eos ad Horas ex præcepto non obligari, quos adducit *Moya* in parte poſtrema, ad tractatum de Religione *Diſpu. 1. Quæſt. 6.* Sed ipſe in hoc multò rigidior, contrariam ſententiam ſuſtinet, & multis argumentis fusè probat.

III. Habentes onus Horum peccant mortaliter, ſi notabilem earum partem ſine iuſta cauſa omittant. Non cenſetur pars notabilis aut graue peccatum, ſi quis omittat vnum Pſalmum, lectionem, aut aliam partem his æquiualentem, v. gr. tertiam partem paruæ horæ. Docet autem *Palao l. 1. p. 5.* partem notabilem eſſe in Matutino, quod eſt æquale vni paruæ horæ. *Sanchez* in ſumma *Tom. 1. Lib. 1. C. 18. Num. 8.* cenſet tres lectiones cum reſponſorijs, in feriali officio, eſſe materiam paruam, id eſt, non ſufficientem ad peccatum mortale.

IV. *Cauſæ Excuſantes* à recitatione Officij Canonici ſunt variæ, infra recenſendæ. Inter

has

has præcipua,& maximè frequens eſt, *Corporis ægritudo*, quæ talis ſit vt à recitatione Horarum impediat.

Quæſtio autem de hoc reſtat ſingularis, & pij perſonis ſummi momenti, Quanta, & qualis cenſeri debeat ægritudo illa quę ab horarum obligatione excuſet?

Theologis plurimis à me lectis de hac quæſtione tenerę conſciētiæ perſonis intricatiſſima, Neminem vt arbitror reperi qui rem totam accuratius paucis tradat, & probet quam *Ioannem Sanchez* in Moralibus communi paſſim iudicio ſolidiſſimum, cuius proinde ipſa verba hic refero, *in Conſilij Moralibus* Lib 7. Cap. 2 Dub. 45. *In hoc* (periculo incurrendi damni ex recitatione Breuiarij, & ſimiliter in auditione Miſſæ) *eſt tenenda media quædam via, ita vt, qui æger eſt, ſi ex recitatione Horarum* (aut ſacri auditione) *verò ſimiliter credat*, *ſtomachi aliquam cruditatem, vel capitis graucolentiam* (ſiue grauitatem) *vel virium laſſitudinem vel etiam credat, febrim tardius remittendam, excuſetur ab horis*. Ratio; inquit, eſt, quia huiuſmodi damna, quæ in corpore valido, & ſano, ſunt leuia, in ægroto ſunt grauia mala, & confirmatur, quia, cum omnia præcepta Charitati deſeruiant, quæ valde benigna circa infirmos eſt, non eſt veroſimile, quod Eccleſia, quæ eſt ſapientiſſima Mater, hominibus morbo affectis, velit addere moleſtiam orandi, etiamſi non multum lædantur. Item quod Cap. *Clericus* Diſt. 91. pro legitima cauſa non orandi habeatur, *inæqualitas Corporis*, quæ non ſonat morbum grauem, ſed potius leuem: Etiamſi autem huiuſmodi infirmi, dum febri, aut alio morbo laborant, bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros animi gratia legant, non inde ſequitur, teneri recitare horas: Ratio eſt, quia lectiones illæ, & ſermones ęrgo voluptatem afferunt, nec morbus ingraueſcit, ſed potius decreſcit; at recitatio eſt res ſeria,& natura ſua caput grauat, ac mœrorem, & moleſtiam infert. Ita pergit Sanchez loco citato.

In dubio de ægritudinis grauitate, aut incommodo, aut periculo relapſus ſufficienti, vt ab horis Canonicis excuſet, acquieſcendum iudicio vel ſuperioris, vel Confeſſarij, vel prudentis, & probi Medici, docet cum Nauarro, Armilla, Azorio, Suarez: *Layman lib. 4. Tract. 1. Cap. 6.* Et hoc iudicio habito, non opus eſſe diſpenſatione docet *Bonacina*, *Caſtropalaus* tractantes de *Horis Canonicis*.

Reſoluit porrò *Layman* ſupra num. 2 his verbis: Si certum ſit te ob ægritudinem integrum Canonicum Officium recitare non poſſe, dubites autem an vnam aliquam Horam poſſis, præſuma te omnino excuſatum. Quia Præcepta Eccleſiaſtica non tanto rigore obligant, vt etiam doctis & timoratis materiam anxietatis, & ſcrupulorum pariant.

Quod ſi Eccleſia non intendat, propter prædictas anxietates, & ſcrupulos *Dubios* de valetudine ad Officium ſufficienti, ſuo præcepto Officij recitandi comprhendere; ſatis inde colligitur, illos in tali ſtatu præcepto Horarum non comprehendi: Et in dubio an caſus ille præcepto comprehendatur, poſſeſſionem, & preſumptionem ſtare non pro præcepto in hoc incerto, ſed pro operantis libertate, iuxta Princ. 6. ſupra Pag. 10. quo in liberando infirmo in prædictis, multum iuuari poſſunt in reſoluendo Superiores, Confeſſarij, alijque viri verè timorati.

V. Excuſant etiam ab Horis alia impedimenta, damna, & occupationes quæ non ſint minoris momenti, aut obligationis quam Officij omiſſio, vt itercontinuum, & vrgens aſſiſtentia ægri, aut moribundi, &c. Item carentia Breuiarij, niſi tamen ſcias totum officium, vel aliquas horas integras de memoria recitare. Dixi, integras, quia etſi ſcias varios Officij Pſalmos probabile eſt ad hos recitandos non obligari. Quia Pſalmi, non ſunt horæ, aut officium Canonicum: *Eſcobar*, *Malderus*, *Io. Sancius*, *Garzias*, *&c. hic apud Dianam*.

VI. Inter Hæreticos iuſtum aliquando impedimentum eſt metus proditionis; Item, grauis aut repentina occupatio, vel opera Charitatis maioris momenti, quam horæ, quæ ſine ſcandalo, vel graui incommodo tuo, vel alterius omitti non poſſunt. Quomodo etſi Concionatores, vel Confeſſarij aliquando excuſari poſſint, idque ex benigna Eccleſiæ intentione, vt docet *Silueſter*, *& Layman*, teneri tamen illos anticipare, ſi poſſint, v. g. ſi mane præuideant ſe tota die Confeſſionibus occupandos, quæ differi non poſſint, hic in fine magis patebit.

VII. Denique excuſat Diſpenſatio, quam ſolus Pontifex poteſt concedere ſine cauſa, cum cauſa ſufficienti id poteſt pro ſuis Epiſcopus, & ſimilem habens in ſuos ſubditos poteſtatem: de cauſa dubia ſupra dictum.

VIII. Vnum Officium pro alio recitare, extra ſolemniora Feſta per annum, non eſt mor-

mortale, niſi illud quod ommittis valdè multum excedat, vel niſi communiter dicta mutatione vtaris. Quod ſi contingat in aliquibus Horis te eraſſe legendo v. g. de Feria, quando erat de Feſto, vel contra, non teneris lectas repetere, neque debes in eodem Officio pergere, ſed in Horis eo die currentibus procedendum eſt. Præſtat enim in parte, quam in toto officio errare. *Leſſius, Lugo, & alius.*

IX. De ſubſtantia præcepti eſt pronuntiatio quæ vocatur exterior: ad quam requirit *Suarez, & Reginaldus*, vt ſaltem quis ſeipſum audire poſſit, cùm ſolus legit: ſed probabile eſt pronuntiationem tam expreſſam non requiri, cum Eccleſia eam nuſpiam præcipiat, vti docet *Azor Bonacina, Diana, &c.*

X. Continuatio lectionis Horarum ita requiritur, vt interruptio vnius horæ notabili tempore ſine cauſa facta ſit veniale: cum iuſta cauſa nullum eſt peccatum: Singuli enim Pſalmi ſenſum habent perfectum, & completum, *Leſſius, Layman, &c.* Nocturnum vnum ab alio per duas oras ſeparare quauis ex cauſa licitum videtur, imò antiquitus diuidi ſolebant, *Bonacin. Eſcob. Fill. &c.* Matutinum à Laudibus integra Nocte diuidere, nullum omninò peccatum eſt *Eſcob. Fill. Sanch. Diana Part. 5. Tract. 14. Reſolut. 48.*

XI. Tempus à iure, aut conſuetudine præfixum non obtinuit, vt Martinum, & Laudes diei ſequentis veſperi hora quarta, aut etiam tertia licitè non recitentur: *Bonacina, & plures alij.* Et hyeme media hora ante ſolis occaſum dici poſſe citra priuilegium extra dubium eſſe doce *Fillincius, alijque.*

XII. Veniale eſt matutinum ſine vlla omninò cauſa ad veſperum differe, vel ante prandium veſperas, & Completorium abſoluere. Quia hæc eſt aliqua inordinata officij inuerſio. Quod ſi Miſſionarium iter, aut alios alia vrgeat occaſio, licitum erit mane omnes Horas abſoluere vſque ad Veſperas incluſiue.

XIII. Requiritur etiam *Deuotio*, ſiue attentio interna, ſaltem virtualis, & confuſa ſiue ad ſola verba, quam ſufficere docet *Caietanus* & conſentit *Leſſius*, modo adſit animus orandi & vacandi Deo. Nimis autem laxa videtur opinio *Nauarri, & Syluestri*, quibus ſufficit ſine vlla attentionem interna excludi omnem actionem aliam cum qua attentio nequeat conſiſtere, vt ſcriptionem, ſtudium, aut lectionem aliam.

XIV. Qui voluntariè diſtractus in magna Officii parte nullam omninò attentionem adhibuit, mortaliter peccauit, & tenetur ex ſententia communi Horas ſic lectas repetere, & fructus illi officio reſpondētes non facit ſuos. Ratio, quia qui tenetur ad Officium ex præcepto, ad orationem obligatur, lectio autem ſine omni attentione interna non eſt oratio. Ita *Nauar. Suar. Regin. Bonac. alijque communit.*

XV. Si quis ob euagationem mentis dubitet, an aliquid in Officio omiſerit, modo habeat probabilem coniecturam, ſe id recitaſſe, quia v.g. cœpit ab initio cum attentione legere, præſumere, poteſt, ſatisfeciſſe. *Layman. Sinsfeld. &c.*

Quæres, An *Beneficiarij* teneatur ſemper ratione Beneficij Horas Canonicas recitare.

Reſpondeo, aliquando non teneri: Primò non tenetur ante acceptam poſſeſſionem beneficij; vel quando ſine ſua culpa nullos fructus percipiunt; nec poſtea percipient. Quia tales non habent beneficium; nec poſtea percipient. Quia tales non habent beneficiū complete, & quoad omnes illius effectus. Ita cum alijs docet *Layman hic Lib. 4. Tract. 2. Cap. 5. Nu. 3.* Secundo probabile eſt idem dicendum de eo, qui habet quidem poſſeſſionem beneficij, ſed ex licentia aut diſpenſatione non reſidet, & interea fructus non percipit. Quia obligatio illa eſt propter ſuſtentationem, quæ hic non eſt coniuncta cum beneficio; ita docet hic *Sanch. Trull. Lib. 1. Cap. 7. alijque.*

Tenentur tamē probabilius illi qui primo, aut etiam ſecundo anno fruſtus nō percipiunt ex eo tantùm titulo quod fructus aſſignentur fabricæ aut prædeceſſori defuncto pro funere, &c. Quia illi per hoc ſatisfaciunt fabricæ pro reliqua vita qua fructus accipient: & poſt mortem fruentur eodem priuilegio pro expenſis funeris, quod prædeceſſoribus præſtiterunt, *Suarez, Reginaldus, Bonacina, Layman hic Cap. 5.* Negat tamen cum quibuſdam *Caietanus*, & *Leſſius*; quia tales poſſint vel mori, vel reſignare beneficium, & ſic prædicto priuilegio carere.

Quando in *Miſſionibus* periculoſum videtur Breuiarium circumferre, aut aliud impedimentum occurrit, a quibus peti poſſit diſpenſatio officium in Roſarium, aut alias preces commutandi, inueniens ſupra Part. II. in Facultate Miſſion. *Tract. II. Cap. V. §. 1. Num. 23.*

Quando autem aliquis habens ſimplex Beneficium pro omiſſione horarum tenetur ad reſtitutionem fructuum quos non fecit ſuos, datur praxis obtinendi condonationem, recurrendo ad Pœnitentiariam Apoſtolicam, iuxta normam quam tradit Mar-

cus

cus Leo in praxi Litter. Pœnit. *Pagin.* 552.

Quæres poſtremò: An, & quando teneatur *præuenire* Horas Canonicas, qui præuidet impedimentum ſuperuenturum?

Negant ad perueniendum teneri communiter Auctores plurimi, qui citantur apud *Dianam*, *& Moyam* in Select. Quæſt. Parte poſtrema *ad Tract.* 3. *de Pœnit. Diſp.* 1. *Quæſt.* 7. inter quos eſt Canus, Ledeſma, P. Henriquez dicens eſſe communem, Thomas Sanchez, Leſſius, Vericelli, Candidus, Turrecremata, &c. Sed accuratius hoc reſtringit *Moya*, qui cum diſtinctione ſic reſpondet: Si impedimentum ſuperuenturum ſit à morbo, neminem teneri Hora præuenire, quod declarat ex communi praxi etiam timoratorum & mente Eccleſiæ circa infirmo. Infirmitatem autem illam quę excuſat, determinat eſſe quæ impedit, quo minùs attentè fiat oratio; vti, & *Sanchez* quem citat in Conſil. *Lib.* 7. *Cap.* 2. *Dub.* 27. Additque tam quoad totum, tam quoad partem non eſſe cum infirmo vtendum tali rigore. Vnde, inquit, raro infirmi tenebuntur aliquid recitare. Si autem impedimentum ſuperuenturum ſit, non à morbo, ſed à natura, vel ex eo quod legitimo aliquo negotio erit aliquis impeditus tempore ad Horas illas deſignato tenetur illas anteuertere, ſeu poſtponere: Ita *Moya* loco citato.

§. II.

De Rubricis Miſſæ, & Officij, quoad Quæſtiones in his principales.

CONſtat ſatis Rubricarum illarum alias eſſe Præceptiuas, alias Directiuas. Illę quæ ſunt Præceptiuæ ex genere ſuo obligare poſſunt ad mortale, vbi non excuſat paruitas materiæ, inaduertentia, & alia quæ ſepius interueniunt.

His ſuppoſitis, Difficultas hic præcipua verſatur in tradenda Regula communi qua dignoſci poſſit, has Rubricas eſſe Præceptiuas, illas tantùm Directiuas.

Non videntur mihi ſatisfacere quæ de hoc, cum multa, & intricata diſtinctione, tradit *Gauantus*, & ſi qui ſequantur.

Regula magis expedita, & ſolida videtur illa: quam hic ſtatuit *Card. de Lugo*, *Marchinus*, *aliique*, ſcilicet hæc. Omnes Rubricę, vt tales, ſunt *Directiuæ*: & illæ tantum ſunt *Præceptiuæ*, quæ continent aliquid quod alias ex iure vel legitima conſuetudine grauiter mandatur, vel quod conſtat ipſas Rubricas expreſsè, & grauiter præcipere.

Ratio huius Regulæ eſt pro prima parte à quia Rubrica tantùm eſt quędam manductio circa ea quæ in Miſſa, & Officio dicenda, & facienda ſunt, rubro colore ſignari ſolita Pro ſecunda parte, quia ſi aliunde, vt à Conditare ipſarum Rubricarum, qui tandem ipſe Pontifex cenſetur, habeatur quod certa Rubrica quæ notatur ſit de præcepto, debet illa pro tali haberi.

Vnde *Præceptiuæ* ſunt quæ habentur, de ſeruando ieiunio ante Miſſam, de Sacrificio integrando, de Ara conſecranda, ac Veſtimentis, Vaſis, & Inſtrumentis ſacris, de Pane triticeo, de Vino ex Vite, de Pane azymo in Eccleſia Latina. Quia hæc, & his ſimilia, aliunde ab ipſa Eccleſia præcipiuntur.

Directiuæ autem haberi ſolent Rubricæ de orando ante, vel poſt Miſſam, de numero orationum, de Officio primę vel ſecundę claſſis, & alijs quæ quando à nullo iure præcipiuntur, non cenſentur grauem inducere obligationem.

Niſi tamen aliquis Rubricas Directiuas negligat cum ſcandalo, aut contemptu, qualis cenſeretur illa incuria qua aliquis perpetuò, vel vt plurimum negligeret eas obſeruare. Talis enim cenſeretur implicitè eas contemnere, vt docet *Gauantus in Rubricis Miſſæ Part.* II. *Tract.* II. *Num.* 13.

Quæres porrò, quæ Miſſæ, & quando fieri poſſint ex Deuotione, relicta Miſſa ordinaria?

Reſpondeo, Poſſe fieri Miſſas votiuas ex deuotione in Ferijs ſimplicibus, ſi non ſæpe, & abſque aliqua cauſa fiat mutatio. Quamuis enim in Rubrica de Miſſis votiuis *Num.* 3. dicatur, *Votiuas poſſe fieri prò arbitrio Sacerdotis quocumq. die quo Officium non eſt duplex*: eſtringitur tamen illud in Rubrica alia quę ponitur ante ipſas Miſſas votiuas de SS. Trinitate, & ſeq. vbi ſic dicitur: *Sequentes Miſſæ Votiuæ, licet pro Sacerdotis Deuotione quocumque die dici poſſint. per hebdomodam, quanto Feſtum non occurrit, hoc tamen paſſim, niſi rationabili de cauſa fieri non debet, ſed quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio conueniat*. Et in alia Rubrica ante Miſſas votiuas B. Virginis: *Quæ Miſſæ votiuæ dici poſſunt quocumque die, niſi fuerit Dominica vel Officium duplex*. In hanc Rubricam rectè notat *Gauantus P.* I. *Cap.* 4. Idem dicendum eſſe de alijs Votiuis, à paritate rationis, vt ſcilicet paſſim non dicantur in Dominica, vel Officio duplici. Quod etiam intelligitur de Miſſis votiuis pro Defunctis, cum illæ

etiam

etiam ad alias Votiuas reducantur.

Sed hæc intelligenda ſunt, *regulariter*, ſcilicet non occurrente cauſa graui, aut peculiari priuilegio: qualis cauſa eſſet neceſſitas publica, belli, pluuiæ, ſalus Principis periclitantis, aut ſimiles.

Contra prędictam Rubricam, Miſſam mutare ſaltem in Miſſis priuatis, peccatum eſſe mortale negat *Bonacina* alios citans, *de Sacramentis D. 4. q. vlt. Et Suarez de Sacramentis* Diſp. 83. Sect. 3 &c. De ordinationem eſſe ſaltem venialem plerique admitunt.

Cauſę etiam dictis diebus Sacrum legitimè immutandi poſſunt eſſe, Corpus inſepultum in Eccleſia præſens, etiam vt die Dominico, vel Feſto duplici legatur Sacrum *de Requiem*: ſed non in Dominica Reſurrectionis, vel ſimili multum ſolemni.

Miſſæ Anniuerſariæ pro Defunctis, ſi incidant in Feſtum duplex, quomodo debeant transferri, tradit *Gauantus in Rubric. Miſſar. P. 1. Tract. 5. Num. 2.*

Sed de his extat recentius Decretum generale Sacræ Congregationis Rituum die 5. Auguſti 1662. In quo diſtrictè præcipit omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti, etiam neceſſario exprimendi, vt impoſterum omnino dictam Rubricam ſeruent, ita vt Miſſas priuatas pro Defunctis ſeu *de Requiem* in Duplicibus nullatenus celebrare audeant vel pręſumant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ huiusmodi celebrandæ incidant in Feſtum Duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimẽto ſit, ſed dicãtur de Feſto currenti cum applicatione Sacrificij iuxta mentem eorumdem Benefactorum.... In eos autem qui contra facere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarij tum ſæculares tum regulares, pro modo culpæ animaduertant.

Et facta de prędictis Sanctiſſimo Relatione ſanctitas ſua annuit, & cum applicatione Sacrificij ſatisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit. Eadem die 5. Auguſti 1662. Ita habent verba Decreti, quod extat impreſſum in Ordine ſiue Directorio Miſſæ Duaci anno 1683. & alibi.

Altera cauſa Miſſam immutandi poteſt eſſe, ſi quis careret Miſſali nouo in quo continetur Miſſa de Feſto duplici illius diei: tunc ſcilicet poſſe legi Votiuam, ne illo die Sacrum omittatur, tradit *Tamburinus Lib. 2. Cap. 6.*

Vbi in particulari caſu reſoluit, Prælatum Illuſtriſ. qui ob valetudinis infirmitatem non poterat diu pedibus conſiſtere, potuiſſe in Dominica Palmarum pro Miſſa diei, in qua eſt Paſſionis lectio prolixa, legere Miſſam votiuam de Paſſione Domini in ſuo Oratorio priuato.

Quæres ſecundo: An iuxta Rubricas Miſſalis, & S. Congregationis Decretum, poſſit de quouis Sancto Canonizato, etiam in Calendario non expreſſo, Miſſa Votiua priuatim aliquando celebrari?

Reſpondent plures hoc non repugnare Rubricis Miſſalis; Cum illis §. 4. num. 3. concedatur, vt *Miſſæ priuatæ dici poſſint pro arbitrio Sacerdotis quocumque die Officium non eſt duplex.* Ergo Miſſa prædicta ſaltem aliquando permiſſa cenſetur. Hunc communem eſſe Theologorum ſenſum tradit *Caſtropalao de fide Diſput. 1. §. 5. punct. 3. Num. 3.*

§. III.

De Priuilegio Officium, & Miſſam recitandi, & celebrandi certis diebus de Ven. Sacramento, & B. Virginis Conceptione.

Qværitur primo, in quo fundetur praxis aut Priuilegium Regularium Mendicantium qui die Iouis non impedito legunt Officium, & celebrant Miſſam de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento?

Reſp. Fundari maxime in Conceſſione Pij V. Pontificis facta Fratribus Minoribus de Obſeruantia, per Bullam ſpecialem Romæ datam 8. Ianuarij, anno 1568. quam adſert Emanuel Rodriquez *Bullari; To 2.* quæ ſic habet. *Nos pium hoc veſtrum deſiderium in Domino collaudantes, ac huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & veſtrum cuilibet vbilibet exiſtentibus, vt qualibet Quinta Feria (quæ totius Quadrageſimæ, & Aduentus non fuerit, & in qua aliquod Feſtum, ſeu Octaua non inciderit) omiſſo occurrenti Officio, illud de Corpore Chriſti, iuxta illud quod in præſenti Breuiario Romano in eius ſolemnitatis die recitandum proponitur, recitare libere, & licite valeatis: Ita tamen quod illud ſic recitando, debito ad quod adſtricti eſtis, in omnibus, & per omnia perinde ſatisfacere cenſeamus, ac ſi Officium pro tempore occurens, & vobis à Romana Eccleſia propoſitum recitaretis.* Quo Priuilegio graudent alij communicationem Priuilegiorum habentes.

Conſtat ex verbis prædicti Priuilegij, excipi, Quintas Ferias Quadrageſimæ, de Aduentus: Non autem excipi Quintas Ferias in quas inci-

incidering Vigilię Sanctorum, aut Solemnitatum, cum has Priuilegium non excipiat. Cenſentur autem excipi Feſta Semiduplicia, non verò ſimplicia, vti habet interpretatio, & conſuetudo communis apud *Emanuelem Rodriquez* ſupra & *de Quæſt. Regul. Tom. 1. q. 42. num. 16.* Et idem diſertè exprimitur in Priuilegio ſimili de Officio nominis Ieſu conceſſo à Clem. VIII. Fratribus Eremitis S. Auguſtini, quod incipit, *Decet Romanum Pontificem.*

Quæritur ſecundò, In quo fundetur praxis, ſiue Priuilegium conceſſum Minoribus, & alijs qui cum ipſis in Priuilegij communicant, celebrandi Miſſam, & diuinum Officium recitandi de B. Virginis Conceptione in Sabathis nouem Lectionum Officio non impeditis?

Reſp. Pro hoc Priuilegio extare varia viuæ vocis oracula apud Auctores paſſim comprobata. Sed cum Vrbanus VIII. per Bullam editam Romæ anno 1631. reuocauerit Viuæ vocis oracula Religioſis conceſſa, etiam Sigillo munita, &c. ne quęſtio hęc ab illis variè diſputatis incerta dependeat.

Aſſignatur Bulla expreſſa, & eiusdem quidem Vrbani VIII. anno 1625. pro fundatione Monaſterij Monialium ab Apoſtolicæ Sedis Nuncio Iulio Epiſcopo Grauinenſi executioni mandanda, in qua inter alia hęc exprimuntur: *Quæ Moniales omnes inibi diuina Officia iuxta Rubricas Miſſalis, & Breuiarij Romani, nec non Officia Sanctorum dicti Ordinis, ex illius etiam Breuiario deſumenda, ſingulis Sabbatis diebus Officio duplici vel Semiduplici non impeditis, etiam Officium Conceptionis B. Mariæ (prout in ordine S. Franciſci fieri conſueuit) ſingulisque diebus in Completorio Antiphonam*, Conceptio tua, *cum eius oratione recitent, cantent, & celebrent.*

Vnde deducitur, Priuilegium hoc Ordini S. Franciſci conceſſum, hoc authentico Diplomate confirmari, & per hoc de nouo concedi. Et ex eo quod hoc huiuſmodi Monaſterij Monialibus in Bulla conceſsũ ſit, concedi etiã Religioſis Mendicantibus in talibus Priuilegijs communicantibus. Vti videri poteſt de communicatione Priuilegiorum in Bulla Sixti IV. Bonifacij VIII. Innocentij VIII. Alexandri IV. Iulij II. ac Leonis X. &c. Ac ſpecialiter inſpici poteſt Bulla Sixi IV. Iulij II. ac Leonis X. in quibus conceditur Fratribus Minoribus vt fruantur omnibus indultis, gratijs, immunitatibus, & alijs conceſſis tum Sororibus ſuis Ordinis, tum earum Domibus, Eccleſijs, & Monaſterijs. Videri inſuper poſſunt quę Pius V. Societati Ieſu conceſſit anno 1571. vbi incipit, *Dum indefeſſa*, pro communicatione omnium Priuilegiorum cum Mendicantibus. Quod tamen non intelligitur de Sanctis proprijs cuiuslibet Ordinis. Quæ fuſiùs tradit *Emanuel Rodrig. Tom. 2. Quæſt. 69. Art. 2.* & *Hieronymus Rodrig. Reſol. 65. num. 2.* & *Portel. Par. 3. caſ. 28. num. 3.* ac *Ant. de Quintanaduenas Tract. 8. Sing. 13.* &c. Vbi etiam varios adducit pro vſu prędicti Priuilegij etiam in Sabbathis Aduentus, & Quadrageſimæ, quod tamen ſatis liquere non exiſtimo.

Quæritur tertiò, An ſi Officium, aut Lectiones fuerint ab Apoſtolica Sede approbatæ pro aliqua Diœceſi, poſſint alij, alibi in illius Sancti Officio iſtis vti?

De hoc affirmatiuè reſpondet *Quintanaduenas* ſupra Tract. 8. Sing. 2. num. 6. Et licet, inquit, neque Ordinarij, neque quiuis in particulari poſſint recitare Officia à Sede Apoſtolica non approbata: approbatis nihilominus vel pro vniuerſali Eccleſia, vel pro aliqua Diœceſi, poſſint pro ſua ſinguli vti. Intellige iuxta normam Rubricarum. Et in hanc rem adducit officia, & Lectiones particulares aliquorum Martyrum à Gregorio XIII. approbatas pro Eccleſia Condubenſi, quibus, ait, vti potuiſſe Eccleſiam Hiſpalenſem, quæ Sanctos illos vt Naturales, ſiue in illa Diœceſi natos celebrat. Vbi, & Laymani *Lib. 4. Cap. 5.* & Emanuelis *Rodrig.* pro hac doctrina verba recitat.

Quæritur quartò, Quid requiratur ad ſtatuendum *Oratorium* pro celebratione Miſſæ in Domibus priuatis, etiam ſæcularium?

Reſpondeo requiri, ordinariè loquendo, facultatem, ſaltem tacitam, Ordinarij, cui etiam eam tribuere videtur Trident. *Seſſ. 22. Decreto de reform.* Poſſe etiam facultatem illam Oratorij ſemel conceſſam ad aliud Familiæ migrantis locum æquè decentem transferri, colligitur ex *Barboſa* in Declar. Trident. Seſſ. 22. Num. 5. 6.

Sed Paulus V. Bulla edita anno 1615. declarauit prædictam facultatem Oratorij priuati ad ſolum Pontificem ſpectare, idque etiam poſt Tridentinum, apud *Trullencium*, *Fagundez*, &c. quod intelligunt de conceſſione Altaris, & Oratorij ſtabilis: adeòque in caſu particulari poſſe Ordinarium concedere vt in Domibus priuatis Miſſa celebretur.

CAPVT V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DE hoc Sacramento pleraque tradidimus ſupra *Tract.* 2. *&* 3. vbi actum eſt de Abſolutione, & Confeſſione Sacramentali. Nunc de virtute Pœnitentię prout ſe habet tam extra, quam intra Sacramentum.

Dico primo: Pœnitentia eſt animi dolor, ac deteſtatio, de peccato commmiſſo, cum ſpe veniæ, & propoſito non peccandi de cætero: Colligitur ex *Tridentino Seſſ.* 14. Cap. 4. & contra Lutherum, & pleroſque huius temporis Sectarios, qui Pœnitentiam nolunt conſiſtere in dolore de peccatis præteritis, ſed in ſolo amore iuſtitiæ, ac vitæ nouæ, vſque adeo omne quod dolorem ſonat à ſe procul amouere nituntur: parum memores Niniuitas in cilicio, & cinere Pœnitentiam egiſſe *Matth.* 11. præter alia quæ in Scripturis memorantur aſperioris Pęnitentię exempla.

Pœnitentia ſiue deteſtatio peccati, alia eſt Charitate perfecta, quæ ſcilicet ex Dei amore procedit; & contritio vocatur, alia eſt imperfecta, ſiue Attritio, quæ concipitur ex inferiori motiuo, v. g. ex timore gehennæ, aut alterius Pœnæ propter peccatum à Deo infligendæ.

Dico ſecundo: Dolor ſine contritio de peccatis ex motiuo Amoris Dei ſuper omnia peccatorem iuſtificat etiam extra Sacramentum: Probatur primo ex Prouer. Cap. 8. V. 17. *Ego diligentes me diligo*. 2. ex Trident. *Seſſ.* 14. *Cap.* 4. vbi aſſerit, Contritionem aliquando Charitatem perfectam eſſe, hominemque Deo reconciliare. Vbi *aliquando* non ad reconciliationem, ſed ad Charitatis perfectionem refertur. Fauet denique praxis Fidelium, per quam peccator contritus omnia Sacramenta viuorum, præter Euchariſtiam, accipere poteſt. Et inter Baianas reprobata eſt propr. 32. *Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.*

Dico tertiò: Vt illa Contrictio extra Sacramentum iuſtificet, debet tendere in Deum propter ſe, ſiue vt eſt in ſe amabilis, non propter bonum noſtrum: & illum appretiare ſuper omnia mortalia non remiſſa.

Prima pars probatur, quia ad iuſtificationem extra Sacramentum requiritur perfecta conuerſio hominis à creaturis, & perfecta conuerſio ad Deum, ſic vt illum *ex toto corde* quæramus, vti paſſim loquitur Scriptura: Homo autem non habet perfectam conuerſionem à creaturis ad Deum niſi per affectum quo Deus propter ſe diligitur. Nam per actum Spei homo ſe ipſum amat, quia ſibi optat, & ſperat aliquod bonum aut beatitudinem: per actus aliarum virtutum amat tantum honeſtatem aliquam creatam illis virtutibus propriam, aut fugit inhoneſtatem, aut turpitudinem, aut pœnam peccati; Ergo per tales actus ſine beneuolo Dei amore extra Sacramentum non iuſtificatur.

Declaratur ſecunda pars, quod debeat Deum appretiare ſuper omnia, &c. Quia ſi cum illo amore conſiſtat affectus ad aliquod mortale, homo non eſt adhuc perfecte, ſiue ex toto corde, ad Deum conuerſus, cum autem alia mortalia quæ deteſtatur non poſſint ſine iſto peccato remitti, peccato ex vi amoris tam imperfecti ad Dei gratiam, & amicitiam non admittitur.

Vt autem illa Contritio cenſeatur ſe extendere ad omnia mortalia, neceſſe non eſt ſingula in ea diſtincte recogitari, ſed ſufficit cognoſci confuſe; & peccatorem ſic eſſe animo comparatum, vt ad deſtruendum peccata commiſſa nullum velit medium recuſare, etſi media ad hoc neceſſaria diſtincte non reuoluat.

Et quamuis in Aſſertione dixerim, hominem non iuſtificari per amorem quo diligimus Deum *propter noſtrum bonum*, ſiue quia nobis bonus, & beneficus eſt, ſi in eo ſolum motiuo ſiſtatur; multum nihilominus confert diuinorum in nos Beneficiorum conſideratio, vt per illa tanquam per gradus aſcendamus ad amorem perfectum bonitatis diuinæ in ſe, ex qua tanquam perenni fonte tanta in homines beneficia promanant.

Dico quarto: Ad iuſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ ſufficit Attritio efficax, & ſupernaturalis, qualis concipitur ex timore pœnæ ſiue gehennæ, à Deo iuſto Iudice infligendæ. Patet ex Tridentino Seſſ. 14. Cap. 4. vbi agens de Attritione ſic loquitur: *Et quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, impetrandam diſponit &c.* Hæc quidem doctrina multis nuper argumentis impetita eſt, ſed quibus hæc Attritio nihil attrita eſt, quin potius à frequenti argumentorum colliſione viſa eſt

cla-

clarius ſcintilare; accedente etiam Alexandri VII. Decreto grauiter inhibente hanc doctrinam vlla cenſura Theologica notari. Sed hanc Controuerſiam latius deduximus ſupra Part. 3. Tract. 1. Quæſt. 21.

Non ſufficit tamen Attritio exſtimata, niſi eam vere habeas. Quia verus, & formalis dolor eſt. Pars eſſentialis huius Sacramenti. Vnde peccat grauiter, qui etiam ſola peccata leuia ſine omni dolore formali confitetur. *Lugo*, *Diana Part. 3. Tract. 4. Reſolut.* 116.

Non eſt autem neceſſe, vt dolor ille ad omnia venialia, quorum Pœnitens eſt conſcius, ſeſe extendat; debet tamen ad omnia, quæ confitetur mortalia extendi, *Suarez*, *Layman*, *Lugo*, *&c.*

Non abſoluitur, qui dolet tantum propter infamiam, damna, aliaſue pœnas temporales in illis pręciſe ſiſtēdo, etſi contingeret id fieri ex inculpabili igrorantia. Quia non eſt dolor ſupernaturalis; nec ignorantia, aut bona fides poteſt hic ſupplere defectum eſſentialem. *Bonacina alijque communiter.*

Non habet ſufficientem dolorem, & propoſitum emendandi, qui non vult occaſiones proximas peccandi amouere, quando poteſt ſine damno grauiſſimo, & proportionato, vel recuſat alteri ex animo igoſcere, vel ſatisfacere ijs quibus ex iuſtitia obſtrictus eſt. Quia non poteſt eſſe verum propoſitum, cum quo ſtat adhuc voluntas peccandi, quæ cenſetur remanere dum libere omittit tollere cauſam ex qua videt peccatum ſecuturum.

Qui nihil cogitans de Confeſſione, attritionem elicuit; non referens eam ad Sacramentum, inualide ad illud ſine nouo dolore accedit: quia pars debet referri ad compartem, vt vnum Sacramentum conſtituant. *Suarez*, *Bonacina*. Contrarium videtur docere *C. Lugo*, *D.* 13. *Sect.* 4. quod non eſt improbabile. In praxi probabile eſt illum qui paulo ante confeſſus eſt cum dolore vniuerſali, v. gr. moribundum, ſi iterum confiteatur nouo dolore non indigere. *Lugo*, *Diana*, *p.* 9. *Tract.* 3. *Reſol.* 5.

Redire ſæpe cum eodem peccato etiam mortali, non eſt certum ſignum abeſſe verum dolorem, ſi in pœnitente aliunde appareat pręſens deteſtatio, & media à Confeſſario pręſcripta adhibere deſideret. Quia in re cauendum eſt, ne Pęnitens nimia ſeueritate auertatur, aut ex alia parte nimia lenitate in peccandi conſuetudine foueatur *Suarez in* 3. *p. D* 32. *Sect.* 2. *Sanchez*, *Lugo*, *&c.*

Quamuis igitur tali Pœnitenti pro remedio poſſit aliquando differri abſolutio, præſertim cum ipſius conſenſu, nullum tamen eſt præceptum aut obligatio ſic differendi, quando adeſt talis deteſtatio, & propoſitum emendationis. Quia nec Chriſtus, nec Eccleſia illam dilationem pręſcribit: nec apparet ratio cur pœnitens poſt frequentes lapſus non poſſit eſſe vere contritus, & rite diſpoſitus.

Nec audiendi ſunt primo, cum Montaltio *Epiſt.* 10. aliqui Recentiores, qui obijciunt auctoritatem S. Caroli Boromæi, S. Xauerij, & quorundam vt aiunt, Conciliorum.

Reſpondeo enim, illos non aſſerere dilationem illam eſſe præcepti, ſed aliquando eſſe rem conſilij: aut quando peccata ſunt enormia cum publico ſcandalo coniuncta, quod prius tolli debeat.

Obijciunt ſecundo, Prauos peccandi habitus tantum expelli per actus contrarios: Ergo anteaquam peccator abſoluatur, debet in contrarijs actibus exerceri.

Reſpondeo nullam eſſe conſequentiam, poſſunt enim habitus vitioſi conſiſtere cum ſincera deteſtatione actualis peccati, imo eſſe in homine Iuſto, & Sancto cum ſtatu gratiæ. Quod ſi ante abſolutionem deberent eſſe expulſi habitus vitioſi, ſepæ nec abſolui poſſet moribundus de peccatis maxime contritus: nec pœnitens qui ſepius confitetur ſola venialia, qui nondum præcedentium peccatorum habitus expellere potuit, quod quiuis abſonum iudicabit.

Obijciunt tertio, Priuſquam peccator abſoluatur debet Deum ſibi concilliare, & placare: Ergo debet emendationem abſolutioni præmittere.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Peccator debet prius Deum ſibi concilliare per actualem vitæ emendationem, nego, vt probat inſtantia quam iam adduxi de moribundo contrito: debet prius Deum ſibi conciliare per emendationem in voto, ſiue efficaci emendationis propoſito, concedo, hoc autem propoſitum omnes requirimus.

Obijciuut quartò, Nec maritus ignoſceret vxori ſæpius adulteranti, nec Princeps militi proditionem ſæpius molienti, etiam ſi ſerio dolerent. Ergo nec Deus peccatori ſæpius relabenti.

Reſpondeo negando conſequentiam, quæ quantum claudicet, patet ex eo, quod illi plerumque ne quidem prima vice adultere, aut proditori ignoſcerent quorum animum inſpicere non poſſunt: an idem de Deo, aut Chriſ-

Chriſto affirmabis? qui dixit Petro Matth. 18. *Non dico ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.*

Ex hactenus dictis patet, materiam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe Dolorem debitum de peccatis, Confeſſionem, & Satisfactionem, de his ſupra *Tract.* 3. actum eſt.

Forma autem Sacramenti Pœnitentię ſunt verba Abſolutionis: *Ego te abſoluo à peccatis tuis*: in quibus probabile eſt ad valorem ſufficere, *Abſoluo te*. Eſt tamen grauis obligatio addendi cætera verba, præſertim in articulo mortis, cum non ſatis conſtet ſine illis ſubſiſtere valorem Sacramenti.

Orationes prçuię, & ſubſequentes formam, vt, *Miſereatur, &c.* & *Paſſio Domini, &c.* quæ ſecundum Tridentinum laudabiliter adduntur, non ſunt neceſſitatis, & ex rationabili cauſa inmitti poſſunt, v. g. ſi breues ſint Confeſſiones, vel multi confitentes: tunc enim ſufficit dicere *Abſoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, &c.* vel ſi timeatur ne Pœnitens habeat cenſuram, dicendum eſt, *Abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis*.

Forma integrâ Clementis VIII. in Rituali Romano expreſſa vt ea omnes vtuntur, tradita eſt ſupra *Part.* 3. *Tract.* 3. *in fine*.

Nota etiam Motiua valde idonea ad concipiendum dolorem, & formam variam eliciendi actum Contritionis pro hoc Sacramento, reperiri infra de Praxi aſſiſtendi moribundis in fine huius Operis: Item Remedia, & documenta contra ſingulas ſpecies peccatorum, traduntur infra *Tract.* 6. *in fine*.

CAPVT VI.

De Extrema Vnctione.

DEfinitur, Sacramentum nouç Legis conſtans Vnctione Olei ſacri, & Sacerdotis deprecatione, ordinatum ad ſalutem moribundi, quoad animam, & corpus. Inſtitutum videtur vna cum pœnitentia à Chriſto poſt Reſurrectionem. Promulgatum eſt apertè Iacobis 5. vbi dicitur *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes illum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiauit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei.* Quibus verbis indicatur Miniſter, ſubiectum; materia, forma, & effectus, qui eſt etiam remiſſio peccatorum, hæc autem remiſſio non fit ſine infuſione gratiæ, quæ ſunt omnia ad verum nouæ Legis Sacramentum neceſſaria.

I. Hinc dicendum primo, materiam remotam huius Sacramenti eſſe Oleum benedictum, quod renouandum eſt quotannis in Cœna Domini, veteri exuſto: ſi tamen nouum haberi non poſſit, licet vti antiquo; & ſi hoc non ſufficiat, aliud conſecratum, vel in neceſſitate non conſecratum (in minore tamen qantitate quam vetus eſt) addi poteſt, Non eſſe tamen alienum à praxi Eccleſiæ, vt paulatim, & per vices (ſi ita requirat neceſſitas propter copiam infirmorum) longe maior quantitas addatur, quam ab Epiſcopo fuerit conſecrata. *Diana, Bonacina, Leſſius, & alij.*

II. Materia proxima eſt vnctio certarum partium corporis, ſaltem quinque ſenſuum, vel ſi mutilitati ſunt, vicinarum partium, facta à Sacerdote: non neceſſario id fit contactu immediato manus: nam peſte graſſante poteſt vti virga oblonga Oleo tincta, quam poſteà comburat, *Syluester, Chapeauill. Diana.*

III. Sunt, qui putent, vnam tantùm Vnctionem eſſe de eſſentia Sacramenti, adeòque in periculo peſtis, & ſimili neceſſitate ſufficere inungere vnum tantùm organum maximè obuium, vel potius caput, quod in eo ſenſus maximè vigeant, dicendo: Per iſtam ſanctam Vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, guſtum, odoratum, tactum, &c. Verum cum alij Doctores communiter repugnent, tutius erit (quod ſuadet *Layman, & Diana*) eo caſu vnum oculum, aurem manum, narem, & os velociter ſine crucis forma vngere, dicendo vnicam formam complectentem reliqua. Illud verò certiùs eſt, pedes, aut renes inungere non eſſe eſſentiale: imò quoad renes non eſt decens, præſertim in fœminis, & viris religioſis, ideòque in illis omitti ſolet. *Henriquez, Sà, Tol. Suarez, Bellarmin. hic Cap.* 10. *in fine.*

IV. Hoc Sacramentum tantum dandum eſt in mortis periculo ex morbo, vulnere, partu, vel ſenectute: quia hi ſoli ſunt infirmi. Iterari poteſt quotjes occurrit nouum periculum moraliter diuerſum vel in eodem, vel in alio morbo: neque expectare licet, donec vſu ſenſum careant, vel omninò ſint deſperati. In dubio verò de vita, dandum erit ſub conditione. *Layman, Syluester, in fine.*

V. Ordinariè, niſi obſtet cauſa rationabilis; præmittenda eſt Confeſſio, & Communio, ob Eccleſiæ conſuetudinem. *Bonacin. &c.* Licet per ſe loquendo Confeſſio non neceſſario præmittatur, cum vngendus diſponi

poſſit

poſſit per Contritionem; per accidens tamen prærequiri poteſt, v.g. ſi poſt viaticum peccaſſet mortaliter, & timeretur poſt Vnctionem non futurum tempus Confeſſioni: Sacramenta enim magis neceſſaria tali caſu pro ſecuritate prius ſuſcipi debent, *Fil. Barb. Diana p. 5. tract. 3. Reſol. 92.*

VI. Pueris rationis vſu præditis ſufficienter ad peccandum, etſi ſacram Euchariſtiam nondum receperint, male negatur Extrema Vnctio. Quia nonnumquam illorum ſalus ex robore inde ad extremam luctam acquirendo poſſit dependere, *Suarez, Angl. apud Layman L. 5. Tract. 8. cap. 4.* Si dubitetur an puer habeat vſum rationis, vngendum eſſe ſub conditione docet *Lugo, Sachez, Diana*.

VII. Paſtor ex officio tenetur ſub mortali dare petentibus Extremam Vnctionem, niſi obſtet cauſa rationabilis; etiam tẽpore peſtis ſi abſit periculum vitæ, cum enim non ſit Sacramentum abſolute neceſſarium, cum tali periculo non teneri docet *Tannerus, Diana, &c.* Quod ſi peſte infecti ſint confeſſi, poſſe ſine peccato omitti, abſoluti docent *Diana, Villalobos, Tanner, Suarez, & alij plurimi*.

VIII. Sacerdos alius, ſi abſente Parocho facile, & licite poſſit, tenetur ex Caritate miniſtrare tantum ſub veniali, niſi tamen ægrotus valde indigeret, vt ſi eſſet ſine omni Sacramento moriturus; Tunc enim quidam grauiorem obligationem agnoſcunt apud *Dianam, Layman, Lib. 5. Tract. 2. cap. 3.*

IX. Etſi perpetuo amentes non ſint capaces Extremę Vnctionis, delirantibus tamen adminiſtrari debet, ſi videantur eam petituri ſi cogitarent, aut doloris ſignum aliquod prębeant: *Layman, Sylueſter, Henriquez*. Quod maxime dicendum eſt de phrænet icis, quando aliud Sacramentum ſuſcipere nequeunt. *Barboſa, Diana, Part. 5. Tract. 3. Reſol. 84.*

X. Muti, ſurdi, & cœci, debent etiam inungi prope organa ſenſuum quibus carent. Quia licet per illos ſenſus exterius peccare non potuerint, delinquere tamen poterant per potentias internas illis reſpondentes, vel deſiderium actus ill iciti. *Præpoſitus, Poſſeu. Naldus, Diana, p. 5. Tract. 6. Reſol. 11.*

XI. Nolle hoc Sacramentum ſuſcipere, aut alteri procurare, ſecluſo contemptu, aut ſcandalo, aut ſalutis periculo, non eſt peccatum mortale, vt i docet *Suar. Layman, Tanner. &c.* Veniale tamen eſſe id ſponte negligere plerique admittunt.

CAPVT VII.

De Sacramento Ordinis.

§. I.

Materia, forma, & conditiones variæ ad ſacros Ordines requiſitæ.

ORdo eſt Sacramentum, quo confertur poteſtas ad functiones ſacras, præcipue ad Euchariſtiam rite adminiſtrandam. Verum eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ex Scriptura, Patribus, & Primitiua Eccleſia probatur ſupra in Controuerſijs fidei To. 1. Part. 1. Cap. vltimo.

I. Prima Tonſu ra non eſt Ordo, ſed tantum diſpoſitio ad Ordines ſuſcipiendos, per quam redditur homo capax Priuilegiorum Clericalium.

II. Septem autem numerantur Ordines, nempe, Ordo Acolyti, Lectoris, Exorciſtę, Oſtiarij, qui dicuntur Minores, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium, qui dicuntur Ordines maiores, ob annexam illis obligationem perpetuæ caſtitatis: probabile tamen eſt Ordinatum per grauem metum, minas, blanditias, & importunitatem Parentum illam obligationem non incurrere, niſi poſtea eam vltro ratam habuerit. *Sanchez, D. 29. Azor. Coninck, Filliuc. Bonacina.*

III. Huius Sacramenti materia remota eſt, certum inſtrumentum quod tradi ſolet Ordinandis: proxima eſt eiuſdem traditio, & acceptio. Probabilius eſt iſtius inſtrumenti contractum phyſicum, & immediatum requiri ad valorem, vt vna ſaltem manu tangatur: Ex pręcepto autem ad ſecuritatem requiritur vt vtraque manu attingantur ſingula, verbi gratia, Calix cum patena, & hoſtia impoſita: idque eo tempore quo forma ab Epiſcopo profertur; *Layman, Filiucius, Bonacina, Diana p. 8. Tract. 1. Reſolut. 40.* Additur huic alia forma cum impoſitione manuum Epiſcopi, qua confertur poteſtas peccata remittendi.

Quæris Card. Lugo, Reſpon. Moral. Lib. 1. Dub. 33. An Sacerdos qui non tetigit Calicem, & patenam dum forma proferebatur, ſed immediate poſt, debeat vel poſſit iterum ſub conditione ordinari? Et reſoluit, dictum Sacerdotem poſſe in prima Ordinatione acquieſcere: non peccaturum tamen ſi ad maiorem animi ſui quietẽ iterũ ſub cõditione ordine-

dinetur, quod etiam Epiſcopus licite poterit in eius gratiam præſtare. Quia quamuis probabile ſit iſto caſu nullum eſſe obligationem iterandi, probabile tamen videtur, ſaltem per principia extrinſeca, poſſe iterum ſub conditione ordinari, propter Auctores aliquos antiquiores qui primæ Ordinationis valorem negarunt.

IV. Epiſcopus extra ſuam Diœceſim poteſt ſubditis ſuis conferre primam Tonſuram: quia hæc non eſt Ordo. *Bonacina*, *Diana*, & 4. *alij*.

V. Quando dubium occurit, an Ordo ſit verè collatus, v. gr. quia materia fuit dubia, iterari poteſt, & debet ſub conditione. Quando verò ſunt rationes vtrimque probabiles pro nulliditate, & validitate, ait *Diana Part. 5. Tract. 3. Reſol.* 47. *ex Granad.* poſſe iterari ſub conditione, imò debere, ſi ſit Ordo Epiſcopalis, vel Sacerdotalis, v. gr. ſi Sacerdos vel Epiſcopus non tetigiſſet vaſa ſacra, aut illud inſtrumentum in cuius porrectione imprimitur character. Excipit tamen Sacerdotem, qui immediatè terigit patenam, ſed non hoſtiam. Rectè autem notat *Diana*, etiamſi quis timeat ne inualidè ordinatus ſit, aut non recordetur ſe tetigiſſe vaſa ſacra, aut non tetigiſſe imaginetur, non illicò iterandum eſſe Ordinem; cum ſola obliuio vel timor non ſufficiat ad prudens vel rationabile dubium.

VI. Qui in vna Diœceſi eſt natus, in altera habet Domicilium, in tertia Beneficium, à quouis trium iſtorum Epiſcoporum poteſt Ordines, vel Dimiſſorias accipere, vti docet *Præpoſitus*, *q.* 1. *d.* 14. *Layman. l.* 5 *Tract.* 9. *Cap.* 9. *Diana Part.* 8. *Tract.* 2. *Reſol.* 8. & 9. vbi cum *Auerſa*, & *alijs* 3. contra *Barboſam*, dicit, etſi ab vno eorum acceperit. Ordinem vnum, poſſe alterum ab alio accipere.

VII. Studioſi, qui in Vniuerſitate habitant (etiam vltera dicennium) animo redundi in Patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque adeo ab eius loci Epiſcopo ordinari non poſſunt.

VIII. Vt Ordinatio ſit præciſè *Valida*, ſufficere poteſt vt ſit Mas, qui ordinatur, & fuerit baptizatus, *S. Thom.* 3. *part. q.* 34. *Art.* 2. *alijque*.

Hinc, Puer baptizatus, cui fuiſſet Ordo collatus ante vſum rationis (quamuis illicitè) verè tamen & valide eſſet ordinatus. Nam vti Baptiſmus ita Ordo; & alia Sacramenta, quæ pro materia aut forma non habent actum ſuſcipientis, ſicut habet Pœnitentia, & Matrimonium validè conferuntur etſi abſit in ſuſcipiente vſus rationis, vti cum alijs tradit *Leſſius hic Cap.* 6. *Dub.* 2. Qui tamen ſic eſſet ordinatus, poſtquam perueniſſet ad vſum rationis non teneretur ad votum caſtitatis; quam ſi ſeruare nolit ſuſpendendus eſt ab Ordinum executione. In adulto vt valide ordinetur, &c. conſenſus aliquis requiritur, qualem expoſuimus ſupra de Sacrament. in Gen. Cap. 1. §. 2 Aſſert. 2. & 4.

IX. Vt autem Ordo *Licitè* & ſecundum Eccleſiæ iura ritè accipiatur, aut non incurratur cenſura, requiritur, in recipiente præter ſtatum gratiæ. 1. Vt non ſit Neopphytus vel infamis, vel hermaphroditus, vel irregularis, ſuſpenſus, excommunicatus 2. Animus clericandi, *Tridentin. Seſſ.* 23. *cap.* 4. ſine quo ſi primam Tonſuram vel Ordines minores accipiat, videtur peccare ſaltem venialites (niſi iuſta cauſa excuſet) quia fraus eſt leuis. Similiter venialis inconſtantia videtur, ſine iuſta cauſa ſtatum illum clericalem deſerere. 3. Vt ſit confirmatus, *Tridentin. Seſſ.* 23. *Cap.* 4. Et hoc obligat ſecundum *Bonacinam d.* 8. *p.* 5. *num.* 10. ſub mortali ſecundum *Sotum*, & *Conc.* ſub veniali. 4. Sibi aliene Epiſcopo Ordines ſuſcipiat requiruntur littere Dimiſſoriæ (etiam pro prima tonſura) Epiſcopi proprij, originis, ſiue beneficij, ſiue domicilij, *Diana*, *aliique Part.* 3. *Tract.* 4. *Reſol.* 194.

X. Requiritur etiam vt Ordo ritè conferatur, *Titulus* ſuſtentationis, aut patrimonij, vel beneficij, vel paupertatis in regularibus *Trident. Seſſ.* 21. *cap.* 2.

Ordo debitus temporis obſeruandus eſt in ſuſceptione vnius Ordinis poſt alium: hinc Diaconatum ſuſcipere ante Subdiaconatum mortale peccatum eſt: Suſceptio autem Epiſcopatus ante Sacerdotium inualida erit.

XI. Requiritur etiam *Tempus* certum, & *interſtitia*, ſine quibus Ordines illicitè conferuntur abſque diſpenſatione, aut priuilegio.

XII. Denique *Ætas*, in qua *ordinarie* Epiſcopus non poteſt diſpenſare; & ſic pro prima Tonſura, & Minoribus requiritur ſaltem ſeptennium completū: licet *Quintan. Tr.* 6. *Sing.* 21. contra *Sanch.* &c. putet ſufficere inchoatū. Pro Acolytho annus 12. completus, *Fillius. Tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 28. Pro ſubdiaconatu vigeſimus ſecundus. Pro Diaconatu 23. Pro Sacerdotio 25. omnes incepti. Pro Epiſcopatu 30. completus. *Vide Bonac. d.* 8. *q.* 1. *Fillinc. Tract.* 9. *cap.* 4. *Layman. liv.* 5. *Tract.* 9. *cap.* 6. & 7. *Diana Part.* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 192. Si au-

tem dubium ſit, an quis ætatem requiſitam habeat, v.gr. pro Sacerdotio, an annum 25. ingreſſus ſit, ordinari non poteſt, *Sanchez, Layman, Bardi. d. 6. cap. 11. p. 6. §. 2.* Peccat autem tam ordinans quam ordinatus, ſi definit qualitates, & conditiones ſupra requiſitæ.

Quæſtio ſingularis eſt primo, quæ tractatur fusè apud *Quintan. Tract. 6. Singul. 19. Pagin.* 252. An qui à ſuo Epiſcopo Ordinario accepit litteras Dimiſſorias vt à certo Epiſcopo nominatim expreſſo Sacros Ordines ſuſcipiat, poſſit licite illos ab alio Epiſcopo ſuſcipere? Pro parte negatiua adducit ille *Thomam Sanchez Tom. 1. Conſil. Lib. 7. Cap. 1. Salcedum, ac Rodriquez in Summ. cap.* 14 Affirmatiuam tamen ipſe cum alijs fuſe ſuſtinet, ſi non adfuerit ſpecialis cauſa cur ordinandus ad hunc potius Epiſcopum, quam ad alium deſtinetur, cum veras Dimiſſorias habuiſſe ſupponatur, & poſſit aliquando præſumi deſtinantis conſenſus: & hoc poſito, nec irregularitatem, nec inde ſuſpenſionem incurri: quod fuſius deducit idem loco ſupra citato.

Quæſtio ſingularis ſecundo: An aliquis ordinari poſſit Sacerdos, extrà Miſſionem, ſine alio titulo quam deputationis ad certam Miſſionem.

Reſpondeo id fieri poſſe ex deſignatione eorum, qui facultatem acceperunt illum Titulum quibusdam perſonis applicandi, qualem facultatem per Bullam Pontificiam plerumque habent pro ſuis Alumnis qui præſunt Seminarijs Miſſionum.

Quin & ab Epiſcopo Vicario miſſionis Hollandiæ ordinari poſſe aliquem ſibi nullo modo ſubditum, ſolo titulo deputationis ad eam Miſſionem, docet *Verinys Tract. 12. Art. 1.* Quia talis deputatio habet rationem Beneficij, non tantum ſimplicis, ſed etiam paſtoralis, cum Miſſionarij ſoleant habere facultates paſtorales.

Pro Miſſionibus quomodo, & cuius facultate conferri poſſint Ordines extra tempora, & non ſeruatis interſtitijs, & diſpenſari in ætatem iure communi requiſita, vide ſupra hoc Tomo in Miſſion Fac. 26. & 27.

§. II.

Singulorum Ordinum ſcientia, ritus, Officia, Priuilegia, &c.

VT ſciant *Neomiſtæ* quo modo debeant ſe ad ſacros Ordines præparare, & in ijs actu ſuſcipiendis ſe gerere, commodum erit ſi diligenter aduertant ſequentia.

I. Quoad *Scientiam*, conſtat ex Canonibus, illiteratos non poſſe promoueri ad Ordines etiam minores. Per *Illiteratos* autem intelligendos eſſe linguæ latinæ ignaros, declaratur ex Tridentino *Seſſ. 23. c. 11.* vbi ſtatuit, vt *Minores Ordines ijs, qui ſaltem latinam linguam intelligunt, conferantur.* Quo in genere grauis eſt ſententia Conc. Later. Can. 26 *Si* (Prælati) *ignaros, & rudes ordinare præſumpſerint, & Ordinatores, & Ordinatos graui decernimus ſubiacere vltioni.*

In illis tamen qui primos Ordines ſuſcipiunt minorem huius linguæ, & doctrinæ peritiam quam in progreſſu requiri colligitur ex ipſo Trid. eadem Seſſ. C. 11. *Atque ita de gradu in gradum aſcendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrinam magis creſcat.*

Sed *Quæſtio* eſt, quantam doctrinæ menſuram debeant Epiſcopi aut Examinatores exigere ab eis, qui ad maiores Ordines promouentur.

Reſpondetur, eam menſuram optimè determinari ab ipſo Trident. Seſſion. 23. Cap. 12. *Subdiaconi, & Diaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac litteris, & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi.* Vbi cum Concilium tantum requirat ſcientiam neceſſariam ad exercitium Ordinis, quem actu ſuſcipiunt, non decet examinatorem ad alia diuagari: nam ſi velint ordinandi per Confeſſiones aliaque miniſteria ſaluti animarum vlterius vacare, de ſcientia ad Pœnitentiæ tribunal requiſita aliud examen in ordine ad Approbationem inſtituitur, vti fuſius aduertit *Gaſpar. Hurtado de Ordin. Diſſ. 12. alijque.*

Quæſtio ſpecialis eſt, An Examinator committat *Simoniam* ſi approbet ad Ordines illiteratum, vel aliàs indignum, pecuniæ, aut munerum pretio accepto, vel accipiendo?

Reſponſio affirmatiua communis eſt, ſi ipſius examinis, & ſuffragij intuitu, non laboris, aut induſtriæ aut præuiæ inſtitutionis titulo horum aliquid, & maximè ex aliquo contractu, accipiatur. Quia tale examen & ſuffra-

gium etſi per ſe non ſit res ſacra, eſt tamen rei Sacræ, ſcilicet Sacris Ordinibus annexum Pro hac reſolutione plures iuris ac Theologię Doctores fuſius addicit *Anton. Quintan. Tract. 6. de Ordine, ſingularis 15.* Varios etiam alios ibidem Titulo examinans ex quibus poſſit Examinatori licita eſſe aliqua compenſatio.

II. Nulli licet ad ſuſcipiendos Ordines accedere, qui ſit filius naturalis vel illegitimus ſine præuia diſpenſatione, aliàs fieret irregularis, *Cap. 1. de Fil. Præsb.* Ad minores autem Ordines diſpenſat Epiſcopus, ad Maiores ſolus Pontifex lege ordinaria: cum intrante Religionem ius cuius commune ad omnes Ordines diſpenſat. De hac, & Irregularitatibus cæteris ſacros Ordines impedientibus fuſius in §. *ſequenti*.

III. Nullus admittitur ad ſacros Ordines, qui ſit notatus aliquo Crimine notorio depoſitione digno ante obtentam diſpenſationem. Peccata autem notoria depoſitione digna habentur in iure Adulterium, periurium, homicidium, falſum teſtimonium, quando ita ſunt publica, vt nulla poſſint tergiuerſatione celari.

IV. Peccat mortaliter, qui ad Ordines accedit cum conſcientia cuiuſcumque peccati mortalis. Moris proinde eſt vt præmiſſa Confeſſione Ordines ſuſcepturi de manu Epiſcopi ſacram Communionem deuotè accipiant. Vide alias conditiones §. ſuperiori expreſſas quoad ritus, & officia ſingulorum Ordinum.

V. Suſcipitur *Subdiaconatus* hoc modo. Primo amictus capiti ordinandi ab Epiſcopo imponitur, & manipulus in brachio, & dalmatica induitur. Poſtea datur illi ab Epiſcopo liber Epiſtolarum, dicendo: Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem eas legendi in Eccleſia Sancta Dei tam pro viuis, quam pro defunctis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Huic etiam ab Epiſcopo datur Calix vacuus, cum patenâ, & vrceolus cum aqua: & bacile cum manutergio ab Archidiacono dicente: Vide eius miniſterium vobis traditur, &c.

Officium Subdiaconi eſt, Calicem, & panem ad altare portare, vinum celebranti miniſtrare, Euangelium non è pulpito prædicare, ordinandos, & baptizandos offerre.

VI. Pro *Diaconatu*, poſtquam Epiſcopus dixit, Accipe Spiritum ſanctum ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius, in nomine Domini: & poſtquam dedit ſtolam ſuper humerum ſiniſtrum, porrigendo librum Euangeliorum ait, Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini, Amen. Item Epiſcopus ponit manum ſuper caput eius dicens, Emitte in eum quæſumus Domine Spiritum ſanctum, &c. & præbet ei ſtolam. Cum traditione Euangelij ſentit D. Thomas imprimi Characterem,

Officium Diaconi eſt, pauperum curram gerere, Epiſcopis, & Presbiteris miniſtrare, Euangelium prædicare, non tamen è loco ſuperiori; item ordinandos, & baptizandos offerre.

VII. Pro forma *Presbitheratus*: Poſtquam Epiſcopus reflexit ſtolam ab humero ſiniſtro in dexterum in modum crucis dicendo, Accipe iugum Domini, iugum enim ſuaue eſt, & onus eius leue. Et poſtquam dedit veſtem ſacerdotalem, & conſecrauit manus dicendo Conſecrare, & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam Vnctionem, & noſtram benedictionem, porrigendo Calicem cum vino, & aqua, & patenam cum hoſtia ſuperpoſita dicit, Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaque celebrandi tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini. Deinde imponendo ambas manus ſuper caput illius dicit, Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta ſunt: Imprimitur character in traditione Calicis, & patenæ.

Officium Sacerdotis eſt docere ſeu prædicare, ſoluere, & ligare, conſecrare, & Sacramenta adminiſtrare.

VIII. *Epiſcopus* conſecratur cum aſſiſtentia trium Epiſcoporum, vel etiam vnius Epiſcopi cum Pontificis diſpenſationem, aſſiſtentibus duobus Sacerdotibus. Et conſtat hanc diſpenſationẽ varijs fuiſſe conceſſam; ſic enim Gregorius XIII. conceſſit Patriarchæ Æthiopiæ, qui erat Societatis Ieſu, vt ſolus ſine alijs Epiſcopis illic Epiſcopos ordinaret, vt teſtatur Henriquez *Lib. 10. Summa cap. 24.* Et in Belgio ex conceſſione Innocentij X. anno 1647. Fabius Chiſius tunc Nuncius Apoſtolicus ordinauit Iacobum de la Torre in Archiepiſcopum Epheſinum aſſiſtentibus loco Epiſcoporum, duabus perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis.

Quæres, An valida eſſet talis ordinatio, ſi contingeret illicitè vel ignoranter fieri abſque Pontificis diſpenſatione? Validam fore probabile putat Scildere *de princip. Conſci nt. Tract. 2. Num. 118.* & Herinx *De Sacrament. Ordin. Diſput. 10. Num. 63.* cum D. Antonio, Syluestro, Auerſa, Turrecremata, & alijs qui

qui cenſent vnum Epiſcopum principaliter totam conſecrationem perficere, & alios eſſe quaſi coadiutores. Sed quia plurimi contrarium docent, & in hac materia pro valore Ordinis via tutior ſequenda eſt, Epiſcopus ſic ordinatus deberet ſub conditione rite reordinari, vt cenſent ipſe *Herinx*, *Scildere*, *& Auerſa*.

Porrò in *Rim* conſecrandi Epiſcopum, ille Epiſcopus qui Conſecrator eſt, poſt varios Ritus inungit Chriſmate ambas Electi manus ſimul iunctas primo in modum Crucis, & mox palmas integras; dicens, Vngantur manus iſtæ de Oleo Sanctificato, & Criſmate ſanctificationis, &c. Poſtea benedicit, & tradit in Baculum paſtoralem cum oratione, Accipe Baculum &c. Deinde Annulum benedictum inſerit digito annulari manus dexteræ; dicens, Accipe Annulum fidei ſcilicet ſignaculum, quatenus Sponſam Dei Sanctam videlicet Eccleſiam intemerata fide ornatus illibate cuſtodias, Amen. Poſtremo, tradito ei Euangelio clauſo recipit Conſecratum ad Oſculum pacis.

Munus peculiare Epiſcopi ſupra Sacerdotem eſt, quod poſſit Clæricos ordinare, Virgines benedicere, Eccleſias dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chriſma conficere, veſtes, & vaſa conſecrare, Chriſmate vngere, excomunicare, interdicere, & ſuſpenedere à Sacris. Has enim actiones requirit Ordo, & gubernatio Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; quibus dignitas Archiepiſcopi, & Primatis aliquas prærogatiuas ſuperaddit, vt eſt geſtatio Palij diebus quibuſdam ſolemnibus iu Miſſarum celebratione, quod plenitudinem poteſtatis ſignificat; prælatio Crucis in locis exemptis ſuæ Prouinciæ: cæteris Epiſcopis ſuæ Prouinciç præſidere: cognoſcere de eorum criminibus, & pænam imponere, licet non poſſit procedere ad eorum depoſitionem, hoc enim Papæ reſeruatur, vt in Cap. de Transl. Prœlat. &c.

IX. Status Clericalis habet etiam quædam *Priuilegia* in iure Canonico ſibi annexa, vt quod Clericus ſub pæna excomunicationis non poſſit percuti, aut in rebus ſuæ perſonæ adhærentibus violati. Habet etiam priuilegium forri, quod non poſſit capi, & incarcerari à Iudice ſæculari, nec poſſit iudicari aut puniri niſi à Iudice Eccleſiaſtico, niſi hic vltero poteſtati ciuili illum tradat puniendum. Clerici etiam gaudent immunitate à ſolutione gabelarum aut vectigalium. Quæ tamen non extenduntur ad conſtitutum in Minoribus tantum, niſi ſit in via ad Ordines maiores, poſt *Trident. Seſſ.* 23. *Cap.* 6. Quæ omnia, aliaque plura vbi viget poteſtas Eccleſiæ ſub graui cenſura obſeruanda ſunt. Aduertat tamen Clericus, per dimiſſionem habitus, & enormia flagitia poſſe amitti priuilegium Clericale, ex multorum ſententia.

X. Clericis etiam Canones interdicunt quædam *Officia*, *artes*, *& actiones*, quæ eorum ſtatum dedocent: exercere officium Medici, aut chirurgi vbi opus eſt inciſione vel aduſtione: 2. Officium Iudicis in cauſa ſanguinis, aut Aduocati, Patroni, Tabellionis in placitis ſæcularibus: 3. Portare arma niſi in itinere: 4. Tabernas frequentare: 5. Venationi clamoſæ vacare: 6. Exercere mercaturam aut negotiationem per ſe ipſam lucri cauſa. 7. Ludere aleis niſi recreationis cauſa, illis autem ludere pro magna quantitate ob lucrum, *Nauarrus* mortale exiſtimat. Ordines enim Sacri, vt hominem ſoli Deo conſecrant, ita vitam requirunt irreprehenſibilem, & à ſæculi moribus longiſſime ſegregatam.

§. III.

Enumerantur, & explicantur Irregularitates, quæ etiam Ordinationem impediunt.

IRregularitas eſt impedimentum Canonicum, ſuſceptionem Ordinum ſacrorum, & ſuſceptorum vſum impediens Alia oritur ex delicto, alia ex defectu. Ex illis aliquæ irregularitates impediunt ab omni Ordine ſuſcipiendo, & ſuſcepti exercitio ve r. grat. homicidium, aut bigamia: aliquæ non priuant omni ordinis miniſterio, ſed tantum ab aliquo, vel à ſolo aſcenſu ad ordinem Superiorem v. gr. Diaconus carens oculo ſiniſtro inhabilis eſt ad Sacerdotum, exercere tamen ea quæ ſpectant ad Ordinem Diaconi non prohibetur. Dixi, irregularitatem *impedire* aut inhabilitare ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, etiam primam tonſuram, & ad ſuſceptorum exertitium: non enim actus illos reddit inualidos, ſed illicitos, vt ſi abſoluat Sacerdos irregularis, illicitè id facit, & punitur, non tamen facit inualide, & ſic de alijs.

Vt incurratur Iregularitas ex Delicto, requiritur actus externus & mortalis, & conſummatus, quia pæna annexa eſt grauis vt docet communis. Non poteſt Confeſſarius

rius in vllis irregularitatibus diſpenſare; niſi ad hoc legitimum priuilegium habeat.

Irregularitas ex *Delicto*, prima eſt quæ incurritur propter Baptiſmum ſerio, & ſcienter iteratum, idque tam reſpectu rebaptizantis, quam rebaptizati: quamuis in rebaptizante tantum impediat ne Clericus ad altiorem ordinem poſſit aſcendere, nec incurritur ſi rebaptizatio tantum occlta fuerit, vti cum communi docet Bonacina, Toletus, Couar. Layman *Lib. 1. Tract. 5. p. 5. Cap. 2.*

Secunda oritur ex *violatione Cenſuræ*, vt ſi aliquis excommunicatus, vel ſuſpenſus actum aliquem Ordiuis ſolemniter exerceat, niſi ignorantia inuincibilis excuſet, incurrit irregularitatem, qua fit inhabilis ad iſtius ordinis exèrtitium.

Tertia incurritur, ob peccatum quo Clericus ſerio, & ſcienter ſolemniter *exercens actum alicuius Ordinis*, quem nondum habet.

Quarta contrahitur, ob delictum quo aliquis *ordines male ſuſcepit*, vt ſi ordinatus fuerit in excomunicatione, ſuſpenſione, vel ab Epiſcopo non habente iuriſdictionem, vel per ſaltum, vt ſi fiat Sacerdos non ſuſcepto Diaconatu &c. ſaltem ſi miniſter in ordine fit per ſaltum ſuſcepto: vel ſi ordinatus fuerit ante legitimam ętatem, vel ſine litteris dimiſſorialibus, vel non examinatus, vel furtiue ſcilicet ab Epiſcopo nec ſciente, nec approbante.

Quinta, Propter *crimina enormia*, ſi ſint *notoria*, & publica, qualia ſunt quæ à iure annexam habent infamiam, vt inceſtus, adulterium, raptus, & alia recenſita §. ſuperiori, Num. 3.

Sexta irregularitas incurritur ex iniuſta *membri mutilatione vel homicidio* etiam indirecte tantum voluntario: & comprhendit omnes qui ad alterutrum iniquè concurrunt ſiue in bello iniuſto, ſiue extra illud, etiam mandando, aut conſulendo. Intelligitur autem hic fieri mutilatio quando à corpore ſeparatur membrum aliquod principale, ſiue cui competit in corpore officinm aliquod per ſe diſtinctum, vt manus, pes auris, oculus &c. non autem digitus, dens labium, aut ſola auris cartilago, aut alia quæ tantùm ad corporis ornatum deſeruiunt. Nec incurrit qui alterum mutilat vel occidit ad neceſſariam & iuſtam ſui defenſionem. Quia irregularitas ex delicto non poteſt contrahi vbi culpa non interuenit. Hanc autem irregularitatem contrahit qui procurat in fæmina abortum fætus animati, quia verum homicidium committit. *C. maiores 32. q. 2.*

Irregularitas *ex Defectu*, incurri poteſt ſine vlla culpa, aut peccato: & ideò non eſt pœna, ſed aliqua inhabilitas ad ſuſceptionem, vel exercitium Ordinum, propter certos defectus ſiue animi, ſiue corporis, etiam naturales, & extrinſecos.

Prima huiuſmodi irregularitas oritur ex *Defectu Animæ*, qualem habent ſequentes. 1. Amentes, Phrenetici, Areptitij, & Epileptici: Si tamen hi antea ordinati ſunt, & per annum eo morbo non laborarunt, permittitur illis Ordinum exercitium; quia præſumuntur iam liberati: ſi autem laborent rarò ſine clamore, & notabili indecentia, permittuntut celebrare cum adiutore aſſiſtente qui ſacrificium ſuppleat ſi illi deficiant. 2. *C. 2. Illud 7. q. 1. Illiterati* Iregulares ſunt, qui ſcilicet carent doctrina ad talem ordinem requiſita. *Neophyti*, ſiue recenter conuerſi, donec ſint ſufficienter inſtructi ex Epiſcopi iudicio.

Secunda eſt, ex *defectu Corporis*, qui reddit ineptum ad Ordinis exertitium; vt ſi ſit cæcus; ſurdus, aut claudus, ſic vt nequeat ſine baculo ad altare accedere. 2. Si etiam careat pollice, indice, aut oculo ſiniſtro, aut vi eius viſiua, opus eſt diſpenſatione vt ordinetur: quamuis ſi oculo dextero poſſit ſine indecentia Canonem legere, id neget *Sayrus, Henriquez, Valentia*, &c. 3. Si adſit Deformitas corporis tanta, vt quis nequeat exercere ordinem ſine aliorum horrore, offenſione, aut ſcandalo, vt ſi careat naſo, vel auribus, vel ſit notabiliter gibboſus, leproſus, aut paraliticus, vel membræ aliqua habeat ſuperflua. In dubio an deformitas ſit ſufficiens, ad Epiſcopum pertinet iudicare: quamuis quoad Regulares cenſeat Diana *Part. 4. Tractat. 2. Reſp 75.* citans Suarem, & alios, id ſpectare ad eorum Prælatum: quamuis admittant Epiſcopum ex cauſa poſſe Prælati iudicium non admittere.

Tertia ex *defectu Natalium*; hinc irregulares ſunt omnes Illegitimi, eo quod ratione originis nimis viles reputentur in ordine ad functiones tam ſacras. Legitimari poſſunt teles iure communi, 1. Per matrimonium ſubſequens inter eorum parentes, ſi ſaltem tempore cōceptionis potuerint hi valide contrahere. 2. Per profeſſionem in ordine Religioſo; quamuis etiam in hoc vt ad dignitates promoueatur indigeant diſpenſatione. 3. Per diſpenſationem Pontificis. Princeps autem ſeculares tantùm poſſunt legitimare in ordi-

ordine ad officia ſæcularia, & hæreditates legitimè obtinendas.

Quarta ex *defectu Ætatis*: quænam ætas ad ſingulos ordines requiratur; vide ſupr à §. 1. in fine.

Quinta oritur *Bigamia*: quia bigamus carnem ſuam diuiſit in plures vxores, ideoque non repræſentat vnionem Chriſti cum Eccleſia. Non ſufficit autem matrimonium ratum cum pluribus, ſed debet eſſe verum, & conſummatum, vel certè præſumptum, quale cenſetur eſſe etſi ſecundum matrimonium fuiſſet inualidum. Hanc irregularitatem etiã incurrit, qui viduam non virginem ducit, & cognoſcit. Qui ducit vxorem prius ab alio corruptam, etiam per fornicationem, & eam cognoſcit: non tamen qui ducit à ſe prius corruptam. Quia etiam cognoſcit propriam vxorem, poſtquam ab alio per adulterium cognita fuit. Qui matrimonium contrahit, & conſummat etiam cum virgine poſt ſolemne votum caſtitatis; quia quamuis inualide contrahat, cenſetur tamen ex interpretatione iuris duo matrimonia contraxiſſe, vnum ſpirituale cum Chriſto, alterum carnale cum muliere. Ita iura, & DD. communiter.

Sexta eſt ex *Infamia*, ſiue iuris, ſiue facti, modò crimen publicum ſit: quamuis ſi ſit homicidium, vel cenſuræ violatio etiam occultum ſufficiat: imo cenſent nonnulli cum *Suarez*, & *Syluestro*, ſufficere crimen eſſe occultum, quando infamiam ipſo iure annexam habet: Infamia de qua hic poteſt etiam oriri ex delicto parentum, & inde ex vtilitate perſonæ, quam à ſacris tractandis arceri decuit.

Septima, ex *defectu Libertatis*. Hinc irregulares ſunt primò, omnes Serui proprie dicti, non ij qui nunc paſſim alijs deſeruiunt. 2. Coniugati hic cenſentur non liberi, niſi vxores conſentiant, & ipſæ caſtitatem voueant. 3. Curiales, vt ſunt iudices, aduocati, & ſimiles, non cenſentur liberi, dum talia officia ſæcularia actu habent, niſi fiat cum ſpeciali diſpenſatione Pontificis, quæ in cauſis criminalibus non conceditur: vel ex conſuetudine à Pontifice permiſſa. 4. Idem eſt de Militibus, Theſaurarijs, Depoſitarijs publicis, & qui Rempub. adminiſtrant. Item de Apparitoribus, & alijs qui crudelia officia exercuerunt, vel in cauſa ſanguinis adminiſtri fuerunt, quos iura ad ſacros ordines inhabiles declarant.

Octaua oritur ex *defectu Lenitatis*, etſi ſit inculpabilis, vt ex homicidio in bello iuſto, vel in iudicio, vel ex hominis mutilatione etiam iuſta. Quia Sacerdos, qui gerit perſonam Chriſti, debet ipſi in lenitate non eſſe difformis. Non fit tamen irregularis qui occidit vel mutilat in defenſione inculpata, quia iura loquuntur de bello iuſto, vel iudicio, Et in iudicio quidem iuſto irregularis fit Iudex ferens ſententiam, Notarius eam ſcribens, miniſtri exequentes, teſtes, & alij qui ad mortem vel mutilationem cooperantur actiue, efficaciter, & proxime, per actionem ex natura ſua ad ea ordinatam. Talis non cenſetur actio Confeſſarij, qui interrogatus de Reo, an mortem mereatur, reſponderet, Iudici non habendum reſpectum perſonarum, ſed circa illum ſuo munere fungi debere: quia hoc non poteſt præbere cauſam mortis niſi valde remotam Irregularis autem eſſet Confeſſarius, qui lictorem vrgeret ad mortem reo accelerandam: vel qui ipſum reum impelleret vt ſcalas aſcenderet, vel caput ſecuri præberet, ex ſententia communi: ac proinde hic cautela opus eſt. Quamuis non deſint Auctores qui cenſeant, neminem ex homicidio fieri irregularem, niſi ad illud concurrat tanquam publicus iuſtitiæ miniſter, vel ad cauſæ probationem vel ad executionem, vel tanquam priuatus iniuſte, & cum delicto: ita *Suarez*, Reginaldus Layman, alijque, contra *Vasquez*, Hurtadum, Turrianum, &c. quam ſententiam probabilem iudicat Diana *Part.* 3. *Tract.* 4. *Reſol.* 70. *& alibi*.

Diſpenſare in Irregularitatibus ſiue ad Ordines, ſiue ad alia, ad Pontificem præcipue pertinet: In quibusdam etiam diſpenſare poteſt Epiſcopos, præſertim in illis quæ proueniunt ex delicto occulto, præterquam ex homicidio voluntario, & alijs deductus ad forum contentioſum. Diſpenſare idem poteſt quando non datur recurſus ad ſacram Sedem, iuxta ſtatuta Eccleſiæ, & præſertim Tridentini *Seſſione* 24. *de Reform. Cap.* 6. cuius verba citaui ſuprà *Part. III. Tract.* 2. *§.* 4. *in fine*.

Prædictæ irregularitates quia multiplices ſunt, memoriæ cauſa valde commode ad ſequentes hos verſiculos reducuntur: Quid in iis ſingula verba denotent, ex priori ſingularum irregularitatum expoſitione colligitur: vbi *infirmus* denotat morbos corporis irregularitati obnoxios: *demens*, amentiam, phreneſim, & defectus animæ; *vitiatus*, vitium membrorum: *nouus*; neophytum ſiue recenter conuerſum: *ignarus*, illiteratum, *obſtrictus*, defectum libertatis in obſtrictis officio ſæculari; reliqua facile patent vt ſequuntur.

Infirmus , demens , Vitiatus , Fæmina , Seruus.
Infamis , Nouus , Ignarus , Baptiſmate peccans,
Ordinetue , Occidens , Mutilans , Ligamuſque , Nexuſque ,
Hæreſis , Obſtrictus , Pauper , Puer , Exulitatis.

CAPVT VIII.

De Matrimonio .

§. I.

De Sponſalibus .

I. Sponſalia ſunt, promiſſio deliberata, & mutua ſigno ſenſibili expreſſa, futuri Matrimonij, inter perſonas iure habiles , Hinc ad ſponſalia non ſufficit dicere, *Volete accipere in vxorem*, quia non eſt promiſſio, ſed propoſitum. Neque valida ſunt contracta ante ſeptennium, quia non preſumitur promiſſio illa deliberata eſſe. Quod ſi maior ſeptennio contrahat cum parte,quæ eſt infra ſeptennium, tenetur ille quidem, non iure ſponſalium, ſed promiſſionis .

II. Neque ſubſiſtunt ſponſalia inita per vim, dolum , errorem , vel ignorantiam circa ſubſtantiam,aut conditionem ſubſtantialem ſi ſit notabilis, vti de voto, & alijs contractibus dici ſolet.

III. Ad ſponſalia requiritur vtriuſque partis promiſſio, ſic vt non coaleſcant etiam ſi vna pars promittat , & altera acceptet, niſi hæc ſimul promittat,aut ſe obligare intendat. Quia requiritur promiſſio mutua , & reciproca , nam ſine hac promiſſione reciproca , contractus ſponſalium in iure dicitur claudicare.

IV. Si Pater , vel Mater pro filio aut filia , aut Curator pro eo , cuius curam habet *præſente* vel non contradicente (dummodò metus abſit)ſponſalia contrahat , valida erunt. Quia in hoc caſu ius accipit taciturnitatem pro expreſſione conſenſus . *Sanchez, Lib. I. d. 22. Diana , Part. 3. Tract. 4. Reſolut. 270.* Imò etiamſi contrahat pro *abſente* , ſi is reſciens id expreſſe vel tacitè ſigno aliquo ſufficienti ratificet. *Sanchez, Prouiſ. Diana , Part. 3. Tract. 4. Reſol. 271.*

V. Quando verba vel ſigna ſunt dubia , in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni contrahentium , ſi de illa conſtet : in externo autem communi intelligentiæ , & ſenſui verborum ; ita tamen , vt potius inclinetur in fauorem Matrimonij. *Diana Part. 3. Tract. 4. Reſolut. 205. Bonacina quæſt. I. part. I. alijque .*

VI. Etſi vtraque pars dicat , *non ducam aliam quàm te*, non fiunt ſponſalia . Quia illa verba ſunt vera etiamſi pars maneret in cęlibatu .

VII. Denique per munera reciprocè miſſa non cenſentur contrai ſponſalia . Si tamen Titius miſit Caiæ annulum cum promiſſione Matrimonij, & illa promiſſionem hanc intelligens dixit, *recipio*, valida ſunt ſponſalia. Quia illa ſigna externa mutuum conſenſum, & promiſſionem ſufficienter indicant. *Filliucius , Layman , Libr. 5. Tractat. 10. cap. 2.*

VIII. Ex ſponſalibus validè contractis reſultant hæc obligationes . 1. Tenetur ſub peccato mortali vna pars inire Matrimonium quando ab altera requiretur, niſi certus terminus præfixus fuerit : hoc enim omni contractui commune eſt. *Sanchez, conimck, Diana Part. 3. Cap. 4. Reſol. 245.* Secundò , qui poſt ſponſalia recuſat promiſſum Matrimonium contrahere , cogi poteſt à iudice , etiam per cenſuras. Notant autem plurimi quod illa coactio rarò feliciter ſuccedat.

IX. *Si quis promiſit animo ſimulato* alteram ducere , per ſe loquendo ad nuptias non obligatur , damnum tamen inde exortum compenſare debet. Si autem data promiſſione puellam ad copulam induxerit , eam ducere tenetur. Niſi tamen illa eſſet longè inferioris conditionis , verb. grat. vir eſſet nobilis, illa agricolæ filia, tunc enim illam dotando ſatisfaciet . Quod ſi illa conſcia ſuæ diſparitatis in copulam conſenſerit , etiam ad dotem ius amiſit : quia cenſetur ipſa vltro decipi voluiſſe . *Vaſquez , Sanchez , Bonacina , Leſſius , Layman , hic cap. I. num. 10.*

X. Sponſalia poſteriora contra priorem fidem inita , tametſi iurat ſint , aut copula etiam acceſſerit, ſunt inualida, *Sanchez, & Villalob.* Contrarium tenet *Pontius , Coninck cum Diana Part. 3. Tract. 4. Reſol. 210.* Matrimonium tamen poſt ſponſalia contractum cum altera eſt validum , licet iniuſtum , *Bonacina, Part. 3. & 7. Layman Cap. I. numer. 5.*

XI. Vbi Tridentinum non eſt receptum, ſponſalia iure antiquo tranſeunt in Matrimonium per quęuis ſigna externa maritali effectu ex-

exhibita, v. gr. per copulam. Vbi verò Trid. receptum eſt, hæc ſigna non tenent ſi ſint clandeſtina ſine parocho, & teſtibus.

XII. Diſſoluuntur autem ſponſalia.

I. Per Matrimonium validum cum altera initium, vt ſupra diximus.

II. Per mutuam remiſſionem prioris promiſſionis.

III. Per impedimentum dirimens Matrimonium poſteà ſuperueniens.

IV. Per enorme crimen vnius partis ſoluuntur ſponſalia ex parte innocentis. Tale crimen eſt hæreſis, homicidium, furtum graue, fornicatio: & hæc quidem etiam ante ſponſalia ex parte ſponſæ commiſſa, ſi fuerit à Sponſo ignorata. Imò ſi Sponſa liberè patiatur ab altero tactus impudicos, oſcula, & amplexus poteſt Sponſus reſilire: non poteſt tamen Sponſa reſilire etſi eadem Sponſus exerceat, niſi fiat in iſtis valde enormiter notorius. Quia actus illi in Sponſo non ita redandat in dedecus Sponſæ, ſicut vice verſa redundare ſolent.

V. Si ſuperueniat notabilis mutatio, quæ ab initio cognita à contrahendis Sponſalibus deterruiſſet, v. g. odium graue inter Sponſos, in ſignis morum aſperitas, periculum valdè probabile, ex Matrimonio oritura ſcandala, aut grauia odia inter parentes, aut alios amicos. *Bonacina, Layman &c.*

VI. Si alteruter incidat in morbum qui ſolet eſſe perpetuus, aut valdè diuturnus; vt morbus caducus, lepra, &c. aut Sponſa mutiletur aut enormiter deformetur, aut Sponſus amiſſione officij aut alio modo reddatur ineptus ad rei familiaris ſuſtentationem. *Sanchez, Coninck, Bonacina, Diana, Layman, &c.*

VII. Si magna alterius partis debita detegantur, aut Sponſa promiſſam dotem præſtare nequeat, vel Sponſus cum magno Sponſæ incommodo incipiat vagari, aut ſine eius licentia ad longinquas terras proficiſcatur: quia tunc meritò cenſetur ſuo iuri renunciare.

VIII. Diſſoluuntur quoque Sponſalia etiam iurata per ingreſſum alterius in Religionem, aut votum ingrediendi, aut Ordinis ſacri ſuſceptionem, *Bonac. Layman, &c.*

IX. Quando prædictæ cauſæ ſunt manifeſtę non requiritur auctoritas iudicis ad diſoluenda Sponſalia, alioqui requiritur. Quod ſi Sponſus cognito ſuo iure reſiliendi, nihilominus carnaliter cognouit ſponſam, cenſetur tacitè iuri ſuo renuntiaſſe, & Sponſalia ratificaſſe. *Layman, Cap. 2. n 20. &c.*

X. Si contingat Sponſo ſuperuenire nouam hęreditatem, ita vt illi Sponſa iam ſit inæqualis, non habent ideò ius reſilendi, quia non eſt deceptus in conditione Sponſę, in qua nulla facta eſt mutatio. Idem eſt de Sponſa ſi ipſi hæreditas noua ſuperueniant. *Sanchez, Coninck, Regin. Diana Part. 3. Tr. 4. Reſol. 268.*

Quæſtio eſt, An virgo quæ contraxit Sponſalia, poſſit validè & licitè ſe ſoluere ab obligatione ſponſalium de futuro, emittendo votum ſimplex caſtitatis in ſæculo.

Reſpondetur affirmatiuè apud *Leſſium in Auctar. Pag.* 280. vbi in hanc ſententiam adducit *Angelum, Syluestrum, Richardum, Domin. Sotum in 4. Diſt. 27. q. 2. Art. 5.* qui rem reſoluit his verbis. Vtrum per votum caſtitatis dirimatur Sponſalia, diſputari ſolet: attamen in dubium vocari non debet quo minùs tale votum ſit licitum, atque adeò Sponſalia dirimens, cùm ſit melioris frugis: quæ exceptio ſemper in Sponſalibus implicatur.

§. II.

De Matrimonij valore, Miniſtro, vſu, &c.

I. MAtrimonium eſt Sacramentum inter baptizatos, quo vir, & mulier legitimè inuicem tradunt ius mutua corpora, in ordine ad perpetuam vitæ ſocietatem, & prolis ſuſceptionem.

II. Huius Sacramenti materia proxima eſt mutuus conceſus vtrimque ſigno externo expreſſus, inquantum eſt prædicti iuris traditio. Forma autem eſt idem conſenſus quatenus habet rationem acceptationis, vt docet *Suarez, Vaſquez, &c.*

III. Miniſter Matrimonij non eſt Sacerdos, ſed ipſi coniuges, qui contrahendo ponunt Conſenſum coniugalem, in quo conſiſtit materia, & forma huius Sacramenti, *contra paucos mod.* Verba quæ hunc conſenſum declarant, debent eſſe de præſenti, verbi gratia. *Ego te duco*; non autem *ego te ducam.*

VI. Matrimonium dicitur *Ratum*, in quo nondum ſecuta eſt copula coniugalis. *Conſummatum* verò quando copula acceſſit. Probabile eſt Pontificem poſſe in Matrimonio rato diſpenſare. Ratio potiſſima eſt quòd diuerſi Pontifices, relati ſuprà Pag. 92. in illo diſpenſarint: ſupponendum namque eſt eos proceſſiſe non temerè, ſed præuio maturo conſilio, & deliberatione; vti latiùs Pag. citata. Nec refert, quòd diuerſi etiam Pont. noluerint diſpenſare, id alienum rati à ſua poteſtate:

quia

quia argumentum, quod ex praxi priorum docuimus, non arbitramur eſſe certum aut infalibile, ſed tantùm probabile; cui non obſtat praxis contraria aliorum. Qui fortaſſis etiam non diſpenſarunt defectu iuſtæ cauſæ, aut voluntatis, cum diſpenſatio ſit libera; non autem ex defectu exiſtimato ſuæ poteſtatis abſolutæ.

Certum autem eſt poſt matrimonium ratum, & nondum conſummatum coniuges poſſe religionem intrare, aut ſi vnus tantùm intrauerit, poſt eius profeſſionem alterum cum quo voluerit poſſe contrahere. Iura cogitantibus de Religionis ingreſſu concedunt ab initio Matrimonio bimeſtre ad deliberandum ante conſummationem.

V. Ad Valorē Matrimonij requiritur præſentia Parochi proprij, vel alterius Sacerdotis ex ipſius aut Epiſcopi licentia, ac duorum ſaltem teſtium, poſt Tridentinum Seſſ. 24. Cap. de Reformat.

Sufficiunt quicumque teſtes, modò intelligant quid fiat; & ſufficit Parochus viri, vel fæminæ etiam in aliena Diœceſi, & etiamſi nondum ſit ipſe Sacerdos, & etiamſi præſens contradicat, aut vi detineatur, modo Parochus præſens cum teſtibus intelligat quid fiat, ſcilicet videndo aut audiendo.

VI. Denunciationes, ſi eſſet periculum in mora, poſſet Parochus poſtponere ex præſumpta Epiſcopi voluntate, & quadam tacita commiſſione. Poſſunt etiam eæ omitti volente Epiſcopo ex cauſa. *Sà, Perez, alijque ex Triden. Seſſ.* 24 *Cap.* 1. quod præcipit vt illæ fiant in parochia vtriuſque contrahentis, ex Declarat. Cardin. & tribus diebus feſtiuis continuis, non tamen immediatis, de quibus *Bonacina q.* 2. *p.* 6. *&c.*

VII. Benedictionem omittere, aut ante eam conſumare Matrimonium per ſe non eſt mortale: quod ſi fiant hæc ſine cauſa eſt veniale, *Sà, Sanchez, Bonacina, p.* 4. *q.* 6. *Num.* 2.

VIII. Ætas ad valorem Matrimonij requiſita in fœmina ſunt, anni duodecim completi, in viro quatordecim, & ante ſi ſint potentes ad copulam ſimul: ſufficit verò dicta ætas etiamſi adhuc non poſſint coire: expectandum vero deindè vſque ad munum decimum octauum, vt iudicetur an ſit perpetuum impedimentum, nec validatur illud Matrimonium per copulam poſteà ſequentem, niſi ad minimum tacitus vtriuſque partis conſenſus accedat. *V. Sà, & Layman, huc Cap.* 12. *Num.* 1.

IX. In dubio an ſit legitimum Matrimonium primo initum, non eſt diſoluendum, ſed ſecundo contractum irritandum. Nec vni ſoli iuranti eſſe impedimentum, poſt contractum credendum, ſemper enim dubio præſumendum pro matrimonio. *Sà, Menoch. Sanch. Lib.* 2. *d.* 45. *Num.* 14.

X. Non poteſt coniux cum altero contrahere niſi debeat certitudinem de morte coniugis. In dubio autem an talis certitudo habeatur Iudicis Eccleſiaſtici arbitrio iudicandum relinquitur. *Sanchez, Sà, Nauar. cap.* 22. *Num.* 56.

XI. Bona fide coniugati, non ſunt admonendi impedimenti à Parocho, vel Confeſſario, quando probabiliter timeri poteſt magnum damnum. *Sà, Sanchez, Nauar.*

XII. Tenetur vxor virum inigrantem ſequi, niſi aliud eſſet inter eos conuentum, & ipſa non cogeretur aliqua neceſſitate migrare, aut niſi inſciens vagabundum duxiſſet, aut ſi ipſe vellet in honeſtè vagari, aut cum periculo animæ vel corporis, vel poſt matrimonium factus eſſet vagabundus. *Couarr. Nauarr. cap.* 14. *num.* 20. *alijque.*

XIII. Vxor grauiter peccat ſi marito non obediat in re honeſta, & magni momenti. Quod ſi vir bona familiæ depoſcat vt ea prodigè expendat, poteſt vxor licitè ea negare, aut abſcondere.

XIV. Qui certò ſcit Matrimonium ſuum eſſe inualidum, non poteſt debitum coniugale potere, aut eddere. Si ſit dubius, etſi poſſit reddere, peteret tamen non poteſt antequam veritatem debitè inquirat, poteſt ſi nihil certiùs deprehendat, poteſt petere, & dubium deponere.

XV. Si quis ad vxorem ſitu præpoſtero accedat ſed in vaſe naturali, ſine periculo effuſionis terminis, probabiliter aliqui cenſent eſſe tentùm veniale, alij docent eſſe mortale. Si autem congrua ratio ſubſit, ver. gr. quod coniux ſit grauida, quod ſic maior ſit ſpes concipiendi, nullum omninò eſt peccatum.

XVI. Grauis eſt obligatio inter coniuges reddendi debitum coniugale, quando rectè, & moderatè peritur. Si tamen vxor innocens ſciat virum mœchatum eſſe, aut contra, habet ius negandi ſi velit. Item, ſi indè mutat ſibi graue damnum prolis, aut ſanitatis, aut maritum inſigniter ebrium aduertat.

XVII. Non licet coniugibus in vſu Matrimonij aliquid facere ex quo conceptio prolis directè impediatur, etiamſi periculum in partu, aut paupertas ex multa prole timeretur. Quia ſic agerent contra finem principalem Ma-

Matrimonij, quod eſt à Deo ordinatum ad prolis generationem. Poſſunt tamen popter talem periculum aut paupertatem cum mutuo conſenſu abſtinere.

Quæſtio eſt, A Matrimonium licitè contrahatur coram Miniſtro hæretico, poſtquam legitimè contractum fuit coram Sacerdote?

Reſpondet ad hunc caſum negatiuè *Leſſius in Auctar. Caſ.* 24. quia apparet eſſe profeſſio quædam Religionis, aut ritus hæretici, eo quod Miniſter videatur in hoc actu inſtar perſonæ ſacræ adhiberi. Teſtatur tamen *Ioan. Veriuys Ord. Prædicatorum in ſuo Paſtorali tract.* 13. *Art.* 7. illam eſſe praxim communem in quibusdam partibus Hollandiæ, & Conſæd. Prouinciarum, ſine vlla Catholicorum contradictione. Quia aliàs Matrimonia illa non heberentur apud hæreticos legitima, cum magno Catholicorum incommodo, qui hinc non collingunt vllam ritus hęretici profeſſionem, & Miniſtri apprecantis verba habent tantùm pro ciuili aut politica gratulatione, eoque magis quod hæretici non admittant Matrimonium verum eſſe Sacramentum.

§. III.

De Impedimento Matrimonij.

IMpedimenta dicuntur alia *Impedientia* tantùm, quæ Matrimonium reddunt illicitum ſed non inualidum: alia ſunt *Dirimentia*, quæ & illicitum, & inualidum conſtituunt. Prioris generis impedimenta ſcil. *Impedientia*, ſequenti verſu exprimuntur.

Eccleſiæ vetitum, nec non Tempus Feriarum,
Atque Catechiſmus, Crimen, Sponſalia. Votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

I. *Eccleſiæ vetitum*, eſt prohibitio Epiſcopi vel Parochi, quæ fieri poteſt propter dubium de aliquo impedimento, aut inhabilitate inter Sponſos volentes contrahere.

II. *Tempus*, ſcilicet, ab Aduentu vſque ad Epiphaniam incluſiuè, & à die Cinerum vſque ad octauam Paſchæ: quo tempore non eſt licita benedictio nuptialis, nec conuiuium nec Sponſæ ad domum traductio. At ſine his illo etiam tempore Matrimonium contrahere licet, & conſummare: etſi quidam conſummare negent licere, niſi cùm ritè eſt benedictum.

III. *Sponſalia* cum altera perſona, quamdiu non ſunt ritè dirempta, Matrimonium cum alia impediunt.

IV. *Affinitas* contracta per Catechiſmum inter Reſpondentem, & Catechizatum: ſeſublatum eſt hoc impedimentum per Concilium Tridentinum.

V. *Votum*, ſcilicet ſimplex caſtitatis vel religionis, ſiue non nubendi. *Sanch. hic alijque.*

VI. *Criminis* impedimentum eſt varium, primò exoricidium, niſi eſſet in adulterio deprehenſa, vt aliqui aduunt.

II. Inceſtus cum vxoris viuentis conſanguineis intra ſecundum gradum, niſi ſit occultus.

III. Vi accipere alienam Sponſam.

IV. Conuictum eſſe in iudicio Sacerdotem occidiſſe.

V. Solemnem agere pœnitentiam, dum illa durat.

VI. Fieri patrinum filij, ne poſſit vxor petere debitum. Verùm hæc criminis impedimenta per vſum ſublata eſſe docet *Nauarrus*, *Sanchez*, *Conínck*, *Layman*, *hic cap.* 25. Poteſt in cęteris prędictis Epiſcopus diſpenſare, quando eſt periculum incontinentiæ. Non debet autem, niſi vrgente cauſa, concedere tempore prohibito nuptiarum celebrationem, nec tunc etiam cum populi frequentia.

Impedimenta Dirimentia, memoriæ cauſa, hoc metro aptè comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vir, ordo, ligamen, honeſtas,
Ætas, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Raptaue ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

I. *Error*, ſcilicet cùm creditur eſſe perſona quæ non eſt (ſecus ſi erretur in perſonæ qualitate vt diuitijs, aut nobilitate) aut à libero credatur eſſe liber qui ſeruus eſt. Quod ſi error qualitatis ad errorem perſonę pertineret, dirimeret; vt ſi intendebat cum primogenito, & hærede nobilis familiæ contrahere, cùm talis non ſit, ſed ſecundus aut tertius filius.

II. *Conditio*, irritat ſi ſit contra ſuſtantiam contractus, vt contra perpetuitatem Matrimonij, aut fidem coniugalem, & vterque conſentiat, v. gr. contraho tecum ea lege vt adulterio victum quæras, vel vt non ſimul viuamus,

uamus, vel vt debitum non reddas, aut vt ego non reddam, vel vt conceptio impediatur, vel vt proles non educetur. Quod ſi talis conditio apponatur iam contracto Matrimonio, non irritat.

III. *Votum*, ſcilicet ſolemne religionis, vel per ſuſceptionem Ordinis ſacri: Votum autem ſimplex caſtitatis, tantùm impedit, non dirimit Matrimonium, præter vota ſimplicis quę ſtatim à tyrocinio emittuntur in Societate Ieſu.

IV. *Cognatio*; quæ dicitur *carnalis*, eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite proximo dèſcendentium, dirimitque Matrimonium vſque ad quartum gradum lineæ tranſuerſæ incluſiuè. Et quidem quoad primum gradum fortaſſis dirimit iure naturæ; quoad reliquos tres, ſolo iure Eccleſiaſtico. Vnde etiam Pontifex in his iuſta de cauſa diſpenſare poteſt. Gradus verò lineæ rectæ probabile eſt omnes iure naturæ eſſe prohibitos. Porrò pro gradibus conſanguinitatis dignoſcendis ſtatuuntur ſequentes Regulæ.

Prima, In linea recta tam aſcendentium, quàm deſcendentium, quod ſunt perſonę tot ſunt gradus, vna dempta, ſcilicet ſtipite: v.g. pater, & filius ſunt conſanguine in primo gradù nepos, & auus in ſecundo, &c.

Secunda, in linea tranſuerſa æquali (quæ eſt inter perſonas à communi ſtipite ęqualiter diſtantes) quot gradibus perſonæ ſingulæ à communi ſtipite diſtant, totidem diſtant inter ſe. Vndè frater; & ſoror ſunt in primo gradu lineæ tranſuerſæ, patrueles, & conſobrini in ſecundo, filij eorumdem in tertio.

Tertia, In linea tranſuerſa inæquali, inter perſonas inæqualiter diſtantes à communi ſtipite, quot gradibus remotior perſona diſtat à ſtipite, tot gradibus diſtant inter ſe. Vnde patruus, & nepos, filius & ſoror patris ſunt conſanguinei in ſecundo gradu.

V. Altera eſt cognatio *Spiritualis*, quę oritur ratione Baptiſmi, & confirmationis, ac Matrimonium dirimit inter baptizantem, & huius patrem, & matrem, item inter ſuſcipientem, & ſuſceptum, & huius patrem, & matrem.

VI. Tertia eſt cognatio *Legalis*, quę eſt propinquitas perſonarum orta ex perfecta adoptione in filium aut nepotem, vt ſuccedat ex inteſtato tamquam neceſſarius hæres in quartam partem bonorum, vel tanquam filius in totum. Illa dirimit Matrimonium vſque ad quartum gradum inter adoptantem, & adoptatum, eiuſque deſcendentes. Probabile tamen eſſe poſt Tridentinum, dirimere tantùm vſque ad ſecundum gradum incluſiuè, ſicut cognatio ſpiritualis, notat *Diana Part. 9. Tr. 6. Reſol. 54.*

VII. *Crimen*; quod Matrimonium dirimit, primum eſt, Homicidium coniugis ab altero coniuge, & alio tertio, ſiue phyſicè, v.g. gladio vel veneno, ſiue moraliter, vt imperio vel ſuaſione perfectum, eo conſilio vt poſtea inter ſe Matrimonium contrahant.

Secundo eſt Adulterium, quando nimirùm duo carnaliter ſe cognoſcunt, viuente alterius coniuge, & vel Matrimonium ineunt de præſenti, vel ſaltem dant fidem de ineundo poſt mortem coniugis.

Tertium, eſt Raptus, per quem perſona cum violentia abducitur libidinis exercendæ, vel Matrimonij ineundi cauſa, *S. Thom. Molin. hic. D.* 105. Durat autem hoc impedimentum, ſecundum Trident. quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris, etiamſi liberè conſentiat. Rapta tamen non cenſentur fœmina quæ volens, & ſine vi alijs illata abducitur.

VIII. *Cultus diſparitas*, id eſt, diuerſitas religionis inter baptizatum, & non baptizatum. Vnde Matrimonia cum hæreticis, etſi plerumque illicita, ſunt tamen valida. Exiſtimo tamen Matrimonium Catholicis cum Anabaptiſta nullum eſſe, ſi pars hæc nondum Baptiſmum ſuſceperit.

IX. *Vis, metus, Violentia* irritat Matrimonium, ſiue fuerit à Sponſo, ſiue ab aliquo tertio illata in ordine ad extorquendum Matrimonium cum metu cadente in conſtantem virum, nec firmatur conſenſu, aut iuramento, aut copula durantem metu.

Talis verò eſt metus carceris vel flagellorum, aut magni damni: non eſt autem talis, qui à Superiore iuſte incurritur, aut ſi quis contrahat, vt euadat legitimam pœnam mortis, aut ducat filiam medici nolentis alioqui mederi. Aut ſi cymba caſu vel tempeſtate euerſa virgo metu mortis contrahat per verba de præſenti cum alio nauta, vt in eius cymbam recipiatur; Et de facto, Antuerpiæ hoc caſu in litem adducto, virgo opulenta nautæ adiudicata fuit.

X. *Ordo*, ſcilicet ſacer, ſiue maior (non autem minores) inualidat Matrimonium contrahendum. Quid ſi quis iam coniugatus ordinetur, ſine conſenſu vxoris, nec poterit vti ordine, nec debitum petere, nec ad ſuperiorem ordinem aſcendere, niſi Religionem profeſſu. Non poteſt autem profiteri, ſi Matrimonium erat conſummatum, niſi vxore conſentiente, & caſtitatem vouente; iuxta *Cap. cùm ſis, de Conuerſ. Coniugat.*

XI. *Li-*

XI. *Ligamen*, Scilicet prioris coniugij, quo durante inualidè contrahit cum alio: contingit tamen licitè fieri, ſi de morte prioris coniugis certitudo habeatur, quòd ſi is poſteà compareat tenetur altera compars dimiſſo poſteriore coniuge, ad priorem redire. *Bonacina, alijque.*

XII. *Honeſtas*, ſignificat impedimentum publicę honeſtatis, ob quam nemo poteſt contrahere cum conſanguineis illius cum qua cõtraxit Sponſalia, vel Matrimonium ratum; & quidem ante Tridentinum, & iure antiquo hoc impedimentum dirimit Matrimonium inter Sponſum, & conſanguineos Sponſæ vſque ad quartum gradum, oriturque ex Sponſalibus quibuſcunque etiam inualidis, prætérquam ex defectu conſenſus: Iure nouo Tridentini non oritur, ſi Sponſalia ſint inualida, & irritat tantum vſque ad primum gradum, ſi oritur ex Sponſalibus, ad quartum verò, ſi ex Matrimonio rato ſequatur. *Bonacina, Sanchez, Lib. 7. D. 68. Filliucius, Tract. 10. Part. 2. cap.* 6. Differt hæc honeſtas ab impedimento affinitatis ſpecialiter in eo, quod hoc ſupponat interueniſſe copulam non autem publicæ honeſtatis.

XIII. *Ætas*, quæ requiritur ad valorem Matrimonij eſt in viro annus 14. in fœmina 12. completus, niſi malitia ſupplet ætatem, id eſt maturitas iudicij, & potentia ad copulam. *Cap. de illis, &c.*

XIV. *Affinitas*, eſt propinquitas perſonarum nata ex copula carnali, ſiue licita, ſiue illicita: vtraque iure ſaltem Eccleſiaſtico dirimit Matrimonium, illa vſque ad 4. gradum incluſiuè; hæc verò iure nouo vſque ad ſecundum tantùm, ſiquidem copula antecedat Matrimonium: nam ſi ſuperueniat, v. g. ſi Titius cognoſcat vxoris ſuæ cognatam in ſecundo gradu, non dirimit, licet is qui peccauit non poſſit petere debitum, ſed tantùm reddere. Porrò gradus, & lineæ affinitatis accipiuntur ſicut in conſanguinitate.

XV. *Si clandeſtinus:* Matrimonium clandeſtinum dicitur, quod contrahitur ſine Parocho, & duobus vt minimùm teſtibus, qui poſſunt eſſe fęminę, aut quiuis vſum rationis habentes, quod irritum eſt vbicumque Tridentinũ eſt receptum, de quo ſuprà §. 2. *Nu.* 5.

XVI. *Impos*, indicat impotentiam ad copulam coniugalem, ſiue ex parte vnius, ſiue vtriuſque, quæ vt Matrimonium dirimat debet eſſe perpetua, & Matrimonium præceſſiſſe, non enim ſufficit poſtea ſuperueniſſe: ſi dubium ſit an præceſſit, probabilius eſt dirimendum eſſe.

Cenſetur abſoluta *impotentia*, quæ non poteſt tolli ſine miraculo, aut peccato, aut vitæ periculo, ſecùs ſit poſſit aufferri orationibus, aut exorciſmis, aut adhiberi remedium per ætatem, aut artem, ſine graui periculo. In maleficio, & impotentia, quæ ſperatur poſſe tolli, datur triennium ad explorandum an poſſint copulari; quod ſi non ſit ſperandum, ſtatim ſeparari debent. Quæ ſine periculo vitæ poteſt concipire, etiamſi ſine eo non poſſit parere, non cenſetur impotens, vti docet *Bonacina, q. 3. Part. 13. Buſen ex Henriquez, Filliucius, Conink, alijque.*

Quæſtio eſt primo, apud *Card. Lugo Reſpon. Mor. Lib. 1. Dub.* 45. An Epiſcopus propter abuſus, v. g. contrahentium quidem in pręſentia Parochi, & teſtium, ſed occultè, potuerit ſua lege irritare talia Matrimonia; & quæ contraherentur ſine Denunciationibus præmiſſis, auferendo Parochis ius, & poteſtatem in tali actu aſſiſtendi.

Reſpondet autem *Lugo ibidem*, etſi poſſit alias pœnas ſtatuere, non potuiſſe Matrimonia iſta irritare. Quia Epiſcopus non habet poteſtatem inducendi impedimentum irritãs Matrimonium vltra illa, quæ iure communi inducta ſunt, hoc enim ſoli competit Summo Pontifici, vt cum alijs docet *Pontius, & Sanchez, Lib. 7. de Matrim. d. 1. num. 9.* Vnde Prelatus qui hoc attentauit, à S. Congregatione Cõcilij monitus fuit vt edictum reuocaret.

Quæſtio eſt ſecundò ibidem: An poſſit à Pontifice concedi diſpenſatio ad contrahendum matrimonium in ſecundo gradu conſanguinitatis, ſimul cum primo gradu affinitatis, v. g. vt aliquis poſſit ducere vxorem relictam ſui fratris defuncti, ſibi etiam coniunctam in ſecundo gradu conſanguinitatis.

Reſpondet *Lugo*, poſt longam deliberationem, propter cauſas grauis momenti, & publico bono conducentes, talem diſpenſationem actu conceſſam eſſe ab Vrbano VIII. anno circiter 1643.

§. IV.

De Matrimonio reualidando, aut contrahendo in partibus Hæreticorum.

QVæritur primò. An Matrimonium inualidè contractum poſſit aliquo modo reualidari.

Reſpondeo affirmatiuè. Primò, ſi inualidum fuerit Matrimonium ex vna tantùm parte, defectu conſenſus ſeriò aut liberè pręſtiti, curandum eſt vt illa nouũ conſenſũ, externis

ſignis alteri parti exhibeat: nec opus eſſe vt hæc ſciat conſenſum illum ad reualidandum Matrimonium præſtari, cenſet *Sanchez*, *Bonacina*, *Conink*, *alijque*: Neque neceſſarium eſſe tunc ad aſſe Parochum. *Henriquez*, *Bonacina*, *Regin. hic num.* 133. Quod ſi conſenſus ex vtraque parte defuerit, debet prędicto modo conſenſus ex vtraque parte præſtari.

Secundo, ſi defectus valoris ortus fuerit ex occulto impedimento dirimente, v. gr. conſanguinitatis, debet primo obtineri diſpenſatio, & poſtea cognitio impedimento, nouus, & abſolutus vtriuſque conſenſus priuatim prçſtari. Et ſi vna pars ſit ignara impedimenti, prudenter inducenda eſt ad nouum conſenſum abſolutè præſtandum, vel ſatem conditionatè, ſcilicèt, *conſentio de nouo, ſi aliqua ex capite Matrimonium noſtrum ſit nullum*: ſi non timeatur periculum repulſæ. Hoc autem ſi meritò timeatur, aut aliæ graues moleſtiæ, probabile eſt ſufficere vt ſola pars impedimenti conſcia conſenſum renouet, & alteri declaret, vti docet *Sanchez*, *Conick*, *Leſſius*, *Fillincius*: *& plures cum Diana Part.* 4. *Tract.* 4. *Reſol.* 49.

Quæritur ſecundò, Quid dicendum de Matrimonijs, quæ in partibus Hæreticorum ſine Parocho, & teſtibus contrahuntur?

Reſpondeo ex Congreg. Cardinalium: Primò, ſi in Parochia vbi initur Matrimonium, v. g. in Anglia, decretum Tridentini de Præſentia Parochi nondum eſt publicatum, validum erit Matrimonium, abſque Parocho, & teſtibus contractum. Publicatio autem decreto facta præſumitur, ſi id aliquo tempore in Parochia tamquam decretum Concilij fuit obſeruatum.

II. Hæreticos in quorum Parochia dictum Decretum fuit publicatum, v. g. in Hollandia, Friſia, &c teneri formam præſcriptam ſeruare. An tamen ideò ipſorum Matrimonia abſque forma Concilij, quamuis coram Miniſtro Acatholico, vel Magiſtrato contracta, haberi debeant tanquam nulla, conſtare magis poterit ex adductis hic infra poſt numero 4.

III. Si cotingat in Partibus hæreticorum vbi decretum Tridentini eſt publicatum, v. g. in aliqua parte Hollandiæ, nullum reſidere Parochum, aut Epiſcopum, vel alium, qui eorum vices ſuppleat, tali caſu Matrimonia ibi contracta valida erunt abſque præſentia Parochi, adhibitis ſaltem duobus teſtibus.

IV. Si extet quidem Parochus, & Epiſcopus, ſed nullo cõſtituto Vicario vterque metu hçreticorum lateat ita vt verè ignoretur vbinam ſit, vel eodem metu à Diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum eſt Matrimonium cõtractum abſque forma Tridentini, adhibitis tamen (vt dictum eſt) duobus teſtibus. Ita reſponſum eſt à Congreg. Card. Interpretum Tridentini ad inſtantiam Archiepiſcopi Philippenſis anno 1603. & eaſdem declarationes refert Zypçus in iure Pontificio Lib. 4. Num. 16.

Ad prędictam Quçſtionem plurimum vlterioris lucis nobis attulit Reſolutio Illuſtriſſimi Caſtorienſis ad Illuſtriſſimum Gandenſem 14. Auguſti 1685. & ad Eruditiſſimum Antonium Hoefslach, Eccleſiæ Cathedralis Antuerpienſis Canonicum Graduatum, Librorum Cenſorem, &c. 17. Decembris 1685. qua diſtinctius declarat talia Matrimonia, quæ coram Magiſtratu, aut Miniſtro Acatholico in Prouincijs Belgij confœderatis contrahuntur, quamuis abſque forma Concilij, pro validis habenda eſſe: quod pluribus rationibus ac teſtimonijs accuratè deducit, cuius proinde authographum hic ſeruatur. Idem pro Germania iam ante reſoluit noſter *Layman Lib.* 5. *Tract.* 10. *Part.* 2. *Cap.* 4. *Num.* 7 pro Ducatu Cliuiæ *Stalenus* Oratorij Preſbyter *Libro integro*, quem de hoc argumento compoſuit.

Quæritur tertiò, An liceat Catholicis intereſſe Nuptijs hæreticorum, & eas aliquo munere honorare? Ratio dubitandi eſt, quia ſic Catholicus videtur approbare ritus hçreticorum, aut nuptias illicito modo contractas.

Reſpondeo tamen, Catholicis illicitum non eſſe tales nuptias ſua præſentia, & munere honorare. Quia illa aſſiſtentia Catholici eſt actio indiferens, neque præbentur illa munera ad approbandum tale Matrimonium, ſed ad conſeruandam amicitiam inter vicinos aut conſanguineos. Poteſt enim ex alijs motiuis illud Matrimonium Catholico diſplicere, etſi ob alias cauſas honoret amicos qui illis nuptijs copulantur.

Alias Reſolutiones varias de Matrimonio in partibus Hæreticorum, vide infra Tract. VI. Quæſt. 22. & ſequentibus.

A quibus porrò prçter Pontificem in impedimentis Matrimonij, prçſertim in Miſſionibus, petenda ſit Diſpenſatio, colligi poteſt partim ex Facultatibus ſupra traditis *Part III. Cap. V.* partim ex praxi ſequenti recurrendi ad curiam Romanam.

Quia verò pauci ritè norunt praxim, & ſtylum Curiæ, aut Pœnitentiariæ Romanæ, hic formam procedendi in huiuſmodi diſpenſatio-

ſationibus, aliiſque gratijs obtinendis, facili methodo ſubijciemus.

§. V.

Praxis, & forma quâ Diſpenſatione pro Matrimonio, aliiſque Caſibus ex Romana Pœnitentiaria peti, & concedi ſolent.

SCiendum primò, Officio ſacræ Pænitentiariæ præeſſe aliquem S. R. E. Cardinalem, cui Pontifex ſuo nomine amplam in multis abſoluendi, & diſpenſandi poteſtatem concedit. Vt ſunt Diſpenſatione ſuper impedimentis occultis ad contrahendum, ſiue re contrahendum Matrimonium: Nec non diſpenſationes in Irregularitatibus: Conualidationes Titulorum: Rehabilitationes ad Beneficia, nec non ad officia, & dignitates, & ſimilia: Diſpenſationes cum Regularibus tranſire volentibus ad ſtrictiorem vel laxiorem Religionem: Condonationes, & Remiſſiones fructuum malè exatorum, & præceptorem, quando de præiudicio certi Domini non agitur, Dilationes, & commutationes Votorum ſimplicium: & Abſolutiones à reſeruatis, & ſimplici obligatione legendi hores Canonicas, certis modis,

II. Hæ Gratiæ per Pœnitentiariam conceduntur in foro conſcientiæ, ſiue pro foro non contentioſo; forum enim contentioſum ſpectat ad Iudices cauſarum, cognitionem ciuilem, aut criminalem habentes. Mittuntur autem Diplomata, quibus gratię continentur abſentibus plerumque clauſa, & à maiori Pænitentiario gratis tribui ſolent.

Qui petit Diſpenſationem ſuper impedimento Matrimonij debet totum impedimentum explicare, vt ſi impedimentum ſit in gradu inęquali, debet inęqualitatem exprimere. Idem dicendum ſi conſanguinitas vel affinitas ex duplici capite contracta fuit, vt ſi fornicatus fuerit cum duabus ſororibus eius fœminæ cum qua matrimonium contrahere cupit, debet duplicem impedimenti cauſam exponere, quamuis *Henriquez* in hoc caſu contrarium ſentiat. Cauſas etiam ad obtinendam diſpenſationem non debet allegare falſas, aut diſſimulare veras, præſertim ad rei ſubſtantiam pertinentes, ſine quibus præſumi poſſit Superiorem non diſpenſaturum, alias diſpenſatio eſſet ſubreptitia, & inualida. Aliud eſſet ſi qualitas, aut cauſa diſſimulala, aut allegata in poſtulatione, tantùm extrinſece ſe habere ad rem poſtulatam, ſine qua habentur aliæ cauſæ ſufficientes, non ideò diſpenſatio ſic obtenta cenſetus ſubreptitia, ſed poteſt ſuum effectum ſortiri.

III. Itaque in praxi vt ſcribatur pro diſpenſatione, vt dixi, Romæ obtinenda. Primò, debet formari Supplicatio per modum Libelli ſupplicis, qui inſcribitur Maiori Pœnitentiario S. R. E. Cardinali, & ferè inchoatur hoc modo: *Exponitur humillimè ex parte N. N.* ſi opus ſit in caſu occulto non nominando perſonas, & explicando diſtinctè impedimentum Matrimonij, vel alium Caſum pro quo requiritur diſpenſatio. Secundò loco, debent fideliter exponi cauſæ propter quas neceſſarium ſit Diſpenſationem concedi, quales ſunt quæ allegantur in ipſa forma aliquarum Diſpenſationum, quam Diploma infra diſtinctè exhibeo. Tertiò loco, ſequitur humilis Supplicatio, vt pro opportuno remedio diſpenſatio illa benigne concedatur.

Inſcripto litterarum ſit. *Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo D. Cardinali Maiori Pœnitentiario.* Sic autem in ipſis litteris caſus proponetur. Eminentiſſimo, & Reuerendiſſime Domine N. Sacerdos contraxit Irregularitatem ex Homicidio occulto ab eo ob talem, vel talem cauſam, clam tali modo patrato vel procurato in perſona hominis laici. Ab eo tempore non abſtinuit ab exercitio ordinum, vitandi ſcandali cauſa, vel ne ſe proderet; ſiue, abſtinuit, ſed cum diu ſine ſcandalo abſtinere non poſſit, humillimè ſupplicat pro remedio.

N. N. Contraxit Matrimonium cum muliere, cuius matrem antea carnaliter cognouerat, conſcius, vel neſcius impedimenti (quod occultum eſt) quare cum abſque ſcandalo ſeparrari non poſſint, humillimè ſupplicat pro remedio.

N. N. Mulier emiſit votum Caſtitatis perpetuę ſed cum adſit, vel futurum eſſe præuideat periculum incontinentiæ, humillimè ſupplicat pro diſpenſatione ad effectum nubendi.

Sed cum inumeri ſint caſus, in quibus ſupplicari debet Eminētiſſimo Cardinali Maiori Pænitentiario, innumera quoque ſunt Supplicationum Exemplaria, pro quorum notitia hæc iudicaſſe ſufficiat. Id denique obſeruando quod in caſibus occultis ſufficiat per ſimplex N. N. procedere tacito nomine, & cognomine pęnitentis: & caſus ſic inſcr ptus mittendus eſt per communem Tabellarium Roman, vt ſuprà. Sed addendum, qua via Reſponſum mittendum ſit, aut per Tabellarium communem: Terminando litteras in hunc fere modum: Dignetur Eminentia veſtra reſcribere

N. N. in ciuitate N. pro tali Oppido N. Quod ſi in tali Oppido non ſit Confeſſarius Graduatus, vel ſi difficile ſit illi aperire conſcientiã, cum iam aperuit alteri Confeſſario non graduato, hoc ipſum in litteris miſſis ſignificetur.

Formam autem qua ad Supplicationem remitti ſolet Reſponſum Romanum, prout habetur apud *De Leone*, alioſque, hic commodè ſubijcio, ex qua totus procedendi modus facile comprehendetur.

Forma Litterarum Romanarum pro eo qui Matrimonium in facie Eccleſiæ contraxit cum Muliere cuius Sororem prius carnaliter cognouerat &c. hac forma conceditur Diſpenſatio à Maiori Pænitentiario Apoſtolico.

N. N. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbiter Cardinalis, Diſcreto viro Confeſſori Magiſtro in Thologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per Latorem preſentium ad infra ſcripto ſpecialiter eligendo, ſalutem in Domino.

Ex parte Latoris præſentium nobis oblata petitio continebat: Quod ipſe aliàs in facie Eccleſiæ Matrimonium contraxit, & ſucceſſiuè conſummauit cum muliere, cuius Sororem prius carnaliter cognouerat. Cum autem, & ſicut eadem petitio ſubiungebat, dictus Lator propter impedimentum ex præmiſſis proueniens, nequeat in dicto Matrimonio remanere abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, & ſeparatio inter ipſum, & dictam mulierem fieri non poteſt abſque ſcandalo, ad id vitandum, ac pro ſuæ conſcientiæ quiete cupit Lator a præmiſſis, quæ occulta ſunt, & de quibus plurimum dolet, per ſacræ Penitentiariæ officium abſolui, ſecumque deſuper diſpenſari. Quare ſupplicari nobis fecit humiliter, vt ſibi ſuper his de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur, qui Pænitentiariæ Domini Papæ curam gerimus ſupplicationibus huiuſmodi inclinati, auctoritate Apoſtolica nobis ſpecialiter concessa diſcretioni tuæ committimus: Quatenus ſi ita eſt, dictum Latorem, audita prius eius ſacramentali confeſſione, a quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pænis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit ab inceſtu, & exceſſibus huiuſmodi abſoluas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta: iniuncta inde ei pro tam enormis libidinis exceſſu, graui pœnitentia ſalutari: ac ſacramentali confeſſione peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, vt minimum ſemel, & quoties animæ ſuæ ſaluti expedire iudicaneri: & alijs quæ fuerint de iure iniungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præmiſſis proueniens ſit occultum, & ſeparatio inter Latorem, & dictam mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo, ex cohabitatione vero, de incontinentia probabiliter timendum eſſe, tibi viſum querit, & aliud canonicum non obſtet: cum eodem Latore, vt dicta muliere de nullitate prioris, conſenſus certiorata, ſedita caute vt latoris delictum nuſquam detegatur, matrimonium cum eadem, & vterque inter ſe de nouo, ſecretè ad euitanda ſcandala, præmiſſis non obſtantibus contrahere, & in eo poſtmodum remanere licitè valeant, miſericorditer diſpenſes, prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde, legitimam decernendo in foro conſcientiæ, & in actu Sacramentalis confeſſionis tantum, & non aliter. Ita quod huiuſmodi abſolutio, & diſpenſatio in foro iudicario nullatenus ſuffragentur, nullis ſuper hic adhibitis teſtibus aut litteris datis, ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus lamatis, quas ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ laniare tenearis, ita vt nullum illarum exemplum extet; neque eas Latori reſtituas, quod ſi reſtitueris, nihil ipſi præſentes litteræ ſuffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo officij Pænitentiariæ, 4. Sept. Pontificatus SS. Domini Noſtri Anno.....

Pro alijs Caſibus ſimilis forma accommodatur, vt pro ligato voto ſimplici Religionis ad effectum contrahendi matrimouium &c.

Pro harum ac ſimilium litterarũ excutione.

Nota primò, Quando dicuntur litteræ illę dirigi ad Oratorem ſiue Latorem, intellige, ad ipſum qui diſpenſationem petit ſiue per ſe, ſiue per alium, qui non debet eas aperire, ſed eligere Confeſſarium Magiſtrum in Theologia aut alium qualis initio litterarum ſcribitur, qui ea ſibi ab Oratore traditas reſignet, legat, & poſtea cum Oratore ſiue Latore diſpenſet, iuxta commiſſionem in litteris expreſſam. Dum autem requiritur vt Confeſſor ille ſit Magiſter, aut Doctor; non ſufficit quod ſit Doctor Ordinis, vel Profeſſor, vel Licenciatus. Ex Priuilegio autem Confeſſarijs Societatis Ieſu conceſſo è Gregorio XIII. poſſunt etiam eligi alij Mendicantes, modò ad hoc à ſuis Superioribus facultatem habeant, vt docet Paulus Leon, & Diana *P.4. Tr.4. reſ. 41.*

II. Debet Confeſſor electus diſpenſare in ipſa confeſſione, vel immediate poſt illam peractam; pręmiſſa prius diligenti cauſæ cognitione, niſi eam ſatis perſpectam habeat: non eſt tamen neceſſarium exigere teſtes, aut iuramentum, niſi aliunde ſciret rem, aut cauſam pro diſpenſatione allegatam non ſubſiſtere, tunc enim diſpenſare non poteſt.

III. Opera in Litteris præſcripta poteſt ex iuſta cauſa moderari, non poteſt tamen ea condonare.

IV. In abſoluendo debet ſeruare formam in Rituali Romano probatam, adeòque poſtquam dixit.

Abſ-

Abſoluo te à peccatis tuis, debet addere: *Et eadem auctoritate declaro te indicto Matrimonio; manere, & debitum coniugale reddere poſſe, & debere: nec non diſpenſo tecum vt idem debitum etiam exigere licitè valeas, in nomine Patris. & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.*

Si ſit abſoluendus ab Excommunicatione, illius formam habes ſuprà in *Tract. II. Cap. III.* de Abſolutione.

Denique debet omnibus peractis Litteras ipſas lacerare, ac præcipuè ſigillum, ne poſſint in foro externo ſeruire. Nihilque pro diſpenſatione, neqnidem compenſationis Titulo accipiendum, ſub pœna excommunicationis maioris ipſo facto incurrendæ. Addeo Curia Tomana cupit ſuos Miniſtros ab omni labe Simoniæ longiſſimè abeſſe.

NOTA

POſt hæc à me priori Editione ſtudioſè elaborata, & in eadem edita, deuenit in manus meas via Romana hæc hautentica ipſius Pœnitentiarię Inſtructio non ita pridem Prælo vulgata, cuius hic exemplar annecto.

Inſtructio Parochorum, & aliorum Confeſſariorum pro Caſibus, quorum Abſolutio, vel Diſpenſatio ſpectat ad Sacram Pænitentiariam, ſeu ad Sedem Apoſtolicam.

CVm ſæpe ſit experientia compertum, plurimos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, & præcipuè in longinquis degentes, Cenſurarum vinculo, votorum abſtrictione, matrimonialibus impedimentis, Irregularitatum inhabilitate, aliiſque reſeruatorum caſuum ligaminibus obnoxios cæteriſque pænis, ad hanc ſanctam ſedem Apoſtolicam, eiuſque ſacram Pænitentiariam ſpectantibus, irretitos, in illis lachrymosè perſiſtere, & tandem (quod eſt maxime dolendum) in illorum damnati ſtatu ſæpius laborioisè perire, cumque tanti mali cauſam biſce præcipuè fontibus manare pateſcat, &c.

Primò *nam Parochi vel alij ad quos Pænitentes huiuſmodi occurrere contingit, in Pagis, Ruribus, & Suburbijs vitam ducere ſolent, nec viam, modumque, vel aliquem, in Alma Vrbe, qui ſalutare remedium, & abſolutionis, vel diſpenſationis litteras à dicta Sacra Pænitentiaria, quæ ingiter gratis, & benignè confugientibus remedia partitur, eis obtineat, & procuret, cognoſcentes, nec ſperantes, hac vera, & facili via depoſita, dictos pænitentes ad eorum Ordinarios dirigendo dimittunt, cumque ad ipſos accedere (fœminas præſertim) verecundia, vel pudor interclndat aditum, & timor acceſſum præpediat, conſilium vltra inuenire ignorando verentur, vnde ſub illis in ſtatu damnationis inſordeſcende propriæ conſcientiæ, & diuinæ Iuſtitiæ flagello teruntur.*

Secundò, *verò alijs proprios in Vrbe Procuratores habentes, tantùm pecuniæ cum pro ipſorum labore exigunt, quod inopes pænitentes, tantis ſumptibus impares gratiæ inhiantes, inconſolati recedant (& quod eſt enormius) ſibi fortaſſe perſuadent, Sacræ Pænitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis reportare, quod non ſolum omnia gratis concedit, ſed etiam ſerena fronte, & grato omnes excipit animo, & ad tam pium opus eos adiuuat, & hortatur.*

Tertiò, *euenit nonnumquam, & exponentium inaduertentia ſuccedit, vt gratiæ iam obtentæ irritæ iudicentur, ex eo, quia caſus, & circumſtantias eorum confusè explicando, vel reticendo, inde fit quod litterarum executores præmiſſo poſtea pænitentium vero ſcrutinio rem aliter quam eſt expreſſum ſe habere comperiunt, vnde ipſas exequi nequeunt, quamobrem expoſcentes ſæpe confuſi, ſpe nouæ impetrationis carere putantes benigno abdicato remedio, priuati, & inhabiles permanere coguntur.*

Quare gratum Omnipotenti Deo, & rem vtilem fidelibus ſuis me facturum ſpero, ſi breuem methodum quo in ſupradictis vti debeant proponam.

Sic igitur Caſum exponent, &c.

Eminentiſſime, & Reuerendiſſime Domine.

N Sacerdos contraxit irregularitatem ex homicidio occulto, ab ipſo ob talem, vel talem cauſam clam tali modo patrato, vel procurato in perſonam hominis Laici, ab illo tamen tempore non abſtinuit ab exercitia ſuorum ordinum, ne ſe proderet, vel alios ſcandalizaret (ſi verò abſtinuerit, dicit) ſe abſtinuit ſed cum diu abſque ſcandalo obtinere non valeat humillimè ſuppliacat pro remedio.

N. N. Vir contraxit matrimonium cum N. muliere, cuius matrem, vel ſororem antea carnaliter cognouerat, conſcius vel neſcius impedimenti, quod occultum eſt, quare cum abſque ſcandalo ſeparari non poſſit, humiliter ſupplicat pro remedio.

N. Mulier emiſſit votum perpetuæ caſtitatis, ſed cum adſit, vel futurum eſſe præuideat incontinentiæ periculum humillimè ſupplicat pro diſpenſatione ad effectum nubendi.

Item quoniam inumeri ſunt caſus pro quibus ſup-

ſupplicari contingat, varia quoque eſſe poterunt ſupplicationum exempla, pro quorum notitia hæc indicaſſe ſufficiat.

Denique; ſi in illa Ciuitate, ſeu Oppido, unde Eminentiſſimo Pœnitentiario ſcribitur non fuerint Confeſſores in Iure Canonico Doctores, vel Sacræ Theologiæ Magiſtri, vel ſi quando etiam adeſſent, non de facili pœnitens inducerentur, vel nequirent eis propriam aperire conſcientiam, vel quia alio confeſſori non graduato iam manifeſtauerint, ideo aduertant hoc idem ipſi magno Pœnitentiario ſignificare. Quod ſimiliter faciant, quando Confeſſarius Gothicum characterem legere neſciat, quoniam de opportuno remedio prouiacbitur.

Quod ſi forte reſponſio ipſius Eminentiſſimi tardare videbitur, eo caſu prudens Confeſſarius, vel pœnitens dignetur reſcribere, vt ſi forte fuiſſet deperdita, alia ad manus dicti Eminentiſſimi Pœnitentiarij perueniat, quibus præmiſſis (adiuuante Domino) omnibus incommodis proſpicietur, animaſque fratrum noſtrorum, ſuo fauore, & piorum confeſſariorum ſolertia lucrabimur.

Hortamur tandem Parochi, & alij ad quos præſentes peruenerint ipſas per affixionem, vel typis mandando, vel tranſcribendo, earum notitiam pro animarum ſalute cunctis quibus poterunt communicare. Venetijs, M. DC. LXXVIII. Superiorum Permiſſu.

DE CENSVRIS Eccleſiaſticis,

§ I.

De Cenſuris in Communi.

PLurima de Cenſuris, Irregularitatibus, & Impedimentis ex illis prouenientibus hactenus tradidimus locis proprijs hic infra annotandis, ne, more plurium Scriptorum, actum ſæpius agamus.

De Cenſuris ſingulis in quantum impediunt à percipienda, aut conferenda Abſolutione Sacramentali: Item, à quo poſſit ferri Cenſura, & de modo ad eam ferendam requiſito: Item, de Caſibus occaſione Cenſuræ vel aliunde Reſeruatis Pontifici, Epiſcopo, Superioribus Regularium, & modis ab ijs abſoluendi, accuratè deducuntur ſingula ſupra *Tract. II. Cap. III. & ſequentibus vſque ad Tractatum Tertium*. Irregularitates ſingulæ, & earum effectus exponuntur ſupra Tr. IV. Cap. VII. de Sacramento Ordinis in fine §. 3. *pag.* 199. Quæ reliqua ſunt de ſingulis hic ſuo ordine diſtinctè tradentur.

Cenſura igitur in communi, eſt, pœna ſpiritualis per quam homo baptizatus, delinquens, ac contumax, auctoritate Eccleſiæ, bonorum quorundam ſpiritualium vſu priuatur, vti fuſe tradit *Suarez de Cenſuris Diſp. I. Sect. I. alijque*. Triplex eſt Cenſura, Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum: Irregularitas autem non eſt propriè Cenſura, ſed inhabilitas iure conſtituta, v. gr. ad Ordines, Beneficia, Officia, &c.

§. II.

Excommunicatio.

EXcommunicatio definitur, Cenſura Eccleſiaſtica qua homo baptizatus priuatur communione fidelium, ſiue participatione aliquorum bonorum quæ fidelibus ſunt communia, de quibus infrà.

Dicitur, *homo baptizatus*, quia homo per baptiſmum ſubditur Eccleſiæ, & eius iuriſdictioni ſubiacet: Quod de non baptizatis dici non poteſt. *Quid enim* (inquit Apoſtolus) *mihi d ijs qui foris ſunt iudicare?*

Non dicitur priuare paricipatione *Omnium* bonorum, ſed tantùm aliquorum, non enim priuat, v. gr. gratia; ſed priuationem illius per peccatum, & contumaciam præſuponit, imo fieri poſſet vt quis perfectæ contritionis actu gratiam recuperaſſet, priuſquam ab Excommunicatione abſolueretur. Similiter non priuat bonis ſpiritualibus particularibus, v. g. effectu orationum, quas, aliquis priuatim pro Excomunicatio offert, ſed tantùm communibus.

Eſt autem duplex Excommunicatio: alia maior, alia minor: Excommunicatio illa maior dicitur, quæ communione plurium bonorum priuat; minor, quæ pauciorum. Bona verò quibus maior Excommunicatio priuat, ſex præſertim numerantur à Doctoribus.

Primò enim, priuat adminiſtratione, & receptione Sacramentorum.

Secundò, participatione ſuffragiorum communiũ Eccleſiæ, quæ ſcilicet à Clericis, quatenùs Eccleſię Miniſtris, pro fidelibus offerũtur.

Tertiò, iurè audiendi Miſſam, & aſſiſtendi officij diuinis publicis; tenetur tamẽ Clericus in ſacris cõſtitutus aut Beneficiatus, quamuis Excommunicatus, priuatim ſolus officium recitare; ſed in illa recitatione abſtinere debet ab illis verbis, *Dominus vobiſcum*, vt docet Nauarius, & alij apud Bonacinam.

Quar-

Quartò, electione paſſiua ad quæuis beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas.

Quintò, ſepultura Eccleſiaſtica.

Sextò, communicatione humana, & ciuili cum alijs fidelibus: quod Doctores hoc verſiculo exprimunt.

Os, orare, vale, communio, menſa, negatur.

Os, Significat allocutionem, confabulationem, ſiue fiat per litteras, nutus aut alia ſigna: item quæcumque alia ſiga exteriora amicitiæ, vt oſcula, amplexus, &c.

Orare, ſignificat ſimul cum Excommunicato orationem facere, diuinum officium recitare, &c.

Vale, eſt Excommunicatum ſalutare, aut honorem aliquē verbis aut geſtis illis exibere.

Communio, id eſt quæuis ſocietas cum Excommunicato, in habitatione, vel exercitio, aut contractu.

Menſa, id eſt, ſimul cum illo, & in eadem menſa comedere.

Sunt tamen hic duo obſeruanda. Primum eſt, id quod habetur in Bulla Martini V. quæ incipit *Ad euitanda*, & confirmata fuit à Leone X. in Concilio Lateranenſi, refertur que à Nauarro, Cap. 27. Num. 35. qua quidem ſummus Pontifex ad euitãda animarum pericula ſtatuit, vt nemo deinceps quemquam ratione alicuius ſententiæ aut Cenſuræ Eccleſiaſticæ, à iure vel ab homine *Generaliter* promulgatę, in Sacramentorum miniſtratione, receptione, aut alijs quibuſcumque rebus diuinis vel externis vitare, aut interdictum obſeruare teneatur; niſi ſententia vel cenſura eiuſmodi contra certam perſonam, Collegium, Eccleſiam, &c. *Specialiter* à iudice publicata vel denunciata fuerit; excepto, qui ob ſacrilegam manum iniectionem in Clericum, Excommunicationem canonis ita notoriè incurrit, t factum eius nulla tergiuerſatione celari & nullo iuris ſuffragio excuſari Poſſit: nam ab eiuſmodi etiam non denunciati communione abſtinendum eſt. Poſteà verò ſubiungitur; *Per hac autem non intendimus ipſos Excommunicatos ſuſpenſos, interdictos in aliquo ſubleuare, vel quomodolibet eis ſuffragari*, id eſt, vt explicat Layman, Part. 2. Cap. 1. de Excommun. quod quamuis incommodum aliorum hac Pontificis indulgentia vti poſſint Excommunicati illi qui non ſunt denunciati, aut notorij Clericorum percuſſores: quãdo tamen agitur de ipſorũ Excomunicatorum commodo, eadem hæc indulgentia ipſis ſuffragari minimè poſſit.

Secundum eſt, ratione neceſſitatis vel vtilitatis, vel pietatis, licitam interdum eſſe Communicationem aliquam cum Excommunicato etiam denunciato, vel notorio Clericorum percuſſore: vnde Doctores ex capite, *Quoniam multos*, 11. Quæſt. 3. cauſas aliquas colligunt, ob quas eiuſmodi Communicatio licitè haberi poteſt, quas hoc verſiculo Communiter exprimunt;

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Vtile, ſignificat vtilitatem ſpiritualem Excommunicati, aut illius qui cum eo Communicat.

Lex, obligationem illi reddendi quod ei iuſtè debetur, vt ſi debitor creditori mutuum reſtituat; ſi vxor viro debitum coniugale reddat.

Humile, deſigat ſubiectionem, & obſequium, quod filius parenti, ſeruus Domino defferre tenetur.

Res ignorata, iuris aut facti ignorantiam Inuincibilem, ſeu inculpabilem.

Neceſſe, neceſſitatem ſpiritualem, aut etiam temporalem, ſi ſit notabilis vnde licitum eſt, v. gr. in graui neceſſitate corporali, eleemoſinam petere, & accipere ab Excommunicato denunciato.

Caſus autem particulares quibus Excommunicatio maior incurritur tam in Iure, quam extra Corpus Iuris, eorumque Reſeruatione diſtinſte recenſentur ſupra *Tract. 2. Cap. 4 §. 1. & ſeq.*

§. III.

Suſpenſio.

DEfinitur Suſpenſio, Cenſura qua Clericus functiones aliquas Eccleſiaſticas exercere prohibetur: v. gr. circa exercitium officij, vel beneficij Eccleſiaſtici. De quibus fusè *Suarez de Cenſuris, Nauarrus Cap. 27. Bonacina D. 3. p. 1. Layman hic Lib. 1. Tract 5. part. 3. cap. 1.*

Ex hac definitione colligitur, multiplicem eſſe ſuſpenſionem: alia eſt enim ab officio tantum, ſiue officium ſit ordinis, ſiue iuriſdictionis alia à beneficio tantũm ſeu ab adminiſtratione, & fructibus beneficij percipiendis: alia ab officio, & beneficio ſimul. Rurſus, alia eſt ſuſpenſio ab officio in totum, quando quis priuatur omni vſu officij ſui alia eſt in partem, qualis eſt illa qua, verbi gratia, quis ſuſpenditur ab audiendis confeſſionibus, non verò ab alijs Sacramentis adminiſtrãdis. Alia pręterea eſt Suſpenſio temporalis, quę fertur ad certũ tempus, & illò elapſò, ceſſat, nec eſt opus abſolutione, docet Nauarrus ſupra. Alia, quæ nullo terminò temporis circunſcribitur: Alia denique eſt Suſpenſio pænalia, alia medicina-

T 4 lis:

lis: pœnalis eſt ea, fertur in punitionem, & vindictam delicti commiſſi, vt quando quis ſuſpenditur ob peccatum merè præteritum quæ quidem non fertur per modum Cenſuræ, ſed per modum pœnæ, vt obſeruat *Bonacina* Diſp. 3. Sup. Punct. 3. Medicinalis eſt illa, qua intenditur emendatio delinquentis? & hæc eſt propriè Cenſura.

Qui autem ſuſpenſionem violat, exercetque actum à quo Suſpenſus eſt, peccat mortaliter, niſi materiæ leuitas excuſet; & ſi Suſpenſionem illam violet per exercitium ſolemne Ordinis alicuius maioris à quo Suſpenſus eſt, incurrit Irregularitatem, vt docent Suarez, Nauarrus, & alia apud Bonacinam Punct. 4.

Primo, Suſpenſionē incurrit Clericus Concubinarius notorius, ex Iure Canonico Cap. *Quæſitum de cohabitatione Clericorum, & mulierum*. Et Trident. *Seſſ.* 45. *cap.* 14. innouans pænas antiquas Canonibus latas, ſtatuit prȩterea, vt ſi à Superioribus admoniti non reſipiſcant priuatione beneficiorum; Excommunicatione maiori, Suſpenſione ab ordinibus, inhabilitate ad quæcumq; beneficia officia, & dignitates, incarceratione, & alijs ſimilibus pȩnis plectatur.

Secunda Suſpenſio eſt, contra recipientem ſacros Ordines ſub Titulo ficto patrimonij, vel beneficij, vt colligitur ex Bulla Pij V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, vt docent Quaranta, Suarez, Filliucius, & apud Bonacinam *ſuprà* quamquam Tolet. exiſtimet Suſpenſionem illam non incurri ipſo facto, ſed arbitrio Epiſcopi infligendam eſſe.

Tertia eſt, contra eum qui ſacros Ordines recipit extra tempora per Eccleſiam conſtituta, vel ante legitimam ætatem vel abſq; litteris dimiſſorijs, vt habetur in extrauaganti Pij II. quæ incipit, *Cùm ſacrorum*, & in altera extrauaganti Sixti V. quæ incipit, *Sanctum & ſalutare*, vt docet Suarez, Nauarrus, & alij apud Bonacinam ſuprà. A qua Suſpenſione, vt ibidem dicit, abſoluere poteſt Epiſcopus, ſi delictum occultum ſit: id eſt, ſi non ſit notorium, nec deductum ad forum contentioſum.

Quarta eſt, contra ſuſcipientem duos Sacros Ordines in eodem die, aut duobus diebus continuis, & immediatis: qui quidem ſuſpenditur ab executione poſterioris, vt habetur ex Capite *Litteras* de temp. Ordinat. Similiter ſuſcipiens eodem die minores Ordines cum ſubdiaconatu, vt ibidem dicitur, & hæc Suſpenſio Papæ reſeruata eſt, vt docet idem Bonacina.

Quinta eſt contra Clericum qui vacante Sede Epiſcopali, & non arctatus occaſione Beneficij recepti, aut recipiendi, Ordinem aliquem ſacrum recipit cum dimiſſorijs Capituli, vt habetur in Conc. Trident. *Seſſ.* 7. *c.* 10. de Reform. vbi prohibetur Capitulis Eccleſiarum, ne Sede vacante, infrà annum à die vacationis, dent litteras dimiſſorias, niſi vrgente aliqua neceſſitate: alias ſtatuit vt Capitulum interdicto Eccleſiaſtico ſubiaceat; & ſic ordinati ad beneplacitum futuri Prælati ſint ab Ordinibus ſuſceptis ipſo facto Suſpenſi.

Sexta eſt, contra clericum, qui per ſaltum recipit Ordinem ſuperiorem, antequàm receperit inferiorem: v.gr. Presbiteratum ante Diaconatum, vt habetur Capit. vnico de Clerico per ſaltum promoto, & in Concil. Trident. Seſſ. 23. Cap. 14.

Septima eſt, contra eū; qui recipit Ordines ab Epiſcopo Excommunicato, Suſpenſo, aut interdicto denunciato; vel etiam ſimoniaco per ſententiam declarato; vt habetur Cap. 1. & 2. de Schiſmat. & Cap. *Si quis*, Queſt. I.

Octaua eſt, contra eum, qui recipit ſcienter aliquem Ordinem per ſimoniam, quamuis occultam, vt habetur Capite *Per tuas* de ſimonia.

Noua eſt contra eum, qui Excommunicatione aliqua irretitus ſcienter Ordinem recepit, vt habetur Cap. *Cùm illorum*, de Sent. Excommun.

Decima eſt, contra eum, qui furtiuè aliquem Ordinem recipit? id eſt, qui inſcio Epiſcopo non vocatus vel approbatus ab Ordines ſuſcipiendos accedit; aut qui alio præmiſſo, qui ſuo nomine examinetur, vocatus deinde proprio nominè Ordines recipit, vt habetur Cap. 1. de eo qui furtiuè, &c.

Vndecima eſt, contra Sacerdotem, tàm ſecularem quàm regularem coniungentem in matrimonium, vel benedicentem ſubditos alterius Parochiæ abſque licentia Parochi vel Prdinarij, vt habetur in Conc. Trident. Seſ. 24. Cap. 1. de Reform.

Duodecima eſt, contra Epiſcopum, conferentem Ordines, vel primam Tonſuram extraneo, abſque dimiſſorijs Epiſcopi: aut ordinationes facientem in aliena Diæceſi abſque licentia Ordinarij, vt habetur in Conc. Trident. Seſſ. 23. Capite de reform. aut conferentem Ordines vel Tonſuram ſimoniacè, vt habetur Cap. penultimo de ſimonia.

Decimatertia eſt, contra Epiſcopum, aliquid etiam ſponte oblatum in viſitatione accipientem, præter id quod ſibi debetur: qui quidem ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, niſi intra menſem duplum reſtituat, vt habetur Cap. *Exigit*, de cenſibus in 6. Et hȩc ſuſpenſio incurritur etiam ab alijs Viſitatoribus Eccleſiarum, aut eorum familiaribus, ſi occaſione

viſitationis munera etiam ſpontè oblata recipiant, niſi intra menſem duplum reſtituant. Denique Religioſi incurrunt Suſpenſionem, 1. in Apoſtaſia Ordines recipientes, 2. Admittentes ad profeſſionem ante annum probationis exactum. 3. Non vtentes habitu, & veſtitu modo ſibi præſcripto. 4. Introducentes mulieres in Monaſteria.

Quantitas, & qualitas Suſpenſionis quando de ea dubitatur, colligi debet ex verbis quibus profertur, quæ non amplius ſunt extendenda quàm propriè, & rigidè ſignificent, cũ illa ſit pœna, adeoque odioſa ac riſtringenda.

Suſpenſus à certa functione Ordinis, v. gr. à Sacramentorum ad miniſtratione, non eſt ideo Suſpenſus à Sacrificio celebrando.

Suſpenſus ab Ordine non ideo videtur Suſpenſus à Beneficio, Quia Beneficium non fundatur in Ordine. Quamuis doceat *Bonacina*, indirectè à fructibus beneficij ſuſpendi: quia dum non poteſt facere officium non poteſt percipere fructus beneficij.

Suſpenſo Capitulo, vel aliquo Conuentu, non cenſentur Suſpenſi in eo contenti, niſi illos in culpa eſſe vel fuiſſe conſtet.

Debet autem Suſpenſio in ſcripto, non ſolo verbo proferri, præterquam ab eo qui priuilegium habet abſque ſcripto Cenſuras ferendi. Ita cum communi *Bonacina de Cenſuris Diſp.* 1. *Quæſt.* 1. *Part.* 7. *de quo Sà verbo Suſpenſio, Laym. hic Cap.* 2. *Num.* 3. *aliique.*

Poteſtatem Suſpenſionis ferendæ habent illi quibus competit poteſtas ferendi Cenſuras.

Abſolutio à Suſpenſione non reſeruata competit habenti Epiſcopalem auctoritatem, & communiter Religioſis ad hoc priuilegiatis in foro conſcientiæ. Ita cum communi ſuprà *Suarez, Nauarrus, Bonacina Layman hic Cap.* 4. *Num.* 2.

§. IV.

De Interdicto.

D*Efinitur* Interdictum, Cenſura Eccleſiaſtica prohibens vſum diuinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Intellige, qua talis eſt, nam & Excommunicatio eodem priuat quatenus eſt communicatio cum fidelibus. Suſpenſio verò quatenus vſus ille eſt exercitium Eccleſiaſticæ poteſtatis.

Diuiditur Interdictum in locale, perſonale, & mixtum *Locale* eſt quo interdicitur locus; ne in eo diuina Officia celebrentur, Sacramenta adminiſtrentur, &c. quamuis eiuſmodi loci incolę poſſint alibi diuinis Officijs aſſiſtere, Sacramenta recipere, &c. *Perſonale* eſt, quo perſona aliqua particularis, vel communitas aliqua perſonarum, puta populus Ciuitatis, aut Prouincię alicuius interdicitur, ne vbicũque ſit, diuinis officijs aſſiſtat, Sacramenta recipat &c. *Mixtum* verò complectitur vtraque, perſonale ſcilicet, & locale Ita Nauarrus, Syluester, & alij apud Bonacinam, Diſp. 2. de Interdicto Punct. primo.

Rurſus, Interdictũ aliud eſt generale, aliud particulare. Interdictum *Particulare* eſt, quo locus aliquis particularis interdicitur, v. gr. Eccleſia aliqua ob crimen aliquod in ea perpetratũ: vel quo perſonæ aliquæ afficiuntur, non vt membra ciuitatis, ſed vt perſonę particulares: verbi gratia, quando interdicuntur omnes & ſinguli, quia tale facinus patrarunt. Interdictum verò *Generale* eſt, quod fertur in locum aliquem generalem, qui à communitate aliqua occupatur, v. gr. in Regnum, Diœceſim, Ciuitatem, vel ipſam communitatem, vt eſt corpus aliquod politicum, v. gr. in populum alicuius regni, ciuitatis, &c. Et eiuſmodi interdictum conſtringit omnes qui ex illa communitate ſunt, etiam *Innocentes*, qui proinde illud ſeruare tenetur, niſi ſpeciali aliquo priuilegio ſint exempti, vt fuſius explicat Bonacina *ſuprà*; hęc prohibitio tamen varias recipit exceptiones.

In primis enim Sacramenta Baptiſmi, & Confirmationis ſolemniter tempore Interdicti miniſtrari poſſunt, vt habetur Cap. *Quoniam* & Cap. *Alma mater*, de Sentent. Excomm. in 6. Sacramentum etiam Pœnitentię; vt ibidem dicitur, miniſtrari poteſt, præterquàm ijs, qui ſunt in cauſa culpabili, ob quam latum eſt interdictum, niſi priùs ſatisfecerint, aut ſatisfaciendi idoneã dederint cautionem, vel ſaltẽ ſe ſatisfacturos eſſe iurauerint. Sacramentum itẽ Euchariſtię tempore Interdicti non niſi in articulo mortis per modũ viatici miniſtrari poteſt. Sacramentum verò Extremę vnctionis, ſecluſo extremæ neceſſitatis caſu, quando alia ſuſcipi non poſſunt, itẽ Ordinis, & Matrimonij, tempore Interdicti neque miniſtrari, neque ſuſcipi licitè poſſunt, vt fuſius docet, (& varijs auctoritatibus probat) Bonacina ſuprà: quamuis Nauarrus, Cap. 27. Num. 179. & alij probabiliter exiſtiment, Matrimonium tempore Interdicti licitè contrahi poſſe.

Quod ſpectat ad Officia diuina, obſeruandũ eſt, eo nomine ſignificari Sacrificiũ Miſſę, Horas Canonicas, quę publicè cantãtur in Eccleſia, Benedictiones ſolemnes, & alia omnia, quæ pu-

publicè ad cultum diuinum fiunt à perſonis Eccleſiaſticis, quæ omnia prohibita eſſe cenſentur, cum hac tamen limitatione, ſicut habetur Cap. *Alma mater*, vt tempore Interdicti quotidie in Eccleſijs ſpecialiter non Interdictis celebrentur Miſſæ; & alia diuina Officia, ſed ianuis clauſis, ſine campanarum ſono, voce ſubmiſſa, excluſis Excommunicatis, & interdictis præterquàm in feſtis Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. M. V. quibus additus fuit à Martino V. dies feſtus Corporis Chriſti cum octaua, & à Leone X. dies Conceptionis B. M. V. in quibus diebus licitum eſt tempore Interdicti generalis, Miſſas & diuina Officia celebrare publicè, & ſolemniter, ianuis apertis, cum ſono campanarum, admiſſis quoque Interdictis; illis etiam quorum cauſa latum eſt Interdictum, modò iſti longè ſint ab altari, nec ad oblationes aut Communionem admittantur. In Eccleſijs verò ſpecialiter Interdictis, in quibus aſſeruatur Euchariſtia; licitum eſt tantùm ſemel in hebdomada Miſſam celebrare ad renouandam Euchariſtiam, vti docent Henriquez, Nauarrus, & alij apud Bonac. ſuprà cap. 2. de Interd.

Quamuis tempore Interdicti Localis, non poſſint Laici, licèt non Interdicti, *ſepeliri* in loco Interdicto; poſſunt tamen Clerici, dummodo perſonaliter Interdicti non ſint, etiam in loco Interdicto ſepeliri, in ſilentio tamen ſine campanarum pulſu: ſicut & Laici etiam perſonaliter Interdicti, ſi denunciati non ſint, poſſunt in loco ſacro non Interdicto ſepeliri.

Interdictum Locale generale præſertim incurritur, quando Dominus terræ iniurioſè Epiſcopum percutit, aut capit, aut id fieri mandat: item quando impedit ne Legatus aut Nuntius Apoſtolicus officium ſuum exequatur; & in alijs etiam caſibus, qui quoniam rariùs eueniunt; & apud Bonacinam ſuprà, alioſque Doctores videri poſſunt, à nobis prætermittuntur; circa quos caſu tamen obſeruat Bonacina ex Suarez, Filiucio, & alijs, nullam eſſe obligationem ſeruandi Interdicti ante denunciationem.

Ad *Suſpenſionem* de qua ſuprà, proximè accedit Depoſitio, & Degradatio, per quam perſona Eccleſiaſtica ob enorme aliquod crimen remouetur in perpetuum ab omni Ordine, iuriſdictione, & beneficio, ita vt quamuis non amittat characterem Ordinis quis indelebilis eſt, priuetur tamen omni, & quocumque illius vſu, ſine remiſſionis ſpe. Quod ſi hæc fiat ſolis verbis, appellatur *Verbalis* depoſitio: ſi præter verba; quædam aliæ ceremoniæ in Pontificali præſcriptæ adhibeantur, vocatur *Realis* depoſitio ſeu degradatio. Hæc eſt autem inter vtramque differentia, vt obſeruat *Bonacina* Diſput. 4. de Deg. Punct. vnico quòd Depoſitio verbalis fieri poſſit in abſentem: Degradatio verò ſolummodò fiat in præſentem: præterea Depoſitio verbalis non tollit priuilegium fori, Degradatio verò tollit; ita vt degradatus poſſit à iudice Laico eodem modo plecti, ac ſi numquam in Chriſti Domini Clerum fuiſſet cooptatus.

Degradatio tamen realis fieri non debet, niſi ob crimina illa quæ in iure expreſſa ſunt; qualia ſunt hæreſis manifeſta, ſodomia, calumnia proprio Epiſcopo irrogata, & alia ſimilia, quæ videri poſſunt apud Doctores, & Canoniſtas.

Denique notandum, 1. Depoſitionem, & Degradationem, non eſſe verè Cenſuram, & à Suſpenſione in hoc peculiariter differre, quòd illæ tollant etiam ipſum ius radicale, & Titulum beneficij in perpetuum, quod non fit per Suſpenſionem. 2. Clericos poſſe *Degradari* à ſuo Epiſcopo, non ab inferioribus: Deponi tamen poſſe ab eodem per Vicarium.

De Irregularitatibus ſingulis, earumque Effectibus actum eſt ſuprà de Sacram. Ordinis. *Tract. 4. Cap. 7. §. 3. Pag. 222.*

TRA.

TRACTATVS QVINTVS DE PRÆCEPTIS ET PECCATIS, IVSTITIA, ET IVRE.

SVmmula. Principia tam ſpeculatiua, quàm practica ad hæc pertinentia. Cap. 1. *De primo Decalogi præcepto Charitatis Dei, & proximi.* Cap. 2. *De pertinentibus ad 2. Præceptum, blaſphemia, iuramento, voto &c.* Cap. 3. *Ad Tertium Præceptum, Feſta, Ieiunia &c.* Cap. 4. *Obligatio parentum ad liberos, & contra.*

De Iuſtitia, & Iure, cum cæteris Præceptis, de Furto, Rapina, Fama &c. De contractibus, donatione, Promiſſione, Commodao, Depoſito, Mutuo, Vſura, Emptione, Venditione, Simonia, Teſtamentis Reſtitutione per plures Titulos deducta.

PRINCIPIA DIRECTIVA

De Præceptis, & Peccatis.

D*Ee his, vti & de Peccato originali, Legibus, &c. Principia* Speculatiua *tradita ſunt ſupra huius Tom. 2. Par. 1. Pag. 22. &c. Hic ad Praxim proximè dirigentia præmittemus.*

Præceptum, & Peccatum ſunt inter ſe correlatiua: omne enim peccatum opponitur alicui præcepto, aut iuris naturę, aut iuris diuini, aut iuris humani. Vt trangreſſio alicuius præcepti cenſeatur eſſe peccatum Theologicum, aut dignum pæna ignis æterni, debet peccanti ineſſe aliqua Dei notitia: quia ſine hac non contrahitur malitia illa infinita, quę oritur ex eo, quod violatio legis ſit contra Legislatorē, qui cognoſcitur eſſe dignitatis infinitæ. De modo quo lex aut præceptum directè, aut indirectè violatur, & quando peccata cenſeantur inter ſe ſpecie, aut numero diſtincta, dictum eſt ſuprà Part. 3. Tr. 1. Princ. 15. Tractat. 3. Cap. 2. Vt verò reliqua breuiter explicentur.

Dico *Primò*; Præceptum in genere eſt recta agendorum aut omittendorum ratio. Habet enim ſe Præceptum per modum regulę rectę, à qua dum actiones humanę per exceſſum aut perfectum declinant, peccatum admittitur.

Diuiditur primò in *Affirmatiuum*, quod bonum præcipit, & *Negatiuum*, quod malum prohibet. Differentia vtriuſque notanda, eſt quod præceptum affirmatiuum obliget quidem ſemper, ſed non pro quouis tempore, v. g. Honorandos eſſe parentes, ſemper quidem, ſed ſuo tempore quando res requirit. Negatiuum verò obliget ſemper, & pro omni tempore, v. g. non eſſe furandum, non mæchandum, non occidendum, &c.

Diuiditur ſecundò in præceptum naturale, & poſitiuum. Præceptum *naturale* eſt dictamen

men noſtræ rationis quo per lumen ab auctore naturæ nobis inditum ſtatuimus quid agendum, quid vitandum ſit. Quale eſt, Deum eſſe colendum: Quod tibi non vis fieri, alteri non eſſe faciendum; & talia ſunt omnia præcepta Decalogi, ſi diei Sabbathi cultum excipias.

Præceptum iuris *Poſitiui* eſt, quod libera Dei, aut hominum voluntate, & auctoritate conſtitutum eſt, vt Præceptum Baptiſmi à Chriſto, aut Ieiunij ab Eccleſia indicti.

Quomodo Præceptum aut lex obliget conſcientiam concurrente aliqua ignorantia, metu, dubio, opinione probabili &c. ſuprà Part. 3. Tract. 1. Princ. 13. ſub initium tradidimus.

Dico *Secundò*; Peccatti malitia formalis in voluntaria præcepti tranſgreſſione conſiſtit. Quia malitia formalis peccati ſita eſt in eo, quod voluntas humana Deo ſubdita liberè recedat à recta norma voluntatis diuinæ ſibi præcipientis aliquid agendum, vel omittendum Ad hanc autem libertatem præter actum voluntatis, requiritur aduertentia intellectus, qua homo cognoſcat deformitatem moralem, quæ conſiſtit in receſſu ſuæ actionis aut omiſſionis à recta agendi lege, & norma à Deo ſibi conſtituta, quando poterat actionem ponere vel omittere.

Hinc profluit prima peccati diuiſio, in Commiſſionem, & Omiſſionem. Peccatum commiſſionis rectè definit S. Auguſt. Lib. 22. contra Fauſt. Cap. 27. Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam: quo indicatur ſecunda diuiſio, in Peccata cordis, oris, & operis: peccata *cordis* dicuntur quæ ſola voluntate complentur, vt odium Dei, inuidia &c. oris, & operis, ſunt ea, quæ etiam in actum externum prodeunt. Peccatum *omiſſionis* eſt, quo voluntas prætermittit actum præceptum in ſua poteſtate conſtitutum, ſiue actus ſit internus, vt eſt omiſſio fidei, aut dilectionis erga Deum; ſiue externus, vt omiſſio libera Sacri, aut orationis præceptæ.

Tertiò, diuiditur peccatum in mortale quod amicitiam cum Deo diſſoluit, & Peccatorem conſtituit reum pœnæ æternæ: & veniale quo nec Deus inimicus redditur, neque ſupplicij æterni reatus incurritur: quia etſi peccatum veniale ſit offenſa Dei, non eſt tamen contra ipſius legem grauiter præcipientem, & ſub interminatione amicitiæ diſſoluendæ.

Vt in violatione præcepti mortale à veniali diſcernatur, conſideranda eſt primò materia, quæ præcipitur aut prohibetur, quæ cenſetur grauis, ſi ſit neceſſaria ad charitatem Dei, aut proximi conſeruandam. Secundò, poſita grauitate materię ad mortale requiritur perfecta deliberatio, & plenus voluntatis conſenſus, quorum defectu fieri poteſt, vt circa materiam grauem peccatum leue admittatur. Quæ fuſius explicantur ſuprà Tractat. 1. ad Princ. 15. Tertiò, notanda ſunt quædam, quæ ex genere ſuo ſunt mortalia, qualia ſunt plerumque quæ contra virtutes Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem directè committuntur. Hinc infidelitas, deſperatio, odium Dei, ſemper ſunt mortalia, ſi adſit plena rationis aduertentia.

Poſtremò, hic addo opportunè pro ſalute animarum, Principium numquam ſatis notandum, traditum à Doctore Angelico D. Thoma, Quodlibeto 9. Art. 15. *Omnis quæſtio in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculosè determinatur*. Si enim quis vel in vno caſu tali ſupra præceptum obligat, periculum eſt necentenas animas contra agentes, ſine cauſa in interitum adducat, vt conſideranti manifeſtum eſt.

Alia de his fuſius deducta, vide ſuprà inter Principia Actuum Humanorum, præcipuè de Legibus Pag. 21.

CAPVT I.

De ſpectantibus ad primum Decalogi Præceptum, Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.

§. I.

De præcepto Charitatis Dei, & Proximi.

DVo dari præcepta Charitatis, Dei, & proximi, patet ex Deuter. Cap. 6. & apud Matthæum Cap. 22. & Luc. Cap. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: Proximum autem ſicut te ipſum.*

Itaque præceptum Charitatis requirit, vt Deum diligamus ſuper omnia, id eſt, magis quam omnes res creatas. Sed hoc intelligi debet, ſecundum maiorem æſtimationem, ſiue appretiationem Dei, diuinaque amicitiæ: non ſecundum maiorem amoris intenſionem. Quamuis enim deceat, & ad maiorem Charitatis perfectionem ſpectet, vt ſummum bonum

num intenſius,& vehementius amemus,quam alia bona creata, id tamen in præcepto dilectionis Dei non continetur: vti cum communi docet *Gabriel*, *Nauarrus*, *Toletus*, *Valentia*, *Sanchez 2. Moral. Cap. 35. Suarez Part. 3. Tract. 4. Diſp. 4. Sect. 4. Num. 7.* Atque ita fieri poteſt ſine culpa, vt aliquis tenerius atq; inteſius amet liberos, vxorem, vel amicum, quàm Creatorem, ſic tamen vt animo paratus ſit, creaturam illam potius deſerere, eiuſque amicitiam diſſoluere, quam vt cum Deo amicitiam infringat.

Contra legem hanc Charitatis delinquit qui Deum diligit propter mercedem vitæ æternę tamquam finem abſolutè principalem, & cauſam propriè finalem. Nam hic amor inordinatus eſt, quia ſtatuit amorem Dei, qui eſt finis vltimus, & principalis, tanquam medium vt merces acquiratur, quæ finis poſitiue vltimus eſſe non poteſt. Licitum tamen, & ordinatum eſt diligere Deū propter mercedem vitę æternæ, tanquam finem minus principalem, & cauſam ad Dei amorem impellentem: Sicut dicitur in Pſalmo 118. *Inclinaui cor meum ad faciendum iuſtificationes tuas in omni tempore propter retributionem.*

Etſi verum ſit cum S. Auguſtino *Lib. de Perfect. iuſtitiæ, Reſp. ad* 16. Præceptum de diligendo Deo ex toto corde, &c. ſecundum perfectionem ſimpliciter dictam, non poſſe in hac vita impleri: poteſt tamen ita perfectè impleri ſicut ad viatorem pertinet. Ratio prioris partis eſt, quia diligendi perfectio ſimpliciter dicta conſiſtit in continua actuali vnione voluntatis cum Deo, & omnium actionum in ipſū relationes; talis autem dilectio in impedimentis huius vitæ mortalis haberi non poteſt, ſed tantùm in ſtatu beato vitæ futuræ. Patet ſecunda pars, Epiſt. 1. S. Ioannis Cap. 2. *Qui ſeruat verbum eius, vere in hoc Charitas Dei perfecta eſt.* In hoc enim conſiſtit perfecta Charitas huius vitæ, vt homo viator finem ſuum cognoſcat, eumque rebus omnibus appretiatiuè anteponat: & impedimenta ſalutis, quæ ſunt peccata, à ſe remouere ſtudeat: & in dies ad Charitatis perfectionem peruenire conetur.

Quamuis agnoſcendum non videatur pręceptū de ſingulis actionibus deliberatis ex motiuo Charitatis in Deum referendis, vt oſtenſum eſt ſupra, *Tract. 1. Quæſt. 21. §. 2. in fine* Satis tamen recepta eſt ſententia quę docet, nullum opus hominis iuſti meritorum eſſe glorię æternæ, aut augmenti iuſtitiæ, niſi aliquo modo vel eliciatur Charitate, vel ab eadem imperetur, ſiue id fiat per præſentem Charitatis actum; ſiue per præteritum, quod eſt, opus virtute in Deum referri. Vt ſi propoſuiſti pecuniam pauperibus propter Deum erogare, etſi poſtea, nihil de eo cogitans vi iſtius propoſiti pecuniam pauperi largiaris. Quia hic motus liberę voluntatis in ſupremum, & vltimum finem eſt maximè proportionatus glorię æternæ, & illius incremento: vt docet D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 4. quam ſequitur cum alijs Durandus, Bonauentura, Paludanus Bellarminus *L. 5. de iuſtific. Cap.* 15. vbi hanc ſententiam alijs præfert.

Alia eſt opinio Soti *Lib. 3. de Nat. & gratiæ Cap.* 4. Valentiæ, Barth. Medinæ, &c. qui docent, quod primus actus Charitatis quo homo ſe, & ſua opera conſequentia refert in Deum vt ſummum bonum, & vltimum ſuum finem ſupernaturale, ſufficiat vt ſequentibus operibus in gratia Dei factis vim merendi tribuat, quamuis ab eo actu nec elicitiuè nec imperatiuè procedant.

Cenſent denique alij hominem iuſtum quibuſcumque bonis operibus mereri gratiæ, & glorię augmentum, modò procedant ex motiuo aliquo ſupernaturali, vt Fidei, aut Spei Theologicę, etſi nullus præceſſerit actus Charitatis. Hanc ſententiam tradit Suarez de Fide *Diſp. 6. Cap. 7. Num.* 16. alijque, qui eam omnino probabilem iudicant, quamuis prima ſit ſecurior, & perfectior: adeoque ad illam omnino connitendum, cum probabilitas, ſiue bona fides, in hac materia non poſſit ſufficere ad meritum, ſi forte Deus iam decreuerit ad illum talem Charitatem requirere.

Sed *Quæſtio* difficilis eſt. Quoniam tempore obliget pręceptum affirmatiuum de Deo ex toto corde, ſiue ſuper omnia diligendo?

Reſpondeo, Primò obligare, quando homo vſum rationis adequatus, Deum tanquam vltimum finem ſupernaturalem per lumen Fidei ſufficienter cognouit, vt longo tempore non differat Deum voluntate complecti, & omnia ſua opera in eum referre. Tempus autem illud moraliter æſtimandum eſt, vt non ſit mora notabili, quæ poſſit negligentiam arguere, poſtquam hoc dilectionis Præceptum homini occurrit, aut propoſitum fuit. De quo parentes, & alij animatum curatores debent ſuos pueros, ac rudes admouere. Ratio præcepti pro hoc tempore eſt, Quia ad officium hominis viatoris pertinet vt nō multum differat hoc quaſi tributum perſoluere ſuo creatori, ad illum tanquam finem ſuum vltimum ſe conuertendo, eorumq; rebus omnibus creatis pręferendo: præſertim cum impletio huius præcepit pręrequiratur etiam

tam

tanquam neceſſarium principium, vt ſeruentur leges naturæ in Decalogo contentæ? neque ſine illa diſpoſitione iuſtitia in Baptiſmo accepta poſſit longo tempore conſeruari: neque per bona opera iuſtitiæ augmentum, & gloria obtineri. Et in hoc conſentit D. Thomas 1. 2. *Quæſt.* 89. *Art.* 6. Sotus, Bannez, Valencia hic *Diſp.* 3. *Quæſt.* 19. *Part.* 1. *&c.*

2. Obligat hoc præceptum in reliquo decurſu vitæ quoties tenemur iuſtificari, neque ſuppetit Sacramentum, aut alia quibus poſſimus iuſtitiam adipiſci. Patet, quia cum ſupponatur caſus quo tenemur iuſtificari, clarum eſt nos obligari ad medium illud vnicum quo poſſimus iuſtificationis præceptum adimplere.

3. Ad Charitatis actum obligamur, quoties ingruēte graui tentatione aduertimus periculum impendere, ne v. g. in odium Dei labamur, niſi contrarium diuini amoris actum eliciamus. Quia ſicut tenemur velle euadere illud periculum, tenemur etiam adhibere medium ſine quò nos lapſuros iudicamus.

4. Tenemur etiam in articulo, ſiue præſenti periculo mortis conari ad eliciendum actum perfectæ Charitatis, ſiue contritionis in qua illa inuoluitur. Quia cum ab illo articulo dependeat ſummi momenti ſalus æterna, debemus quærere omnem ſecuritatem nobis mortaliter poſſibilem, cum ad iuſtificationem per Sacramenta, & alia media, aliquid forte ob eis ſubbeſſe potuerit, vt plures docent.

Sed, an hæc tempora ad implendum Charitatis Præceptum omnibus ſufficiant, in vita præſertim plurium annorum, in quibus prædictæ occaſiones præcepti adimplendi non occurrentur?

Reſpondeo, Tali caſu tempora illa non ſufficere: quamuis fatear admodum difficile eſſe hic certum tempus determinare; cum viri doctiſſimi in eo deſignando parùm conueniant.

5. Dico igitur vlterius, Valdè conſentaneum videri, vt teneatur homo adultus ſaltem ſingulis Annis actū Charitatis elicere ex vi huius primi præcepti. Dixi, ſaltem ſingulis annis: nolo enim determinare an ſæpius teneatur. Ratio cōgrua quæ hoc ſuadeat videtur eſſe *primò*, quod appareat à ratione alienum, vt creatura rationalis quæ toto anno fruitur tantis Dei beneficijs tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus, cum ſpe hæreditatis æternæ tanto tempore negligat Deo perſoluere hoc annum Charitatis tributum, quod nouit illi præ omnibus actibus eſſe acceptiſſimum, & ab eo primariò præceptum, & toties inculcatum, etſi perſoluendi tempus non expreſſerit. Sicut rationi maximè diſſonum iudicamus, ſi filius per integrum annum neglicat optimo, & benefico parenti efficacē interni amoris, & obſequij affectum exhibere: multoque magis ſi parens præciperet, vt id aliquando præſtaret. 2. Quia cum hic Amor debeat eſſe præcipua Regula, & principium neceſſarium noſtrarum actionum quibus ad finem vltimum dirigamur, ſatis docemur illum vltra anni decurſum non eſſe differendum, ne hoc principio tam potentis tam, diuturno tempore deſtituti, aſſiduis corruptæ naturæ inſultibus ſuccumbamus. 3. Quia Deus per Eccleſiam plerumque Præcepta ad dictum finem conſtituta vltra anni ſpacium differre non ſolet; vti patet in Precepto ſumendi Euchariſtiam, & Confitendi mortalia. quæ ſingulis annis alligari voluit.

Ceterum de tempore huius Præcepti explendi quædam nunc habemus ſalubriter declarata in Decreto Innocētij XI proſcribente propoſitionem 5.6.7. hoc tenore: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei, ſemel tantum in vita eliceret, Condemnare non audemus. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquennijs per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum, Tunc ſolum obligat, quando tenemur iuſtificari. & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus.*

Secundum Charitatis præceptum, *Diliges Proximum tuum ſicut teipſum*, non importat æqualitatem amoris, ſed ſimilitudinem, vt ſicut nobis cupimus bona tam ſpiritualiam, quam corporalia, ita & proximo ea vellimus, quamuis non æquali menſura. Per *proximum* autem intelligitur omnis creatura rationalis, etiam animæ in Purgatorio, non autem dæmones, aut homines damnati.

Ordo Charitatis ſeruandus erga proximos hic præſcribitur: Primò, qui melior eſt, ſiue Deo gratior, magis diligendus, & honorandus eſt, quam qui minus bonus, aut Deo gratus. Et hoc modo magis diligi debet vir Sanctus, quam Parens improbus. Quia ille redditur dignior amore propter maiorem coniunctionem cum primario obiecto Charitatis, quod eſt Deus. Magis etiam ob coniunctionem nobiſcum diligendi ſunt parentes, quàm filij, vel coniux; & magis benefactores, quam alij quibus benefecimus.

In bonis pertinentibus ad vitam corporalem ſuccurrendum eſt ante cæteros, primò Vxori, quia hæc cum viro caro vna reputatur. 2. Filijs 3. Parentibus, & patriante matrem. 4. Fratribus, ſororibus, & deinde propinquis, domeſticis, & familiaribus: Excipe, quod in extrema

ma neceſſitate parentes ſint præferendi etiam vxori, & liberis, quia parentibus vitæ noſtræ originem debemus.

Quod dilectionem inimici, qnilibet homo priuatus ex præcepto tenetur proximo etiam inimico communia Charitatis ſigna, & beneficia exhibere: ſpecialia verò tantùm ex conſilio, niſi forte ratio obligationis aliunde accederet, v.gr. ex ſcandalo quod timeretur in aliquibus circumſtantijs, ſi inimico particularia iſta ſigna non exiberentur. Ratio eſt, quia communia iſta ſigna inimico prę cœteris, denegare, vindicta eſt quædam iniurio, quam non licet priuato per ſe exercere. Vnde etiam cum D. Thoma plures cenſent, morale eſſe ex genere ſuo (ſeclusis alijs circumſtantijs) ſi ouis aſſuetus vicinos omnes, aut domeſt icos obuios ſalutare, ſolum inimicum, quia talis eſt, ſponte inſalutatum prætermiteret.

In quali neceſſitate, & ex qualibus bonis teneatur aliquis proximo ſubuenire, deduxi ſuprà *Tract.* 1. *Quæſt.* 6. *Pag.* 16.

Sed *Quæſtio* vlterior eſt, An præter actus externos, teneamur etiam proximos actu amoris Interno diligere?

Reſpondeo affirmatiuè: Amorem proximi internum requiri docet Guil. Henrix *Par.* 3. *Diſp.* 11. *Num.* 61. *his verbis* Primum eſt, non malè velle, nec malè facere proximo: Secundum, *bene velle ei*, & bene facere, vbi neceſſitas: & circumſtantiarum ratio id requirit, &c. Et ex Societate caſtropalaus *Part.* 1. *Tr.* 6. *de Char. Diſt.* 1. *Part.* 5. citans D. Thomam, Suarez, Lorcam, ConicK; quibus adde Toletum, Turrianum, Molinam, Becanum, Ariagam, Tannerum, & plures alios Quamuis aliqui non requiſierint ſemper amorem illum internum, & formalem, quem vocant ſpecialem, ſiue ex motiuo diſtincto à quauis alia virtute, ſcilicet dilectionis Dei propter quem proximus amatur, & ab eo amore formali qui elicitur quando amor internus proximi neceſſarius eſt ad aliqua opera debita exhibenda. Ratio autem cur amor proximi internus, & formalis requiratur hęc eſſe poteſt. 1. Quia primo præcepto ſatisfieri debet per amorem Dei formalem. Atqui Scriptura dicit, huic ſimile eſſe ſecundum preceptum de dilectione proximi. Ergo etiam vt huic ſatisfiat repuiritur amor proximi internus, & formalis. 2. Obſequia externa quæ debent proximo ex Præcepto exhiberi ſunt plurima, & ſæpe admodum ardua, vt quæ fiunt inimico, & aliquando cum periculo vitæ coniuncta, vt in Baptiſmo pueri peſte infecti. Vt autem illa debitè, & conſtanter præſtari valeant, neceſſarius eſt ille internus animi affectus, quo homo impellatur ad difficultates illas ſuperandas: obſequia enim quæ ſine amore exercentur vix diuturna, & ſatis efficacia eſſe ſolent. Amore enim iſtius eſt naturæ, vt etiam maximè ardua faciliter, vt argutè S. Auguſtinus: Vbi amatur, vel non laboratur, vel lebor ipſe amatur. His accedit Decretum Inocentij XI. neceſſitatem illius amoris magis declarans, dum prohibet hanc propoſitionem 10. & 11. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolo actus externos.*

§. II.

Peccata quæ primo Decalogi præcepto prohibentur.

1. PRohibetur hoc Præcepto omnis *Superſtio* quæ eſt vitium inclinans ad indebitum Dei cultum: nempe quando alicui creaturæ præſtatur cultus, qui non debetur, vel ipſi Deo alio quàm deceat modo exhibetur.

2. Quatuor ſunt ſpecies Superſtitionis. Primò, idolatria, quando alteri quàm Deo diuinus cultus tribuitur. Secundò, Diuinatio quæ eſt rerum occultarum ante futurorum cognitio, quæ via humana haberi nequit, ſed dæmonis auxilio inquiritur: cuius varię ſunt ſpecies pro varijs modis quibus illa notitia comparatur, per certas figura, ſomnia, aquam, aſtra, inſpectiones auium, ſortilegia, &c. Tertiò, Indebitus Dei cultus, vt ſi quis iam vellet offere ſacrificia veteris legis. Quartò, Vana obſeruantia, vt ſi quis velit ex certo præcisè numero verborum, vel ex herba in terram defoſſa, vel ex nodo cinguli aliquod vlnus, aut morbum curare. Cùm enim huiuſmodi cauſæ ex ſua natura nullam habeant virtutem ad procurandum tales effectus, ſignum eſt illos cauſari opere dæmonis qui ex tacito pacto talibus ſignis in opem aduocatur.

3. Ex quibus patet, grauiter illos peccare, qui contra vulnera aut morbos circumſerunt quasdam ſchedulas, linum, aut lanam, aut pillos animalium; aut alia huiuſmodi, in puibus conſtant nullam eſſe naturalem virtutem contra iſtiuſmodi effectus. Multo magis qui ponunt talia ſigna vt alijs noceant, vt ſolent venefici. Non peccant autem quando adhibent aliquas herbas, aut res alias, in quibus viri prudentes iudicant, poſſe ſubeſſe

a li

aliquam virtutem naturalem ad procurandum illos effectus, pro quibus aſſumuntur.

4. Peccatum quoque graue incurrunt qui ex Aſtris, aut tempore quo quis natus eſt, aut lineamentis manus aut faciei, futuros euentus qui ab hominum libertate pendent, certa ſcientia ſe cognoſcere profitentur, vt eſt ſtatus vitæ futurus, Matrimonium fortunatum vel infauſtum, mors violenita, ſuſpendium, & alia huiuſmodi. Si tamen ex influxu aſtrorum vna cum hominis indole, ingenio, moribus, aliquis per ſolam coniecturam affirmet talem fore v. g. militem, aut Clericum, aut Epiſcopum, poterit ea diuinatio omni culpa vacare. Quia Aſtra & indoles hominis poteſt habere vim inclinandi voluntatem humanam ad certum ſtatum, aut euentum, non tamen illi neceſſitatem inferendi.

3. Superſtitio eſt, obſeruare quoſdam dies fauſtos, & alios quaſi infauſtos. Exempla huius ſunt, nolle opus incipere die Martis, credendo id eſſe infortunatum: nolle die Veneris vngues præſcindere, aut die Sabbati neræ ſeruare oua excluſa die Paraſceues ad extinguendum incendium: in feſto S. Antonij iumenta per eius templum nouies circumducere, Superſtitione quoque non caret orationes etiam ſacras certo tantùm verborum numero recitare aut Scriptas geſtare, quæ credãtur habere in ſe vim præſeruandi à vulnere, aut alia violentia.

Item, in luſu mutare ſitum corporis, aut pedes complicare ad auertendum in ludendo infortunium: aut ex certa gallinæ crocitatione more galli, credere malum aliquod imminere. Hæc enim & ſimilia, quę nullam habent cum tali effectu connexionem, ſi quis certò credat, eam virtutem habere, & ilis ad vitæ directionem frequenter vtatur, grauiorem noxam admittit, quia periculo ſe exponit ne à dæmone decipiatur, qui ſe talibus ſignis vanis & inutilibus frequenter immiſcet. Quod ſi quis ea tantùm leuiter, aut ſemel, interumue obſeruet, veniale tantùm peccatum admittere docet *Sanchez in Præc. Lib. 1. Cap. 40. Numer. 20. Tambur. Lib. 2. Cap. 6. §. 1. Num. 27.*

6. Sed quæritur, An iudicandus ſit ſuperſtitionem admittere, qui adhibet aliquam cauſam ad effectum de quo, re examinata, dubitat an poſſit naturaliter à tali cauſa procedere, v. g. adhibet oleum aut herbam ad ferrum aut aliud corpus præſens, qua experitur hominis abſentis vulnus aut ægritudinem in aliqua diſtantia curari?

7. Reſpondet alicui generaliter: Quoties iſtiuſmodi cauſa non cognoſcitur habere vires ad talem effectum, ſemper eſſe ſuperſtitioſum illum à tali cauſa expectare. Non videtur tamen hæc regula pro certà habenda. Multa enim ſunt in rebus naturalibus quorum virtus nobis latet ignota, vt quo modo vi magnetica ferrum trahatur, aut acus nautica magnete attracta ad ſtellam palorem ſeſe conuertat. Et ſanè S. Auguſt. Lib. 14. de Ciuit. Cap. 24. varia recenſet, quæ aliquis virtutis cauſarum naturaliũ ignarus facile demoni adſcriberet: inter hæc adducit hominem nomine *Reſtitutum*, qui, quando volebat, ita alienabatur à ſenſibus, vt etiam ignem ſibi admotum non ſentiret: & alium, qui ſudare ſolitus erat, quoties ipſi placebat, ſola voluntate ſudorem prouocare; & plures, qui pro libitu poterant vbertim lachrymas profundere. Noui & ego virum Religioſum facundè eruditum, qui affirmauit ſe poſſe ſolo volũtatis imperio ita retrahere ſpiritus celebrandę viſioni neceſſarios vt apertis oculis non videret.

8. Potior itaque apparet reſolutio *Sanchez hic Cap. 6. Num. 44.* in tali dubio, cæteris paribus, præſumendum eſſe potiùs pro natura quàm pro dæmone, quoties non occurunt aliqua ſigna immixtæ ſuperſtitionis, vt ſunt verba quædam incognita, aut vanus aliquis numerus rerum, quę ad talem effectum non poſſunt pertinere cùm enim ipſa natura ſit in poſſeſſione operandi res mirabiles, in dubio videtur illi effectus potiùs attribuendus. Aliud eſt quando à viris prudentibus iudicatur abſoluta eſſe improportio inter cauſam & iſtiuſmodi effectum: qualis videtur eſſe in oleo, aut herba reſpectu ęgri, aut vulnerati magno loci interuallo diſtantis.

9. Quæſtio grauis eſt, An, quando conſtat iam poſitum eſſe maleficium, licitam ſit illud tollere per aliud maleficium? Vt, ſi puer maleficio infectus ſit, poſſit parens accedere maleficum pro remedio maleficij?

Reſpondetur cum diſtinctione. Primò, licitum eſt tollere maleficium per deſtructionem ſignorum, quæ alicubi poſita ſunt vt dæmon alicui nocet, modò adhæc deſtruenda nouum maleficiũ nõ adhibeatur. *Nauarrus ac plures alij.*

Secundò, Si maleficus poſſit aliquo modo licito maleficium tollere, non eſt peccatum eum prece, aut etiam pretio inducere, vt maleficium auferat, etiamſi credatur ex ſua malitia per nouum maleficium id facturus. Quia, cum ſupponatur, poſſe via legitima id præſtare, habeo grauem & iuſtam cauſam id poſtulandi, ipſius autem malitiæ imputandum eſt, ſi modo illicito maleficium auferat: ſicut licitum eſt petere mutuum ab vſurario, etſi ſciam illum vſuras illicite exacturum, cum potuerit mu-

mutuum licito modo concedere. *Lugo, Diana, Leſſius, Sanchez lib 7. de Matr. diſp. 95. n. 11.*

Tertiò, Nunquam licitum eſt efficere, vt maleficium nouo maleficio tollatur, Quia hoc eſſet directè inducere in peccatum, & actum intrinſecè malum: Scriptura etiam apertè prohibente, Leuit. 19. *Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini.*

10. Debet autem Confeſſarius, antequam huiuſmodi maleficos, ſacrilegos, aut magos abſoluat, eos monere, & inducere, primò, vt pactum ſiue expreſſum ſiue implicitum, quod habent cum dæmone, ſeriò abiurent. Secundò, vt ſuas ſchedulas, ligaturas, libros, aliaque impiæ artis inſtrumenta comburant. Si autem chirographum aliquod dæmoni tradiderint, non eſt, abſolutè neceſſarium, vt recipiatur quia pactum illud per pœnitentiam diſſoluitur. Tertiò, vt promittant efficaciter quantùm poterunt damna alijs illata reſarcire.

CAPVT II.

De pertinentibus ad ſecundum Præceptum. Non aſſumes nomen Domini, &c.

§. I.

De Blaſphemia.

1. Blaſphemia eſt maledictio ſiue contumelia in Deum: vt ſi quis Deum vocet tyrannum, aut iniuſtum, aut dicat ſe aliquid Deo inuito facturum. Blaſphemia non admittit paruitatem materiæ, ſed ſẽper eſt peccatum mortale, quoties liberè profertur.

2. Peccatum Blaſphemiæ etiam in Sanctos, aut res ſacras contumeliam dicere, ſi proferatur in Sanctos, vt Sancti ſunt. Non enim eſſet graue peccatum dicere de aliquo Sancto, quod fuerit ignobilis, ſutor, indoctus, &c.

3. Si quis in iracundia, indignando non Deo, ſed homini, nominet Sacramenta, vulnera Chriſti, & ſimilia ſine aliorum ſcandalo, non erit illa Blaſphemia, ſed vana vſurpatio ſacri Nominis, & facile poteſt eſſe tantum veniale vt docet *Caiet. Sanchez, &c.*

4. Maledicere vento, & pluuiæ, qua affligimur: aut diei, & loco, in quo nati ſumus: aut equis, & iumentis, vt faciunt ruſtici aut aurigæ: ſi ſiſtat maledictio in ſola creatura ſic vt tãtum ipſi malum imprecemur, non eſt per ſe lethale peccatum: ſi autem indignatio tẽdat contra Deum, aut contra creaturas illas, quatenus ſunt inſtrumenta Dei committitur graue peccatum: quòd optemus creaturas deſtrui cum graui damno proximi, peccatum eſt contra charitatem.

5. Verba quæ tantum dubiè videntur ſonare aliquam contumeliam contra Deum, & poſſunt facile in alio ſenſu accipi, non debent cenſuri verba Blaſphema, ſi abſit praua intentio. Quia verba in dubio non ſunt accipienda, vt ſonent delictum, non enim præſumitur delictum, niſi de eo conſtet *Bonacina, Caſtropal. Tambur. lib. 2. cap. 6. §. 4 num 19.* Decet tamen à talibus verbis tanquam periculoſis ſtudioſe cauere;

6. Sed *Quæres*, primò. Quid cenſendum de parentibus aut alijs, qui ſæpè liberis, & amicis dæmonem, & damnationem imprecantur?

Reſpondeo, non eſſe Blaſphemiam, ſed diram imprecationem, quæ plerumque ob ſubitam iram, & inaduertentiam, ac defectum ſeriæ voluntatis veniale peccatum non excedit, nam plerique, ſi interrogentur, dicent ſe nullo modo voluiſſe, vt malum illud alteri eueniret. *Bonacina, Nauarrus, Tol. Regin. Baldel D. 25. Num. 10.*

7. *Quæres 2.* Quid iudicandum de illis, qui, frequenter ex praua conſuetudine verba Blaſphema inaduertenter proferunt? Quidam cenſent ſingulis vicibus mortaliter peccare, Alij tamen docent illos tantum peccaſſe in cauſa, dum conſuetudinem illam cum aduertentia contraherent, & nunc tantum peccare omiſſione diligentiæ ad extirpandam cõſuetudinem vitioſe contractam, de qua à Confeſſario ſerio monendi ſunt, etiam aliquando cum dilatione abſolutionis, ſi aliter non appareat emendatio. Ita Diana, *Part. 3. Tractat. 5 Reſolut. 65. & Part. 10. Tractat. 14. Reſolut. 13.* citans Suarez., & ſex alios. Item Leander de Iuramento *Diſp. 5. Quæſt. 18.* cum alijs, quibus non apparet quomodò verba illa, ſine vlla aduertentia malitiæ prolata poſſint eſſe per ſe formalia peccata magis quam eadem verba in ſummo, aut ebrietate prolata, cum hic, & nunc dum proferuntur, ab ſit omnis notitia, & aduertentia malitiæ, adeoque deſit nunc libertas illa quam ad merendum, & demerendum omnes requirere debemus.

8. Pro Blaſphemia, in Confeſſione grauem iniungendam eſſe pœnitentiam, diſertè ſtatuit Conc. Lateran. & Trident. *Seſſ. 14. cap. 8.*

Omni in iure Canonico *cap. ſancimus de maledicis*, ſtatutum eſt, vt ſi quis contra Deum, aut Sanctos publice blaſphemaret, per Epiſcopum ſuum his pœnis ſubijceretur, vt ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ palam dum

dum aguntur Miſſarum ſolemnia, exiſtat, & vltimo die pallium, & calceamēta non habeat & Sextis quibuſque ferijs intra illud tēpus in pane, & aqua ieiunet, &c. Nunc verò quoad praxim ſpectandæ ſunt conſtitutiones, & conſuetudo propuniendis Blaſphemis in varijs locis recepta, vt cum alijs aduertit *Azor*, & *Caſtropalaus* Diſp. 2. Punct. 2. §. 5. Viget autem in Hiſpania hæc conſuetudo, vt ſi homo ignobilis proferat Blaſpemias hæreticales, producatur in publicum cum galero papyraceo, collum ligatus ſune, lingua ligata palo, ſine pallio, nudis pedibus, & flagellatus tandem mittitur in exilium. Ex quibus patet Blaſphemum non debere mirari, ſi ſaltem à ſuo Confeſſario nonnihil ſeuerè tractetur.

§. II.

De Iuramento.

1. IVramentum eſt inuocatio diuini nominis in alicuius Teſtimonium. Ac proinde Iuramentum ſanctè ſuſceptum eſt actus latriç vndè fit vt ſolùm per Deum verum iurare liceat, qui ſolus eſt rerum omnium cōſcius, & infallibile Teſtimonium perhibere poteſt.

2. Iuramentum aliud eſt *Aſſertorium*, quo cōfirmatur dictum de prçſenti vel præterito: aliud *Promiſſorium*, quo confirmatur promiſſum de opere futuro. In Iuramento promiſſorio includitur etiam aſſertorium de voluntate rei facienda.

3. Iuramentum non eſt dicere. In mea fide, in mea conſcientia, in fide Chriſtiani, in fide Religioſi; æquiualent enim tantumodò his, ita eſt, verum eſt: neque Deus vt teſtis inuocatur. Niſi per ea verba quis intendat iurare, nam, & iuramentum ex intentione dependet.

Nec iurare per creaturam, iuramentum propriè eſt, v. gr. per animam, per dexteram, &c. modò ad Deum non referas, ſed tantùm per eam, quantum poteſt, veritatem confirmare intendas, etſi tali Teſtimonio abutens à peccato aliquo non excuſetur.

De habentibus conſuetudinem iurandi idem ferè dicendum quod ſupra de Blaſpemia *Num.* 7.

5. Mortale incurrit, qui iurat ſe facturum, quod credit ſe facere non poſſe. Item qui iurat falſum etiam ſine animo iurandi: Tum etiam qui iurat aliquid promittendo, ſine animo promittendi. Quia ipſa forma iuramenti falsò ſuſcepta eſt grauis in Deum irreuerentia. *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 97. *Art.* 7. *Leſſ. Bonacina, &c.* Peccat etiam grauiter qui iurat rem dubiam tanquam certam. *Suarez, Angel. Nauarrus, Cap.* 12. *Num* 7.

6. Qui iurat facturum ſe aliquod opus leuiter malum, peccat plerumque tantùm veniàliter; ſi verò id iurat ſine animo faciendi, peccat mortaliter. *Bonacina, &c.* Ratio prioris eſt, 1. Quia ſic iurās nullo modo Deum adducit in teſtem falſi: Supponitur enim habere animum commitendi illud veniale, quamuis exequi non teneatur, ſed potius omittere. 2. Iuramentum illud non continet grauem irreuerentiam quia etſi non ſit apta iuramenti materia, non eſt tamen grauiter inepta, quod patet, nam iurare ſe facturum rem merè indifferentem eſt tantùm veniale, eo quod ſit materia leuiter nō apta, vti ſatis conſtat: atqui materia venialis non excedit indifferentem niſi exceſſu veniali ergo illius ineptitudo ſiue irreuerētia in ordine ad Iuramentum eſt tantùm venialis. Quis facile cenſebit reum fieri ignis æterni, qui iurat ſe velle ſocio auriculam vellere, aut dicturum illi verbulum iniurioſum, aut ereptum obulum non reduiturum, quod nouit venialiter malum. Sic etiam cenſet Caietanus in ſumma *de iuramento*, Silueſter, Sotus, Nauarrus, Couar. Valentia Suarez, Sayrus, Fagundez, Baſſeus, Azor, Leander plures citans, & hoc longè probabilius affirmans, *de Iuramento Diſp.* 7. *Quæſt.* 37. Addidi tamen *plerumque*, quia poſſint in aliquo ſingulari caſu interuenire tam notabiles cirumſtantiæ, vt irreuerentiam grauem, vel etiam ſcandalum arguere poſſint.

7. Rem leuem in Iuramento promiſſam non præſtare, mortale non eſſet, v. gr. ſeruum aut prolem non caſtigare, vti probabilius docet, *Sanchez, Layman*, Sylueſter, Antonius, Nauarrus, Sotus, contra Caietanus in *ſumma Ver. periurium*, Toletum, Gabrielem, Tabienam *Ver. Iuramentum*, Fumum, Valentiam, & Leſſium *Inſt. Lib.* 2. *Cap.* 42. *Dub.* 5. cuius ratio mihi magis ſolida videtur: quia eiuſdem rationis eſt falſum reddere id quod Deus antea teſtatus eſt per Iuramentum promiſſorium, & facere vt Deus in præſenti falſum teſtetur, vti fit in Iuramento aſſertorio, quod ſemper eſt graue Nam quod veritas Iuramenti promiſſorij tantùm ſit futura pendens ab ipſo iurante, non facit quo minus æquè teneatur efficere vt verum ſit quod iurauit ſe facturum: quamdiu ſaltem res promiſſa non remmittitur, aut honeſta manet, de quo infra. Certum verò hoc eſt, vt leuiſſimum ſit, quod vel negando, vel aſſirmādo ſciēter iuras falsò, eſſe mortale

8. Si quis ſe iuret facturum, quod poſtmodùm non decet, non tenetur. Nec ſi iurauit alterius cauſa, qui fieri non vult quod promiſſum eſt. Niſi ſimul ad honorem Dei iuraſſet: Tunc enim videtur voti locum tenere. Etſi hic etiam, vt volunt quidam, nõ teneatur, ſi ille cuius fieri intereſt, obligationem remittat; vt ſi quis ad Dei gloriam iuraſſet, ſe pauperculam certam in vxorem ducturum, eaque relaxet promiſſum.

9. Fraude inductus ad iurandum, quam ſi nouiſſet, non iuraſſet, non tenetur. At extortum vi Iuramentum de re non illicita obligat, niſi vel relaxetur, vel ſit de Matrimonio ex metu, qui cadat in conſtantem virum, ad id obtinendum incuſſo.

10. Iuramentum de re imprudènti, indifferenti, aut melioris boni impeditiua, non obligat: quod poſtremum merito ſic intelligunt nonnulli, niſi iuratum ſit in alterius fauorem, v. g. ducere aliquam: non enim potes id poſteà omittere ob ſolum continentiæ deſiderium.

11. Iurans facere certo tempore, ſi non poteſt, tenetur poſteà, niſi ad ſolum illud tempus Iuramentum alligare voluerit.

12. Iurans non obligatur ad ea, de quibus ſi cogitaſſet, ea nõ intendiſſet in alijs quæ promittebat includere, ſed excluſiſſet: nec etiam obligatur, ſi id accidat, quod ſi fuiſſet Iuramenti tempore, pro temerario haberetur.

13. Si procurator ex ſpeciali mandato tuo pro te iurauit, teneris eius Iuramento, *Leander, Sà, alijque*.

14. Iuramentum de celando ſecreto, intelligitur, niſi alteri magis noceat ſecretum non aperiri, aliud eſt ſecreto confeſſionis Sacramentalis.

15. Iuramentum ſeruandi omnia ſtatuta, intelligitur ſi ſint licità, niſi abrogentur.

16. Ciuitatis Iuramentum, ſi pars maior non ſeruet, nec reliqui ſeruare tenentur. Non enim pro tali caſu præſumuntur ciues ſe obligaſſe.

17. Impuberis iuramentum, patre contradicente irritatur. Poteſt etiam pater irritare tale Iuramentum filij, etſi ſpeciem voti habeat, vt poteſt ipſa vota; ſic, & quiſque indirectè Iuramenta ſubditi, de rebus ſibi ſubiectis, ſi velit, irrita reddit.

18. Iuramentum à ſe factum ad Dei gloriam poteſt quiſque commutare in rem apertè meliorem, non ſi factum ſit homini. *Tolet Sanchez, alijque*.

19. Qui iurauit non petere diſpenſationem voti, vel Iuramenti, vel ea non vti, popoterit rem Superiori indicare, ſi ſic ratio poſtulet, & ſi is diſpenſationem dederit, eam liberè acceptare. *Sylueſter ver. Iuramentum*.

20. Qui ex priuilegio poſſunt diſpenſare in votis, vel ea commutare, non pretereà idem poſſunt in Iuramentis, *Nauarrus Cap. 27. alijque*.

21. Etſi Epiſcopus poſſit diſpenſare in Iuramentis Pòntifici non reſeruatis, cauſa tamen proportionata requiritur, vt diſpenſatio ſit valida. Non requiritur tamen illa in Iuramenti irritatione, vt hæc fiat valide, ſed tantùm vt fiat licitè.

QVÆSTIO ſat difficilis eſt, An qui iurauit redire ad carcerem, quo iniuſte detinetur, obligetur ad reditum, ſi ſubſit probabile periculum mortis iniuſtæ poſtea infligendæ?

Reſpondeo, Sententiam ab auctoritate eſſe vtrimque valdè probabilem. Teneri ad reditum docet *Suarez, Leſſius, Layman*, alijque quos citat, & ſequitur *Sanchez Lib. 3. in Decal. Cap. 11. Num. 32.* Admittit tamen Suarez, & Sanchez cum alijs quos citat ibidem Num. 35. Epiſcopum poſſe illud Iuramentum relaxare, & ſic obligationem redendi tollere: quia ius vitæ præbet iuſtam cauſam relaxandi. Negat verò abſolute tali caſu ad reditum teneri, *Vaſquez 1. 2. q. 96. Art. 5. Nauarrus, Fabiena, Sylueſter*, & plures iuriſtæ, nec non *Diana, Tamburinus, Reginaldus, Fagundez, Lib. 2. in Decal. Cap. 13. Num.* 10. alijque quos citat *Leander Tract. 1. de Iuram. Diſp.* 10. *Quæſt.* 21. Quia, inquiunt, Iuramentum ne tali re eſſet temerarium, quod non obligat; eſſet enim vinculum iniquitatis, in ordine ad mortem iniuſtè inferendam.

Excipe tamen tale Iuramentum, quod fieret ab eo qui ob Religionem captiuus detineretur, vel etiam apud Turcas, vel in alio caſu quo ex omiſſo ad carcerem reditu naſceretur magnum ſcandalum, aut contemptus Religionis: idque admittit *Nauarrus, Diana, Tamburinus Leander loco citato*, & plures etiam ſecundæ ſententiæ Auctores.

Quæres, quænam perſonę ad Iuramentum ſuſcipiendum in iudicio admittantur?

Reſpondeo, Non admittit, iure ſaltem communi, pueros, aut puellas ante annos paupertatis, qui ſunt in pueris 14. in puellis 12. In cauſis autem criminalibus non admittuntur minores viginti annis, vt conſtat ex lege *inuiti ff. de teſtibus*. Repellitur etiam qui antea fuit periurus *Cap. paruuli 23. Quæſt.* 5. Et Apoſtata. *Cap. alieni* 3. q. 4. Et inimi-

cus, aut maleuolus, *Cap. cum oporteat, de accuſ.* Excluditur etiam communiter qui eſt ſocius criminis, aut infamis, aut conſanguinei, & affines vſque ad quartum gradum illius pro quo eſt Teſtimonium dandum, ex *Cap. ſimiliter, de teſtibus, &c.* Et ſpecialiter Sacerdotibus interdictum eſt in iudicio ex leui cauſa Iuramentum præſtare, ex *Cap. ſi quis Presbyter 2. Quæſt 4.* Quia in cauſa non graui ſola teſtificatio ſacerdotis debet eſſe fide digna ſine Iuramento. Poſſunt tamen in Iudicio Iuramentum præſtare in cauſa magni momenti: in quo ſufficit Sacerdoti proprium pectus tangere, extra aliquos caſus qui excipiuntur in Iure *Cap. ſi quis Presbiter ſuprà.*

Damnata eſt ab *Innocentio XI.* de Iuramento hæc *Prop. 24. Vocare Deum in teſtem mendacii leuis non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem. Et Prop. 25.* Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurãdi, ſiue res ſit leuis, ſiue grauis. Et Prop. 26. & 27. de Iurante cum reſtrictione, amphilogia &c. ſupra *Pag. 32.*

§. III.

De Voto.

1. VOtum eſt, promiſſio deliberata Deo facta de bono meliori. Ea deliberatio requiritur ad obligationem Voti, quę requiri ſolet vt quis peccet mortaliter.

Sed quid ſi poſt emiſſum Votum dubitetur, an vouens habuerit ſufficientem deliberationem, & vſum rationis? Si vouit ante ſeptimum ætatis annum, in tali dubio non obligatur: quia poſſeſſio ſtat pro libertate, nec pręſumitur in illa ętate habuiſſe ſufficientem deliberationem. Si verò poſt ſeptennium vouit; non obſtante tali dubio manet Voto obligatus: quia poſſeſſio ſtat pro Voto, & pręſumitur vſus rationis, niſi ſatis conſtet oppoſitum: Ita *Sanchez, Diana*, & Doctores communiter.

2. Non obligat Votum de re vana, aut impeditiua maioris boni, neq; de re indifferenti niſi bono fine cohoneſtetur. Quia Deus talia Vota tanquam vana non acceptat, vt docet *Nauarrus cap. 12. aliique.*

3. Tenetur Voto qui intendit vouere, etiamſi non intendat implere: qui verò ſe non intendit obligare, non videtur intendere vouere; hoc enim ipſo, quo quis vouet ſe obligat; vti qui promittit, obligat ſe hoc ipſo quo promittit. Peccat tamen, & ſecundum quoſdã mortaliter, vouens ſine animo ſe obligandi.

Quæſtio eſt, An validum ſit Votum, aut Iuramentum numquam peccandi venialiter?

Reſpondeo negatiue, quia eſt de re moraliter impoſſibili, ſpectata communi hominum imbecillitate. Sed quid ſi ſit Votum de certo veniali, v. gr. numquam mentiendi? Reſpondeo Votum illud validum, & ſæpè laudabile eſſe: quia per inſignem diligentiam eſt moraliter poſſibile cum ordinaria Dei gratia ab omni mendacio abſtinere, vt admittit etiam *Leſſius, Sanchez, Suarez de Voto Capit. 3.*

Sed *Quæres*, An idem ſit de Voto vitandi omne prorſus verbum otioſum, aut omnem diſtractionem in oratione? Affirmat eſſe validum. *Caietanus 2. 2. Quæſt. 88. Art. 8.* & quidam alij.

Reſpondeo tamen, multò probabilius eſſe inualidum: Quia lingua eſt tam lubrica, & phantaſia tam inſtabilis, vt moraliter impoſſibile ſit in illis cohibendis omnem negligentiam ſemper euadere. Conſtat quidem S. Tereſiam emiſiſſe Votum ſemper faciendi quod iudicaret Deo acceptiſſimum: ſed ad hoc opus erat gratia prorſus rariſſima, & ad cooperandum gratiæ, rara auis in terris erat S. Tereſia.

4. Quoad Votum ex Metu, probabilius eſt Votum factum metu graui, ad id non iuſte incuſſo non valere, niſi firmetur Iuramento: Secus eſt ſi metus iuſte incutiatur.

5. Votum puellæ ob metum Patris reuerentialem, non valere quidam probabiliter aſſerunt, ſi præſertim timeat ne ab eo alioqui durè tractetur *Nauarr. Cap. 25. Nu. 51. cum varijs.*

6. Qui vouit ſolum ingredi Religionem, ſi in Nouitiatu ea non placet, poteſt exire, etiamſi vouiſſet animo perſeuerandi: ſic enim inſtitutus eſt, & intelligitur ingreſſus Religionis.

7. Violare Votum de re leui, aut de vitando aliquo veniali, eſt ſolum veniale peccatum. *Nauarr. Num. 40. Layman cum communi*, quod confirmatur in leui violatione paupertati, aut obedientiæ religioſæ: contrarium de Iuramento plures docent.

8. Non eſt plerunque in poteſtate vouentis ſe obligare ſub mortali, aut veniali peccato; obligatio enim pro quo qualitate materiæ quam vouet grauis, aut leuis incurritur.

Vota emiſſa ex Errore non obligant, ſi error fuerit circa ſubſtantiam rei promiſſæ, vel circa conditionem ſubſtantialem, vel circa finem ſiue motiuum vouendi. Hinc error circa ſubſtantiam facit vt non teneatur qui vouit dare calicem quem putauit eſſe argenteum, cum tamẽ ſit aureus: Error circa finem inua-

inualidat Votum offerēdi Deo Sacrificium in gratiarum actionem pro recuperata ſanitate amici, qui tamen eſt mortuus, aut non laborauit. Ita *Leſſius*, *Filliucius*, *alijque communiter*.

9. Non ideò Votum non obligat, quia accedit aliquid quod ſi præuideſſes, non vouiſſes; ſed quia accidit id quod ſi fuiſſet ab initio tēpore voti, obligationem Voto abſtuliſſet, vt ſi fiat res impoſſibilis aut, illicita, aut indifferens, quæ per ſe ſub Votum non cadunt.

10. Votum Sacerdotii, aut Votum non nubendi, non eſt Votum caſtitatis, poteſtque ab Epiſcopo diſpenſari.

11. Votum de impoſſibili non obligat, etſi res poſteà fiat poſſibilis. Ita D. D. Communius.

12. Illi poſſunt Irritare ſuorum Vota, quos diximus poſſe irritare Iuramenta, ſuprà §. 2. Num. 17. Qui tamen ſine cauſa irritat alterius Votum in quod conſenſerat, peccat quidem, ſed valida eſt irritatio.

13. Etſi Epiſcopus poſſit diſpenſare in ſuorum ſubditorum Votis Papæ non reſeruatis, diſpenſare tamen non poteſt Parochus. Quia in hoc non habet iuriſdictionem fori externi, *Suarez*, *& alij communiter*.

14. Votum omne, ex iuris auctoritate, commutari poteſt in Votum Religionis, quia hoc eſt maximè arduum, & diuturnum.

15. Poteſt quis non ſeruare Votum, quando obſeruatio vergit in periculum magnum, & non poteſt pro diſpenſatione adiri ſuperior. Excipe tamen Votum continentiæ. quæ melior ipſa vita exiſtimatur.

16. Cauſa diſpenſandi eſſe poteſt; facilitas nimia, ſiue defectus maturæ deliberationis in vouendo, infirmitas ad implendum, neceſſitas, vel vtilitas: quæ item cauſæ ad Votum commutandum idoneæ eſſe ſolent.

17. Papam poſſe in Voto ſolemni caſtitatis diſpenſare quidam negant, aliqui rectiùs affirmant, vtrumque ſat probabile Auctores admitunt.

18. Qui poteſt ex priuilegio diſpenſare, poteſt & commutare, non contra. Diſpenſatio autem in voto ſine iuſta cauſa inualida eſt, vt paſſim admittunt Theologi.

19. Diſpenſatio aut commutatio Voti; & Iuramenti inualida, & iniuſta eſt, quando ea cedit in præiudicium tertii, cui per votum aliquod ius acquiſitum eſt. Sed benè notandum, ius illud acquiſitum non eſſe, niſi promiſſio fuerit acceptata, ideòque poſſe adhuc Votum relaxari aut commutari: Ita *Roderic. Tom. 2. Cap. 131. Num. 4. cum alijs*.

Quinam autem poſſint in Votis, & Iuramentis diſpenſare, aut ea commutare, reperies ſuprà in ſerie Facultatum, pro Miſſionarijs, & alijs *Tract. 2. Cap. 5. §. 1. num. 9.*

Quæres, quænam Vota ſint ſoli Pontifici reſeruata, ſic vt nequeant ab alio, ſine eius facultate relaxari, aut commutari?

Reſpondeo; quinque eſſe Vota ſic Pontifici reſeruata: Votum Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apoſtolorum, & ad S. Iacobum Compoſtellam, & ad Terram Sanctam. In neceſſitate quando non datur recurſu ad Pontificem, poteſt illis Epiſcopus cum ſuis ſubditis diſpenſaſe, ita *Doctores* ex iuris conceſſione.

Quod ſi prædicta Vota fuerint pænalia, vt ſi fornicatus fuero, vouero in pœnam ſeruare perpetuam caſtitatem: vel ſi fuerint conditionalia, vt, vouero peregrinationem Compoſtellanam, ſi ab hoc morbo conualuero: talia Vota non cenſentur reſeruata, etiam poſt impletam conditionem. Quia non ſunt emiſſa ex virtute Religionis, ſed vel pœnæ explendæ, vel ſanitatis obtinendæ gratia; reſeruatio autem cum ſit odioſa rigidè interpretanda eſt. Poterunt itaque talia Vota relaxari ab ijs qui facultatem habent diſpenſandi aut commutandi alia Vota, vt docet *Caietanus* verbo, *Votum* Num. 6. Medina, Lopius, Aragonius, Palacius, & plures Theologi recentiores.

Quæſtio eſt inter aliquos Recentiores. An ſi obſtrictus Voto caſtitatis ſine delectationem propria, alium ſuo contactu ad pollutionem impellat, teneatur in confeſſione circumſtantiam ſui voti explicare?

Non deſunt auctores qui ſubſtinent partem negatiuam; eo quod talis in ſe ipſo nullam ponat actionem veneream caſtitati ſuæ contrariam?

Reſpondeo tamen, illum eſſe Voti tranſgreſſorem, & teneri obligationem talis Voti in confeſſione exponere. Quia vouit abſtinere ab omni actu venereo, ac proinde dum actionem illam in alio procurat, contra Voti religionem operatur.

Nec videtur cōtraria opinio tutò ſuſtineri, cum ea iuſſu ſupremi Tribunalis Fidei expuncta fuerit eſt ſumma Hieronymi de Lamas anno 1640.

De Votis Religioſis paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, tractauimus ex profeſſo ſuprà *Tract. 1. Cap. 6. Art. 3. Pag. 113.*

CAPVT III.

De tertio Præcepto, Memento vt diem Sabbati ſanctifices.

§. I.

De Feſtorum obſeruationem.

1. OBſeruatio Feſti incipit à medio noctis vſque ad medium noctis ſequentis. Violatur ſãctitas Diei Feſti exercendo opera ſeruilia, hoc eſt, quæ verſantur circa materiam externam, & pro Mechanicis haberi ſolent, vt fabricare, aut ſuere, aut ſimilia, quæ requirunt laborem corporis, qualis ab operarijs exerceri ſolet.

3. Illicitum non eſt diebus Feſtis inſtrumenta muſica pulſare, iter facere pedibus, equo, vel curru: quia hæc non ſunt ſeruila. Imò licita ſunt reliqua ad res eiuſmodi neceſſaria, v. gr. currum fractum die Feſto reparare ad iter iſtius diei. *Nauarrus*, *Tolletus*, *Suarez*.

3. Licet etiam diebus Feſtis docere, ſcribere, etiam accepto pretio aliquid non multùm operoſum tranſcribere. Imò licitum eſſe pingere docet *Medina*, *Lopez*, *Armilla*, & probabile putat *Layman*: de rudibus verò lineamentis die Feſto formandis, id plerique concedunt.

4. Seruile non videtur ad vitandum otium venari, aucupari, piſcari, ſaltem in fluminibus recreationis cauſa, ita cenſent *Granadus*, *Layman*, *Bonacina*. Idem de puellis ad otium vitandum non operoſè acu pingentibus, cum *Diana Part. 6. Cap. 5. Reſol. 25.* docet *Azor. Armilla*. *Sà*.

5. Non licet emere aut vendere res non neceſſarias; negotiari publicè vel priuatim inire contractus emptionis, permutationis, locationis: niſi ex conſuetudine, vel alijs iuſtis de cauſis excuſentur: quia iſta intelliguntur nomine mercatus: qui prohibitus eſt, *Cap. 1. de ferijs*, vt docet *Suarez*, *Bonacina*, *Filliucius*.

6. Queritur hic, quæ cauſæ excuſent ab obſeruatione Feſtorum?

Reſpondeo, 1. Diſpenſatio Epiſcopi, vel poteſtatem Epiſcopalem habentis, vel quaſi Epiſcopalem, vti habent Superiores Religioſorum, imò, & Parochi quando non datur facillis acceſſus ad loci Ordinarium.

2. Loci conſuetudo: hinc licitę ſunt Nundinæ in Feſtis paſſim haberi ſolitæ, & pręparationes ciborum etiam non neceſſariorum, vt placentarum, & ſimilium. Licitę etiam quibusdam locis ſunt emptiones, & venditiones rerum, quę paruo pretio emuntur. *Layman*, *Bonacina*, *alijque*.

3. Neceſſitas propria vel aliena, corporis vel animi: quando nimirum ſiue graui incommodo aliquid omitti non poteſt. Sic excuſantur ſerui, & ancillæ coacti à Dominis laborare, nec audentes recuſare: Si tamen id ſæpè contingat, regulariter eos deſerere debent. Item Piſtores, Laniones, Coci, Sartores in operibus neceſſarijs, vt in funeribus, nuptijs &c. ſi aliter fieri non poteſt vt ſatiſfaciant. Item Agricolæ, ſi ob imminentem pluuiam fœnum, vel ſegetes colligere debeant.

Denique exſcuſat paruitas operis, vel temporis, vnde graue non videtur *vna hora* laborare, ita *Suarez*, maximè, vt notat, *Layman*, ſi labor non ſit ſeruilis nimirum, qui breui etiam tempore corpus fatigat.

7. Peccat qui poſt vſum rationis die Feſto non audit Miſſam, peccat quidem venialiter, ſi pars patua ſpontè omittatur: mortaliter verò, ſi pars ſit notabilis v. gr. media, vel tertia pars Miſſæ. *Layman* tamen, & alij quidam non audent mortalis damnare eum, qui tantùm ab Offertorio vſque ad finem adfuiſſet.

8. Qui à duobus Sacerdotibus ſucceſſiuè duas Miſſas audit tantùm dimidias, peccat ſaltem venialiter: certè in eo peccatum admittit *Nauarrus*, *Sà*, *Sotus*, *Henriquez*, *Diana*. Quia talis non audit integram Miſſam, ſicut præſcripta eſt ab Eccleſia, & ſicuti communiter à fidelibus intelligitur, cùm illæ potiùs ſint partes diuerſarum Miſſarum, non conſtituentes vnam in ratione Sacrificij vel actionis ſacræ.

9. Multò minùs ſatisfacit, qui duas partes Miſſæ ſimul à duobus Celebrantibus audit. Nam hic prætereà valdè irreuerenter tractat Sacrificium adeò tramendum, dum tempus pro eo ritè peragendo neceſſarium aut conſuetum, non vult impendere etiam ipſo die, quem totum Deo conſacrare tenetur. De hoc extat *Pag. 53.* Innoc. XI. Prop. 53.

10. Non ſatisfacit etiam, qui ſub Sacro dormit, pingit, docet; vel qui poſt murum, aut tali loco eſt, vnde nihil audiri, videri, vel notari poſſit quod in Miſſa fiat.

11. Satisfacit tamen ſurdus, cœcus, & qui poſt oſtium, aut columnam, vel in feneſtra,

vel

vel extra eam ita eſt præſens, vt ex ſignis externis colligere poſſit, quid à celebrante agatur, ſpectata loci natura, etſi ipſe per accidens nullam Sacerdotis actionem videat vel audiat; modò per meralem coniunctionem ſit pars eius moltitudinis, quæ Miſſæ præſens dicitur: Ita *Bonacina alique*.

Quæret, An qui tempore *Præfationis* acceſſit ad Sacrum audiendum, quod vnicum eo die celebratur, teneatur audire ſaltem aliam partem ſequentem? Negat Ledeſma in ſumma *Part. 1. Cap. 27. Conſil. 5.* Ioannes Sanchez, &c. apud Dianam *in Miſcel. Reſol.* 60. Quia inquiunt, per reliquam partem illius Miſſæ non Poteſt implere præceptum, quod requiri Miſſam ſufficienter integram.

Sed verius affirmat *Moia* Part. poſtrema Select. quæſtionum, citans Suarem, & Sanchez Quod ſolidè probat: quia à conſecratione vſque ad communionē incluſiuà cõtinetur eſſentia Sacrificij, cui reliquæ partes ſunt tantùm acceſſoriæ, & integreantes: cum ergo principale non ſequatur acceſſorium, ſed contra, planè deducitur illum teneri adire iſtius Miſſę partem relinquam, quæ eſt omnino principalis.

12. Qui ex impotentia ſaltem morali impeditur exire, aut magna difficultate, aut ex notabili incommodo proprio, vel proximi, vel bonorum, vel honoris; non tenetur curare celebrari priuatim in Altari portatili cũ priuilegio, aut preces interim alias loco Miſſę recitare, quamuis id conſultum ſit. Quia non eſt mens Eccleſię pręcipientis inſtar diſcretę, & beneuolæ matris, alias impeditum ad iſta obligare: Ita *Bonacina*, *Nauarrus*, *Filincius*, *Suarez*.

Hic excuſanturilli, quibus ſi exeant ad Miſſam audiendam periculum eſt grauis offenſionis mariti, parentum vel dominorum. *Henriquez*, *Suarez*, *Filiucius*. Si tamen id ferè ſemper aut frequenter fieret, de alio medio laborandum eſſet.

13. Item: quibus graui eſt difficultas eundi ad Eccleſiam, ob diſtantiam, v. g. vnius vel alterius milliaris Germanici, vel etiam minoris ſpatij, maximè, ſi via ſit moleſta, cœlu pluuium, &c. vbi abenda eſt ratio perſonarum, ſexus, locis, temporis, & conſuetudinis. *Bonacina*, *Suarez*, *Filiucius*, *Marchant*, *&c.*

14. Denique, ſi ex conſuetudine fœminæ egredi non ſoleant tempore luctus, vel etiam poſt partum, excuſantur, *Sunneſter*, *Caiet.* Aut ſi quis non habeat tunc veſtes ſtatui ſuo conuenientes. *Nauarrus*, *Henriquez*, *Sa. Azor*, *Bonacina*.

15. Excuſantur à Miſſa audienda infirmi, quando prudenter timent, ſi Eccleſiam adeant, aliquo damnũ cõſiderabile in valetudine aut moram in conualeſcentia. Ita omnes dicere tradit Leander de auditione Miſſe *Tract. 2. Diſp. 2. Quæſt. 13.* citans Gaietanum, Nauarrum, Sotum, Suarem, Bonacinam, Henriquez, Hurtadum, Toletum, & plures alios. Excuſantur etiam conualeſcentes, quando timent quod exeundo domo ad Miſſam incurrent periculum maioris morbi, vt ſuprà citati, Quando verò de hoc dubitant, conſulendus, vel Paſtor, vel Medicus, vel Superior, vel alius vir prudens, niſi ipſemet æger talis ſit, vt in hoc ferre etiam iudicium poſſit. Manente aut dubio, rectè poſſe, illo practicè depoſito, non exire domo ad Miſſam, ne ſe exponat periculo maioris morbi, docet ibidem Leander, cum Bonacina, Trulleuck, Dicaſtillo, Geſualdo, ibi etiam citatis.

Alia de ſacrificio Miſſę diximus ſuprà *Par. 3. Tract. 4. Cap. 4. §. 5. &c.*

Quæres 1. Quid ſi inter hæreticos mulcta pecuniaria imponatur Catholicis in Sacrificio Miſsæ deprehenſis, vti ſæpius factum in Anglia, Hibernia &c.

Reſpondeo illam non excuſare, niſi aliquis adeò ſit pauper, vt mulcta illa ſit perſona aut familiæ valdè grauiter nocitura.

Quæres 2. An in diebus Feſtis Eccleſię liceat Catholico inter hæreticos eorum more officinam ſuam aperire, & merces vendere;

Reſpondeo affirmatiuè, & ſi hoc tantùm faciat ad damna euitanda, ſeruandam vniformitatem cum alij ciuibus. Quia non eſt mens Eccleſiæ fideles ſuos ad claudendum obligare cum tanto incommodo, & perturbatione, quæ poſſit indè frequenter oriri. Si tamen alicubi conſuetudo obtinuiſſet, vt maxima pars Catholicorum officinas clauderet, tenerentur alij ſe illis conformare, Ita etiam reſoluit *Leſſius in Oppoſthumo v. Feſta, caſu* 8.

Quæres 3. An idem dicendũ ſit de claudendis officinis Catholicorum quibuſdam diebus, quæ apud hæreticos publicæ orationi dedicantur?

Reſpondeo, Etiam Catholicos illis diebus poſſe officinas cludere more hæreticorum, quod etiam admittit *Leſſius ſuprà*. Quia hoc non eſt ſignum profeſſionis falſæ religionis, aut cooperatio aliqua cum ritu hæretico, ſed eſt tantum ſignum obedientiæ conformitatis politicæ per actionem ex ſe indifferentem.

Quæres 4. An ſi Herus quiſpiam habens tres ſeruos, iniungat eis laborem in die feſto, aſſi-

gnando ſingulis vnicam horam ſucceſſiuè, peccet mortaliter.

Fateor difficile eſſe ex vi huius pręcepti de opere ſeruili oſtēdere, ex qua ratione ille mortaliter peccet. Primò, non ex eo quod opus ſeruile exerceat, nam ſupponitur ipſe ab opere totus vacare. 2. Non ex eo quod adhibeat alios quorum ſinguli laborando venialiter peccant: quia inde tantùm ſequitur illum tot peccatorum venialium cauſam eſſe: prębere autem cauſam pluribus venialibus iuſſu, conſilio; aut conſenſu, non ſolet mortale reputari. 3. Nec quia illa opera ſeruilia à tribus exercita dici poſſint inter ſe coaleſcere, cum ſint operat diuerſarū perſonarum habentium diſtinctas obligationes perſonales, & à ſe mutuò independētes in ordine ab pręcepti obſeruationem. 4. Neque ex eo quod ipſis laborantibus, cenſeatur ille qui cōduxit ſeruiliter laborare; qui potuit toto die in templo rebus ſacris vacaſſe. Sic qui alijs auctor eſt vt ſinguli violent ieiunium leuiter per modicas comeſtiones ſucceſſiuas, quæ ab vno ſumptæ conſtituerent materiam grauem, ille quidem peccat, pro qualitate mali quod procurauit, contra charitatem proximi, nemo tamen dixerit illum frangere legem ieiunij eccleſiaſtici. Negat proinde in caſu propoſito talem herum peccare mortaliter, Bonacina *Diſput.* 5. *Punct.* 3. *Num.* 4. *& Diſput.* 2. *de peccatis*, *Quæſt.* 3. *Punct.* 5. Ouiedus, Trullench, Sanchez Diana, nec non Paſqualigus *Deciſ.* 301. quos, & ſequitur Leander à SS. Sacramento *de Præc. Eccleſ. Tract.* 1. *Diſp.* 6. *Quæſt.* 9. quorum opinio, vti patet merito probabilis cenſetur.

Reſpondeo tamen, potiùs in praxi dicendum eſſe, talem herum grauiter peccare. Quia praxis illa obnoxia eſſet grauibus incommodis, & ſępe ſcandalo non leui, ſi in populo, lucri ſemper auido, illa inualeſcere. Deinde, id quod quis efficaciter mandat, aut ſuadet fieri per alium, hoc ipſum plerumque cēſetur ipſe facere in morali ęſtimatione cum ſine illius mandato aut conſilio res non ageretur: hic autem herus mortaliter applicat ſingulorum manus tanquam ſuum inſtrumentum ad totam continuationem illius operis: Et Superior prohibens actionem ſucceſſiuam, non tam illius modum, quam ſubſtantiam durationis continuatæ ſpectare ſolet: & in hoc Pręcepto peculiare eſt, quod ſignanter cadat ſupra *diem* Feſtum, quod indicat ipſum *tempus* in opere continuatum. Videtur denique praxis illa tendere in fraudem legis de obſeruatione Feſtorum, quæ tali artificio facile eludi, & eneruari poſſet: atque ita inducere inter fideles grauem de ordinationem quæ inde facile ſequeretur, ſi ea praxis pro leui noxa haberetur; nam quædam actiones ex hoc ſolo capite grauis conſequentiæ, & periculi? non rarò grauem malitiam contrahere cenſetur: rationes aliæ magis pateſcent ex breui reſponſione ad ſequentia.

Dices igitur primò, iſti ſerui non peccant niſi venialiter, ergo neque herus aliter peccabit.

Reſpondeo, herum poſſe peccare, ex dictis, etiamſi illi quorum miniſterio vtitur, nullo modo peccent, verb. gr. ſi vtatur opera ſeruorum infidelium Pręcepto Eccleſię non obligatorum; vel etiam fidelium ſed inculpatè non reflectentium ad diem Feſtum. Sed, & conceſſo antecedente, negatur ſequela. Diſparitas eſt, quòd ſinguli famulorum tantùm paruo tempore laborent; neque vnus cooperetur (quem admodum ſuppono) *labori alterius*: Dominus autem iniungendo cuius opus vnius horæ, cauſa eſt vniuerſi operis, cedentis in notabilem prophanationem Diei feſti.

Dices ſecundo, labor ille ſucceſſiuus, & diuiſiuus, moraliter non eſt vnus, ergo mandans non peccat mortaliter, ſicuti non peccat qui fieri iubet *plura mendacia*.

Reſpondeo negando aſſumptum? nam labor iſte fit per plures ſeruos eodem modo, quo fieret per vnum, & quidem de mandato eiuſdem heri. Ad illationem dico, diſparitatem eſſe; quod peccata venialia non coaleſcant, eò quòd per ea ſecundùm ſe non inferatur graue nocumentum proximo, neque grauis iniuria Deo; Sanctitas autem Diei Feſti plurimum violatur per opus ſeruile pro notabili tempore, vt ſuprà oſtenſum.

Dices tertiò, herus non peccaret mortaliter, ſi famulos iuberet laborare ſimul per vnā horam: ergo neque peccabit grauiter, ſi eos iubeat laborare ſucceſſiue ſingulos per vnam horam.

Reſpondeo negando ſequelam: Diſparitas eſt, quòd in antecedente non laboretur notabili tempore, adeoque non grauiter violetur Sanctitas Diei Feſti, prout ſit in conſequente: nam ſpatium trium horarum notabile eſt reſpectu vnius Diei.

Dices quartò, in hoc caſu nec herus, nec famuli propterea multùm retrahuntur à debito cultu Creatori tum exhibendo: neque enim per totum diem operibus cælaſtibus vocare quis tenetur: ergo &c.

Reſpondeo, negando ſequelam. Et ratio eſt, quia cùm Deus certis diebus velit à nobis pecia-

cialiter coli, prohibet conſequenter ipſe, & Eccleſia omne opus ſeruile non neceſſarium; pro eiſdem diebus, quò nempe expeditiones eatenus ſimus ad cultum illum debitè præſtandum; quinimo ex obiectione illa ſequeretur, herum non grauiter peccaturum, etſi ipſe per tres horas conſequenter laboraret, ſi tempus reliqum Diei Feſti totum in templo rebus diuinis impenderet, quod nemo admittet.

Huic reſolutioni à fortiori fauet noſter *Toletus* Lib. 4. ſummæ Cap. 25. Num. 2. & *Fagundez* de Præc. Eccleſ. citans etiam noſtrum *Azorium* Tom. 2. Lib. 1. Cap. 18. qu. 5. qui docent à mortali non excuſari, qui pluribus diebus Feſtis pro modico tēpore in ſingulis laboraret, quod nimis rigidum exiſtimo, vti & cum alijs *Baſſæus*, & *Leander* ſuprà citatus; qui etiam liberalius docent excuſandum à mortali, qui eodem die Feſto duas horas citra cauſuam labori impenderet, vbi *Leand.* noſtrum *Palaum* ait non ſine temeritate aſſerere nullum Doctorem claſſicum id docere? hos pluresque, etiam in alijs, adire ſi cui placeat, in his, quàm in iſtis, multò plus in opinando Benignitatis inueniet.

§. II.

De Ieiunio Eccleſiaſtico.

1. IEiunium Eccleſiaſticum quoad ſubſtantiam conſiſtit in vnica per diem comeſtione, cum abſtinentia à carnibus, ouis, & lacticinijs. Præceptum Ieiunij non tantùm à Deo latum, ſed etiam ab Eccleſia impoſitum obligare ſub graui peccato ſatis patet ex eo, quod Eccleſia tanquam Chriſti vicaria debeat habere poteſtatem ferendi leges ad fidelium rectionem, qua iam inde à temporibus Apoſtolorum in certis Ieiunijs ac Feſtis ſub graui obligatione indicendis ſemper vſa fuit.

2. Ad ſubſtantiam Ieiunij non videtur ſpectare certa hora diurnæ refectionis, quæ eſt circa meridiem: hanc proinde horam ſine iuſta cauſa notabiliter præuenire, veniale tantùm peccatum rectius cenſet *Tolletus*, *Fillincius &c.* Contra *Nauarrum*, & quoſdam alios, qui id iudicant eſſe mortale. Illud verò tempus ad mediam circiter horam anteuertere ex iuſta cauſa v. g. ſi cum hoſpitibus comedendum, ſi iter accelerandum, &c. nullum omninò peccatum cenſeri debet.

Neque violatur ſubſtantia ieiunii præcepta, ſi quis debeat prandium diuidere, eo quod è menſa euocetur, vel tantùm per interualla poſſit accipere quod ad iuſtam refectionem ſufficiat, vti pauperibus contingere ſolet. Idem dicendum, ſi quid ante prandium ſumatur per modum medecinæ, vel propter debilitatem, vel quia debet alijs in menſa miniſtrare, vel ob aliam cauſam debeat vltra conſuetam horam prandium expectare. Quia hęc moraliter in vnicam tantùm refectionem coaleſcunt.

3. Non ſoluitur Ieiunium per crebiorem potum, etiamſi contingat in eo committi exceſſum quo contra temperantiam peccatur. Hoc enim Ieiunij pręceptum ex mente Eccleſiæ non circa potum, ſed circa cibum eiuſque qualitatem verſatur, vti agnouit ſemper communis Doctorum conſenſus. Licitum eſt quoties bibitur modicum cibi interponere, ne potus noceat, v. g. quinque vel 6. amygdala, modo id non fiat in fraudem Ieiunij, prout fieret ſi quis ſæpiùs id faceret ad tollendum Ieiunij incommodum. Admittit hoc *Reginaldus Diana Part. 1. Tract. 9. Reſol. 24. Buſemb. alijque.*

4. Collationis veſpertinæ quantitas. & qualitas multū pendet à conſuetudine Regionis apud viros timoratos. Licitum eſſe vbique ſumere quantitatem 6. aut 8. vnciarum docet hic *Suarez*, & 12. alij probati auctores: verùm illud ſolum modò intelligendum de illis, qui ampliori nutrimento indigent: nam alijs ordinariè ſufficiunt vnicę pauciores, vti etiam habet praxis timoratum. Hinc quartam partem quantitatis ſufficientis ad refectionem ordinariam minùs rectè admittit *Reginaldus*, & duo alii: quod tamen admiſerim, quando quarta pars ordinarię refectionis 8. vnicas non excedit, & hæ videntur neceſſariæ pro collatione, ex more à timoratis recepto pro varietate regionum, quę hic optima omnium regula eſt.

Vbi aduerte, cæteris paribus, locorum variorum conſuetudinem plus permittere viris nobilibus quàm plæbeis, Eccleſiaſticis, aut religioſis: item, in regionibus frigidis, quàm in calidioribus; quia ſatis conſtat in illis frigidioribus vim eſſe dirigendi maiorem, adeoque largiori alimento indigere, huic proinde ſententiæ cum pluribus ex ſcriptoribus Germanis ſubſcripſit *Layman hic lib. 4. Tract. 8. Cap. 1.*

5. Quoad qualitatem collationis, prohibetur cibus ſolidus, qualis propriè ad cœnam adhiberi ſolet, vt ſunt piſces, & oua, aut ex his confecta: ac proinde admittenda non eſt ſententia quorundam cum *Bonacina* aſſerentium, in collatione non tam qualitatem

quam

quam quantitatem ſpectandam eſſe. Quod ſi contingeret aliquem ſine reflexione Ieiunij per diem aliquid cibi ſumpſiſſe, non ideo debet à collatione abſtinere; niſi paulò ante collationem ita ſumpſit, vt ſpectato tempore, & quantitate poſſit pro collatione reputari.

Premittuntur in collatione fructus, & legumina, aliaue ex ſaccharo, & melle confecta: & pro more regionis modicum butyri, & caſei, vti in Germania, & Belgio, non vero in Anglia aut Hibernia, vſus obtinuit. Probabile autem eſt, quantitatem in collatione premiſſam poſſe ſic permiſceri vt ex ea fiat iuſculum, aut ſimile compoſitum, dummodo nihil cibi vetiti, ſed tantùm aqua aut vinum, panis, ſal oleum, aut fructus ingrediantur. Ita cum *Azor*, & 6. *alijs*, *Diana Part.* 1. *Tract.* 9. *Reſol.* 34. Abſque cauſa collationem ſumere manè, & veſperi cænare, veniale peccatum eſt. Fieri id poteſt abſque vllo peccato ſi adſit cauſa idonea vt eſt confectio itineris, venatio, piſcatio, ambulatio, etiamſi tantum ad animi relaxationem ſuſcipiantur, vt admittit *Diana*, & *Caſtrop.* cum pluribus.

6. In violatione Ieiunij poteſt paruitas materiæ excuſare à peccato mortali: qualis eſt ea quantitas carnis quam coquus ex neceſſitate guſtare permittitur: in alijs verò cibis quę vnciæ, ſiue quarta pars collationis veſperinæ, etſi quis poſtea prandium, aut collationem ſumeret. Si quis autem ſępius in die modicum ſumendo animaduerteret ſe ad quantitatem notabilem peruenire, is mortaliter peccaret: quia partes illæ ſic ſumptæ in quantitatem grauem coaleſcunt.

7. Si quis dubitet die Iouis an ſit audita hora noctis duodecima, poteſt carnes comedere, qua in tali dubio libertas eſt adhuc in poſſeſſione edendi niſi ſit duodecima. Secus dicendum ſi cænas die Sabbathi dubitaret an ſit hora 12. noctis, quia in die Sabbathi præceptum eſt in poſſeſſione ne comedas niſi ſit duodecima.

8. *Quæritur*, quænam cauſæ à Ieiunio excuſent.

Reſpondeo, cauſas excuſantes à Ieiunio, primò eſſe impotentiam, qualem habere cenſentur: qui ſine notabili damno ieiunare nequeunt: Hac ratione eximuntur à Ieiunio iuniores qui ſunt infra annum 21. completum: quibus etiam carnes miniſtrari poſſunt vſque ad annum ſeptimum, non vltra: Excuſantur etiam infirmi, conualeſcentes, prægnantes, lactantes, & alij, qui ad neceſſarias vires indigent ampliori alimento. Inter hos numerantur etiam ſenes ſexagenarij, ſaltem quando non conſtat euidenter poſſe ſine damno ieiunare: de hoc damno dubitetur non tenetur ieiunando ſe periculo exponere; fragiles enim ſunt ſenum vires, nec reſtaurari poſſunt quando ſemel defecerunt. Quinimò plurimum probabilis omnino ſententia eſt omnes abſolutè ſexagenarios quamuis validos à Ieiunio excuſari, ob rationem iam aſſignatam; aduntque probabiliter ſufficere vt annus ſexageſimus ſit inchoatus. Ita de anno ſexageſimo generatim docet *Diana Part.* 1. *Tract.* 9. *Reſol.* 20. & fusè *Leander in Præcep. de Ieiunio Tract.* 5. *Diſp.* 8. *Quæſt.* 17. vbi adducit ſuprà viginti Auctores, & inter hos Lamas 3. Part. Method. Capit. 5. aſſerentem Pium V. de hoc interrogatum ita viua voce reſpondiſſe anno 1570.

Propter impotentiam etiam excuſantur à Ieiunio pauperes, qui pro ſufficienti refectione non habent alium cibum præter prohibitum v. g. carnes, oua, lardum, inteſtina animalium, aut his ſimilia: non enim intendit benigna mater Eccleſia tota die ad panem, aquam, & pauca legumina illos adſtringere, aut alimentum viribus ſuſtentandis neceſſarium ſubtrahere: *Sanchez*, *Diana &c.*

Ob eandem cauſam nō immeritò idem *Sanchez*, *Nauarrus*, *Gabriel*, à Ieiunio quoad geminam refectionem excuſat eos qui laborant tertiana, vel quartana: vel quia ex ſtomaci vacuitate patiuntur capitis dolorem aut vertiginem; vel qui de nocte dormire aut celeſieri nequeunt. Quod vltimum tamen videtur limitandum, ſi nempe huic incommodo obuiare non poſſint ſumendo in prandio collationem, iuxta dicta Part. 3. Tract. 1. Quæſt. 10. in fine. Et ex peritis Confeſſarijs ſæpius audiui, fæminas dum ieiunant huic capitis infirmitati mundum obnoxias eſſe, de qua dum quæruntur, non debet prudens Confeſſarius ſe difficilem præbere.

9. Altera cauſa excuſans à Ieiunio eſt, labor, aut officium cum quo abſtinentia ciborum conſiſtere non ſolet, qualis eſt labor agricolarum, & plerumque opificum, non tamen Sartorum, Tonſorum, Pictorum, aut aliorum quorum labor æquè leuis cenſetur, vti docent cum *Leſſio* pleraque. Non deſunt intereà auctores qui exiſtimant Eugenium IV. ſinè diſcrimine omnes artafices à Ieiunio excuſare, quod vir eruditiſſimus, *D.N. Du Bois* non mittit ad 45. Prop. Damnā ab Alexandro VII. N. 585 vbi oſtendit dictum Eugenium, quatenus operarios liberat, intelligendum eſſe de

de illis quorum labor eſt incompatibilis cum Ieiunio.

At ne hic laboris prætextus extra ſuos limites extenderetur, prouidè Alexander VII. inter alias reprobauit propoſitionem 30. *Omnes Officiales qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Ieiunio.*

Excuſantur etiam qui pedibus iter conficiunt per magnam diei partem, ita *Sanchez, Fillincius*, &c. quod in Belgio inualuit de ijs qui quatuor leucas confecerunt, etſi tantùm cauſa recreationis iter illud ſuſceptum fuiſſet: non ita tamen ordinariè qui per vnum diem equitarunt; ſed bene ſi per plures dies vires equitando debilitandæ erant. Ita *Fillincius Tractat.* 37. *Capit.* 6. *&c.* Et vniuerſim nemo tenetur ob Præceptum Ieiunij omittere opus ad quod incumbit aliqua obligatio, ſaltem notabilis, vt rectè notat *Caietanus*.

10. Excuſant quoque opera Pietatis quæ cum Ieiunio nequeunt exerceri, etiam quando ob mercedem fiunt. Hinc ad Ieiunium non obligantur Concionatores, Præceptores ordinarij, Confeſſarij aſſidui, Cantores, & alij, quando per Ieiunium in peragendo officio multum impediuntur: hanc enim limitationem intelligunt, & plerumque apponunt auctores, *Nauarrus, Syluester, Fagundez, Fillincius, Azor. Part.* 1. *Lib. Cap.* 28. Atque in particulari abſolutè docet *Diana Par.* 1. *Tract.* 9. *Reſolut.* 9. excuſare Concionatores qui dicunt per totam Quadrageſimam, non verò qui Dominicis tantùm diebus concionantur. At *Sanchez in Conſil. Part.* 2. *Lib.* 5 *Cap.* 1. *D.* 13. iudicat à Ieiunio Quadrageſimę eos regulariter eximendos quibus ter vel quater in hebdomade cum feruore concionandum eſt.

De Lectoribus cenſet *Fagundez, & Diana ſuprà*, illos tantùm excuſandos quorum labor adeo magnus eſt vt nequeant alias officio ſatiſfacere. *Sanchez ſupra* magis in particulari determinat, Lectores illos qui habent aſſiduè quatuor lectiones v. g. Præceptores Grammaticæ in Societate, ſatisfacere ſi media tantùm Quadrageſima, ſiue ter in hebdomade ieiunent: quia labor ſic continuatur vires paulatim exhaurit. Sed notat ibidem *Sanchez*, ad tollendos ſcrupulos expedire, vt Superiores cum talibus quantum neceſſe eſt Ieiunio diſpenſent, cum hic nihil aliud certò conſtet, quàm præceptum Eccleſiæ cum magna difficultate non obligare, quanta verò in ſingulis officij, & perſonis ſit difficultas definire nequit.

Quando in perſona infirma, dubia eſt obligatio Ieiunij, non poteſt Medicus diſpenſare, ſed tantùm declarare talem eſſe ſtatum infirmi, vt cum Ieiunio difficulter conſiſtat, quo poſito per ſe deſinit eius obligatio. Quod ſi ſtatus ille permaneat dubius, à Superiore petenda eſt diſpenſatio. Quamuis, dum dubium eſt de graui damno ex Ieiunio, opus non eſſe diſpenſationem doceat *Ioan. Sancius* cum *Caramuele*.

Quæſtio apud aliquos difficilis eſt, An ille peccet, aut à Ieiunio excuſetur, qui v. gr. luſu pilæ, aut quatuor leucarum ambulatione ea intentione vires ſibi fatigauit aut exhauſit, vt ſic à ieiunandi obligatione eximatur?

Docent aliqui Auctores, infrà citandi, probabile eſſe hunc non peccare, aut ad Ieiunium obligari, modò ſimul intendat aliquam recreationem, quæ ex luſu aut ambulatione prouenire ſolet. Quia Eccleſia non præcipit abſtinere ludo propter Ieiunium, magis quam ab itineri ob lucrum non neceſſarium, aut ab alijs laboribus excuſantibus à Ieiunio. Poteſt igitur intendere iſtam in ludendo aut itinerãdo fatigationem tanquam medium non illicitum, quo poſito nouit Ieiunij Præceptum ceſſare: tantùm enim intendit ſe ponere in ſtatu qui eſt extra obligationem Ieiunij. Ita docet *Ledeſma in ſumma Tom.* 2. *Tractat.* 27. *Cap.* 2. *Pag.* 699. & *Diana Part.* 1. *Tract.* 9. *Reſolut.* 40. Quod confirmant ex eo quod ad euitandum Ieiunium, aut obligationem ceſſandi ab opere ſeruili, poſſis tranſire ad alium locum vbi Ieiunium non obligat, aut Feſtum non celebratur, vti cum alijs docet *Suarez, Sanchez, Diana Fagundez in Præcept. Lib.* 1. *Cap* 7. *Num.* 7. Sed de ſimili fatigatione in ordine ad Ieiunium, quando opus eſt illicitum, diximus ſuprà Part. 3. Tract. 1. q. 10. Ad quæſtionem de eſu carnium imminente periculo inter hæreticos, reſoluitur infra Tractat. 6. Quæſt. 7.

Quæres porrò, An ille qui ad Ieiunium tenetur, licitè poſſit poſt duas refectiones à ſe vno die Ieiunij illicite ſumptas, ſumere eodem die vlteriores?

Reſpondeo, partem negatiuam nobis videri veriorem, quam docet *Syluius in* 22. *Quæſt.* 147. *Art.* 6. & apud ipſum *Ioannes Medina, Couarruuias, Molanus &c.* Contra *Durandum* in 4. Dub. 15. Quæſt. 11. *Paludanum* ibidem quæſt. 4. Art. 5. *Caietanum, Nauarram, Dianam*, & alios non paucos, quorum opinio valde probabilis eſt. Ratio noſtra eſt, quia in die Ieiunij Eccleſia ſolùm permittit vnicuique, legitimè non im-

impedito, vnam comeſtionem, ideò enim præſcribitur Ieiunium, vt mortificetur caro; Atqui ad hoc neceſſarium ſeu planè conueniens eſt, vt tantùm vna per diem comeſtio ſumatur: Ergo præter ſecundam refectionem vetatur quoque alia vlterior. Sequela patet, quia tam hæc quàm illa refectio notabiliter repugnat mortificationi carnis. Alioqui lex de ieiunando, ſi tantùm inhiberet ſecundam refectionem, imperfecta valdè foret, & non ſufficiens ad finem ſuum proximum obtinendum.

Dices poſita ſecunda comeſtione, non poteſt amplius obſeruari Ieiunium, vti ab Eccleſia præſcribitur; ergo tunc non obligat.

Reſpondeo, non poteſt obſeruari eatenus perfectè, concedo: imperfectè ſiue ex parte, nego. Eccleſia namque præcipiens Ieiunium, non ſolùm, iuxta dicta, proibet ſecundam refectionem, ſed etiam tertiam, & quartam. Sufficit autem ad obligationem, quòd lex, ſi non integrè ſaltem vtcumque ſeruari queat; vti patet in alijs legibus tam diuinis quàm humanis. Et ratio eſt, qui Superior, vt prudenter procedat, debet velle obſeruari ſuam legem omni meliori modo, ad vrgendum bonum commune quod inde conſequitur.

Inſtabis, per abſtinentiam à tertia refectione non videtur mortificari ſeu macerari corpus.

Reſpondeo negando aſſumptum. Carentia enim illius quod nutrit, mortificat corpus: Tertia autem refectio etiam nutrit corpus, præſertim ſi ſecunda ſumpta ſit circa meridiem.

Nec refert, quod quorumdam corpora, etiam ſeruata vnica comeſtione, nihil aut parum macerantur. Superior enim in condendis legibus attendi quid ordinariè contingat, non quid extraordinariè; ordinariè autem corpora notabiliter macerantur per vnicam comeſtionem. Denique parum credibile eſt Eccleſiam voluiſſe fauere, ſiue laxare licentiam tranſgreſſoribus, qui per ſecundam comeſtionem iam auſi ſunt Ieiunij legem violare.

Quinam poſſint diſpenſare tempore Quadrageſimæ in carnibus, ouis, aut lacticinijs, indicaui ſuprà Part. 3. Cap. 5. §. 1. Num. 14.

CAPVT IV.

De quarto Præcepto Honora Patrem, &c.

§. I.

De obligatione Liberorum erga Parentes.

1. EX Præcepto diuino obligantur liberi Parentibus, & alijs Superioribus, ad præſtandum amorem, reuerentiam, & obedientiam, adeò vt ſi in aliquo horum grauiter deficiant, peccent mortaliter.

2. Hinc grauiter peccat Filius contra *Amorem* Parentibus debitum, ſi ſigna odij illis oſtendat, eoſque duriùs habeat. 2. Si neceſſitate, vel ſpirituali, vel corporali vrgente, eis non ſubueniat. 3. Si paſſim toruo oculo eos aſpiciendo, aſperèque loquendo ita ſe gerat, ac ſi eos odiſſet. 4. Si hæres cùm ſit, eorum legata, & teſtamenta non impleat. 5. Si mortem aut aliud infortunium graue illis optet. Ita *Nauarrus*, *Reginaldus*, *Filliucius*, *&c.*

3. Contra *Reuerentiam* peccat etiam grauiter: ſi deliberatè eos ad iracundiam grauem irritet, verbis contumelioſis, alijſque quibus ſciat grauiter offendendos. 2. Si eos percutiat quamuis leuiter; quin vt *Reginaldus* cenſet, ſi vel manum ad percutiendum deliberatè attollat. 3. Si pauperes agnoſcere nolit ac deſpiciat: ſi tamen iuſta ex cauſa nolit eos apud ſe habere, atque exterius tantùm ſe noſſe diſſimulet, modo de neceſſarijs ijs proſpiciat, à graui delicto excuſatur: eo quod parentes tali caſu rationabiliter non ſint inuiti. *Bonacina*, *alijque*.

4. Contra *Obedientiam* grauiter peccat, ſi in ijs, quæ ad bonos mores, gubernationem domus, vel animæ ſalutem ſpectant vbi res grauis eſt, ſit inobediens, *Filliucius Quæſt.* 10. *Num.* 10. 2. Si vxorem ducat ſe planè indignam contra expreſſam parentis voluntatem. 3. Si ſine iuſta cauſa vxorem eam recuſet duceret, quam iuſſerit parens, præſertim ſi parentum id ſuadeat neceſſitas: Iuſta verò cauſa videbitur recuſandi, ſi vel ſit immorigera, vel deformis, vel infamis, vel denique animus ab ea multùm auerſus ſentiatur. 4. Si nupſerit parentibus inconſultis, vt vult *Sanchez*: nihil tamen prohibet contrahere cum ſe digna, ſi vbi conſuluit parentes, id ipſi denegent. Nam quiſque in electione ſta-

ſtatus, ſui iuris eſſe cenſetur. *Sanchez Lib.4. cap. 15. &c.*

5. Proles ad alendos parentes inopes obligatur, adeò vt ſi iuuari aliter non poſſint, & vrgeat neceſſitas grauis, teneatur manere in ſæculo, & ſi quidem Religionem ingreſſa ſit, egredi, & iuuare parentes. Poſt profeſſionem, tantùm tenetur ſi neceſſitas ſit extrema: eoque caſu pergit adhuc obligari ad ſeruandum ſubſtantialia ſuæ Religionis. *Leſſius Lib. 2. Cap. 41. Dub. 3.*

Quæres primò: An filijs fas ſit aliquando parentes criminis reos accuſare, vel ad Iudices deferre.

Reſpondeo, Filijs id illicitum eſſe, propter naturalem reuerentiam parentibus debitam: præterquam in duabus potiſſimum cauſis; Primò, quando parens eſſet hoſtis aut proditor patriæ; ſecundo, quando in Principis necem vel interium conſpiraret. Quia ratio docet communem Reipubl. ſalutem, priuatæ præferendam eſſe: eſtque hæc communis opinio apud *Angelum*, *Sylueſter*, *Azor.* *Nauarrum in Manuali Cap. 14. Num. 2.* qui docet cum *Azor* alijſque, filium eo caſu non tantùm poſſe, ſed etiam teneri parentem acuſare, ſi deſit alius qui patrem ſceleris auctorem commode poſſit Iudici indicare; ad hoc enim obligat lex ordinatæ charitatis.

Quæres ſecundò, Quid ſi parens ſit occulte hæreticus, an filius teneatur eum denunciare?

Reſpondeo, filium ad hoc ſaltem teneri, quando parens falſa doctrina alios corrumpit, aut à vera religione ſingulari conatu auertere ſtudet. Quia hæreſis niſi impediatur, vt cancer ſerpit, & peſtiferum virus occulte infundit. Et ita docet cum alijs, *Alexander Aſten. Azor. Caietanus in Cap. 13. Deuteronomij*: vbi ſtatuitur vt pater prodat filium impium: Ergo eadem ratione filius patrem Deo impium, & hæreticum deferre debet, vt ipſius aliorumque ſaluti proſpiciatur.

Quomodo filio, aut filiæ poſſit permitti matrimonium cum hæreticis, vide *Tractat. 6. Quæſt. 23. &c.*

§. II.

De obligatione Parentum erga liberos.

1. CErtum eſt Parentes, auum, alioſque maiores iure naturali grauiter obligari ad procurandam educationem, & conſeruationem liberorum.

2. Mater ſecundum iura tenetur prolem alere ad annum vſque tertium finitum: quæ ſequitur educatio vſque ad emancipationem quę ad Patrem ſpectat, Excipe, niſi hic eſſet pauper, & mater haberet media ſuſtentationi prolis idonea. *Layman. Lib. 5. Tract. 10 cap. 3. &c.*

3. Pater obligatur non tantum proli legitimę, ſed etiam ſpurię, ex iure Canonico, alimenta procurare, & honeſtas artes, & dotem filiæ, iuxta ſuum ſtatum, ſi indigeant. Peccat proindè ommittendo ſaltem mediocrem diligentiam, vt in hunc finem media acquirat, aut ſi bona ad hoc neceſſaria dilapidet. Neq; poteſt dotem filiæ, aut patrimonium filio denegare, ex eo quod hic Ordines ſacros ſuſcipiat, aut filia inuitis porentibus alicui nupſerit. *Bonac. Azor, Reginaldus.*

4. In neceſſarijs ad ſalutem vt liberi inſtruantur curare debent parentes. Hinc grauiter peccant, primò, ſi quantùm in ipſis eſt non curent, vt bonis moribus imbuantur, vitent praua conſortia, mandata Dei, & Eccleſiæ obſeruænt, Sacramenta frequentent, Chriſtianam doctrinam ſeu rudimenta fidei addiſcant: Si vel exemplo, vel conſilio eos deprauent: denique ſi diſſolutos moderatè non puniant aut obiurgent. *Sylueſter, Soms, Bonacina.*

5. Sunt tamen aliqui caſus in quibus Pater filium poſſit exhæredare: ſi nouercam ſeu Patris vxorem cognouit carnaliter, ſi cum graui diſpendio parentum bona dilapidarit, ſi Teſtamentum à parente condi impedierit, ſi Patri detento in carcere ſuccurrere detractauerit fide iubendo. Denique ſi proles ante annum vigeſimum quintum vitam elegerit luxurioſam.

6. Atque hæ quidem cauſæ valent, quando filijs aliundè ſupereſt vndè viuant, vt fiat exhęredatio iuxta normam iuris Canonici, quod requirit vt cauſæ in Teſtamento exprimantur. Verùm quando, & vbi fieri poſſit ſæpè etiam pendet à iure ciuili, & municipali variorum locorum.

Quæres primò, An Pater teneatur dotare filiam volentem ingredi Monaſterium?

Re-

Reſpondeo teneri, eo caſu quo teneretur illam dotare volentem matrimonio temporali ſe copulare. Quia coniugium ſpirituale fauorabilius eſt in ordine ad obligationem dotis quam coniugium carnale, cũ ſit in ſe multo præſtantius,& leges ſoleant cauſis pijs præ cæteris fauere. Sic diſertè docet, & probat Sanchez de Matrim. Lib. 4. Diſp.26. Gum.7. citans Felinum, Baldum, Greg. Lopez, Menochium, Bonacinam, quibus recenter accedit cum alijs Leander hic Tr. 1. Diſp.12. Quæſt. 15.

Quæres ſecundò. An, & qualiter peccent parentes qui filiam inuitam cogunt vt Monaſterium ingrediatur?

Reſpodeo grauiter peccare: quia violant ius quod habet filia vt ſibi ſtatum vitæ liberè eligat, quæ eſt grauis iniuria, vtpote in re maximi momenti. Imò parentes, & alij ad hoc cooperantes, inciderent in ex communicationem latam à Tridentino Seſſ.24. cap. 18. de Regular. vbi hoc ipſum diſertè ſtatuitur. Præterquam *in caſibus à iure expreſſis*: vt ſi conſtet feminam feciſſe votum Religionis: vel ſi ſponſa poſt bimeſtre ab inito matrimonio, de Religione adhuc deliberans, non permittat matrimonium conſummari: vel ſi fœmina ob crimen damnata v. gratia, ad perpetuum carcerem, conditionem Religionis ingrediendæ acceptet, &c. in his enim caſibus cogi poteſt, cum ipſa ſe obligauerit, vt tradit etiam Henriquez, Portel, & Leander infrà.

Notandum tamen, 1. Quod ſi parentes non filiam, ſed filium cogerent ad Religionis ingreſſum, etſi grauiter peccarent, excommunicationem illam probabilius non incurrerent. Quia cum Concilium de fœminis tanum mentionem faciat, non debere ad filios extendi docet Leander in hoc prçceptum. *Tractat.* 1. *Diſp.* 6. *Quæſt.* 19. Palacius, &c. 2. Non incurri ſi parentes ad hoc efficiendum metum tantum leuem filiæ incuſſerint, quia hoc non eſt *cogere* vt loquitur Concilium, cenſent Bonacinam, Suarez, Sanchez, Leander, *ſuprà*.

Quæres tertiò, An, è conuerſo, parens vel alius ſine cauſa impediens Filiam ab ingreſſu Religionis ſimilem reatum, cenſuram incurrant?

Reſpondeo affirmatiuè, ex eodem Tridentino ſuprà *Cap.* 18. vbi ſic decernit: *Simili quoque anathemati ſubijcit eos qui ſanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impedierint*: Ita etiam Bonacina, Sanchez, Pellizarius, Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *Part. Diſp.* 23. *Sect.* 5. Cauſa autem iuſta impediendi poſſit eſſe, ſi quis prudenter iudicet filiam aut filium ad Religionem verè ineptum eſſe: vel illum Religioni noxium fore; vel quia in Religione quam ingredi intendit peruersè, aut diſſolutè viuitus: vt annotat Suarez *de Relig. Tom.* 3. *Lib.* 5. *Cap.* 9. *Num.* 9, Molina, Dicaſtillo, Bordonus, alijque.

Quæres quartò, An peccent mortaliter parentes, qui ſine iuſta cauſa, ſed abſque fraude, aut violentia, importunis precibus Filium retrahunt à Religionis ingreſſu?

Reſpondent omnino affirmatiuè, Sotus, & Nauarrus *Cap.* 12. *Num.* 44. *&c.* 14. *Tractat.* 17. quia id cedit in filij graue præiudicium, citans etiam D. Antonium, Paludanum, Angelum, Syluestrum, Tabienam: nec non Sayrus in Claui regia Lib.7. & Lib.11. & apud ipſum Ledeſma, Pet. Nauarra, Aragon, Salonius, & Hreg. de Valentia: accedit Mirandá, Bordonus, Molina, Dicaſtillo, Fagundez, Leander, alijque: quamuis hoc ex parte reſtringat Suarez *Tom.* 3. *de Religiones lib.* 5. *Cap.* 9.

Reliqua Decalogi Præcepta, Non ocides, &c. *pertinent ad materiam* Iuſtitiæ *erga Proximum, ideoque cum ea in ſequentibus oppoſite tradentur*.

CAPVT V.

De Iuſtitia, & Iure.

Cum cæteris Decal. Preceptis.

NOTA.

DE *Iuſtitia, Iure, Contractibus, &c. actum eſt à nobis ſupra huius Tom.* 2. *Part.* 1. Pag.40. & ſequentibus, *vbi tradidimus totam horum doctrinam ſpeculatiuam, naturam, diuiſionem, obiectum, ſubiectum, Dominum, præſcriptionem, vti & ſingulorum Contractuum in ſpecie*:

Hic igitur reliquam horum Doctrinam ad Praxim pertinentem in ſequentibus accurate complectimur, & eo fere ordine quo reliqua Decalogi Præcepta circa Iuſtitiam Proximo debitam in Bonis tam internis, quam externis verſantur.

De Omicidio, Mutilatione, &c.

1. HOmicidium eſt iniuſta hominis occiſio. Contingit enim homini iuſtè vitam auferri, ex Dei iuſſione, qui eſt ſupremus Dominus vitæ, & mortis, vel ex auctoritate legitima Reip. vti fit in ſuſpendio malefactoum, vel ex graui cauſa aliquid faciendo vel omittendo, ex quo mors hominis præter intentionem indirectè ſequatur. Non enim tenemur noſtram, vel alterius vitam in quauis circumſtantia, & quouis incommodo conſeruare, cum ad huius conſeruationem Præcepto tantùm affirmatiuo obligaret, quod cum incommodo valdè graui obligare non ſolet.

Hinc, nunquam licet auctoritate humana ſeipſum *Directè* occidere. Quia ſolus Deus eſt directus, & abſolutus Dominus vitæ humanæ. Licet tamen quandoque cauſam aliquam ponere, ex qua *Indirectè* mors ſequatur. Ita *D. Thomas 2. 2. Quæſt. 64. aliique.*

Vnde reſolues cum communiori Doctorum ſententia, 1. Licitum eſſe cum certo vitæ periculo peſte infectis ſeruire. 2. Ad vitandum incendium ſe ex alto præcipitem dare. 3. Perſiſtere cum tali periculo in ſua ſtatione militari. 4. Periculum idem ſubire pro conſeruanda caſtitate. 5. Ex carcere aperto non fugere, aut ſponte Iudici ſe plectendum ſiſtere.

Denique, *Quæſtio* in his valdè ſingularis eſt, An in prælio nauali licitum ſit militibus, ignem puluerì nitrico inijcere, aut nauem perforare, & ſe mari committere, ne ipſi cum naui, & opulenta admodum præda in hoſtis poteſtatem deueniant, quæ fuſius reſoluitur hic ſupra Tractat. 1. Cap. 13 Quæſt. 5. *Pag.* 28.

2. Quoad occaſionem *Alienam*, Licitum eſt occidere Aggreſſorem vitæ ſuæ, vel alterius: Hæc enim iuſta defenſio, non directa occiſio eſt.

3. Idem dicendum eſt in defenſione bonorum, honoris, caſtitatis, aut alterius virtutis, ſi id fiat cum moderamine inculpatæ tutulæ, id eſt, ſi alia ratione defenere nequeas: Niſi tamen res ſit momenti exigui, aut etiam magni, modo via iuris recuperari poſſit.

4. Non intelligitur modus inculpatæ tutelæ, ſi quis maiori vi vtatur, quam defenſio poſtulet, aut ſi qui inuaditur, dum poteſt, non vult fugere, niſi ſit perſona nobilis, cui fuga pro ingenti dedecore reputanda eſſet, *Malderus, Diana, Layman, Lib. 3. Tractat. 3.*

Illicitum eſt occidere quando aggreſſor iniuria illata iam actu fugit. Quia ſic non eſſet defenſio, ſed vindicta priuata: Ita *Toletus, Rodriquez*, cum communiori.

5. Præuenire non licet, & occidere inſidiantem vitæ tuæ priuata auctoritate, ſed ad publicam recurrendum eſt, quandiu nihil in te attentauit.

6. Tam qui occidit, quam qui mandat occidere homicidia eſt. Hic tamen ſi re integra, & fide bona mandatum reuocauerit, extra noxam eſt patrati homicidij: non ita qui conſuluit alteri homicidium, nam etſi effectu nondum ſecuto conſilium reuocarit, homicida, & irregularis eſſe non deſinit, ſi non deſierit occiſor illius conſilio moueri. *Syluius cum communiori.*

7. Filiam, vel Vxorem in Adulterio deprehenſam, itemque Adulterum, in foro conſcientiæ occidere non licet: & Leges ciuiles id inique permittentes à iure Canonico correctæ ſunt.

8. Mortale eſt procurare Abortum etiam ante animationem fœtus, licet fiat ad ſeruandam famam, ſalutem, aut vitam Matris: Simile peccatum eſt, aliquid quacumque demum ex cauſa præbere fæminæ, vel ab ea agi directè, ne prolem concipiat.

9. Ad Duellum, ſiue pugnam inter duos condicto loco, & tempore, vllo caſu expreſsè prouocare, aut illud acceptare, mortale peccatum eſt: Aliud eſt ſi publica auctoritate duo pro toto exercitu decernant, vti factum eſt in Dauide, & Goliatho: Vel ſi aliquis quouis loco inuaſus ferrum ſtringat, & pugnando ſeipſum defendat.

Pugnantes in Duello, item conſulentes, ſuadentes, ſpectantes excommunicantur, in *Concil. Trident. Seſſ. 25. cap.* 15. & plura extant in Bulla à Clemente VIII. ea de re edita.

Duellum acceptare non cenſetur, qui prouocatus reſpondet, ſe ob prouocantem à conſueta via non receſſurum, aut ſi aggrediatur ſe defenſurum. *Nauarrus cap. 15. Layman, Hurt. Leſſ. Filliucius, &c.*

Alterum mutilare, membrum aliquod amputando, aut vulnus infligendo ſine iuſta cauſa peccatum eſt contra Iuſtitiam: quod verum eſt etiamſi id fieret cum conſenſu illius qui mutilatur: aut aliquis ſeipſum ſine cauſa mutilaret, aut vulneraret. Ratio eſt, quia ſicut nullus habet Dominium ſuę vitæ corporalis, quod Deus ſibi reſeruatum voluit, ſic nemo re-

retinet Dominum ſuorum membrorum, vt poſſit de illis quouis modo pro arbitrio diſponere.

Hinc non licet ſe ipſum caſtrare ſiue ad caſtitatem conſeruandam, ſiue ad tentationes ſe dandas.

Vnde etiam peccant parentes qui filium caſtrent v. gr. vt illum cantui aut choro idoneum redderent.

Quæres quid pro hominis vita, aut vulnere, aut membri amputatione reſtitui debeat?

Reſpondeo ex communiori Doctorum ſententia, reſtituendas eſſe imprimis expenſas factas in curatione vulneris: item lucrum quod ceſſauit, & damnum quod emerſit ex alterius morte, vulnere, aut mutilatione.

Sed *Quæres*, An pro ipſo membro amputato, aut vita, aut cicatrice ex vulnere relicta, aliqua compenſatio ex Iuſtitia debeatur?

Reſpondeo, etſi aliqui id affirment, probabiliorem tamen videri ſententiam *Nauarri* aliorumque, qui negant vllam compenſationem ex Iuſtitia deberi. Quia membrum, & vita hominis eſt bonum altioris ordinis quam vt pecunia, aut alio pretio æſtimari, aut æquari debeat. Quamuis autem præciſe pro ipſa cicatrice nihil ſit reſtituendum, ſi tamen ex ea damnum ſequatur, v. g. in fœmina quæ ob deformitatem ex cicatrice contractam non poteſt pari nubere, debet ea iactura iuxta prudentis æſtimationem compenſari.

Damnatæ ſunt in hac materia non ita pridem ab Alexandro VII. & Innocentio XI. *propoſitiones hic ſequentes.*

Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat Alexander VII. Prop. 2.

Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, &c. Alexander VII. Prop. 27.

Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem à quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poſſit innocens damnum euitare Alexander VII. Prop. 28.

Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprenſam. Alexander VII. Prop. 19.

Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percuciat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat. Innocentius XI. Prop. 30.

Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei. Innocentius XI. Prop. 31.

Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. Innocentius XI. Propoſ. 32.

Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter (vt ſuprà) *defendere, ſicut & ius habenti in cathedram vel præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.* Innocentius XI. Prop. 33.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur. Innocentius XI. Prop. 34.

CAPVT IV.

De Peccatis Luxuriæ, *& ſexto Præcepto, Non mœchaberis.*

I. LVxuria eſt inordinatus appetitus, vel vſus ſenſus veneri, qui fit in corpore cum comotitione ſpiritum generationi ſeruientium.

2. Actus luxuriæ, alij ſunt perfecti, & conſummati cum ſeminis deciſione, alij imperfecti, qui ſiſtunt in eterno deſiderio, & oblectatione moroſa. Speciem ſumunt hi actus à diuerſis obiectis circa quæ verſantur ideòque ea in Confeſſione ſunt explicanda; vel etiam à modo quo exercentur naturali, vel contra naturam: diuerſitas illa magis patebit ex ſequentibus.

3. Fornicatio, eſt concubitus ſoluti cum ſoluta, quæ nempe libera eſt à Voto, Matrimonio, Religione, cum mutuo conſenſu habitus.

4. Inceſtus, dicitur concubitus cum cognatis, etiam ſpiritualibus, per Baptiſmum videlicet aut Confirmationem, & affinibus. Cognati hi ſunt vſque ad quartum gradum; vti & affines, quando affinitas illa oritur ex copula coniugali: ex copula autem non coniugali, ſolùm extenditur vſque ad ſecundum. Cum ijs qui Religionem profitentur, aut Sacris initiati ſunt, aut in loco ſacro, potiùs ſacrilegium videtur, quàm inceſtus. Cùm filia autem Confeſſionis, etſi cognatio ſpiritualis proprie non ſit, dignum tamen eſt flagitium Confeſſarij depoſitione, & carcere, & ob ſimilitudinem venit etiam nomine inceſtus.

5 Stu-

5. Stuprum, eſt copula quæ cum virgine exercetur, ſiue vir fuerit virgo, ſiue non.

6. Sodomia eſt, cùm ſexus eiuſdem duo commiſcentur, etiam fœminæ, vel cum fæmina vir præpoſterè extra vas naturale Quidam verò putant variari ſpeciem ſodomiæ, ſi fiat cum cognato, aut affine, aut cum habente votum caſtitatis, &c. Sed hoc parùm ad praxim iuuat, quia equidem in Confeſſione explicandum eſt, ſe ſodomiam commiſiſſe cum habente votum caſtitatis, affine, cognato &c.

7. Ad beſtialitatem reducitur etiam coitus qui fieret cum dæmone. Sunt autem beſtialitates reliquæ ſpeciei eiuſdem.

8. Sodomia, beſtialitas, mollities non ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ, ac proindè in his non ſufficit in Confeſſione dicere, ſe procuraſſe pollutionem: ſed exprimenda eſt particularis ſpecies beſtialitatis aut ſodomiæ, ita Alexandro VII. ſuprà.

9. Mollities ſiue pollutio graue eſt peccatum, quoties ſponte procuratur, aut voluntas in eam plenè conſentit. Pollutio inuoluntaria non eſt peccatum; nec opus honeſtum vndè ſequitur, v. g. Confeſſionem rerum turpium, relinquere oportet, niſi ſit periculum conſentiendi.

10. Defectu pleni iudicij, & conſenſus, in ſemi experrecto pollutio non eſt mortalis, *Sotus, Toletus cum communi*. Dum ea prouenire aduertitur pro ſecuriori praxi docent optimi Auctores, expedire tunc ſe munire ſigno Crucis, & ſine alio attactu Deũ feruenter rogare, vt ſe ab omni in eam delectationem lapſu conſeruet, Ita cum Theologis plurimis docet, & ſuadet *Sanchez, Buſen. Trullus &c.*

11. Oſcula, & tactus verè libidinoſi inter non coniugatos mortalia ſunt peccata, non autem inter coniugatos, ſi abſit periculum pollutionis.

12. Inter ſponſos amplexus, & oſcula licita ſunt in ſignum ſinceri affectus, beneuolentiæ, non autem tactus impudici, qui proximè ad copulam diſponunt. *Sanchez, Diana Part. 2. Tract. 17. Reſ. 6. &c.*

13. Quæ ab aliquo opprimitur, non tenetur ad defenſionem ſui illum ledere, vt verò tenetur clamare, & reſiſtere quantum poteſt ſine periculo vitæ aut famæ.

14 Si cogitationibus venereis voluntas ſe habeat negatiuè, id eſt, non conſentiat neque diſſentiat motibus luxuriæ, probabile eſt non peccare mortaliter, niſi adſit periculum conſenſus aut pollutionis. *Sanchez & 9. alij* probati Auctores.

15. Probabilem eſt ſimpliciter delectationem quæ fertur in perſonam coniugatam, aut affinem, non habere malitiam diſtinctam adeo quæ fertur in ſolutam, aut non affinem, ideoque non eſſe neceſſarium hanc circumſtantium in confeſſione explicare *Dian. Vaſquez, & 7. aliique illicitant.*

16. Si oſcula fiant ex vrbanitate, & ex more Patriç, non ſunt illicita, ſi non accedat prauus affectus. Viros Eccleſiaſticos, & maximè Religioſos decet illum Patriç morem, quantũ ſine offenſione fieri poteſt, meliori vrbanitate declinare.

QVÆRES: An, & quomodo vniuerſim cenſeatur aliquis peccare contra caſtitatem indirectè, ponendo cauſam rei venereæ proximam, aut remotam?

Reſpondeo primo, Quando aliquis facturus rem neceſſariam, aut ex ſe licitam prçuidet inde ſecuturos motus venereos, aut etiam pollutionem, quam nullo modo vult, aut directè intendit, tunc non tenetur abſtinere à tali actione, ſi non exiſtimet adeſſe periculum ne conſentiat in illam delectationem. Quia ad actionem illam aliunde neceſſarium, aut ex ſe licitam requiritur ille motus aut pollutio tantùm per accidens; homini autem proſequenti ſuum ius non imputatur effectus per accidens, & preter intentionem ſecutus, alioqui ſepæ deberet abſtinere ab actionibus bonis, & honeſtis. Hine 1. colligitur, non obſtante periculo talis effectus, licitum eſſe audire confeſſiones mulierum, etiam quando exponunt res lubricas, & venereas: 2. Studere caſibus qui circa talia verſantur: 3. Aſpicere, & alloqui perſonas alterius ſexus: 4. Seipſum, aut alium medendi cauſa, aut ex alia honeſta ratione contingere. Si tame aliquis expertus eſſet ſe ex ſimili occaſionen ſæpius vlterius in expreſſum delectationis conſenſum mortaliter prolapſum eſſe, teneretur à cauſa illa etiam ex ſe licita abſtinere, vt docet: *Nauarrus hic cap. 10. Sanchez, Fillinc. Laym. Nu 16.* vbi notat; illos qui in actionibus vtilibus, aut ex ſe honeſtis tales effectus experiuntur, facilius liberari, ſi animo obfirmato eos effectus contemnant, quam ſi nimio timore imaginationem moueant, & ſic mouendo magis ad cogitandum ſolicitent.

Secundò, Si cauſa, ex qua talis motus aut pollutio ſequitur. ſit proxima, ſiue ex natura ſua ad venerem ordinata, vt eſt talis tactus, aſpectus, lectio, aut locutio ex ſe luxurioſa, aut otioſè, & ſine debita cauſa exercentur, mortale peccatum eſt ab illis non abſtinere. Quia qui conſentit in talem cauſam proxi-

mam, cenſetur moraliter in effectum conſentire. Si verò ſit cauſa tantùm remotè; per accidens ad pollutionem concurrens, vt nimius potus, aut cibus, aut equitatio, aut confabulatio, etſi abſque cauſa, & vtilitate exerceantur, motus, aut pollutio ex illis ſecuta cenſetur tantùm venialis, dumodo ea non intendatur, & abſit periculum conſenſus venerei. Quia effectus ille in talibus cauſis tantùm remotè, & imperfectè continetur, & potius proueniunt ex imbecillitate complexionis, & naturæ, quàm ex intentione illius qui talem cauſam aut actionem ponit. Ita etiam docet *Sanchez*, *Fillincius*, *Leſſius*, *Diana* alios citans *Part. 5. Tract. 13. Reſol. 4.*

Itaque generatim vt ſciatur quando tales effectus cenſeantur eſſe intenti indirectè, ſiue in ſua cauſa, varij breuiter hanc Regulam ſtatuunt: Si cauſa in genere luxuriæ ſit peccatum mortale, pollutionem ex ea ſecutam eſſe mortalem: Si cauſa ſit venialis, illum effectum eſſe venialem. Si verò cauſa nullum ſit peccatum, effectum quoque nullum fore peccatum, ſecluſo ſemper periculo directi conſenſus in ipſam pollutionem ex tali cauſa prouenientem.

De Caſtitate Religioſa &c. Vide *ſupra pag. 137.*

Remedia contra luxuriam, quæ decet Confeſſarium in promptu habere, breuiter aſſiggat *Peyrinus Tract. 1. Quæſt 3; Cap. 2. alijque.*

1. Humilitas, & oratio, vt agnoſcentes noſtram fragilitatem ad Dei auxilium recurramus. 2. Sobrietas in victu, & carnis mortificatio. 3. Cuſtodia ſenſum, & vitatio familiaritatis cum mulieribus. 4. Fuga otij. 5. Piorum librorum lectio. 6. Mortis & æternarum pœnarum viua meditatio. 7. Frequens Communio, & confeſſio apud vnum prudentem, & ſtabilem Confeſſarium. 8. Occurrente tentatione, cogitare Deum adeſſe præſentem, ſeuerum peccati vindicem: ac frequenter animo reuoluere hanc ſententiam: *Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat.*

Inſtructio Theologica, & Aſcetica pro perſonis timoratis in hac materia Luxuriæ.

NOtandum primò, Corporis ad libidinem commotiones, & alterationes reliquas in hoc naturæ ſtatu, tam eſſe homini, etiam nolenti, naturales, quam ſit ipſa natura animalis qua homo conſtat, & quam Deus ad conſeruationem generis humani generando, ordinauit. Quod viri etiam docti, & timorati pro ſe, alijſque dirigendis in hac materia, præ cæteris anxia, & frequenti, ſepe non ſatis aduertunt.

Notandum 2. Documenta quæ hic appono, Auctorum eſſe apud omnes probatiſſimorum, non enim pro meis tantùm tradere præſumerem.

S. Bernardus apud *Rodriquez* Part. 2. cap. 20. ſic docet. Moleſta eſt lucta, ſed fructuoſa: quia ſi habet pænam, habet & coronam; non nocet ſenſus vbi non eſt conſenſus: imo quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat.

Item, *Bloſius* Abbas, & Aſceta celeberrimus. Qui, inquit, delectatur vanè ſibi placere, quam vis ſolum ſemel fiat, peius eſt in oculis Dei, quam ſi multus annos ſimiles pateretur motus quamtumlibet mali ſunt, ſi conſenſum non præbeat. Ideoque non eſt quod triſtetur aut magni faciat ſenſus vel cogitationes has: & in ijſdem potes te habere quaſi non per te, ſed alium tranſirent. Et potes tibi perſuadere (ait *Sanctus quidam*) eas extra te fieri: cogitationes enim prauæ in te ſunt ſi illis conſentias, & non aliter: & ſi non conſenſeris, domum tuam ingreſſæ non ſunt, ſed ſolum foris oſtiam tuum pulſarunt.

Alphonſus Rodriquez vitæ ſpiritualis ſingularis Magiſter *Part. 2. Cap. 20.* Conſiderandum, inquit, aliquos eſſe qui graui triſtitia & dolore afficiuntur dum ſe turpibus, & inhoneſtis cogitationibus vexari animaduertunt, ſic vt ſibi perſuadent à ſe Deo deſertos, & iram eius in ſe inflamatam, quod talia in mentem veniant: *qui magnus error* eſt, quod probat, & ſic prodit.

Aliqui quid ſibi in his agendum ignorant vt expellant, compeſcendo tempora, contrahendo frontem, mouendo caput, claudendo oculos: & ſubinde niſi dicant, nolo, videntur ſibi conſenſiſſe. *Maius eſt* damnum quo quis ſe hoc agendi modo afficit, quàm quod à tentatione patitur. Id diabolus petit, qui probè nouit illos longiſſime à conſenſu abeſſe: Idem illi non paruo ſed magno lucro eſt: nec negotium eſt quod magna vehementia peragendum ſit.

Sancti & vitæ ſpecialibus magiſtri docent modum his reſiſtendi non eſſe vt pugnetur quo fugentur, fatigando, & vim ſibi inferendo imaginatione, ſed ſolum illas parui faciendo, quod declarant quibuſdam ſimilitudinibus, vt dum caniculi latrant, ſi eos nihili facias &c.

Ideo-

Ideoque optimum in his remedium inquit eſt, eos flocci pendere: vel faciendum monent vt is cui ventus multum pulueris in faciem conijcit, ille vero hoc nihili facit, ſed occludit oculos, & progredietur. Et ad maiorem eorũ qui his tentationibus vexantur conſolationem vtque tandem aliquando indicantur hoc remedio vti, monent Sancti, quod quamtumlibet peruerſæ ſint cogitationes, nihil tamen easdem faciendas, ſed quo deteriores ſunt tãnto minoris illas ducendas, quod non tam ſunt periculoſæ. De S. Catharina Senenſi, alijſque Sancti ac timoratis exempla in hoc ſolida apponit.

Hæc, inquam, inſtructio pro perſonis timoratis, qui actu peccati timorem, & horrorem habent, non ita conuenit libertinis, & labi conſuetis, quibus potius contra cõſenſum voluntas firmanda eſt per conſiderationem mortis, inferni, æternitatis, de quibus ſuprà.

De hoc, & ſimilibus, documenta plura traduntur ſuprà de conſcientia Scrupuloſa in hoc Tomo 2. *Tract. 1. Cap. 1. ad Pag. 5.*

CAPVT VII.

De Præcepto VII. VIII. IX. Non Furtum facies, &c.

De furto, Rapina, &c.

1. FVrtum eſt occulta rei alienæ ablatio, inuito rationabiliter Domino; ſi fiat cum aperta violentia, dicitur rapina, quæ à furto ſpecie diſtinguitur.

2. Furtum non eſt, in extrema vel grauiſſima neceſſitate propria vel aliena accipere ex re alterius, quantum hic & nunc neceſſarium eſt ad ſubueniendum neceſſitati, neque obligatio eſt poſtea reſtituendi. Aliter ſentiendum in hoc de neceſſitate graui, ixta dicta *hic Tom.* 2. Tract. 1. Quæſt. 9.

3. Quantitas requiſita ad furtum mortale, æſtimanda eſt ex prudentum iudicio conſiderata pecunię raritate, & perſona furto læſa. Nõ male rem determinare videretur, qui ſtatueret quantitatem cẽſeri grauem, quę ęquaret ſtipendium diurnum honeſti artificis; ſolent enim homines laborem illum, eiuſque pretium pro re notabili æſtimare. Ita etiam docuit hic *Lud. Scylders*, & in ſuis dictatis plures alij Louani eruditi Profeſſores.

Laxior eſt *Sotus, Corona Nauarrus de furto, Num.* 3. qui docent mortale non eſſe lautas diuitias poſſidenti auferre tres argentos Reſpectu hominis quantumuis ditiſſimi vnum vel alterum aureum materiam grauem conficere cenſet *Bonacina aliique.*

4. Poteſt etiam in re modica aliquando graue peccatum admitti, ſi inde graue damnum eueniat, vt ſi quis ſartori acum, quam vnicam habet, ſuffuretur.

Quando domeſtici furta non admodũ damnoſa ſine magna difficultate reſtituere nequeunt, prudenter & licitè aget Confeſſarius, ſi illis iniungat, vt obſequijs extraordinarijs damnum compenſare ſtudeant.

5. Vxor à viro, filius à patre, ſi quid non magni prætij accipiat, non furatur: ſi tamen notabile quidam fuerit, omninò eſt reſtituendum.

6. Si quid contractu oneroſo, vt emptione, à fure acceptum ſit, ſufficiet id ei, aut cui ille voluerit reſtituere, etſi quidam Domino proprio id probabiliter doceant reſtituendum eſſe.

7. Qui pauca furatur per vices, vbi ſummam notabilem expleuit, obligatur ſub mortali ad totius ſummæ Reſtitutionem; modò illa pauca ſic accepta ſint, vt in morali æſtimatione, vna ſumma totalis, aut notabilis damnificatio cenſeri poſſint: Quia tunc in idem recidit, ſiue quis ab altero auferat ſummam notabilem paulatim, ſiue ſimul, cum in vtroque euentu damnum æquè magnum ſuſtineat proximus. Deinde hęc praxis, vtendi v.g. paruis vlnis, aut menſuris, eſſet grauiter perniciosa commercio humano; vt proinde Innocentius XI. rectè prohibuerit propoſitionem 38. huic doctrinæ oppoſitam. Fuſius hæc deducta inuenies ſupra *Tom. 2. Tractat. 1. Quæſt. 9.*

8. Sine furti crimine poſt vxor ſuccurrere neceſſitati ſui patris, aut matris, aut prolis ex alio Matrimonio, etiam nolente marito, ex bonis proprijs, aut communibus, dummodò poſt mortem viri ea, quæ largitur in ſua portione computet. Quia illa iure naturę tenetur eos alere, & maritus debet in hoc conſentire, *Nauarrus, Leſſius, Diana Part. 5 Tract. 8. Reſol.* 34. Quod aliqui ad vxoris fratres, & ſorores probabiliter extendunt.

9. Non furatur etiam v. g. famulus, qui moderatè vtitur tacita compenſatione, ſi ſtipendium ſuum (quod ſupponitur illi promiſſum, & certò debitum) non poſſit aliter obtinere. Vti plures docent apud *Layman, & Toletus. Lib. 5. Cap.* 15. contra alios paucos. Et hæc illorum ſic limitata doctrina, eſt omnino aliena à Prop. 37. reprobata ab Innocentio XI. *Famuli & famulæ domeſticę poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam*,

quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt. Quia hic compenſatio illa non relinquitur iudicio famuli, ſed requiritur expreſsè vt ſalarium illud totum ſit illis promiſſum, & certò debitum, & aliter obtineri non poſſit. Nihil autem horum trium propoſitio prædicta requirit: & ideò illa periculo iniuſti exceſſus, & abuſus viam pandere videtur.

QVÆRES, An liceat clam, aut etiam per vim propria auctoritate rem meam recuperare ab alio iniuſtè detentam?

Reſpondeo cum diſtinctione: Si res tua in ſpecie extet apud iniuſtum detentorem, nec poſſit facile aliter recuperare, licitum eſſe nō tantùm clam auferre, ſed etiam vim adhibere. Quia perinde agis ac ſi vim inferres furi volenti rem tuam rapere, aut raptam retinere, quod licitum eſſe admittit communis ſententia.

Quod ſi res tua apud alium non extet in ſpecie, ſed tantum in debito, quo alius tibi adſtrictus tenetur, quod non facile potes recuperare, tunc dico licitum non eſſe vi rem æquiualentem eripere, aut debitorem violenta coactione ad debiti ſolutionem adigere. Quia debitum vt legitimè recuperetur exigit cognitionem cauſę, cognitio verò cauſę requirit officium iudicis, nemo autem in ſua cauſa iudex eſſe poteſt.

QVÆRES præterea, An ille qui alteri damnum attulit ignoranter, aut non liberè, teneatur ad illud reparandum?

Reſpondeo negatiuè. Quia damnum non poſuit, damnificato rationabiliter inuito. Aſſumptum probatur: nemo poteſt velle, vt quis ſibi non inferat noxam, licet de ea inferenda inculpatè non cogitet, aut licèt neceſſariò eam inferat, cùm non poſſit ritè velle id quod tunc impoſſibile eſt. Confirmantur hæc ex Decret. Greg. *Lib.5. Tit.* 36. de iniurijs, damno dato Cap. vlt. nec non *Lib.3. ff. ad legem*: quibus conſonant Theologi paſſim omnes vnà cum Diu. Thoma.

Dices primò, quiuis licitè alterum arcet, etiam non liberè agentem; ne ſe lædat; ergo læſus in caſu rationabiliter eſt inuitus.

Reſpondeo, concedo antecedens, quia alioqui ius ſe ſuaque defendendi inutile pro magna parte foret; ſed nego conſequens, eò quòd diſpendium illud nec ab illo (vti ſuppono) nec ab alio inferente euitari potuerit.

Inſtabis, ſaltem poterit abſolute velle, vt quando iam iactura illa fuerit illata, reſtauretur ab inferente: hoc enim videtur requirere plena ſui defenſio.

Reſpondeo negando aſſumptum: defenſio vt ſit licita debet fieri modo competenti; qualis non eſt, ſi quis vellet obſtringere alterum ſub reatu pœnæ æternæ vel temporalis ad reſarciendum cum æquali detrimento aliquid, cuius ipſe cauſam non magis moraliter præbuit, quàm ſi beſtia, aut res aliqua inanimata illud effeciſſet. Aliud eſt, dum amentem, v.g. aut furioſum, volentem mihi nocere, ſimpliciter impedio: Tunc enim non volo fieri aut ommitti ſponte ab illo aliquid, quod facere aut omittere ſic nequit; ſed tantùm conatui eius re ſiſto, ſicuti reſiſterem furori alicuius bruti vel elementi, quo vtique permiſſum eſt.

Dices ſecundò, ille qui poſuit cauſam damnificatiuam bona fide, tenetur eam re cognita remouere: ergo etiam tenetur reparare noxam, qui illam intulit eadem fide.

Reſpondeo, ille de quo in antecedenti, tenetur ad hoc ex Charitate, concedo: ex Iuſtitia, nego; Cum enim illa actio ab eo proceſſerit more non humano, in æſtimatione morali tantumdem eſt, ac ſi ab eo non proceſſiſſet. Proinde non tenetur etiam alter reſarcire damnum à ſe bona fide allatum, ne quidem ex Charitate: quia non poteſt reſarcire abſque damno ſecundum ſe graui aut æquali, prout facere poteſt prior cauſam remouendo.

Inſtabis, cùm alteruter in caſu incommodum ſubire debeat, ſatiùs videtur, vt is vltimatè ſubeat, qui illud à parte rei intulit.

Reſpondeo, negando aſſumptum: etenim rationi conſentaneum haud eſt (vt ex prædictis liquet) obligari creaturam rationalem ad reſtaurandam iacturam, quam poſuit abſque vlla culpa. Proinde offenſus cogitare potiùs debet, ſibi illud non tam per hominem, quàm per infortunium obtigiſſe. Si tamen prudenter dubitaret, num afferens aut permittens damnum, aliquam culpam ſeu negligentiam commiſiſſet, tunc licitè poſſet eum ad reparationem vrgere per magiſtratum, qui iuxta leges Ciuiles in ſimilibus fauet damnificato. Et ex his patet, tutam eſſe hanc reſolutionem, quæ in praxi magni ſæpe momenti eſt, & paſſim magis ſupponitur quàm ſtabilitur.

De alijs Iniurijs, & Peccatis, quæ Pręcepto 8. 9. & 10. aduerſantur, ex ſequentibus conſtare debet.

ſta-

CAPVT VIII.

De Contractu in genere.

COntractus eſt conſenſus externus duorum quo liberè, & legitimè vtraque pars vel ſaltem vna alteri acceptanti, ſe obligat. In qua definitione, pleræque conditiones ad contractum requiſitæ implicitè continentur.

1. Ex qua ſequitur primò, non perfici contractum, aut obligationem, ſi alteri promiſiſti ſic, vt ſolus ipſe ſis conſcius: imo etſi ſignum externum acceſſerit, ſi non acceptauerit alter, contractus nullus eſt, ac nulla proindè obligatio.

2. Qui ad contrahendum ſunt inhabiles, aut quibus ius poſitiuum reſiſtit, nihil agunt contrahendo, v. g. pupilli, fatui &c.

3. Nihil item agitur, ſi materia contractus ſit illicita, vel illegitima, vti eſt res aliena vt cognita.

4. Eadem eſt ratio, ſi circa rei ſubſtantiam vis dolus, error verſetur, quod accidit, v. g. vbi acetum vænijt pro vino, vitrum pro gemma.

5. Si tamen, circa qualitatem tantùm, aut circumſtantiam eiuſmodi accidentalem, error doluſue interceſſerit, non idcircò contractus continuò eſt inualidus: Poterit is nihilominus interdùm ob iniuriam reſcindi.

6. Imò nec ſi ex metu graui etiam iniuſtè incuſſo celebretur contractus, idcircò inualidus dicendus erit, ſiue oneroſus is fuerit, ſiue gratuitus: eſt enim adhuc liber ſimpliciter, & voluntarius; licet à iudice reſcindi poſſit ex arbitrio illius, qui metum paſſus fuerit. *Sanchez, Layman, Lugo, hic D. 22.*

7. Excipitur iure poſitiuo contractus Matrimonij, Profeſſio religioſa, & alia quęcumque vota, quę tali metu extorta non obligant; item contractus dotis, qui in hoc contractum Matrimonij ſequitur, Promiſſio vel traditio in rebus Eccleſiæ, auctoritas Tutoris per metum extorta. *Leg. 1. §. vlt. ff. de auctor. tutoris.*

8. Illegitimè contrahunt, quibus bonorum ſuorum adminiſtratio non conceditur, eiuſmodi ſunt furioſi, prodigi, filij familias, vxores Religioſi, pupilli, minores. Excipe caſus aliquos quos habet *Leſſius Lib. 2. Cap. 17. Diſt. 4.* & qui infra occurrent.

NOTA.

PRæter hæc, de Contractibus in genere, & ſingulis eius ſpeciebus, vti & de Cambio, Societate, Emphiteuſi, Montibus pietatis &c. alia tam ſpeculatiua, quam practica tradi hic ſupra, *Tomi* huius ſecundi *Part. 1. de iuſtitia Cap. 2. pag. 43. & ſequentibus.*

CAPVT IX.

De Donatione, & Promiſſione.

1. DOnatio alia eſt Verbalis, per quam res donata non traditur, & parit tantum actionem perſonalem, in eum, qui donauit. Alia eſt donatio Realis, in qua res donata etiam traditur, & ſtatim tranſit in rem accipientis.

2. Donatio, etiam adhibita ſcriptura, & teſtibus, poteſt ante acceptationem reuocari. Ad donationem validam requiritur, vt abſenti eam indicet ipſe qui donat, nec ſatis eſt id fieri ab alio, ſine eius mandato: quod ſi is cui res donatur, pręſens taceat, cenſebitur acceptare. Quia in fauorabilibus qui tacet, conſentire cenſetur.

3. Donatum pro abſente acceptare poteſt Notarius, & pro cauſa pia homo quilibet cum vſu rationis.

4. Bonorum omnium donatio non ſemper eſt inualida, ſi donans pręſentia tantùm bona intelligat, nec adiungat etiam futura; ſi quidem pietatis; aut dotis, aut mortis cauſa donatio facta ſit, aut ſi ea iuramento aut morte firmetur. *v. Molin. D. 280.*

5. Qui certam ſummam donando excedere prohibetur, Titulo tamen remunerationis, gratitudinis, eleemoſynæ donare poterit; etiam ſic imminuta aliqualiter portione legitima filiorum: Ita *Nauarrus, &c.*

6. Quod datum eſt per modum diſpoſitionis tantum ad aliquid, v. gr. ad religionem, aliumue ſtatum, retineri poteſt, etſi poſteà ſtatus ille non ſequatur.

7. Rex poteſt reuocare donationem tam ſuam, quàm prędeceſſoris ſui, ſi illa Regnum enormiter lædat. *Bart. Lugo, Diana, Part. 8. Tract. 6. Reſol. 18. &c.*

8. Modus adiectus donationi turpis, vel impoſſibilis, cenſetur non adiectus. *Molina, D. 208. Col. 5. &c.*

9. Donatio inter viuos, etſi res iam tradita ſit, reuocari poteſt in certis caſibus, niſi illa fue-

fuerit remuneratoria, aut facta Eccleſię, aut Monaſterio.

Primus caſus eſt, ſi donatarius probetur eſſe enormiter ingratus, v. g. ſi donanti graues iniurias inſerat, aut inopia laborantem non ſuſtent: quod notandum eſt ingratis filijs, quibus parentes omnia donarunt: *Leſſius*, *Syluester*, *Trul. Bonacina*.

2. Si donans caruerit liberis, & poſteà ei proles naſcatur: hæc enim conditio ineſt donationi, ex diſpoſitione iuris, vti notat *Diana*, *Sà*, *&c.*

3. Si donatio fuit talis vt filij omninò priuentur legitima portione, poſſunt eam, etiam ipſi filij reuocare. *Nauarrus*, *Leſſius*, *Diana*.

10. Simplicem promiſſionem rei notabilis, etiamſi à promiſſario acceptatam, per ſe non obligare ſub mortali docet *Caietanus & quidem alij*. Probabilior tamen videtur contraria opinio, quam tenet *Malder. Vaſqu. Fillinc. &c.* ſi quis veram promiſſionem ſeriò expreſſerit, & non ſolùm propoſitum aliquid præſtandi.

11. In forro tamen externo vt iudicetur ſeria, & valida promiſſio, vltra acceptationem requiritur vt exprimatur cauſa propter quã facta fuerit promiſſio, vt tradit *Couar. Vilal. Trullus Lib. 7. cap. 16. D. 6.*

Plura de Promiſſione, & Donatione colliguntur ex dictis ſuprà de Voto, & infrà de Teſtamento.

CAPVT X.

De Commodato, Depoſito, Mutuo.

1. COmmodatum eſt contractus, quo res aliqua quoad ſolum vſum, pro certo tempore, & gratuitò conceditur.

2. Depoſitum, eſt quod traditur cuſtodiendum, vt integrum reſtituatur.

3. Mutuum ab vtroque differt in eo, quod transferatur in alium Dominum illius rei quę mutuo datur, non item in illis quę dantur per modum depoſiti, vel commodati.

4. Ante tempus definitum commodator rem commodatam repetere non poteſt ſine iniuſtitia. Si tamen ex eo, quod re ſua careat, illi damnum impendeat, poteſt eam ante tempus repetere, quamuis indè damnum æquè magnum impenderet commodatario. Quia (vt ait *Nauarrus*) in commodatione hæc tacita inuoluitur conditio: niſi intereà contingat rem eſſe neceſſariam commodanti.

5. Re depoſita licitum eſt vti, quando depoſitarius bona fide exiſtimat, depoſitori id non diſpliciturum; aliàs abſque vſu ſeruari debet.

6. Si res commodata, vel depoſita perierit, probabile eſt depoſitarium teneri tantùm in caſu quo dolus, aut culpa craſſa dolo equiualens interuenerit: *Leſſius*, *Layman*, *&c.*

Excipe tamen ſartores, molitores, alioſque artifices, quibus res traditur expolienda, vti etiã nautas, & aurigas, qui ex leui culpa obligantur. Quia etiam in eorum commodum res alienæ illis traduntur. *Syluester*, *Leſſius*. *&c.*

7. Si depoſitarius aut commodatarius dubitet, an commodatum ſiue depoſitum perierit ſua culpa, non tenetur, in foro ſaltem interno ad reſtitutionem. Quia in dubio non præſumitur delictum. Ita *Sanchez de Matrim. Libr. 2. Diſp. 41. Num. 18. &c.*

8. Dolus tamen pręſumitur in foro externo, niſi depoſitum caſu ſic perijſſe probetur, vt ſimul cum rebus depoſitarij ſeruari non potuerit, quod fieri poteſt, v. g. imminente naufragio aut incendio, quo caſu depoſitarius non teneretur rem alienam præ ſua ſeruare.

9. Si quis depoſitum Domino repoſcenti remiſerit per hominem, qui vulgò fidus audiebat, iſque ſibi retinuerit, vel perdiderit, rem Domino perijſſe cenſet, *Molina apud Escobar*, *&c.*

10. Mutuans ad damnum ſarciendum obligatur in conſcientia, ſi de rei vitio mutuatarium non monuerit.

Item, niſi par neceſſitas vrgeat, rem mutuatam ante tempus repetere non poteſt.

11. Tenetur mutuatarius præſtare caſum fortuitum mutuo euenientem cum penes eum rei Dominium ſit, & in eãdẽ qualitate, & quantitate eam ſuo tẽpore reddere debeat.

Non licet in vero mutuo, vllum lucrum accipere, quia eſſet vſura, vt *Cap. Seq. magis patebit*.

12. Mutuum diſtinguitur à pignore, hypotheca, & locato, quod in his Dominium rei in alterum non transferatur cui ea oppignoratur ſed tantùm vſus, vti diximus de commodato, & depoſito, in mutuo autem cum vſu Dominium transfertur. *Bonac. D. 3. Quæſt. 3. Part. 1. &c.*

CAPVT XI.

De Vſura.

1. VSura eſt lucrum ex mutuo: tale lucrum eſt quidlibet pretio æſtimabile, quod ſupra ſummam capitalem præciſe ratione mutui exigitur. Hoc autem iniquum eſt, exigere lucrum pro re mutuata, quæ non eſt amplius tua, ſed aliena; quia rei mutuatæ Dominium transfertur in eum, qui mutuum accepit.

2. Vſura non eſt, ſi nihil vt pretium mutuans intendat, ſed ex gratitudine tantùm aliquid ſperet, & ea intentione illi aliquid donetur, etſi donationem illam vt finem intendat. *Molin. Tom. 2. D. 305. Num. 6. Cardin. Lugo d. 25. &c.*

3. Vſura tamen incurritur dum vltra ſortem ſignatè aliquid exigitur tanquam ex beneuolentia aut gratitudine debitum. Aliud enim eſt aliquid ex gratitudine ſperare, aliud vt debitum exigere, hoc enim aliquam mutuam tranſactionem præſupponere videtur.

4. Si des mutuum, vt te in alterius amicitiam inſinues, vſura non erit; imò nec ſi inde ſperes aliquod officium. Quia amititia pretio æſtimatur.

5. Vſurarium tamen eſt & illicitum pactum de officio aliquo obtinendo à mutuario, vel de eius opera pro te impendenda: Ita communiter Doctores cum *Molin. Leſſ. Salas, Card. Lugo.*

6. Vſura non eſt poſcere aliquid ratione difficultatum vel expenſarum, quæ erunt, vel timentur in recuperanda ſorte quæ mutuò datur: item ratione periculi in eadem recuperanda. Quia pretio æſtimari poteſt quod quis ſe in talem difficultatem vel periculum conijciat.

7. Nec eſt Vſura paciſci, & accipere aliquid ratione emergentia damni, cuius mutuum verè cauſa ſit, aut ceſſantis lucri, vel ceſſaturi, modò de hoc ipſo mutuatarius præmoneatur: vt ſi cum pecunia tua quam alteri mutuaris, poteras, & volebas negotiando quæſtum facere.

8. Vſura eſt, mutuare frumentum vetus cum obligatione vt reſtituatur nouum certo tempore, ſi quidem qui dat mutuum ſciat nouum fore melius, & maioris precij. *Syluester, Nauarrus, Trul. Diſp. 15. n. 11.*

9. Ex ſententia communi vſura eſt, ſi mutuum des vt poſteà ex debito ciuili obligetur mutuatarius, tibi mutuari viciſſim, aut vendere, aut merces apud te emere, aut operas ſuas tibi locare. Eiuſmodi enim obligatio pretio æſtimabilis eſt, quæ mutuatarium priuat poteſtate emendi alibi &c. *Leſſius Lib. 1. cap. 20. D. 8. Card. Lugo, Layman Lib. 3. Tract. 4. cap. 10. Num. 3.*

Item ſi frumentum quod alibi habes mutuum des, cum obligatione, vt reddatur vel hic vel alibi, vbi plus valet, cum ſumptu vel labore maiori. Niſi fortè alius Titulus æquiualens accedat, lucri ceſſantis, periculi, &c.

10. Si mutuo des, v. g. decem modios tritici, & interim per accidens creſcat tritici pretium; potes eamdem menſuram repetere. Quia ſic nō petitur frumentum mutuum propter eius pretium, ſed propter ipſam ſubſtantiam frumenti, cui eadem menſura eſt æqualis. *Layman Bonacina.* Aliud eſt de moneta dum eius valor accreuit, quia in ea æqualitas valoris non ſubſtantiæ ſpectatur, *Layman, Bonac. &c.*

Præter obligationem reſtitutionis, vſurarius eſt obnoxius pœnis à iure conſtitutis, *Cap. quamquam, de Vſu in 6.* vt ſi publicus ſiue notorius, non debeat admitti ad communionem altaris, aut abſolui donec Vſuras actu reſtituat, vel cautionem pro ijs præbeat, neque ſepeliri in loco ſacro, & qui ſepelit ipſo facto eſt excommunicatus. *Bonacina, Leſſius, Trull. Layman &c.*

CAPVT XII.

§. I.

De Emptione, & Venditione.

1. EMptio, eſt contractus quo pretium pro merce ſoluitur: Venditio, quo pretium pro merce accipitur. Vterque contractus mercis traditione completur, & vtriuſque Iuſtitia in æquali valore mercis, & pretij conſiſtit.

2. Etſi contingat venditorem neceſſitate ductum res ſuas vilius vendere, emptio tamē erit iuſta. Quia à nullo deceptus eſt venditori, & venditio illi manet libera. *Caietanus, Bonacina, &c.*

3. Emptor poteſt emere minoris ex eo Titulo, quod multa ſimul emat. Quia tunc venditorem expeditam facit ad alia coemenda, & liberat eum curis res illas ſeruandi, & vendendi.

4. Venditor communiter vendere debet eo

pretio quod vel à Lege, vel à Magiſtratu conſtitutum eſt,& ſi nullum pretium ſit ſtatutum illud æquum cenſebitur, quod à communi hominum æſtimatione imponitur. Non conſiſtit tamen illud pretium in indiuiſibili, ſed diuiditur in medium, infimum, & ſummum: ſiue, in pium, moderatum,& rigoroſum, ita vt venditio iuſta ſit intra hanc latitudinem, vt videlicet modò infimo, modo ſummo pretio merces poſſint diuendi.

5. Debet in *æqualitate* mercis cum pretio computari labor, impenſa, induſtria adhibita in merce comparanda, conſeruanda &c. Vndè ex hac ratione excuſari poſſunt qui res minutas, aut fœnum, aut auenam in hoſpitijs charius vendunt, quàm paſſim alij in quantitate maiori.

6. Illud genus *Monopolij* iniuſtum eſt, quo mercatores aliqui inter ſe propria auctoritate conueniunt, vt coemendo merces certi generis, v. g. frumentum, ſalem, vinum, illas pro ſuo arbitratu charius diuendant, dum ipſi efficiunt vt vix alibi inueniri poſſint. Plura de Monopolio ſua circa p. 78.

7. Venditor debet emptorem præmonere de notabili vitio rei; quod ei obeſſe poteſt, ver. g. de ouibus ſi ſint morbidę, de domo ſi ſit ruinoſa, de equo ſi ſit furioſus, de panno ſi ſit aduſtus: alioquin ad reſarciendam fraudem,& damnum ſecutum obligabitur. Ita Theolog. communiter.

8. Si occultè noueris debitorem tuum non eſſe ſoluendo, iniuſtum videtur pretio ordinario debitum illum vendere ijs, qui id neſciunt: Tam quia dolus eſt, quàm quia non reuelatur maximum vitium debito intrinſecum, quod eſt impotentia ſoluendi.

9. Licet rem vendere pretio currente, & nihil dicere emptori, etſi Venditor ſciat pretium mercis mox eſſe minuendum. Quia pretium currens, ſimpliciter adhuc iuſtum eſt. Secluſis tamen mendacijs, dolo, fraudibus, quibus emptorem ad emendum allicere nequaqam licet. *Bonacina q. 2. p. 5. n. 12. cum Azorio, Filliucio, Leſſio, &c.*

10. Si duobus in ſolidum res ſit vendita, Dominium acquiritis, cui tradita eſt, modò pretium ſoluerit: Si verò neutri tradita ſit, debetur ei qui priùs tempore emit, alteri verò relinquitur actio in venditorem. Dominium tamen, ante traditionem, in Eccleſijs, alijſque pijs locis requiritur. *Leſſius, Card. Lugo, &c.*

11. Si res empta pareat ante traditionem,& ſit in indiuiduo determinata, v. g. hęc domus, hoc dolium vini, hic modius frumenti, illa perit emptori, niſi venditoris culpa perierit, aut aliter expreſsè conuentum fuerit: ſi autem empta fuerit res indeterminata, periculum ſpectat ad venditorem. Ita *C. Lugo, Leſſius, Bonac. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 17.*

12. Si poſt traditionem res vendita pereat, aut fiat deterior, cedit in damnum emptoris, etſi necdum perſolutum ſit pretium: quia res quælibet Domino ſuo perit. *Layman, Bonacina &c.*

13. Vſura eſt, minoris emere credita certa anticipata ſolutione; ſecluſo lucro ceſſante, damno emergente. Sic enim implicitè mutuat pecuniam minorem pro exigenda maiori, *Molina, Leſſius, Filliucius, Bonacina diſp. 3. quæſt. 3. part. 10.* Aliud eſt, ſi credita ſint incerta, litigioſa, aut cum dificultate exigenda: tunc enim iure coemuntur minoris pro ratione incertitudinis, ac dificultatis ab emente ſuſtinendæ in re obtinenda, ita *Bonacina, Trullus, &c.*

14. Regula vniuerſalis dignoſcendi, An in alijs contractibus, in quibus eſt rerum quæ permutantur, inęqualitatis, interueniat aliqua iniuſtitia, plerumque erit, Animaduertere an inſuper ex vna parte accedat lucrum ceſſans, damnum emergens, aut periculum ſortis: Nã ex horum Titulorum iuſta conſideratione, aliquid vltra ſortem accipi poteſt. Vt fuſius deducit *Molina, Leſſius, Layman*, alijque Theologi, & Iuriſtæ.

Varia inſuper pro contractibus priuatis, ſingulorum locorum proprijs iuribus conſtituta ſunt, quæ nequeunt ad certa principia reduci, & ad Iudicem potiùs, quàm ad Confeſſarium pertinent.

Quæſtio in praxi ſingularis eſt: An vendentes licitè poſſint vino aquam miſcere, aut optimo tritico grana viliora, ſi per hoc vinum aut triticum non reddatur deterius, quàm id quod paſſim pro eodem pretio ab alijs venditur?

Reſpondeo, id non eſſe illicitum, ſi mixtio illa cum cautela,& ſine immodico exceſſu adhibeatur, vti plures docent cum Leſſio de Iuſt. Lib. 2. Cap. 21. Dub 11. Bonacina Tom. 2. Diſput. 3. de Contract. q. 2. Punct. 6. Numero 17. Diana Part. 1. Tract. 8. Reſol. 51. Contra Rebellium, Buſemb. Layman Tom. 1. Sect. 5. de Iuſt. Tract. 4. Cap. 17. §. 2. Mendo in ſtatera Diſſert. 6. Quæſt. 4.

Probatur noſtra reſponſio: quia in caſu nullum damnum aut iniuria infertur emptori: non enim tenetur vẽditor illi tradere merces maioris perfectionis quàm ſint illæ, quæ pro eodem pretio ab alijs paſſim venduntur,& quę eandem vtilitatem habent ad vſus humanos, vti

vti hic fieri ſupponimus. Ergo venditor per hanc commixtionem non delinquit contra Iuſtitiam, neque ad reſtitutionenem obligari debet. Itaque confirmatur ex eo quod plures Auctores probati tradũt, licitum eſſe venditiori imminuere rei menſuram, quando alia ratione obtinere nequit *Legitimum* illius pretium, cum per hoc nullam inferat iniuriam emptori, cui tradit merces pretio accepto æquiualentes.

Dixi in reſponſione, *ſi cautela ſine immodico exceſſu adhibeatur*. Quia propter exceſſus periculum, hæc praxis, quamuis in ſe legitima, prudentibus tantùm, & timoratis indulgeri debet, nealiàs homines laxioris conſcientiæ facile ſibi perſuadent ſuarum mercium præſtantiàm cæteras longè antecelere.

De *Emptione*, Manopolio, Locatione, Emphyteuſi, Feudo Cenſu vario, Cambio, Contractu Societatis &c. vide alia ſupra *Tom. 2. par. 1. Pag.* 46.

§. II.

De Simonica Emptione aut Venditione.

SImonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum, pro pretio temporali. Nomen accepit a *Simone* Mago qui *Actorum* 8. hoc crimen admiſit.

1. Requiritur ad Simoniam vt ſit delliberata voluntas *emendi aut vedendi*, ſiue contractus onerosus, aut pactio tacita vel expreſſa, & obligatio ex ea reſultans Non ſufficit enim aliqua naturalis obligatio, v. gr gratitudinis quando quis ſperat, vel tantùm intendit aliquam remunerationem, ſi nulla intercedat obligatio, qualis ſolet eſſe in contractu oneroſo. Per *pretium temporale*, intelligitur etiam id quod pretio ęquiualet, vt eſt obſequium, patrocinium, famulatus &c.

2. Nomine *rei ſpirituali*, non tantùm importatur rẹs formaliter ſupernaturalis, & ad ſalutem noſtram per ſe ordinata, vt eſt gratia, aut dona Dei interna, ſed etiam res quæ cauſat gratiam, aut donum aliquod ſupernaturale vt ſunt Sacrameota, Concio, Preces, aut alia Sacramentalia: Item effectus, & vſus poteſtatis ſupernaturalis, vt eſt cõſecratio, abſolutio benedictio, diſpenſatio, excommunicatio, electio ad beneficium, præſentatio, confirmatio, collatio, & alii actus ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam peruenientes, qui omnes ſine peccato Simoniæ emi aut vendi non poſſunt.

3. Denique ad Simoniam ſufficit, quod ematur aut vendatur aliquid *Rei ſpirituali annexum*, vt ſunt reditus beneficiorum, qui propter officium ſpirituale conceduntur.

Malitia igitur Simoniæ conſiſtit in eo quod res ſacra ſiue ſpiritualis irreuerenter tractetur dum inſtar rei temporalis pretio commutatur, ac ſi hæc eſſet illi æquiparanda.

Hoc peccatum eſt mortale ex genere ſuo, nec veniale fieri poteſt ex materiæ leuitate: Quia nullum donum gratiæ, licet paruum, poteſt vendi ſine graui irreuerentia, tum ipſius doni, tum etiam Dei qui ſingulari, & ſupernaturali modo illius doni auctor exiſtit Poteſt tamen eſſe peccatum veniale ob actus indeliberationem, & imperfectam cognitionem malitiæ. Ita *Suarez Tom. 3. de Rel. Lib. 4. cap. 36. Leſſius hic Capit. 35. D. 1. Azor, Layman, alijque.*

Simonia alia eſt *iuris diuini*, quæ nempe eſt prohibita propter malitiam ſuam verb. gr. hoſtiam conſecratam vendere. Alia eſt *iuris humani*, quæ eſt mala tantùm propter prohibitionem. Hoc modo ab Eccleſia prohibetur, ideòque Simoniam iuris humani contrahit, primo, venditio Beneficiorum, etiam ſecundum id quod in ipſis temporale eſt, ſcilicet quoad ius percipiendi fructus. 2. Venditio Officiorum extrinſecè tantùm ordinatorum ad res ſacras, v. gr. ſacriſtæ, aduocati Eccleſiæ, aut theſaurarij 3 Oblatio pecuniæ cum obligatione alicui facta, vt ſuadeat alteri ſibi conferre beneficium. 4. Contractum inire de reſignando beneficio, vel ſoluenda penſione ſi alter beneficium tibi impetret. 5. Abſque auctoritate ſuperioris permutatio, & reſignatio beneficiorum: vel etiam reſeruatio penſionis ex beneficio reſignato: hæc tamen poſſunt licitè fieri accedente facultate ſuperioris qui illud conſtituit. 6 Acceptio muneris, etiam ſponte oblati, pro examine ad Parochiam, ex *Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 18. pro collatione Ordinum, pro Tonſura, vel litteris dimiſſorijs, *Trident. Seſſ.* 2. *cap.* 1. Excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, ſi ſalarium non habeat, & conſuetudo id permittat. 7. Exactio pecuniæ pro admiſſione ad Religionem, quamuis non detur pro ſtatu religioſo, qui cum ſit ſpiritualis iure diuino vendi non poteſt, ſed pro onere ſuſtentationis iſtius perſonæ, niſi forte excuſet monaſterij tenuitas, vel conſuetudo contraria: Ita *Layman*, *Leſſius*, *Bonacina Diſp. 1. Quæſt. 1. Azor 3. p. 1. 12. Cap.* 14. Idem eſt ſi pro Concione aut Miſſa pretium accipiatur, niſi ratione laboris extrinſeci, aut al-

alterius incommodi pretio æſtimabilis, vt docet ſuprà *Layman*, *Bonacina aliijque*.

Item Simonia eſt, dare vel accipere pretium pro Abſolutione à peccatis, aut cenſuris, pro Diſpenſatione in voto, iuramento, impedimento matrimonij, irregularitate, cum hæc ſit iuriſdictio ſpiritualis. Quamuis poſſit in his aliquid exigi per modum mulctæ ad cauſam piam applicandæ, vt in quibuſdam caſibus fieri ſolet.

Non eſt autem Simonia, dare aliquid ad redimendam iniquam vexam, v. g. neganti Sacramenta in neceſſitate; aut impedienti legitimam beneficij poſſeſſionem, *Suarez*, *Leſſius*, *Layman*, vel inique impedienti electionem, vel poſſeſſionem ad quod ius in re iam obtinetur; Quod ſi tale ius nondum habes, etſi poſſis redimere vexam ab eo, qui tantum poteſt obeſſe, non tamen ab eo, qui & prodeſſe, & obeſſe poteſt. Quia in primo caſu non datur tamquam prætium æquiualens rei ſpirituali, ſed vt alter ad officium rite præſtandum inducatur.

Neque Simonia eſt dare ſtipendium ad ſuſtentationem Clerici etiam diuitis, pro Miſſis, aut contionibus; aut de eo pactum inire: quia non datur tanquam prætium ſpiritualis officij, ſed perſonæ in alterius gratiam occupatæ, quod illi ex iuſtitia debetur. *Suarez*, *Layman Lib*. 4. *Tract*. 20.

Non eſt Simonia ſaltem iuris diuini, quamvis poſſit eſſe quandoque iuris humani, ſpirituale cum ſpirituali permutare, v. g. beneficium pro beneficio, reliquias cum reliquijs; vel dare temporale pro temporali: vt ſi calicem, vel agnos Dei præciſe ratione materiæ vendas: Vel dare temporale, pro ſpirituali per modum doni gratuiti, etſi adſit ſpes vel intentio alium excitandi ad rimunerationem doni ſpiritualis, vel contra: Quia Titulus gratitudinis non reſpicit pretium, ſed beneficium, nec ſoluit aliquid ex debita compenſatione, modò vltra hos limites non rapiat habendi dira cupido, quam coercet Innocentio XI. Proſp. 45. declarans non euitari omnem Simoniam, quando datur temporale pro ſpirituali, etſi temporale ſit ſolum gratuita *Compenſatio* pro ſpirituali, aut è contra.

Variæ ſunt pœnæ Simoniacis conſtitutæ, quarum hic aliquas recenſeo.

Primò, ob Simoniacam collationem, & ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, incurritur excommunicatio, & ſuſpenſio Papalis ab exercitio ordinum ſuſceptorum.

Secundò, ob Simoniam realem in beneficio Eccleſiaſtico, incurritur 1. Excommunicatio Papalis 2. Irrita eſt Electio, præſentatio, confirmatio, & inſtitutio: vnde talis non facit fructus ſuos. Et hoc ita ſe habet, licet aliquis à tertia perſona tali modo prouiſus vitium illud ignouerit: niſi tamen, dum reſciuit, contradixerit, vel niſi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, vt redderetur inhabilis: vel niſi bona fide poſſederit beneficium per triennium. Ita *Layman Tract*. 10. *Cap. vltimo*, *Leſſius Lib*. 2. *Cap*. 35. *D*. 31. *Bonacina diſp*. 1. *q*. 7. *Par*. 2. *Num*. 20. 3. Efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per diſpenſationem Epiſcopi obtinendum: quamuis alijs beneficijs iure ipſo non priuatur, nec ad noua obtinenda, ante ſententiam iudicis, redditur inhabilis.

Quoad pretium ſimoniacè acceptum pro Beneficio, aut alia re ſpirituali, ſi non eſt ſecuta rei collatio, iure naturæ reſtituendum eſt illi a quo eſt acceptum. Si verò ſecuta eſt collatio, & Simonia vtriumque completa, probabilius eſt reſtitutionem faciendam eſſe Eccleſiæ, & non illi qui pretium contulit: Quia Eccleſia hac ratione tam dantem quam accipientem punire intendit.

QVÆRES primò, Quid dicendum de caſu ſubtili, quo certo contra collatorem v. g. Epiſcopum pro mille florenis, quod beneficium non ſit mihi, ſed alteri, collaturus, vt nempe mihi conferendo, collator mille florenos ex ſponſione lucretur?

Reſpondeo, illam ſponſionem eſſe Simoniam palliatam, & illicitam; non enim tam eſt ſponſio, quam tacita emptio beneficij.

QVÆRES ſecundò, Quid ſi quis procedat per contractum innominatum hoc modo: Conferam tuo nepoti hoc beneficium, ſi tu ſimile conferas meo nepoti, cognato, vel amico?

Reſpondeo, collationem illam eſſe Simoniacam, ſi de re præſtanda non ſimplex inſinuatio, ſed verum pactum intercedat, quod ex *Cap. finali*, *de pactis*, ſatis colligi poteſt.

QVÆRES tertiò. Quid iudicandum de eo qui pecuniam præbet alicui tertio vt intercedat apud alterum, vt hic intercedat apud Collatorem beneficij, vt conferatur illi qui dictam pecuniam præbuit?

Reſpondeo, illum caſum apud aliquos Auctores vt licitum admitti: quia, inquiunt, pretium illuc datur pro re merè temporali, nempe pro gratia ſiuè interceſſione amici apud collatorem: hanc ſententiam vt probabilem habet *Vaſquez*, *Sanchez in Opuſculor. Tom*. 1. *Li*. 2. *Cap*. 3 & aliqui Recentiores apud *Dianam P*. 4. *Tract*.

Tract. 4. *Reſ.* 51. & iterum *Part.* 10. *Tr.* 15. *Reſol.* 5. Sed ipſe *Vaſq. & Sanch.* cenſet contrariam ſententiam eſſe probabiliorem: quod omnino verum iudico tam ab auctoritate, quàm à ratione; quia illud pretium ſaltem mediate pro ipſo beneficio conferri videtur; & hac via facile foret paſſim palliare Simoniam in oculis hominum, ſed praua animi intentio fugere non poteſt oculos Dei, vt etiam rectè hic notat *Stephanus à S. Paulo Pag.* 422.

Quæres quartò, An liceat abſque Simonia pro beneficio aut alia re ſpirituali accipere aliquid temporale Titulo gratitudinis, ſic vt de illo ex gratitudine præſtando pactum intercedat? Licitum id eſſe videtur admittere *Diana* citans *Valentiam*, quia non eſt pactum inducens obligationem iuſtitiæ. Verum etſi non inducat obligationem iuſtitiæ, adfert tamen nouam obligationem, & pretio ęſtimabilem, ſuprà ſimplicem gratitudinem, quæ per ſe libera eſt, nec obligat determinatè ad hoc vel illud donum conferendum, quod tamen fit ex vi iſtius contractus, qui proinde onerosus cenſeri poteſt De quo videri poteſt Innocentij XI. Prop. 45. *ſuprà pag.* 33.

CAPVT XIII.

De Teſtamento.

I. TEſtamentum eſt iuſtę voluntatis diſpoſitio de rebus poſt mortem præſtandis, cum hæredis inſtitutione. Et per hoc vltimum differt Teſtamentum à *legato*, ſiue fidei cõmiſſo partiali, quod tãtùm eſt donatio particularis alicui à defuncto relicta. *Codicillus* eſt quaſi imperfectum Teſtamentum, ſine hæredis inſtitutione, ad conſtituenda aliqua legata, vel ad aliquid in Teſtamento explicandum, mutandum, addendum, vel demendum. De quibus *Layman lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 1. *Bonacina*, *Tanner. aliíque*.

2. Ad Teſtamentum ſolemne, ſiue, clauſum, requiruntur à iure variæ ſolemnitates: nempe vt teſtatur illud ſua vel alicuius manu ſcriptum offeret ſeptem teſtibus idoneis, non defectuoſis, non cœcis, ſurdis, mutis, nec furioſis, & prodigis, infamibus, religioſis, cognatis, qui in teſtatoris poteſtate ſunt; (quibus adde ipſum hæredem, & qui in eius poteſtate ſunt) ſed maſculis puberibus, liberis, ad id rogatis, & vocatis, coram profitendo id eſſe ſuum Teſtamentum: tum ſi poſſit manu ſua ſubſcribit, alioqui id præſtat octauus pro eo teſtis: dein omnes, & ſinguli ſeptem teſtes eodem tempore ſubſcribunt, ſi poſſint, per ſe ipſos; proprioque, vel alieno, aut communi omnes ſigillo conſignant, *Layman*, *Bonacina diſp.* 3. *q.* 19. *Part.* 1. *&c.*

3. Si teſtamentum careat debita ſolemnitate, & dubitetur an teſtatur intenderit cõficere Teſtamentum *clauſum*, an verò apertum habebit ſaltem vim Teſtamenti *nuncupatiui*, quod tantùm requirit vt ſeptem prędicti teſtes coram audiant, & intelligant teſtatoris voluntatem, etiam ſola voce expreſſam. Quia præſumitur teſtatorem hoc ſaltem voluiſſe potiùs quam actum ſuum eſſe irritum *Sanchez*, *Lugo*, *&c.* Conſultum eſt in conficiendo Teſtamẽto etiam adhibere Notarium qui particularium locorum iura noſſe ſolet, vt valori Teſtamenti in foro externo tutiùs conſulatur.

4. Notat quoque *Diana Par.* 6. *tr.* 5. *Reſ.* 30. inualuiſſe conſuetudinem vt minor numerus teſtium quam ſeptem ſufficiat ad valorem. Certè hominibus ruſticanis quinque teſtes ſufficere, ſi dificulter plures habentur, abſque ſubſcriptione, ſi non ſint litterati, tradit *Layman*, *& Bonac.*

Item tempore peſtis neceſſe non eſt teſtes ſimul congregari, ſed tantùm vt ſinguli ſeorſim adhibeantur: imò abſolutè loquendo tunc duos vel tres ſufficere ex iure gentium docet *Diana p.* 7. *tract.* 6. *cum Sà, Layman &c.* Neque minus militibus, dum in caſtris ſunt, concedunt iura priuilegium.

5. Si Teſtamentùm factum ſit ad *pias* cauſas, etiam in foro externo iuris ſolemnitates non requiruntur, ſed tantùm quæ iure gentium ſufficiunt, nempe duo teſtes, inter quos fœmina eſſe poteſt. *Couar. & alij* 12. Item Parochus, aut Confeſſarius etiamſi legata eſſent pro Eccleſia propria, *Leſſius*, *Lugo*, *&c.* Et quamuis morte interueniente cõtingeret Teſtamentum non eſſe abſolutum, validum tamen eſt quoad legata pia, *Diana &c.* In foro autem conſcientiæ etiam ſine vllo teſte ſufficit ſcriptura, nutus vel aliud ſignum, quo voluntas Teſtatoris ſufficienter indicatur. *Molina*, *Lugo*, *Diana*.

6. Si autem Teſtamentum factum fuerit ad cauſas *non pias*, & careat ſolemnitatibus iure requiſitis, probabilius eſt illud *ſaltem in foro conſcientiæ* eſſe omninò validum adeóque licitè retineri quod ex tali Teſtamento poſſidetur. Quia illæ ſolemnitates tantùm requiruntur in foro externo ad fidem in iudicio faciẽdam, & excludendam omnem deceptionem. Ita *Leſſius de Iur. Lib.* 2. *cap.* 19. *diſp.* 3. *Barboſa Vuiggers. part.* 9. *tract.* 7. *Reſol.* 49. *contra Molin. Diana &c.*

Hinc

Hinc hæres ab inteſtatu non videtur excuſari in foro conſcientię à perſoluendis legatis in Teſtamento non ſolemni relictis, ſi ſatis ipſi conſtet de voluntate Teſtatoris. De qua ſi dubius ſit, tenetur cum alijs pro ratione dubij componere. Quia in hoc dubio neutri parti fauet poſſeſſio.

7. Teſtari non poteſt Religioſus profeſſus, nec filius familias de bonis aduentitijs ſine patris conſenſu, niſi tamen ſit Clericus, etiam primæ Tonſuræ: nec cœcus ſine teſtibus, nec pupillus, niſi ſit doli capax, & iuramento confirmauerit. Nec in bello iuſto captus, nec obſes apud infideles. Nec manifeſtus vſurarius, niſi præſtita cautione: valebunt tamen huius legata ad cauſas pias ſi pœnitens obierit. Nec vxor niſi ad pias cauſas, ſicubi legitimè ſtatutum ſit, vt non poſſit teſtari ſine conſenſu mariti, vt refert *Sà*, *& plures alij*.

8. Patris Teſtamentum inter liberos ab eo ſolo ſcriptum, aut ſubſcriptum validum eſt, etiam ad quia legata, *Sà*, *Diana*, *&c.*

9. Poteſt Pater ob iuſtam cauſam inequaliter filijs bona relinquere, vbi non obſtat lex particularis, ſed non poteſt legitima portione priuare.

10. Etſi ſpurium à Teſtamento excludat jus ciuile, ex iure tamen Canonico poteſt illis Pater alimenta relinquere, & filiæ dotem ſi ea indigeat.

11. In dubio Teſtamenti iudicandum eſt Teſtatorem, id voluiſſe, quod ſi adeſſet dicturus crederetur.

12. Qui iurauit non renocare Teſtamentum, ſi reuocet, certũ eſt validè reuocare, imò à periurio ſi cauſa reuocandi ſubſit, probabiliter excuſatur. *Sà*, *&c.*

13. Conditio hæc Teſtamento appoſita, *ſi filia non nupſeris*, in ea quæ nunquam nupſit, item *ſi non intrauit Religionem*, pro non appoſita habetur.

14. Teſtator nullo iure poſitiuo prohibetur, omiſſis conſanguineis collateralibus, v. g. fratre, quemuis extraneum hæredem conſtituere, *Bonacina*, *& alij 5. apud Dianam Par. 1. tr. 8. Reſol. 83.*

15. Profeſſio religioſa Teſtamentum priùs factum non irritat, cum tunc fuerit ſui iuris, vt Theologi paſſim admittunt.

16. *Executor* Teſtamenti poteſt eſſe, qui excedit annum 17. ætatis, vnus vel plures, mas vel fæmina, Clericus, aut Religioſus, ſed cum licentia ſui prælati, & quidẽ Generalis, ſi ſit Societatis: ſed Franciſcanis id omninò iurè Prohibitum. Si tamen hoſ executorem agere contingat, acta non erunt inualida, ſed tantùm illicita, *Layman*, *Bonacina*, *Diana Par. 8. Tr. 8. Reſol. 9.*

17. Si à Teſtatore nullus nominetur Executor Teſtamenti, executio ad hęredem pertinebit, etiam ad pia legata: poteſt tamen tali caſu Epiſcopus eam ad ſe pertrahere iure communi *Layman &c.*

1. Quando voluntas Teſtatoris honeſtè impleri poteſt, non poſſunt legata ad pias cauſas commutari etiam in opus manifeſtè melius, niſi ex diſpenſatione Pontificis, & iuſta de cauſa: *Vaſquez* id etiam Epiſcopo concedit, Communis opinio Doctorum admittit ad Epiſcopum, hęredem, & executores pertinere per epiKiam interpretari, non eſſe à defuncti voluntate alienũ, ſi aliqua mutatio fiat: v. g. Si pecuniam reliquerit ad calices emendos pro Eccleſia, quę calicibus non eget, poterunt eam applicare ad comparandas caſulas, aut alia ornamenta, quæ magis ad Templi vſum conducunt. *Vaſquez*, *Molina*, *Barboſa*, *&c.*

18. Si executores intra annum ſua culpa negligunt exequi Teſtamentum, ius executionis ad Epiſcopum deuoluitur. *Molin. Diana, & 8. alij.*

19. Imò in legatis pijs tenentur ad executionem intra ſex menſes, idque etiamſi nondum intra ſit hæreditas. *Molin. Vaſquez, Diana Par. 8. Tr. 6. Reſ. 25.*

20. Si bona defuncti non ſufficiant ad legata omnia perſoluenda, diſtribuenda ſunt omnibus pro ſingulorum rata æqualiter, quia eo in caſu ius ad ſolutionem eſt in omnibus ęquale. *Diana*, *Sylueſter*, *Sanchez*, *Bonacina*.

FORMVLA autem Teſtamenti talis eſſe ſolet *In nomine Dei omnipotentis*, *Amen. Ego N. N. nunc liberè*, *& integris ſenſibus commendo Corpus Terræ ſanctæ*, *& Animam meam Deo creatori*, *ſub protectione B. V. &c. Hæredem meum conſtituo N. N.* exprimendo bona relinquenda, debita ſoluenda, legata pia, aut alia pro particularibus perſonis prout cupit de rebus ſuis diſponere. Poſtea nominat Executores ſui Teſtamenti, & exprimit obligationes, ſi quas illis imponit. Poſtremo annotat locum, diem, & annum; & infrà Nomen ſuum, ac Sigillum apponit; Subſcribunt etiam teſtes ſinguli.

Et quoniam in quibuſdam varia ſunt aliquando variorum locorum iura, expedit in conficiendo Teſtamento Notarium loci publicum adhibere, aut alium peritum, & fidelem vt in ſingulis ſecurius procedatur.

CA-

CAPVT XIV.

De Reſtitutione.

§. I.

Quinam teneatur ad reſtitutionem.

1. Reſtitutio, eſt actus iuſtitiæ quo reparatur damnum per Iniuriam alteri illatum. *Iniuria* autem eſt, læſio iuris alieni in re quam poſſidet, vel ad quam poſſidendam ius habet. Hinc ſi læſio ſit contra ſolam charitatem aut aliam virtutem, non eſt ſufficiens fundamentum reſtitutionis. Iniuria hæc aliquando eſt *Materialis*, quando quis bona fide cauſa fuit damni illati, aliquando *Formalis*, quando mala fide, id eſt, ſciens, vel ſcire negligens alteri damnum intulit.

2. Non ſolus ille qui proximè damnificat ad reſtitutionem obligatur, ſed etiam illi qui ad damnum alteri inferendo cooperantur. De his vt Confeſſarius prompte poſſit iudicare, ſequenti verſu aptè comprehenduntur.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus:
Participans, mutus, non obſtans non manifeſtans.

3. *Iuſſio* indicat eum, qui iubet vel mandat damnum inferri, ad illius Reſtitutionem teneri, ſiue mandet expreſsè, ſiue tacite tantùm, v. gr. quando famulus ex verbo vel ſigno ſatis colligit gratum fore ſuo Domino ſi damnum inferat, Dominus ad Reſtitutionem obligatur.

Non obligatur tamen qui abſque vllo mandato ratum habet opus ſuo nomine factum. Quia ratihabitio præſens non eſt cauſa damni iam præteriti.

Neque mandans, qui ante executionem mandatum ſuum reuocauit, ſi id mandatario tempeſtiuè innotuit. Quia tunc damnum non eſt illatum ex vi mandati, vt potè retractati. *Molina*, *Filliucius*, *Leſſius de Iuſtitia Lib. 2. Cap. 13.*

4. *Conſilij* nomine intelligitur is qui ſuadendo, vrgando, aut hortando cauſa efficax fuit damni illati, ac proindè in defectum exequentis ad Reſtitutionem obligatur: illi autem, qui prauum eius conſilium ſecutus fuit, conſulens ad nihil tenetur, niſi doloſè ignorantem ſuadendo circumuenerit, iuxta Reg. Iur. 62. in 6. *Nullus ex conſilio niſi fraudulentum ſit, obligatur.*

Si conſulens ante rei executionem conſiliũ ſuum ſeriò reuocauerit, & conatus fuerit factum impedire, probabile eſt excuſari à damni illati Reſtitutione: Quia tunc damnificans præſumitur potius propria malitia quam alieno conſilio moueri, vti videre eſt apud *Bonacinam, Sà, Tanner. Dian. Tract. 2. Miſcel. 18. & Tractat. 5. Reſol.* 83. Quamuis plures ſint, qui contrarium tenent, preſertim quando eum cui damnum parabatur non monuit, vt ſibi præcaueret.

5. *Conſenties, fautor, receptor*, ſiue *recurſum* præbens, ſi cooperando efficax cauſa damni extiterit, illud pro ſua parte reſarcire tenetur. Talis eſt v. gr. qui ſolo calculo vel ſuffragio verè cauſa fuit vt eligeretur indignus, vel vt aliquis dignus iure, aut ſpe ſua excidat: item, qui ſciens ſurem recipit, & fouet, vel res furtiuas coemit. De his enim L. 3. dicitur, *Receptatores non minùs delinquunt quam aggreſſores.*

6. *Palpo* dicitur, qui laudando, & adulando, vel etiam ignauiam exprobrando, aliquem animat ad damnum inferendum, qui ad Reſtitutionem tenetur ſi efficaciter ad damnum cooperatus eſt.

7. *Participans* eſt, qui partem prædæ recipit, aut cooperatur, v. g. agendo pro fure excubias, aduehens inſtrumenta quibus res aliena auferatur. Excuſantur tamen illi, ſi verè metu grauioris mali adacti ponant iſtiuſmodi cauſam ex ſe indiferentem, v. g. ſcalam feneſtræ admoueant ex qua per accidens alterius damnum conſequitur. Quia non ſunt cauſa moralis talis damni, iuxta principium 15. quod ſuprà Tract. 1. tradidimus.

8. Qui cuncurrunt ad damnum *priuatiue*, vt *mutus*, ſiue ſilens, *non obſtans*, *non manifeſtans*, tenentur ad Reſtitutionem quando ratione pacti, aut officij ex iuſtitia damnum impedire debent: vt docet S. *Thom. 22. Qu. 62. Art. 7.* Tales ſunt principes, aut Magiſtratus, qui poſſunt, negligunt impedire latrones, milites, aut alios graſſatores, qui ſubditis damna inferunt. Item, Tutores & Adminiſtratores bonorum non impedientes damna pupillorum, aut aliorum quorum curam ſuſceperunt. Denique famuli, qui negligunt arcere furem extraneum Domini ſui horreum, domum, aut cubiculum ingredientem.

9. prædicti omnes non obligantur ad reſtitutionem, ſi non ſit mortaliter certum eorum mandatum, conſilium aut cooperationem in damnum efficaciter influxiſſe, ſic vt ſine illis non fuiſſet illatum. Quia in materia iuſtitiæ

vel

vel maximè, melior eſt conditio poſſidentis, vti oſtendimus *To. 2. Tr. 1. Princ 3.* & ita docet *Bonacina, Tanner. Diana, Leſſius de Iuſt. hic. Cap, 13. Diſp. 4.*

10. Probabile eſt Parochum aut alium Confeſſarium, qui ex negligentia vel ignorantia cùm debuit, omiſſit pænitentem de reſtitutione facienda monere, non obligari in pænitentis defectum ad reſtitutionem faciendam. Quamuis enim non admonendo grauiter peccauerit contra Officium Confeſſarijs non inſtruendo pœnitentem, non tamen contra iuſtitiam, & ius alicuius tertij niſi tamen ex malitia Reſtitutitionem poſitiuè diſſuaderet, aut impediret. Ita *Bonacina, Leſſius, Layman Lib. 3. Tract. 4. Cap. 7. contra Nauarrus, Angel. &c.*

11. Si plures concurrant ad damnum ſine mutuo conſenſu, ſed quiſque ſeorſim, non plus tenentur ſinguli reſtituere, quam ſit damnum quod per ſe intulerunt. Si autem cum mutuo conſenſu, & auxilio id fecerunt, ſinguli tenetur in ſolidum in defectu alterius totum damnum refarcire. Quia ſinguli ſunt cauſa totius damni, quod non fuiſſet illatum niſi ex confidentia in mutuo auxilio. *Vaſquez, Molina, Filliucius, Bonacina hic Diſp. 1. Quæſt. 2. Par. 11.*

12. Quando actio iniurioſa fuit *lucratiua*, primo loco tenetur rem ablatam reſtituere is apud quem extat, aut qui mala fide rem abſumpſit: illo autem non reſtituente reliqui qui adiuuerunt obligantur. Quando autem actio nō fuit lucratiua, vti fit in mutilatione, incendio, detractione, tunc primò obnoxius eſt reſtitutioni qui fuit cauſa primaria damni, vti mandans, vel executor. Quod ſi illi non velint, vel non poſſint reſtituere, tenentur reliqui cooperatores *Caietanus, Layman, Bonacina, Nauarrus cap. 17. &c.*

13. Quando damnum paſſus, cauſę principali condonauit, liberantur etiam minùs principales, non contra, vti cum alijs docet *Layman Lib. 3. Tract. 2. cap. 6.*

14. Qui alium impediuit ab aliqua re obtinenda, quæ non erat illi debita ex iuſtitia, v. g. ab officio, vel beneficio, abſque vi vel fraude, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis ſi ex odio fecerit grauiter peccauerit. *Vaſquez, Sa, Bonacina, &c.*

15. Si autem id fecerit per vim, fraudem, calumniam, mendacium, tenetur compenſare damnum iuxta ſpem, & Probabilitatem quam alter habuit illud bonum obtinendi, ſecundū iudicium, & arbitrium prudentis viri Quia quilibet habet ius, ne per media illicita à ſua ſpe, aut petitione iuſta deijcitur. *Leſſius, Bonacina Molina Tom. 1. Diſp. 135.*

16. Quando bona reſtituenda, aut debita ſunt incerti Domini vel ad eum non potes accedere, ſi ea tenas abſque delicto, poſt adhibitum fruſtra conatum reſtituendi vero domino probabile eſt quod poſſis ea tibi retinere; idque tutum in praxi affirmat. *Diana Part. Tract. 3. Miſ. Reſol 5.* quamuis cum D. Thoma plures ſentiant danda eſſe pauperibus.

17. Quod ſi conſcius es te ea habere ex delicto, v. g. furto vel vſura, teneris abſolutè illa in pauperes, aut alia opera pia erogare. Quia tunc optimo quo poteſt modo, fieri debet reſtitutio, vt cùm nequeat corpori, ſaltem animæ veri Domini ſit proficua, vti docet communis ſententia apud *Layman, alioſque.*

§. II.

Quid reſtitui debeat à Poſſeſſore, aut damnificatore bonæ, aut malæ fidei?

1. SI Poſſeſſor bonę fidei poſteà intelligat rem eſſe alienam, tantum tenetur eam reſtituere vna cum fructibus ex ea perceptis ſi extent, vel quantum ex ijs factus eſt locupletior ſi conſumpſerit. Ratio quia Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, ſed tātum ratione rei acceptę, & poſſeſſæ, ergo non tenetur plus reſtituere quàm ex ea poſſideat. Exempli gratia, veſtem à fure tibi *donatam* bona fide accepiſti, & attriuiſti. Dominus poſtea comparet, tantum illi teneris reſtituere veſtem attritam, & tantùm inſuper quantum tuo veſtimento pepercisti, etiamſi veſtis attrita ſerica, & valdè pretioſa fuiſſet. Quod ſi veſtem illam non dono accepiſti, ſed pretio *emiſti*, nihil præter veſtem attritam eſt reſtituendum. Si autem ſine tua culpa *perdita* aut ablata eſt, ad nihil omninò teneris. Ratio horum, quia nihilo factus es ditior: quę doctrina alijs materijs facilè poteſt applicari. Ita *Bonacina, Layman Lib. 3. Tract. 2. Cap. 3.* alijque paſſim Doctores.

2. Quia bona fide fecit contractum quem poſtea deprehendit eſſe *vſurarium*, tantùm tenetur reſtituere alteri id in quo ipſe inde factus eſt ditior: *Layman ſupra, &c.* Eadem ratione, ſi quis bona fide *venialis* rem alienam, donę ſibi datam, v. g. veſtem de qua ſupra, debet acceptum pretium reſtituere, niſi tamen ipſa veſtis apud alterum reperiatur, hęc enim Domino reſtitui debet, non pretium. *Molina, Vaſquez, Leſſius Lib. 2. Cap. 14. Diſp. 1*

Quid

Quod ſi rem tibi donatam alteri gratis *donaſti*, aliam non donaturus, ad nihil teneris, niſi forte ex charitate Domino indicare vbi res extet *Lonacina Trul. &c.* Quia indè non es factus ditior, cum nihil habeas in rebus tuis quod alios non haberes.

Simili modo, ſi rem ipſe bone fide *omiſti*, & poſtea *vendidiſti* abſque lucro, nihil teneris reſtituere, ſed ſous ille apud quem res extat, *Molin. Leſſius*, contra *Vaſquez*, *&c.*

3. Notandum hic eſt, *fructus* qui ex aliena re poſſunt prouenire, alios eſſe fructus naturales ipſius rei, vt fœtus animalium, fructus arborum, &c. & hi vna cum re Domino cedunt, cenſentur enim eſſe pars aliqua rei fructiferæ: alij autem ſunt fructus meræ induſtriæ quos res ex ſe non parit, ſed tantum ad illos acquirendo adhibetur per modum inſtrumenti. v. gr. frumentum alienum alio deportatum cum lucro vendidiſti, vel pecuniam alienam ad negotationem adhibuiſti, non teneris hunc fructum, ſiue lucrum reſtituere. Quia non eſt fructus alienæ, ſed tuæ induſtriæ.

Prædicta penè omnia fundantur in lege naturæ, quæ declaratur regula iuris 46. in 6. *Locupletari alius non debet cum alterius iactura*. Et l. nou hoc. ff. de condict. Ind. *Natura aquum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*. Ex quibus in praxi alij caſus deducuntur.

4. Quoad poſſeſſorem, ſiue damnificatorem *malæ fidei*, debet vniuerſaliter ita reſtituere vt ponat æqualitatem cum iure alterius, & ipſe ex delicto ſuo, & mala fide lucrum non faciat. Ex autem male fidei Poſſeſſor qui rem iniuſtè poſſidet, ſciens, aut per craſſum ſeu mortalem ignorantiam ſcire negligens, ius ſibi non competere.

5. Si res apud malæ fidei poſſeſſorem caſu fortuito petijt, etiam peritura etiamſi apud Dominũ manſiſſet, in foro conſcientiæ nihil reſtituere tenetur. Ratio, quia non tenetur ratione vel acceptæ, cùm ex ea nihil poſſideat, neque ratione iniuſtæ damnificationis, cùm ipſa iſtius damni fortuiti cauſa non fuerit? vti hic ſupponitur.

6. Si tamen eam dolo abſumpſit, aut per negligẽtiam, craſſam ſiue mortalem perdidit, etiamſi alias apud Dominum peritura fuiſſet, tenetur illius ęſtimationem Domine pręſtare. Ratio, quia in hoc caſu obligat Titulo iniuſtæ damnificationis, *Leſſius*, *Layman &c.*

7. Plerumque iniuſtos malæ fidei Poſſeſſor, aut damnificator, non tantùm tenetur reſtituere rem ablutam, & fructus perceptos, detractis ſuis expenſis, ſed etiam compenſare Domino damnum emergens, aut lucrum ceſſans ex rei carentia. Quia per iniuſtam eius detentionem eſt vera cauſa talis damni, etſi ipſe parum aut nihil ex ea percepiſſet *Layman Lib. 3. Tract. 2. Cap. 4. Num. 7. &c.*

8. Si rei alienæ dum mala fide detinetur pretium augeatur, Domino augetur, ac proindè illud etiam augmento debet Domino reſtitui, *Layman ſupra*.

9. Probabile eſt eum qui in exrtema neceſſitate conſumpſit rem alienam, non tantùm ſibi commodatam, ſed etiam ante eam neceſſitatem furto acceptam, non teneri poſteà, etſi, poſſit eam compenſare. Quia furtum non ademit illi ius quod quiuis habeat ad conſumendam rem alienam in extrema neceſſitate. *Hurt. Con. Palans*, *Diana* contra *Vaſquez*, *Leſſium &c.*

QVÆRES ex his primò: Quid dicendum de eo, qui cùm vidiſſet domum agricolæ à militibus iniquè ſpoliari, abſtulit ipſe duas veſtes valentes 15. florens, hac ratione ductus, ſi ego non auferam alij certò rapient.

Reſpondeo: Si accepit animo reſtituendi Domino, rectè feciſſe; quod ſi contingat poſteà Domino reſtitui non poſſe, neque tenebitur etiam pauperibus reſtituere, vt docet *Layman* ex probabili multorum ſententia. Si autem abſtulit ſine animo reſtituendi peccauit, & à Reſtitutione non excuſatur. Quia vti milites, ita ipſe inuito Domino rem alienam occupauit.

QVÆRITVR 2. Quid iudicandum de eo qui in naui frumentum, aut annonam alienam furto abſumpſit, quando poſtera die in naui omnia exceptis hominibus ſubmerguntur, aut diripiuntur?

Reſpondeo teneri ad reſtitutionem. Quia cùm ſemel ratione rei iniuſtè acceptæ fuerit obligatus, per euentum fortuitum poſteà ſubſequentem non abſoluitur.

§. III.

Qualiter reſtituendum prò homicidio, ſtupro, adulterio, fama &c.

1. QVi alium iniuſtè occidit, aut leſit, tenetur reſtituere omnia damna pecuniaria quæ læſus, eiuſque hæredes, vxor, aut parentes patiuntur ratione iniuſtæ occiſionis, aut mutilationis. Quia horum omnium cauſa iniuſta fuit. Tales ſunt primò impenſę in medicos,

dicos, medicamenta famulos, & alia ægro neceſſaria, detractis ijs quę ſanus fuiſſet conſumpturus. Secūdò lucrum ceſſans ex opificio, aut officio quod læſus nequit exercere, quantum ſcilicet prudentis arbitrio ſpes lucri valebat, detractis expenſis, quę in ſuam ſuſtētationem conſumere ſolebat. Mortuo autem occiſore hæc omnia hæredes præſtare tenentur. Non tamē probabiliter ſoluere debita occiſi: Quia occiſor illorū cauſa non fuit *Layman, hic alijq;*

2. Si læſus interfectori omnia remiſit ante obitum, ille hæredibus, vxori, & cæteris ad nihil tenebitur. Quia ius quod hi, tantùm ratione occiſi; acquirunt, iam remſſum eſt

3. Quia ab alio fuit prouocatus ad pugnam, nō tenetur ad Reſtitutionem. Quia alter prouocando liberè fecit illi poteſtatē vt pro viribus agat ad vitam ſibi auferendam. Adeoque obligationem illam vltrò ipſi tunc remiſit. Idem dic de eo qui iniuſtum inuaſorem occidit, etiamſi per leuem contumeliam, aliquam ei inuadendi occaſionem præbuiſſet.

4. Pro ipſa vita, membro, cicatrice, nihil in rigore reſtituendum, ſed venia tantùm petenda: Quia ſunt bona ordinis ſuperioris, quæ pecunia æſtimari nequeunt, ita *Leſſius*, *Layman &c.* Contra *Sotum*, *Silueſter*, *&c.* Conſultum eſt vt Confeſſarius occiſori imponat Miſſa, & eleemoſynas pro anima occiſi.

5. Quoad *ſtuprum*, qui virginem inuitam defloraüit, tenetur vel eam ducere, vel compenſare damnum indè ſecutum, arbitrio viri prudentis; pro ipſa prȩcisè virginitate nihil eſt reſtituendum. Hinc ſi ſtuprum manſit occultum, aut Matrimonium æquè opulentum non impediuit, aut cum virginis conſenſu abſque vi, vel fraude, vel Matrimonij promiſſione patratum fuit, ſtupratori nulla reſtitutio incumbit. Quia in hoc caſu volenti non eſt facta iniuria; neque in priori caſu damnum illatum eſt. *Leſſius*, *Bonacina*, *Trullus &c.*

Idem eſt de eo, qui virginem ſolis blanditijs & præcibus in conſenſum inflexit: niſi tamen preces fuerint coniunctæ cum minis, aut metu reuerentiali, qualis ſolet eſſe ancillæ erga Dominum *Trullus &c.*

6. *Adulter*. *& Adultera* tenentur reſarcire damnum, quod legitimæ proli ex adulterio naſcitur. Non tenetur tamen ordinariè adultera declarare quod proles ſit ſpuria, cum ſua infamia, & domeſtica cū viro diſcordia. Quia bona fortunȩ quibus priuatur legitima proles debent cedere bono famæ, quo mater priuaretur, cùm hoc ſit altioris ordinis. Nec proles tenetur matri affirmanti ſe ſpurium eſſe, fidem adhibere.

Conari tamen debet mater quantùm poteſt alia via damnum compenſare, v. g. in vtilitatem legitimæ proli familia diligentiùs administrando, de bonis proprijs plus illi quàm ſpurio diſtribuendo, denique, ſi idoneus ſit, ſpurium inducendo vt relicta hȩreditate fiat Eccleſiaſticus, vel religioſus *Layman Lib. 3. Tr. 3. Part. 1. Cap. 14. Filliucius*, *Trul. &c.*

7. Eadem cum proportione dicenda ſunt de adultero, quem contingit facilius à Reſtitutione excuſari, ſiue quia damnum ab adultera compenſandum credit, ſiue quia rarò poteſt certò ſcire ſpurium à ſe, non ab alio procreatum eſſe. *Bonacina*, *Trul. Leſſ. Lib. 2. Cap. 10. Diſp. 6.*

8. Pro læſione *famȩ*, ȩqualiș fama reſtituenda eſt. Quando ea reddi non poteſt, non teneris per peccuniam aut alia bona inferioris ordinis illam compenſare; & idem eſt de alijs bonis ſpiritualibus. Potes tamen per ſententiam iudicis ad talem Reſtitutionē obſtringi.

9. Si ex detractione famæ ſequantur alia damna fortunȩ, v. g. impediendo ab officio, beneficio, lucro &c. detractor obligatur ad æſtimationem damni ſecuti ex morali prudentum iudicio, vti patet ex dictis §. 1.

10. Reuelare alterius crimen, quod notorium eſt, iure, fama, vel facto, etiam in alio loco vbi ignoratur, non eſt contra iuſtiam. Secùs eſt de crimine in priuata domo cora paucis commiſſo. Quia qui hoc admiſit, nondum ad famam ſuam alio loco ius admiſit.

11. Illicita eſt compenſatio famæ talis, vt ſi aliquis tuam famam læſerit, tu poſſis viciſſim illum infamare. Quia illa eſſet manifeſta vindicta, quam nemo priuata auctoritate exercere poteſt. Si tamen nequeas iniuſtam infamiā alia via auertere, licitum eſt aliquem alterius defectum occultum propalare, v. g. quod anteà fuerit deprehenſus in mendacio, aut periurio. Quia hoc tantùm eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ famam ſuam defendere. Ad hanc præcisè defeſionem licitum eſſe alienas litteras aperire, docet *Peyrinus*, *Diana P. 3. Tract. 6. Reſ. 55.*

12. Si quis ſuadendo aliaue ratione Religioſum ad apoſtaſiam induxit, tenetur ex iuſtitia illa reditum ſuadere, & Monaſterio aut Collegio compenſare commoda, quæ ex illius bonis, aut induſtria prouentura videbantur.

Qui conſcius obligationis poteſt in vita reſtituere, non vult tamen id prȩſtare niſi in articulo mortis, aut poſt mortem per hȩredes, abſolui non poteſt. Quia habet actualem voluntatem perſeuerandi in ſtatu peccati, *Bonac. Salas*, *Layman*, *Trul. Cap. 14. Diſp. 1.*

§. IV.

§. IV.

Quænam excuſent à Reſtitutione?

EX parte *Creditoris* regula generalis eſt, primò; Quandocumque creditur rationabiliter contentus eſſe debet vt Reſtitutio differatur, poteſt ea differri, licet creditor ille ſit inuitus. Quando autem contentus eſſe debeat, colliges ex dicendis. Ita cum communi *Scotus*, *Nauarrus*, *&c.*

2. Si creditor cui facienda eſt Reſtitutio, oſtenderit ſaltem implicitè ſe obligationem illam remittere, v. g. reddendo chirographum, per hoc remiſſa eſſe cenſetur, modò id fecerit liberè, non verò vi, metu, aut fraude inductus.

3. Si ſolutio æquiualens præſtita ſit alteri, cui creditor erat obligatus, excuſat debitorem in foro conſcientiæ, modò cautela adhibeatur ne creditor cogatur denuò ſoluere, *Bonac. &c.*

4. Si creditori facta eſt compenſatio per operam, aut expenſas in procuratione officij, aut beneficij æquiualentis.

5. Omitti poteſt Reſtitutio quamdiu conſtat quod creditor ſit pecunia, v. gr. mutuo data, abuſurus ad graue peccatum, niſi ex omiſſione illa grauius malum timeatur.

Ex parte *Debitoris*, primò excuſatur in foro conſcientiæ à compenſatione damni, qui illud intulit ſine graui culpa Theologica, id eſt ſine peccato mortali, niſi aliud pactus ſit, vel inde factus fuerit ditior. Hinc excuſatur à reſtitutione damni, qui in ſubita ira aliũ occidit ſine aduertẽtia ſufficienti ad peccatũ mortale, &c.

Qui autem aduertens ex ſua actione periculum damni ſecuturi, omittit in eo præcauendo diligentiam, quam homines ſimilis conditionis adhibere ſolent, tenetur compenſare damna quę indè actu ſequuntur. In foro autem externo tantum habetur ratio culpę iuridicæ, quæ diuiditur in latam, leuẽ & leuiſſimam, neque requirit offenſam mortalem vt cogat ad reſtitutionem.

2. Excuſatur qui ad reſtituendum eſt impotens ſeruata ſtatus ſui iuſta decentia, v. g. non tenetur ciuis primarius abijcere ſe ad artem mechanicam: nec mechanicus artis ſuę inſtrumenta diuendere; ſed ſufficit per partes tantùm ſoluere quantùm ſupra ſtatum lucrari poteſt. Niſi tamen illi ſua culpa, & per vitam prodigam ad illam ſtatus ſui amiſſionem deuenerint. *Bonacina Layman &c.*

Adde, niſi ipſe Creditor ex dilatione ſolutionis æquale damnum ſubire cogatur. Debet enim debitor potiùs illud incommodum ſuſtinere quam creditor, cùm res debita ad hũc iure pertineat. Et idem dicendum eſt ſi ſtatus debitoris conſtatur, non ex rebus proprijs, ſed à creditore acceptis. Has enim reſtituendo, tantum cenſetur debitor ad ſtatum proprium, & ſuis medijs conuenientem redire.

3. Excuſatur debitor ſi nequeat reſtituere abſque periculo animæ ſuæ, vel ſuorum, v. g. proſtituendo filias quæſtui meretricio, filios latrocinijs, ſe ipſum deſperationi &c.

4. Si non poſſit reſtituere abſque periculo vitæ, aut notabili iactura ſuæ famæ. Quia non tenetur plus damni ſuſtinere ſoluendo, quam alteri inferat omittendo.

5. Si reſtituẽdo debeat creditor ſubire damnum notabiliter grauius quam ſit ipſum debitum, etiamſi fuiſſet contractum ex delicto.

6. Quãdo rem teneris reſtituere pauperibus, potes illam tibi applicare; ſi iuxta tuum ſtatũ ſis pauper. Quia ipſe debitor non debet eſſe deterioris cõditionis quã alij pauperes. *Lay. &c*

7. Excuſat iuxta leges *Ceſſio bonorum*: Iure enim conſtitutum eſt, vt qui tam multa contraxit debita vt nequeat ſatisfacere, poſſit bona ſua relinquere in manibus creditorum, & ſic manere liber, etiam in foro interno, retentis tantùm artis ſuæ inſtrumentis, & rebus ad ſuſtentationem neceſſarijs. Si tamen poſteà redeat ad pinguiorem fortunam ad Reſtitutionem obligatur. Ex lege, *cum & filij qui boni. Nauarrus*, *Leſſius Bonacina &c.*

8. Denique à Reſtitutione famæ *inſuper* excuſaris, ſi ab eo quem infamaſti pari modo ſis infamatus. Si eius fama aliter ſit recuperata. Si infamia iam abiit in obliuionem. Si crimen occultum quod propalaſti poſteà alia via factum ſit publicum. Aut ſi illius, cuius crimen aperuiſti, alia eiuſmodi crimina ſint ſatis publica; tunc enim illius fama parum aut nihil cenſetur imminuta.

QVÆRES. An pro debito quod non reſtituitur aut ſoluitur, licita ſit compẽſatio, quãdo debitum non eſt certum, ſed probabile tantùm? Negat meritò ſententia communis. Quia vna ex conditionibus requiſitis ad iuſtam cõpenſationem dicitur eſſe, quod debitum ſit liquidum, id eſt, de illo certò conſtet, vel ſaltem iudex declarauerit ad illum pertinere: & ita docet Vaſq. Mol. Suarez, Thom. Sanchez Leſſius *Lib. 2. de Iuſt. Ca. 12. Num. 58.* & plures alij quos refert Diana *Par. 7. Tract. 10. Reſ. 16.*

Circa hanc reſolutionem notari poſſunt conſiderationes quas mouet Card. de Lug. *de Iuſt. Diſp. 16. Sect. 5. Num. 97.* vbi ſic concludet: Quotieſcumq; ergo probabilitas verſatur cir-

circam ipſam compenſationem, poſſum licitè compenſare occultè debitum ſequendo aliquam opinionem probabilem, quæ dicat, non ſolum rem eſſe meam, ſed me poſſe licitè vti compenſatione: & quoad hoc, inquit, omnes debemus conuenire.

Strictior eſſe videtur opinio Matthæi de *Moya* in Selectarum Quæſtionum parte altera *Tr.6. Diſp. 4. Quæſt. 1. Pag.* 326. vbi ſic ait: Quando ex vtraque parte militat opinio probabils, alia debitori, alia creditori fauens, circa ius, vel circa factum ex cuius probationibus reſultat opinio probabilis docens iudicem poſſe rem auctori applicare, non obſtantibus probationibus pro reo factis, tunc opinio media mihi placet Nimirum, quoties opinio vtrique patri fuerit probabilis, vel ſua cuique probabilior, vt frequenter euenit, licitam eſſe compenſationem, non in toto, ſed in medietate Ratio eſt, quia quando ius duorum ad eandem rem eſt æquale, debet æquale, eſſe vtriuſque emolumentum: in hoc enim nulli fit iniuria, nulluſque rationabiliter inuitus eſſe poteſt, cum eadem ſit vtriuſque ſors, & vnuſquiſque exponatur eidem periculo amittendi partem re vera ſibi competentem, vel fortunæ lucrandi, quæ ad alium etiam pertinebat. Ergo iuſtitia, quæ ęqualitatem amat, rem inter vtrumque diuidendam dictat. Hæc vlterius *Moya* pluribus confirmat, quæ loco citato expendi poſſunt.

Quomodo poſſit Catholicus excuſari à Reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, eorumque fructibus male perceptis, vide ſuprà Part. 3. Tract. 2. Cap. 5. Et quis poſſit diſpenſare, & ſub qua conditione vt Laicus talia bona retineat, *Ibid.* Denique, an & cui reſtituendum pretium ſimoniacè acceptum, vide Tract. 5. Cap. 12. de Simonia.

Quomodo per Compoſitionem cum Pontifice poſſit aliquis liberari à Reſtitutione, quando bona ſunt incerti Domini, aut quando hic propter hæreſim, aut aliud graue delictum, meretur in pęnam iſto debito priuari videri poteſt, ſi res exigat, apud Leſſium *de Iuſtit. Libr.* 2. *Cap.* 16. *Dubit.* 11.

CAPVT VLTIMVM.

Quando teneatur ad Reſtitutionem Iudex Aduocatus, & Teſtis: & de forma in iure procedendi.

1 IVdex qui condemnat reum vel ex priuata ſcientia, vel ex cognitione per iniuriam extorta, tenetur ad reſtitutionem ſiue hæredibus, ſiue alijs quibus per hoc damnum intulit. Ita Nauarrus *cap.* 18. *n.* 59. Sotus de ſecreto *Membro* 3. *q.* 1. *Concl.* 5. Leſſius de Iure *lib.* 2. *cap.* 29. *dubit.* 18 Quia damnando ex priuata ſcientia facit iniuriam reo, cum ſic non procedat vt competens Iudex, nec ex vi officij talis poteſtas ſit illi conceſſa. Quando etiam per iniuriam extorquet crimen, ponit iniuſtè cauſam damni inde ſecuti, ideoque tenetur illud reparare.

Cenſetur autem iniuſtè crimen extorquere 1. Si per ſe ipſum criminis inquiſitionem incipiat, nulla præcedente infamia, aut denunciatione iuridica, quę inquiſitioni viam aperiat. 2. Si tormentis, vel metu propinquo tormentorum Confeſſionem elicuit, cum non adeſſent iudicia idonea ad torquendum. 3. Si dolo induxit ad confitendum, vt promittendo illi impunitatem ſi crimen agnoſceret, &c.

Sed in his obſeruandum. Si Iudici ſuppetebant aliæ rationes ex quibus reum iuridicè damnare poterat, tunc non teneri ad Reſtitutionem. Quia procedendo ex ſcientia priuata, vel extorta, tantùm iniuria commiſſa eſt in modo inferendi damni, non in illius ſubſtantia, cum idem damnum ex alia ratione iuſtè inferre potuerit.

2. De *Aduocati* obligatione dicendum, quando ex ipſius negligentia, aut imperitia, cliens iuſtam cauſam amiſit, tenetur huic reſarcire damnum quod ipſi inde acceſſit. Quia lex Iuſtitiæ requiri vt pro ſuo cliente diligentiam debitam adhibeat pro conditione cauſæ ſibi comiſſæ; vt ſi ſit difficilis, aut magni momenti plus ſtudij, & curæ applicare teneatur, quàm ſi ſit facilis, aut momenti minoris. Præterea ratione officij tenetur eſſe inſtructus peritia conuenienti in illo iure, & munere quod exercet, cum pro idoneo Aduocato ſe exponat, & pro qualitate perſona ſic inſtructæ ſtupendia recipiat: in quo ſi deſit, pro ratione damni inde ſecuti ad Reſtitutionem obligatur,

Quando Aduocatus defendit cauſam quam ſatis aduertit eſſe iniuſtã, tenetur ad Reſtitu-

tionem omnium damnorum quæ parti obueniunt ratione patrocinij ab illo ſuſcepit, vt ſunt expenſæ in lite factæ,& alia quæ per litem amiſit, & ſi clientem cum bona fide procedentem non monuit de cauſæ iniuſtitia, tenetur illi de damno inde conſecuto. Quia horum omnium ſe veram cauſam præbuit ſiue committendo, ſiue omittendo contra debitum ſui officij, ad quod præſtandum ſe tacitè obligauit.

Quod ſi cliens monitus de cauſæ iniuſtitia nolit à lite deſiſtere, tenetur adhuc Aduocatus cauſæ proſecutionem deſerere. Neque tūc licet illi inducere partem ad tranſactionem cum illius damno coniunctam. Quia tranſactio ſiue compoſitio tantùm habet locum in cauſa dubia, vti docet D. Thomas *q. 7. art. 3. ad 2.* Syluester *v. Aduocatus n.* 16. Nauarrus *cap.* 25. *n.* 28. Ex quo etiam patet, grauiter peccare ſiue conſiliarios, ſiue Aduocatos; qui in decurſu litis aduertentes partem alteram, cui forte fauent, tueri cauſam iniquam, inducunt alteram ad compoſitionem, recedendo ex parte à ſuo iure, cum tamen illis conſtet ius huius dubium non eſſe.

Aduocatum nulli facere iniuriam defendendo etiam cauſam minus probabilem, modò verè probabilem, diximus ſuprà Tr. 1. in principijs practicis de opinione probabili: & vt rectè hic notat *Leſſius*, ſæpe id quod apparet minus probabile, à parte rei verius eſt.

3. de *Teſte* in iudicio dicendum, Si vel ex certa ſcientia, vel ex craſſa ignorantia protulit falſum Teſtimonium, & ratione illius alter iniuſtè damnum ſuſtinuit, tenetur in ſolidum ad totius damni Reſtitutionē. Quia teſtis ille per iniuriā fuit cauſa efficax totius damnificationis quæ ex illius Teſtimonio prouenit.

Si tamen *Reus* iam erat per alios teſtes conuictus, & tuum Teſtimonium illis accedens nihil effecit, ſic vt propter illud nec pœna ſit aucta, nec Iudex redditus ſit firmior ad eam infligendam, tunc ad reſtitutionem non obligaris. Quia etſi falſum illud teſtificando iniuriam intuleris, non fuiſti tamen cauſa efficax damni ſecuti, cum illatum ſit ex prioribus Teſtimonijs, & tua teſtificatio ſuperueniens in illud non influxerit: ita Leſſius cum alijs, ſuprà *cap.* 13. *duo.* 2 & *Cap.* 30 *Dub.* 7.

Qui falſum Teſtimonium dixit ratione cuius mors vel mutilatio inferenda eſt, tenetur ſua dicta reuocare, ſi id profuturum ſit, quamuis ipſi periculum ſimilis pęnę immineret; ita Doctores communiter. Quia, in pari damno melior cenſeri debet conditio innocentis, *ex Regula Iuris*. Idem dicendum, ſi quis alios ad falſum Teſtimonium dicendum induxerit. Quod etiam in Reſtitutione famæ, pecuniæ & honoris in pari detrimento locum habet.

Si quis falſum teſtificatus eſt ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili, vel ex obliuione ſaltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non obligari ad reſtitutionem docent paſſim Theologi, cum Petro, Nauarra, Leſſio, Caietano *q. 7. Art.* 4. aliiſque, neque teneri cum vitę periculo ſuum Teſtimonium reuocare, vt ibidem Caietanus. Quia nec tenetur ratione rei acceptę, cum nihil acceperit; neque ratione iniuſtæ damnificationis, cum ſupponatur non peccaſſe, ſaltem mortaliter: vt magis probatur ſuprà *Tr.* 5. *c.* 7. *in fine*.

Teſtis non tenetur ad Reſtitutionem ex eo quod in alterius periculo ſe non obtulerit ad teſtificandum, vt docet Nauarrus *c.* 15. *n.* 27. &c. Quia non tenetur ex iuſtitia ſe ad hoc offerre; quamuis aliquando teneatur ex charitate, vt ſi videat ſuum Teſtimonium eſſe neceſſarium ad innocentem liberandum. Neque ad reſtituendum tenetur, ſi nolit teſtari, quando inde graue damnum illi immineret. Quia in hoc caſu neque per ſe obligationem habet vt graue damnum ſibi procuret neque ſuperior poteſt ad hoc eum obligare, niſi in caſu quo ratio boni publici id poſtularet.

Sed quid ſi nullum damni periculum immineat, & à Iudice citetur, vel iubeatur citari ad teſtificandum? Docent non pauci, ſi hoc caſu fugiat, vel ſe occultet, vel aliqua arte Iudicis interrogationem eludat, ad Reſtitutionem obligari. Ita Nauarrus *cap.* 25 *num.* 41. Sotus *lib.* 5. *de Iuſt. q.* 7. *art.* 1. Mich. Salonius *qu.* 70. *art.* 1. *dub.* 3. *aliique*. Quia inquiunt, hoc ipſo quo citatus eſt per publicum nuncium, tenetur ex Iuſtitia Teſtimonium proferre; ſicut tenetur is cui munus tutoris impoſitum eſt.

Reſpondet tamen *Leſſius* ſuprà, adducens Petrum Soto, Salonium, & Ioannem à Penna, primò verius omnino videri, eum qui ſe occultat, vel fugit antea quam Iudicis præceptū, aut citatio illi legitime denuncietur, nō teneri ad Reſtitutionem damni ſecuti ex defectu teſtificationis: quamuis potuerit grauiter peccaſſe contra charitatem proximi. Ratio eſt, quia nemo tenetur pręcepto Superioris, priuſquam ei debito modo imponatur, vt ſi aliquis, etiam non rectè, vitet conſpectum Superioris, ne illi mandatum aliquod imponat, tali mandato nondum denunciato non obligatur.

Secundò, Non videri etiam improbabile, ad Reſtitutionem damni non teneri, ſi poſtquam citatio Iudicis per miniſtrum publicum

illi inſinuata eſt, fuga, vel fraude aliqua teſtificandi actum declinauerit; vt ſi reum ſibi inimicum eſſe prętendat. Ita Leſſius ſupra, citãs Sylueſtrum id apertè docentem *ver. Teſtis.* N. 8. Molina, & alios; Quia etſi in tali caſu admittant peccatum contra obedientiam, & charitatem proximi, non tamen contra iuſtitiam, quæ obligationem reſtituendi fundare ſolet. Quod confirmatur ex eo, quod nemo poſſit alteri dare ius ad functiones liberas alterius, niſi qui illarum eſt dominus: cum ergo nemo præter me ſit Dominus mearum functionum, qualis eſt teſtificatio; nemo etiam abſque meo conſenſu poteſt alteri ad illas ius concedere: intelligendo vt ſupra, niſi ratio boni publici id poſtulet.

Dicendum eſt denique cum communi, Teſtem teneri reſtituere quod accepit, vt verum etiam Teſtimonium proferret. Quamuis enim non ſemper ex Iuſtitia teneatur teſtari; ſi tamen teſtari velit, tenetur ex Iuſtitia teſtari veritatem; nam pro actione vel omiſſione aliunde debita, nihil poteſt exigi ab eo cui illa debetur. Excipe hic, niſi ipſa veritatis teſtificatio cederet in detrimentum teſtificantis, vel labor, aut ſumptus ab illo impendendus eſſet.

Pro pleniori notitia, & commodo, hic opportunè ſubijcio Propoſitiones recenter prohibitas ad hanc materiam pertinentes.

Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio. Damnauit Alexander VII. Prop. 26.

Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare. Idem Alexander VII. Prop. 18.

Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant Cenſuræ. Idem Propoſ. 44.

Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem. Damnauit Innocentius XI. Prop. 2.

Quidni non niſi veniale ſit Detrahentis authoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere. Idem Innocentius XI. Prop. 43.

De Regulis, & notitia Iuris vtriuſque, & alijs ad forum Iudiciale pertinentibus, accedit infra huic Operi Tractatus ſeptimus in fine huius Tomi ſecundi.

TRACTATVS SEXTVS
RESOLVTIONES
SINGVLARES
AD HÆRESIM

Et Partes Hæreticorum ac Curatores Animarum vbi Pertinentes.

SVmmula Materiæ. De Dubio in fide. Relapſo in hæreſim. Profeſſione externa fidei. Vſu carnium. Templis hæreticorum, Officijs, Beneficijs, Bonis inique poſſeſſis &c. De Libris hæreticis, alijſque prohibitis. Cibis vetitis. Communicatione cum hæreticis. Pactis. Diſputationes. Educatione liberorum Stylo veteri. Matrimonio. Sponſalibus. Baptiſmo apud hæreticos. Horum pœnis lege conſtitutis &c. Reſolutiones pro Miſſione Caſtrenſi, Nauali &c. Singula prædicta per plures quæſtiones, tractata, & reſoluta.

QVÆSTIO I.

De homine in Fide dubio.

AN pro Hæretetico habendus ſit, qui deprehenditur in aliquo puncto fidei dubitare.

Reſpondeo cum diſtinctione. Si dubium illud coniunctum ſit cum animi pertinacia, per quam re debitè examinata, vult adhuc ſcienter in ſuo dubio permanere, & illum fidei articulum v.g. Purgatorium, tantùm pro dubio habere, indicare debet Confeſſarius illum verè hæreticum eſſe, neque poteſt durante eo ſtatu illi abſolutionem impertiri: idque colligitur ex iure, *Cap. 1. de hæreticis* Si autem talis dubitatio procedat tantùm ex ſcrupulo conſcientię, orto ex cogitationibus indeliberatis, quibus dubitans non conſentit, ſed paratus eſt inſtructionem admittere, Eccleſiæ Iudicio ſe conformare, talis cenſeri non debet hæreticus, & à peccatis ſuis abſolui poteſt. Signum autem moraliter certum eſt, dubitationem non eſſe hæreticam, ſi ipſe ex tali dubio, & conflictu magnam animi moleſtiam, & diſplicentiam percipiat, & colligitur ex Cap. *& penſandum eſt*, D. 6. & ex *Reginaldo Part.* 2. *Quæſt.* 2.

Excuſandus tamen ad hæreſi non eſſet Catholicus non omninò rudis, qui ob auctoritatem hæretici Prædicantis, aut ſui parentis, de aliquo puncto fidei dubitare pergeret, nullum requirens, aut admittens ſuæ dubitationis remedium. Quia motiuum illud non poteſt præbere fundamentum in dubio libere perſiſtendi tali homini non ignoranti communem Eccleſiæ auctoritatem, & conſenſum oppoſitum.

Quædam huc pertinentia de varia Ignoran-

tia in punctis fidei, vide ſuprà *Tom. 1. cap. 2. Art. 4. Pag. 16.*

QVÆSTIO II.

De relapſis in hæreſim.

AN Miſſionarij ex poteſtate ordinaria poſſint abſoluere Relapſos in hæreſim?

Reſpondeo, ex ordinaria non poſſe, maximè ſi hæreſim anteà iudicialiter abiurauerint: remittendi ergò ſunt illi ad ſuos Epiſcopos, aut alios, qui ad hoc peculiarem poteſtatem à Sede Apoſtolica acceperunt.

QVÆSTIO III.

Profeſſio fidei externa.

AN teneantur aliquando Catholici fidem ſuam exteriùs profiteri?

Reſpondeo, Iure diuino, & naturali dari præceptum fidem aliquando exteriùs profitẽdi: Primò, quando aliàs magnus honor Deo ſubtraheretur vel magna iniuria illi inferretur v. g. ſi hæreticus conculcaret imagines, & ſpes eſſet id impediendi, ſi Catholicus declararet illam iniuriam ſuo animo, & fidei aduerſari Secundò, tenetur fidem ſuam profiteri, quando indè penderet magna vtilitas proximi, v. g. multorum conuerſio; vel ex ſilentio peruerſio aliorum, aut graue ſcandalum: niſi contigeret in particulari caſu periculum grauioribus mali ab externa fidei Confeſſione excuſare. Patet hoc præceptum ex verbis Apoſt. ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem.* Vt enim aliquis ſit in Eccleſia Chriſti, quæ eſt viſibilis neceſſe eſt vt aliquando per externam, & viſibilem Profeſſionem ſe illius Eccleſiæ membrum agnoſcat vti paſſim TT.

Abſit igitur à Catholico pectore peſtifera illa Politicorum perſuaſio, qua exiſtimant ſufficere ſuam fidem ſoli Deo cognitam eſſe: de cętero liberum manere ſeruire tempori, velificari fortunæ, in externa Religionis ſpecie Principum placitis obſecundare.

At non aduertunt illi, Deo notam eſſe non tantùm internam fidem, ſed etiam hanc externam perfidiam, qua ſe verę Eccleſiæ membrum profiteri recuſant. Hoc perfidiæ genus ſi lex Chriſtiana permiſiſſet, inſurgentibus perſecutionem procellis, nulli olim in Eccleſia Chriſti fidei Athletæ, nulli Confeſſores, nulli Martyres extitiſſent, qui tamen non dubitarunt ſibi ad ſalutem neceſſarium, potius bonorum iactura, & carceres, & tormenta, & mortem ipſam ſuſtinere, quàm in ſimulata illa fidei profeſſione ſe Principium placitis accommodare. Quiſquis hoc tempore nouam illam ſimulandi normam ſectatur, nouum quoque Cælum quærat neceſſe eſt.

QVÆSTIO IV.

Interrogati de fide ſilentium.

AN interrogatus de ſua fide in odium religionis, auctoritate ſiue priuata, ſiue publica, poſſit aliquando ſilere, aut tergiuerſari, dicendo ſe non velle, aut non teneri ad talia reſpondere?

Reſpondeo, de publica negatiuè, iuxta illud Chriſti Lucæ Cap. 19. *Qui me eruberit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, &c.* Nec refert quod Tyrannus aut iudex non habeat ius eum de ſua fide interrogandi: quia obligatio reſpondendi in tali caſu non fundatur in poteſtate iudicis, ſed in iure, quod Deus habet, ne fides vel diuinus honor detrimentum patiatur, aut proximi ſcandaliſentur &c. Neque excuſat grauis metus, tum ob prædicta, tum quia inutile plerumque eſt eo caſu declinare reſponſium: coguntur enim interrogati palam edicere quid ſentiant, & tergiuerſatio facilè parit ſcandalum, & fidei contemptum. Quia tamen, quando interrogatio fit ab homine priuato, taciturnitas aut eluſio reſponſionis (dicendo v. g. quid tua refert) eſt quidam interrogantis contemptus, ideo cenſent plures interrogatum tacere poſſe, vel interrogantem eludere, ſi tamen nullum inde ſequatur detrimentum honoris diuini, vel ſcandalum proximi.

QVÆSTIO V.

Reſtrictio, æquiuocatio in Fide.

AN Catholicus de fide interrogatus poſſit vti reſtrictione non purè mentali, quæ oritur ex circumſtantijs extrinſecis, aut verbis æquiuocis, aut amphibologicis, per quæ præſentes fidei negationem intelligant, etſi loquenti aliud ſignificent?

Reſpondeo negatiuè. Quia ex tali reſponſo eadem mala ſequuntur in animis audientium, idemque fidei contemptus, qui ſequeretur ex ſimplici fidei negatione: ergò eiuſmodi reſponſa in materia fidei debẽt eſſe grauiter prohibita, propter damna grauiſſima inde

dè conſequentia. Hinc grauiter peccaret, qui interrogatus auctoritate ſiue publica, ſiue priuata, diceret ſe eſſe Puritanum, etſi per hoc in animo intelligeret, ſe eſſe amatorem puritatis. Item, qui negaret ſe eſſe Papiſtam, intelligendo, ſe non eſſe de familiam Papę: Aut negaret ſe eſſe Catholicum Romanum, intelligendo, natum Romæ: aut qui diceret Sanctos non eſſe colendos, ſcil. cultu diuino: aut ſe damnare cultum Imaginum, etſi per hoc, imagines dæmonum, ſola mente ſubaudiret.

QVÆSTIO VI.

Interogatus de Sacerdotio.

AN Presbiter, vt euadat periculum, poſſit (ſalua fide) negare ſe eſſe Sacerdotem aut Religioſum?

Reſpondeo affirmatiuè: Quia per hoc nullo modo negat ſe eſſe Catholicum: poteſt enim eſſe Catholicus abſque ordine ſacerdotali, aut ſtatu religioſo.

QVÆSTIO VII.

Vſus carnium inter hæreticos.

AN licitum ſit Catholico, imminente graui periculo, veſci carnibus inter hereticos tempore ab Eccleſia prohibito, nec ab ijs pro Catholico habeatur.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi incommodum aliàs incurrendum ſit notabile, non ſola irriſio, aut leuis contemptus. Quia pręceptum Eccleſię non ſolet obligare, quando eius obſeruatio cum graui incommodo coniuncta eſt. Neque poteſt illa comeſtio prudenter haberi pro negatione fidei. Satis enim conſtat Catholicos multis de cauſis vti cibis aliàs prohibitis, v. grat. ratione valetudinis, aut diſpenſationis.

Sed quis ſi hæreticus expreſſis verbis inuitet Catholicum ad eſum carnium tempore prohibito, vt hoc ſigno prohibet an verè ſit Catholicus, vel carnes illi apponat expreſsè in contemptu præcepti Eccleſiaſtici?

Reſpondeo illicitũ eſſe tali caſu veſci carnibus, etſi graue incommodum inſtaret: niſi Catholicus expreſsè proteſtetur, ſe cibis illis vti ſalua ſua fide, ob valetudinem, aut alias legitimas cauſas ſibi cognitas. Quia alias in illis circumſtantijs comeſtio cibi interdicti determinatur ad ſignificandum defectionem à fide, & obedientia Eccleſię; quæ defectio ex nullo fine aut ratione poteſt honeſtari. Vtramque reſponſionem confirmat reſolutio Apoſtoli in caſu non diſſimili, *1. ad Cor. 10.* vbi interrogatus an liceret idolothyta, ideſt, cibos idolis oblatos manducare; ſic ait; Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam: ſi quis autem dixerit, hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam.

QVÆSTIO VIII.

Templa, Conciones, Preces Hæreticorum.

AN licitum ſit Catholicis in Anglia, aut Hibernia, vllo prętextu templa Hæreticorum adire, & eorum concionibus, pſalmodijs, aut precibus intereſſe.

Reſpondeo negatiuè. Si enim poſt diuturnam diſceptationem cenſuerunt in præcipuis Europæ Vniuerſitatibus viri doctiſſimi Idque demum expreſsè declarauit Pius V. in Bulla ea de re miſſa ad Catholicos Angliæ, 10. Kalendas Octobris anno 1606. vbi ſic loquitur. *Cogimur monere vos atque obteſtari, vt nullo pacto ad hæreticorum Templa accedatis, aut eorum Conciones audiatis, aut cum illis in Ritibus communicetis. Non enim licet vobis hæc facere ſine detrimento Dei cultus, & veſtræ ſalutis &c.* Fundamentum huius declarationis eſt, quod per Regum edicta, & communem populi acceptionem, talis frequentatio cœperit in illis Partibus haberi pro ſigno defectionis ab Eccleſia Romana, & obedientiæ Regi in ſacris exhibite, tanquam ſupremo capiti Eccleſiæ Anglicanæ, adeò vt ipſi hæretici non dubitarent tales, tanquam Eccleſiæ Romanæ deſertores, ſuę Sectæ annumerare. Pro negotijs tamen purè politicis licitum eſt Catholicis vna cum hæreticis ad templa conuenire, v. g. vt de rebus regni, aut ciuitatis conſultatio habeatur.

In Hollandia tamen aut Germania, per ſe illicitum non eſt Catholicis hereticorum concionibus aliquando iuſta de cauſa intereſſe, v. g. vt eorum doctrina melius refutetur. Quia talis frequentatio in Hollandia non eſt recepta pro externa hæreſis profeſſione, vti in Anglia factum eſt. Dixi, *per ſe*, quia rudibus, & in fide infirmioribus, etiam in Hollandia illicitum eſt hæreticorum conciones audire, quan-

quando tinetur inde mortale periculum peruerſionis.

QVÆSTIO IX.

Officia in templis hæreticorum.

AN liceat Catholico in templo hæreticorum agere æditum, aut organiſtam, aut pulſare campanas, quibus tali ad templum conuocantur?

Reſpondeo negatiuè: Quia exercendo illas functiones directè cooperetur ritibus hæreticorum, quod eſt per ſe malum, adeoque nulla ſpe lucri poteſt reddi licitum aut honeſtum. Et ita reſoluit *Leſſius Opuſc. poſthumo v. Hæret. caſu* 11. Quod ſi quis pulſet organa, aut campanas in templo hæreticorum eo tantùm tempore quo, ibi congregantur ciues aut mercatores, vt tractent de commercijs aut negotijs ciuilibus, vti ſæpè in Hollandia, & alibi contingit, non cenſetur per hoc cooperari ad promouendum ritus, ſed ciuiles tantùm functiones hæreticorum, quod per ſe illicitum non eſt.

QVÆSTIO X.

Bona ab Hæreticis poſſeſſa.

AN Catholici poſſint emere bona aliorum Catholicorum iniuſto Bello ab Hæretici occupata?

Reſpondeo, Id fieri poſſe varijs modis. Primò, vniuerſim quando cenſeri poteſt illa eſſe Dominorum voluntas. 2. Quando ad bonum Commune id Eccleſia, aut Pontifex decernit: Et hoc conforme eſt Reſolutioni Sacræ Congregationis Inquiſit. quæ ad quintum caſum Franciſci Longobardi Ordinis Minorum miſſionarij Tenuti in Africa, Reſpondit, Bona Chriſtianorum à paratis capta poſſe fideles abſque noxa mortali, & onere reſtitutionis, emptione, donatione, venditione, aut alio quocũque legitimo Titulo ſibi accipere, ac in proprios ſus conuertere, non obſtante quod ſint in Bello iniuſto capa. Quæ Reſolutio approbata fuit ab Vrbano VIII. Anno 1630. 25. Iulij, vt extat apud Peyrinum, & apud Veriuys Tract. 4. Art. 13. Meritò tamen aliqui in Congregatione adhebant, requiri animum reſtituendi ſic empta, recepto pretio dato, ſi rerum emptarum Dominus compareat. 3. Quando Princeps ſæculares Catholici, & Hæretici per pacta aut concordata pacis ſtatuerunt, vt Hæretici poſſint illa bona habere, & de ijs diſponere. Et in Praxi conſtat ſic fieri in Germania, & Holandia, & quandoque in Anglia, nullo Theologo rerum perito ipſis ſcrupulum mouente. Cenſeri autem poſſunt illi ſic emendo ſubire onus reſtituendi ſi fieret illa rerum reuolutio in qua ipſe venditor Hæreticus reſtituere cogeretur. Et ſanè plures ab cauſas multò conducibilius videtur, bona illa tali emptione in manus Catholicorum deuolui, qui tantò potentius poſſunt negotium Fidei protegere ac propagare, quàm ſi ea penes Hæreticos perpetuò permanerent. Et huic Reſolutioni mecum ſubſcripſerunt præſtantes in Belgio Theologi *P. Iacobus van Caloen* ſtudiorum altiorum tunc Præfectus, & *P. Ioanes Pollenter* S. Theolog. Profeſſor Louanij, & plures alij.

Quod ſi nec cenſeatur adeſſe Dominorum voluntas, nec Reipublicæ, aut Principum legitimus conſenſus, qualem ſupra caſu requirit, haud dubiè improbanda eſſet praxis illorum qui nulla habita propriorum Dominorum ratione, illos in talium bonorum emptione præuenire, aut excludere conarentur: quales alibi reperiri aliquos poſt recentem Cromuelli inuaſionem, adeoque non excuſandos, meritò cenſet *F. Bonauentura Keon* S. Theol. Lector Iubilatus, & *F. Antonius Rothus* S. Theol. Prof. & Præſentatus viri doctiſſimi natione Hiberni, & in ille partibus rerum periti.

QVÆSTIO XI.

Beneficium à Patrono hæretico.

AN Catholicus validè, & licitè accipiat Beneficium Eccleſiaſticum a Patrono hæretico.

Reſpondeo affirmatiuè cum *Leſſio ſuprà caſ. 6. & Sanchez de Matrimon. Lib. 3. Diſput. 22. Num. 31.* ſi nempe ſit hæreticus toleratus, non verò publicè denunciatus. Quia cenſent illi hæreticum toleratum non perdere ius patronatus poſt Extrauagan. *Ad euitanda ſcandala*, per quam Eccleſia permittit Catholicis cum tali hæretico communicationem propter bonum commune, & ne alias ex tali collatione ſi eſſet inualida, plurima dubia, & turbationes orirentur, in Catholicorum potius quàm hæreticorum detrimentum. Debet tamen peti approbatio legitimi Ordinarij hæc enim requiritur, etſi patronus conferens Beneficium eſſet Catholicos.

Sed quæres porrò. Vtrum licitum ſit Catholico dare pretium patrono hæretico,

quà

qui aliàs beneficium alteri hæretico collaturus eſt.

Reſpondeo affirmatiuè, Si pretium illud nō detur Titulo emptionis beneficij Eccleſiaſtici, illa enim eſſet Simonia, ſed tantùm ex intentio ſic redimenti ſiue impediendi vexationem Eccleſiæ quam iniuſte patitur per hoc quod beneficium hæretico aut alteri indigno cōferatur, etſi per hoc indirectè procuret vt beneficium ad ſe deueniat. Ita etiam reſoluit *Veriuys Tract.* 4. *Art.* 12. citans *Sotum*, *Pontium*, *Caſtrop. Vericelli &c.*

Libri Hæreticorum.

QVÆSTIO XII.

Quomodo prohibiti.

AN, & quomodò hæreticorum Libri Catholicis prohibeantur?

Reſpondeo: Grauiter prohiberi, tam in Bulla Cœnæ, quam in Indice librorum prohibitorum edito à Pio IV. qui habetur in fine Tridentini.

Vi Bullæ Cœnæ incurrunt excommunicationem Pontifici reſeruatam, quicumque libros hæreticorum hæreſim continentes vel religione tractantes, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſcienter legunt, retinent imprimunt, aut quomodocumque defendunt: Sic enim ſonant verba Bullæ, quæ quatuor actiones expreſsè prohibet, lectionem, retentionem, impreſſionem, & defenſionem.

Nomine, libri hæretici, in ordine ad hanc cenſuram, non comprehenditur breuis epiſtola, aut concio hæretici, docet hic *Lugo Diſp.* 21. *Num.* 33. prohibentur tamen illa per Bullam Pij IV.

Neque illa cenſura continetur liber auctoris Catholici, quamuis hæreſes aliquas contineat. Neque liber Catholicus, cui hæreticus notas appoſuit, modò notæ illæ ſint libro minores, ſic vt totum opus moraliter dici poſſit liber auctoris Catholici potius quàm hæretici. Ita *Suarez & Lugo ſupra Num.* 47. Tales tamen libri prohibentur per Bullam Indicis Pij IV. quamuis non ſub pœna excommunicationis Pontifici reſeruatæ.

Peccat *retentione*, qui etiam apud alium, librum hæreticum deponit, vel qui ab alio depoſitum apud ſe ſeruat: Tenetur autem talem librum in Epiſcopi manus conſignare.

Peccant *defenſiones*, qui dogmata talis libri poſitiuè laudant, aut librum ipſum diuulgāt, aut impediunt ne ab alijs ad Epiſcopum deferatur.

Excuſat *Legehtem* à morali, & conſequenter à cenſura, paruitas materiæ. Talis eſt iuxta *Caſtropalaum* lectio decem linearum, iuxta *Sanchez* lectio vnius paginæ ex libro in folio maiori, *Lugo* tutius ad mediam circiter paginam reſtringit.

Si quis autem ſciens, & volēs audiat alium, librum hæreticum ſibi prælegentem, peccat quidem ordinarie grauiter ob periculum peruerſionis, & aliquando ob ſcandalum aliorum non tamen incurrit cenſuram, ac proinde poteſt talis à quouis Confeſſario obſolui. Ratio autem horum eſt, quod Bulla vtatur terminis tantùm prohibentibus *lectionem libri hæretici*, adeòque vbi non eſt *lectio*, & *liber*, & *auctor* proprie *hæreticus*, cenſura per Bullam lata non incurritur. Verba enim legis, quæ pœnam important, in proprio, & rigido ſenſu ſunt interpretanda.

Idem dicendum eſt, quando Confeſſarius aut Parochus deprehendit aliquem retinuiſſe quidem, aut legiſſe mala conſcientia librum hæreticum, ignoraſſe tamen excommunicationem illi rei annexam fuiſſe, talem enim poterit Confeſſarius quilibet abſoluere, & monere de cenſura, & de libro quam primum in manus Epiſcopi tradendo. Si autem ſint libri hæreticorum, qui tantùm tractant v.g. hiſtoriam, aut medicinam, ſed aliquas tamen hæreſes hinc ind admixtas habent, curandum eſt vt hæreſes obliterentur, vel legendi facultas ab Ordinario obtineatur.

QVÆSTIO XIII.

Particularia de libris hæreticis, & prohibitis.

§ I.

QVæritur vlterius primò. An qui ſe ſentit in fide firmum, & à periculo lapſus ſecurum, qualis eſt aliquis Prælatus aut Epiſcopus, teneatur ille à libri hæretici lectione abſtinere?

Reſpondeo affirmatiuè, ſi legendi facultatem non obtinuit; ita Card. Lugo *de fide Diſp.* 21. *Sect.* 2. §. 2. Quia etſi quis in præſenti ſtatu eam firmitatem ſentiat, fieri tamen poteſt vt depetentim liberiori lectione ab ea firmitate recedat. Quis enim ſapientior, & in diuina lege inſtructio fuit Salomone? blando tamen commercio cum vxoribus, & ritibus gentilium ad idola defecit: Hæreticorum libri

ſub

ſub eleganti ſtylo tanquam in calice aureo, errorum venena propinant, & vbi leuiora quędam fidei ſuę dogmata ſub veroſimili quadam ſpecie propoſuerunt lectoris animum ita paulatim expugnant, vt incipiat etiam circa grauiora fidei fundamenta vacillare, vt in firmioribus Eccleſiæ columnis aliquando experientia comprobauit. Et quamquam in perſona quadam particulari contingeret huiuſmodi lectionem parùm aut nihil eſſe periculoſam, ſi tamen omnibus, qui de ſe idem perſuaderent, lectio illa permiſſa foret, facilè ſequeretur graue fidei detrimentum; ac proinde prudenter hæc lex omnibus abſque perſonarum exceptione ab Eccleſia præſcribitur. Adde, lectionem hanc interdici, non ob ſolum periculum damni lectoribus ſecuturi, ſed etiam in pœnam auctoris libri hæretici, qui non leuiter ſentire ſolet alios à ſui operis lectione arceri.

§. II.

QVæritur ſecundò. An famulo Catholico licitum ſit Domino id imperanti librum hæreticum prælegere?

Reſpondeo cum diſtinctione. Si id iubeatur expreſsè in contemptum fidei, nullo modo poteſt famulus parere. Si autem imperetur ad alium finem indifferentem v. g. quia Domino id commodum, aut iucundum eſt, & famulus ad legendum graui metu adigatur, per lectionem illam non incurret lethale peccatum. Ratio eſt, quia imprimis non peccabit contra præceptum diuinum, cum lectio illa, abſtrahendò à pręcepto humano, per ſe non ſit prohibita, neque vt ſuppono ipſi famulo periculoſa: à pręcepto autem Eccleſiæ propter grauis incommodi metum excuſabitur. Idem ſentit Sanchez Tom. 1. Lib. 2. Cap. 10. Num 49. & Lugo de fide Diſp. 12. Sect. 2. §. 3. Num. 79.

§. III.

QVæritur tertiò. Si Liber hæretici cōplectatur plures partes, aut volumina, an, qui vnum legit in quo de hæreſi aut religione non tractatur, incurret excommunicationem contra legentem libros hæreticorum?

Reſpondeo negatiuè. Quia pars illa per ſe vnus liber eſſe videtur, qui cum hæreſim non contineat, non videtur præbere materiã huic excommunicationi. Idque confirmat Lugo *Diſp. 21. de fide Sect. 2. §. 1. Num. 56.* vbi ait negari non poſſe aliquando eumdem auctorem idem argumentum pluribus Tomis ita proſequi, ſint Tomi, & Libri inter ſe diuerſi, ſic vt prohibito vno alij non prohibeantur. Et hoc, inquit, *videmus* in *vſu* ſacræ Congregationis Indicis, quæ aliquando ſolum vnum Tomum alicuius auctoris interdicit, non verò cæteros eiuſdem, licet ſint de eodem argumento conſcripti. Conſentit Sanchez *in Præcept. Tom. 1. Lib. 2. Cap. 10.*

§. IV.

QVæritur quartò. An licitum ſit Filio Catholico Typographi hæretici, qui libros hæreticos imprimit, in officina domeſtica typos ordinare, torcularia premere, aut chartas apponere?

Reſpondeo cum Layman. *Lib. 2. Tract. 3. Cap. 13. Num. 5.* hæc ei non licere, niſi grauis omnino cauſa excuſet. Quia *iſtæ actiones* vere comprehenduntur ſub nomine *impreſſionis* Libri hæretici, quæ ſub pœna excommunicationis interdicta eſt. Si tamen eiuſmodi filius ad fidem conuerſus, non poſſit ſine grauiſſimo incommodo patrem deſerere, poterit ad breue tempus iſtas actiones exercere. Siquidem hæreticum ſcriptum typis ordinare, ſicut & illud tranſcribere, per ſe malum non eſt, ſi malus finis non intendatur; neque lex Eccleſiaſtica id prohibens cenſetur in tam graui neceſſitate obligare.

§. V.

QVæritur quintò. An liceat Catholico compingere libros hæreticorum?

Reſpondeo. Leſſius, ea de re *conſultus in poſth. verba, Hæret. Libri Caſu* 8. ſpectando ius naturæ, inquit, non damnarem iuuenem illum librorum hæreticorum compactorem, præſertim ſi alia ratione victum quærere non poteſt: inter alios enim libros per accidens etiam compingere libros hæreticorum per ſe malum non eſt, & abſtinendo non impediet eorum lectionem, quia non deerunt alij qui compingant, & non compacti adhuc legi poterunt: præſertim cum tanto quod dixi ſuo incommodo.

Bulla tamen Cœnæ excommunicat etiam *habentes* tales libros, & ex hac parte poſſit aliquando eſſe illicitum, nam conſuetudo contraria non videtur adhuc legitimè pręſcripta ita Leſſius.

§. VI.

QVæritur ſextò. Vtrum in Belgij Prouincijs confœderatis, licitum ſit apud ſe habere libros hæreticos?

Reſpondet Leſſius *ſupra caſu* 14. ſe vix dubitare quin olim Bulla Cœnç id prohibens fuerit in iſtis Prouincijs recepta, ſicut in reliquo Belgio, ſaltem quoad illum articulum de hæreticis, & libris hæreticorum: & quamuis ibidem ſecuta ſit Religionis mutatio, tamen apud Catholicorum cœtum Bullæ admiſſionem non deſijſſe.

Quod ſi opponas, Catholicos forte cœpiſſe vti moribus contrarijs, & iam elapſos eſſe 40. annos neceſſarios vt contra legem canonicam legitimè compleatur præſcripto, vti communiter Doctores tradunt, & colligitur ex cap. *Fiant*, de conſuetud.

Reſpondeo, non ſatis conſtare conſuetudinem illam bona fide, & apud viros timoratos illic paſſim receptam, adeoque probandum videri, vt tales libri à Catholicis ſine facultate retineantur.

§. VII.

QVæritur ſeptimò. An hęreticus ad fidem conuerſus, in partibus hæreſi infectis poſſit vendere libros hæreticos, quos antea habuit? Item, an poſſit diuendere libros hæreticos, quos hæreditate à parentibus accepit?

Ad primum dico, poſſe diuendere illis qui facultatem habent legendi libros hæreticorũ. Vt verò alijs diuendat non facile permittendum, propter Eccleſiæ prohibitionem.

Si tamen inde graue damnum paſſurus eſſet, permittendum videntur vt vendantur bibliopolis hæreticis, qui talium librorum copiam habere ſolent. Quia per hoc cauſam Catholicam non reddat deteriorem, neque ex illo actu alicui præbebit periculũ peruerſionis, cum in illis partibus facile ſupperat talium librorum copia. Et confirmatur, ex eo quod in iſto caſu cenſeri poſſit Eccleſia non velle talibus graue damnum creare, ſed potius fauorem impendere, vt facilius ad veram fidem alliciantur: Ita Leſſ. *in Poſth. V. hæreticus* 21.

Ad ſecundum dico, cum eodem, in partibus hæreticorum videri tolerandum vt eiuſmodi hæres bibliothecæ paternæ, damni vitãdi cauſa, libros hęreticos commutet cum libris Catholicorum, illos tradendo bibliopolis etiam hæreticis: pręſertim quando in particulari non extimat inde prouenturam occaſionem hæreſis ſtabiliendæ. Ratio petitur tum ex ijs quæ ad Quæſt. priorem dicta ſunt: tum quia hæres per illam venditionẽ non cenſetur moraliter cooperari ad doctrinæ falſæ propagationem, ſed tantùm id peragere, quod per ſe malum non eſt, vt damnum euitet. Si tamen res patiatur, expedit huiuſmodi Catholicos hortari, vt potius zelo fidei libros hæreticos flamis abſumant, & ad fiduciam erigere in diuina prouidentia, quæ in proſperis aliarum rerum ſuceſſibus, damnum ex librorum iactura prouenturum facile compenſabit.

§. VIII.

Libelli famoſi.

QVæritur octauò. Quid dicendum de alijs libellis famoſis, & non hæreticis?

Dico primo. Pro libellis famoſis habendi ſunt libri qui continent alicuius infamiam, nondum antea publicam, vt ſic in aliorum publicam notitiam deueniat, etſi poſtea ex illis infamia non ſequatur. *Ita Silueſter Verb. libellus, Molina, Filliucius, Finellus &c.* Pro libello famoſo etiam habetur ſignum aliquod publicum v. g pictura qua alter infamatur, vt ſi quis depingat aut apponat cornua ad alterius fores, vt diuulget aliquem habere coniugem adulteram, vti conſentit *Molina Diſp.* 35. *Iulius Clarius, &c.*

Dico ſecundò. Conficiens libellum famoſum iure communi excommunicandus eſt, & tenetur ad famæ reſtitutionem; Patet ex *Can. qui in alterius* 5. *Quæſt.* 11. Ad Reſtitutionem autem famç ob iniuriam illatam grauiter obligatur; excommunicatio enim ſupponit graue delictum. Tulit quoque Alexander IV. in Conſtit. quæ incipit *Ex alio*, excommunicationem Papç reſeruatam in eos qui libellos famoſos conficiunt contra ſtatum Ordinis Prędicatorum, vel Minorum; quod priuilegium extenditur ad alios Ordines quibus eorum priuilegia ſunt communicata, vti teſtatur Sayrus, Salonius, Graſſius, Molina, Filliuc. *hic Tract.* 15. *Cap.* 5. *Quæſt* 11. *Num.* 126.

Dico tertiò. Nulli licet imprimere, vel imprimi curare, quo ſuis libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris, neque illos vendere, aut apud ſe retinere, niſi prius ab Ordinario probati fuerint, idque ſub pœna anathematis, &c. inſiſtendo verbis Conc. Trid. *Seſſ.* 4. *Decreto de editione librorum.*

Sed quid de ijs qui legunt eiuſmodi libros ſine Auctoris nomine editos?

Re-

Reſpondeo, Si conſtet ſcriptos eſſe vt aliorum famam grauiter lædant, aut eos de rebus ſacris tractare, eorum lectionem prohibitam eſſe ſub peccato mortali, & iudicio Epiſcoporum ſe verè puniendos eſſe, iuxta Regulam X. Indicis librorum Prohib. § vult. in fine Concilij Trid.

Sub ſimili reatu, & pœna prohibetur lectio librorum qui continent Aſtrologiam iudiciariam, ſiue ſortilegia, veneficia, auguria, auriſpicia, incantationes artis magicæ. Permittuntur verò indicia, & obſeruationes naturales, quæ nauigationibus, ſiue medicæ artis iuuandæ gratia conſcribuntur.

Quæ omnia, ex Regula XI. alijſquæ, magis authentiche patent in ipſis Regulis Indicis Tridentini, quas ad manum habendas hic comode ſubijcio.

REGVLÆ

Indicis Tridentini.

Ex quibus ſpeciatim colligitur, quales Libri qualiter, & ſub qua pœna, in quouis genere prohibeantur.

Regula Prima.

Libri omnes quos ante anum 1515. aut ſummi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, & in hoc Indice non ſunt, eodem modo damnati eſſe cenſeantur, ſicut olim damnati fuerunt.

Regula II.

HÆreſiarcharum libri tam eorum, qui poſt prædictum annum hæreſes inuenerunt, vel ſuſcitarunt; quàm qui hæreticorum Capita aut Duces ſunt, vel fuerunt, quales ſunt, Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, Balthaſar Pacimontanus, Schvvenckfeldius, & his ſimiles, cuiuſcumque nominis, Tituli, aut argumenti exiſtant, omninò prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de Religione quidem ex profeſſo tractant, omnino damnantur. Qui verò de Religione non tractant, à Theologis Catholicis doctis, & pijs iuſſu Epiſcoporum, & Inquiſitorum examinati, & approbati, permittuntur.

Libri etiam Catholicè conſcripti, tam ab illis, qui poſtea in hæreſim lapſi ſunt, quàm ab illis, qui poſt lapſum ad Eccleſiæ gremium rediere, approbati à facultate Theologica alicuius Vniuerſitatis Catholicæ, vel Inquiſitione generali, permitti poterunt.

Regula III.

VErſione ſcriptorum etiam Eccleſiaſticorum quæ hactenus editæ ſunt à damnatis Auctoribus, modò nihil contra ſanam Doctrinam contineant, permittuntur.

Librorũ autem veteris Teſtamenti verſiones viris tantum doctis, & pijs, iudicio Epiſcopi concedi poterunt: Modò huiuſmodi verſionibus, tanquam elucidationibus vulgatę editionis, ad intelligendum ſacram Scripturam, non autem tanquam ſacro textu, vtantur.

Verſione verò noui Teſtamenti, aut ab Auctoribus primæ Claſſis huius Indicis factę, nemini concedantur: Quia vtilitatis parum, periculi verò plurimum Lectoribus ex earum lectione manare ſolet.

Si quæ verò Annotationes cum huiuſmodi quæ permittuntur Verſionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis ſuſpectis à facultate Theologica alicuius vniuerſitatis Catholicæ, aut Inquiſitione generali, permitti eiſdem poterunt, quibus & verſiones.

Quibus conditionibus (dictis) totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabili dicitur, aut partes eius concedi viris pij, & doctis poterunt.

Ex Biblijs verò Iſidori Clarij Brixiani prologus, & prologomena præcidantur & eius verò textum, nemo vulgatę editionis, textum eſſe exiſtimet.

Regula IV.

CVm experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua, paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quàm vtilitatis oriri, hac in parte iudicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, vt cum conſilio Parochi, vel Confeſſarij, Bibliorum à Catholicis Auctoribus verſorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex huiuſmodi Lectione non damnum; ſed fidei, atque pietatis argumentum capere poſſe, quam facultatem, in ſcriptis habeant.

Qui autem abſque facultate ea legere ſeu habere prçſũpſerit, niſi prius Biblijs Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem perci-

pe-

pere non poſſit. Bibliopolæ verò, qui prædictam facultatem non habentes, Biblia idomate vulgari cōſcripta vendiderint, vel alio quouis modo conceſſerint, librorum pretium, in vſus pios ab Epiſcopo conuertendum, amittant: alijſque pœnis pro delicti qualitate, eiuſdem Epiſcopi arbitrio ſubiaceant. Regulares verò, non niſi facultate à Prælatis ſuis habita, ea legere, aut emere poſſint.

Regula V.

Libri illi qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de ſuo apponunt, ſed aliorum dicta colligunt, cuiuſmodi ſunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, ſimilitudines, indices, & huiuſmodi, ſi quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigiant, illis Epiſcopi, & Inquiſitoris vna cum Theologorum Catholicorum conſilio ſublatis, aut emendatis, permittantur.

Regula VI.

Libri vulgari idiomate, de Controuerſijs inter Catholicos, & hæreticos noſtri temporis differentes, non paſſim permitantur, ſed idem de ijs ſeruetur, quod de Biblijs vulgari lingua ſcriptis ſtatutum eſt.

Qui verò de ratione benè viuendi, contemplandi, confitendi, ac ſimilibus argumentis vulgari ſermone conſcripti ſunt, ſi ſanam Doctrinam contineant, non eſt cur prohibeantur ſicut nec Sermones populares vulgari lingua habiti:

Quod ſi hactenus in aliquo Regno, vel prouincia aliqui libri ſunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quæ ſine delectu ab omnibus legi non expediat, ſi eorum Auctores Catholici ſunt, poſtquam emendati fuerint, permitti ab Epiſcopo, & Inquiſitore poterunt.

Regula VII.

Libri qui res laſciuas, ſeu obſcœnas, ex profeſſo tractant, narrant, ac docent, cum non ſolùm fidei, ſed & morum, qui huiuſmodi librorum lectione facile corrumpti ſolent, ratio habenda, ſit omnino prohibentur, & qui eos habuerint ſeuerè ab Epiſcopis puniantur.

Antiqui verò, ab ethnicis conſcripti, propter Sermonis elegantiam, & proprietatem, permittuntur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

Regula VIII.

Libri quorum principale argumentum Bonum eſt, in quibus tamen obiter aliqua inſerta ſunt, quę ad hæreſim, ſeu impietatem, diuinationem ſeu ſuperſtitionem ſpectant, à Catholicis Theologis Inquiſitionis Generalis auctoritate expurgati, concedi poſſunt.

Idem iudicium ſit de prologis, ſumarijs, ſeu annotationibus, quæ à damnatis auctoribus libris non probatis, appoſitæ ſunt: ſed poſt hac non emendata non excudantur.

Regula IX.

Libri omnes, & ſcripta Geomantię, Hydromantiæ, Necromantiæ, Pyromantiæ, Onomentiæ, Chiromantiæ, Cheromantię, ſiue in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis Magicæ, prorſus reijciuntur.

Epiſcopi verò diligenter prouideant ne Aſtrologię iudiciarię libri, tractatur, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſue caſibus, aut ijs actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent. Permituntur autem iudicia, & naturales obſeruationes, quæ nauigationis, agriculturę ſiue medicinę artis iuuandę gratia, conſcriptæ ſunt.

Regula X.

IN librorum, aliarumue ſcripturarum impreſſione ſeruetur, quod in Concilia Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſione 10. ſtatutum eſt. Quare ſi in alma vrbe Roma, liber aliquis ſit imprimendus, per Vicarium Summi Pont. & ſacri Palatij magiſtrum, vel perſonas à Sanctiſſimo Domino noſtro deputandas, prius examinetur.

In alijs verò locis, ad Epiſcopum, vel alium habentem ſcientiam Libri vel Scripturæ imprimendæ ab eodem Epiſcopo deputandu m, ac Inquiſitorem hæreticæ prauitatis eiuſci, uitatis, vel Diœceſis, in qua impreſſio fiet, eius approbatio, & examen pertineat, & per eorum manum propria ſubſcriptione gratis. & ſine dilatione imponendam, ſub pœnis, & cenſuris in eodem decreto contētis, approbetur, hac lege, & conditione addita, vt Exemplum libri imprimendi authenticum, & manu Auctoris ſubſcriptum, apud examinatorem remaneant.

Eos

Eos verò, qui libros manuſcriptos vulgant, niſi ante examinati probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubijci debere, iudicarũt Patres deputati, quibus Impreſſores, & qui eos habuerint, & legerint, niſi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, & in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi aut henticè appareat. approbatioque, & examen ac cętera gratis fiant.

Preterea in ſingulis ciuitatibus ac Diœceſibus, domus vel loci, vbi ars impreſſoria exercetur, Bibliothecę librorũ venalium ſępius viſitentur à perſonis ad id deputãdis ab Epiſcopo, ſiue eius Vicario, atque etiam ab Inquiſitore hęreticæ prauitatis, vt nihil eorum, quę prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes verò Librarij, & quicumque librorum venditores, habeant in ſuis Bibliothecis indicem librorum venialium quos habent cũ ſubſcriptione dictarum perſonarum, nec alios libros habeant, aut vendant ſine licentia eorumdem Deputandorum, ſub pęna amiſſionis librorum, & alijs arbitrio Epiſcoporum, vel Inquiſitorum imponendis Emptores verò, lectores, vel impreſſores eorumdem arbitrio puniantur.

Quod ſi aliqui libros quoſcumque in aliquam ciuitatem introducant, teneantur eiſdem perſonis deputandi renunciare, vel ſi locus publicus mercibus eiuſmodi conſtitutus ſit, miniſtri publici eius loci predictis perſonis ſignificent, libros eſſe adductos.

Nemo verò audeat librum, quem ipſe, vel alius in ciuitatem introduxit, alicui legendũ tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, niſi oſtenſo prius libro, & habita licentia à perſonis deputandis, aut niſi notorie conſtet, librum iam eſſe omnibus permiſſum.

Idem quoque ſeruetur ab hęredibus, & executoribus vltimarum voluntatum, vt libros à defunctis relictos, ſiue eorum indicem, illis perſonis deputandis offerant, & ab ijs licentiam obtineant, priuſquam eis vtantur, aut in alias perſonas, quacumque ratione eos transferant. In his autem omnibus, & ſingulis, pœna ſtatuatur, vel amiſſionis librorum, vel alia, arbitrio eorumdem Epiſcoporum, vel Inquiſitorum, pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa verò libros quos Patres deputati, aut examinarunt aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus vt rurſus excuderentur conceſſerunt, quidquid illos ſtatuiſſe conſtiterint tam Bibliopolæ, quàm cęteri obſeruent.

Liberum tamen ſi Epiſcopis, aut inquiſitoribus generalibus ſecundum facultatem, quam habent eos etiam libros, qui his regulis permittit videntur, prohibere, ſi hoc in ſuis regnis aut Prouincijs, vel Diœceſibus expedire iudicarunt.

Ad Extremum verò omnibus fidelibus pręcipitur, ne quis audeat contra harum Regularum pręſcriptum, aut huius Indici prohibitionem libros aliquos legere, aut habere.

Quod ſi aliquis libros hæreticorum, vel cuiuſuis auctoris ſcripta, ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, ſiue habuerit, præter alia, ſtatim Excommunicationis Sententiam incurrat.

Qui verò libros, alio nomine interdictos tegerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum quo afficitur, iudicio Epiſcoporum ſeuerè puniatur, &c.

QVÆSTIO XIV.

Abſolutio in negatione externa fidei.

§. I.

AN probabile ſit, illum qui ex vi, metu, aut dolo, alioue modo inter infideles aut hęreticos fide exterius negauit, corde tamen illam retinuit, poſtea inter Catholicos abſolui poſſe à quouis Confeſſario ordinario, & approbato, etſi ſpecialem facultatem non habeat abſoluendi à reſeruatis.

Reſpondeo ſpectata Doctorum auctoritate, id probabile videri. Quia etiamſi talis grauiſſimè peccet contra externam fidei profeſſionẽ, cenſent tamen non eſſe hæreticum comprehenſum in Bulla Cœnæ, quia errorem internum in intellectũ nõ admittit: hęreſis autem externa, inquiunt, abſque errore interno, cum non ſit formalis, & completa, non ſubiacet illi excommunicationi. Quamuis talis ab Inquiſitoribus in foro externo puniri poſſit, quæ præſumunt illum contra fidem diſſenſum internum habuiſſe. Ita docet Fagundez in Pręcept. 2. Lib. 8. Cap. 8. Num. 39. Toletus in Summa Lib. 4. Cap 4. Num. 6 Suarez Tom. 5. in 3. Part. Diſp. 4. Sect. 2. Num. 22. Sanchez in Summo Tom. 1. Lib. 2. Cap. 7. Num. 8. in fine. Filiucius Tom. 2. Tract. 22. cap. 6. Num. 164. Syluius in 2. 2. Quæſt. 11. Art. 3. concl. 2. qui ſic ait: *Ex his ſequitur quod qui propoſitiones hæreticas effuderunt, qui Sanctorum imaginibus illuſe-*

luſerunt, qui comederunt carnes tempore prohibito, qui Mahometo cultum, & reuerentiam exhibuerunt, ſi ea fecerint aut metu compulſi, aut ſpe lucri adducti, aut iura, vel alia quacumque paſſione commoti, nullum in animo errorem, ac priſtinam fidem rectam tenentes, neque hæretici ſunt, neque Excommunicatione in hæreticos lata innodati. Ita Syluius, & alij qui ſic hanc quæſtionem reſoluunt, apud quos poterit ſi opus ſit vlterius examinari.

§. II.

QVuid facere poſſit hæreticus occultus, qui per Confeſſarium ab Epiſcopo, vel alio poteſtatem habente, abſolutionem obtinere non potuit, quando poſuit omnia ex parte ſua requiſita?

Reſpondet Diana *Part. 1. Tract. 5. Reſol. 4.* In tali caſu poteſt hæreticus occultus ratione grauis infamię vel ſcandali, ſi, iure, timeantur, dum Sacerdos eſt, celebrare, ſi autem Laicus Euchariſtiam ſumere, eliciendo prius actum contritionis, &, ſi non exiſtimat ſe contritionem perfectam habere, confiteatur, & a Confeſſario (illa vice) abſoluatur, ex doctrina probabili quam docet Reginaldus in Praxi Conf. Tom. 1. Lib. 8. Cap. 7. Num. 87. & alij quos citat *Sancius* in Selectis Diſp. 22. num. 11. quidquid alij cum ipſo Sancio contradicant. Ita loquitur *Diana*, qui hanc ſententiam in praxi probabilem iudicat, de qua ſi caſus dubius incidat poterit apud illum alioſue fuſius reperiri locis ſup. cit.

QVÆSTIO XV.

Bona Eccleſiæ.

QVid conſulendum Catholico, qui bona Eccleſiaſtica ab hæreticis ſibi coemit?

Reſpondeo cum *Leſſio* in Poſthum. Caſ. 6. Numero 14. Vbi nulla interuenit diſpoſitio Eccleſiæ permittentis bona illa ab emptoribus legitimè poſſideri, optimum in hoc negotio conſilium eſt, vt legitimè procedatur, conuenire cum Pontifice, aut Generali Ordinis cui illa bona iura debentur, præſtita ſatisfactione quæ rationi conſona iudicabitur.

Sed *QVÆSTIO* vlterior eſt, quomodo ſe gerere debeat hęredes, ad quos de facto bona Eccleſiaſtica ab hęreticis empta a maioribus deuoluta fuerunt?

Reſpondeo, Si veris Dominis ſatisfactum non fuerit, illi citè ea poſſideri, niſi adſit dicta diſpoſitio Eccleſiæ, aut animus ea bona cum fructibus reſtituendi ſuo tempore Eccleſiæ, aut perſonis quibus ea iniuſte erepta fuerunt. Quare vt legitimè retineantur cum illis tranſigendum erit. Vt autem huic difficultati prouideatur, ſolet Pontifex, cum huiuſmodi hęredibus diſpenſandi, in partibus hæreticorum facultatem impertiri Epiſcopis, & quibuſdam alijs, iuxta normam ſupra aſſignatam pro Epiſcopis Hiberniæ &c. *Part. 3. Tract. 2. Cap. 5. in Facultate 13.*

QVÆSTIO XVI.

Cibi ab Eccleſia prohibiti.

§. I.

AN Catholicus hæretico ſibi amico, aut viro honorato ad ſe diuertenti poſſit amicitiæ aut humanitatis cauſa in die ieiunij cibos prohitos apponere.

Reſpondeo, Si facile ſine incommodo poſſit Catholicus eiuſmodi cibos omittere, teneri ad illam ieiunij violationem non cooperari. Si verò nequeat illos cibos prætermittere ſine magno detrimento, quia nimirum occaſionem præbebit contra ſe graui obmurmurationi, & grauibus querelis, tanquam contra hominem ruſticum aut inurbanum; non videtur cum tanto incommodo ab eiuſmodi ferculis apponendis obligari conſiderata perſonæ qualitate: & ita reſoluit Lugo de Fide *Diſp.* 14. *Sect.* 5. *Num.* 167.

§. II.

QVærit *ibidem* C. Lugo, An Catholicus, qui ob infirmam valetudinem veſcitur carnibus in die ieiunij, teneatur abeſſe à communi menſa, ſi adſit periculum ne famuli hæretici, aut alij domeſtici reliquis carnium cum ieiunij violatione vtantur?

Reſpondetur autem negatiuè, ſi hoc ſit ille valide incommodum, aut videat cum famæ ſuæ graui detrimento id potius auaritiæ, quam obſeruantiæ attribuendum. Vnde regulariter ſufficiet, ſi oſtendat illum abuſum ſibi grauiter diſpliceat, aut œconomum moneat vt reliquias illas ſeorſim reponat, & in aliorum manus peruenire non permittat.

§. III.

§. III.

QVæritur tertiò. An leporarius, vel auceps Catholicus degens inter hæreticos, poſſit in Quadrageſima prædam captam hæreticis diuendere?

Reſpondeo cum Leſſio *in Poſth. verbo, Hæret. Conu. Caſu* 14. id poſſe fieri, ſi abſit aliorum ſcandalum. Quia opus illud per ſe non eſt prohibitum, & ad violationem præcepti Eccleſiaſtici valdè remotè cooperatur: nam quibuſdam locis in quadrageſima caro venalis exponitur pro ijs qui facultatem habent ea vtendi quod ementium conſcientiæ relinquitur.

Permittunt etiam Auctores, vt hoſpites aduentantibus hæreticis carnes apponant, ſi aliàs nollent illic diuerſari cum grauis hoſpitis incommodo; Ita Leſſius *ibidem*.

Idem probabiliter fieri poſſe admittit Adamus Bugelaer *Centur.* 1. *Caſ.* 28. quando opifex Catholicus famulos habet hæreticos valdè peritos, qui nolunt apud eum in quadrageſima permanere niſi carnes apponantur, quos tamen abſque graui rei familiaris iactura dimittere nequit; dummodo non adſit periculum ſcandali, aut grauioris incommodi. Quia hoc non eſt formaliter cooperari peccato, ſed ſolum illud permittere: & pluribus locis vbi Catholici hæreticis permixti viuunt, id vſu receptum eſt.

§. IV.

QVæritur quartò: An & quando vxor Catholica hæretico nupta à ieiunio excuſari poſſit?

Reſpondeo cum Fagundez *in* 4. *Præc. Eccleſ. C.* 9 *N.* 16. illam excuſari quando coniux hæreticus illi permittit omnes ritus Catholicos obſeruare, pręter legem ieiunij, quam non vult ſolui ob contemptum fidei, Eccleſiæ, aut Religionis, ſed quia prętendit ieiunia vxoris ſibi, & familię ſuę detrimento eſſe. Tali enim caſu vxor à ieiunio excuſata cenſetur, vt diſcordias cum viro, & domus perturbationem euite. Et ſanè graue onus eſſet imbecillo ſexui, ſimul cibis abſtinere, ſimul impotentis viri iniurias, & conuitia deuorare.

§. V.

SEd quæres vlteriùs: An eadem ratione, ob vxoris hæreticæ rixas, & moleſtias poſſit coniux Catholicus à ieiunio excuſari?

Reſpondeo non excuſari, ſaltem à paritate rationis. Coniungis enim eſt vxori, & familiæ ſuæ imperare, quia vir caput eſt mulieris, vt loquitur Apoſtolus, ac proinde permittendū non eſt vt vir ſuccumbat, & mulier imperitando viri partes agat. Si tamen contingeret vxorem ab impotenti indole, & à longe diſpari generis nobilitate adeo imperioſam eſſe, vt non poſſit maritus eius importunitati obſiſtere ſine graui moleſtia, & magna familiæ perturbatione, ſunt qui omnino exiſtimant hunc quoque durante eo rerum ſtatu, ad ieiunium non obſtringi, ex mente Eccleſiæ quæ non intendit cum incommodo tam graui ſuam legem obligare.

QVÆSTIO XVII.

Communicatio cum Hæreticis.

IN partibus hęreticorum (vt reſoluit Valentia *de fide Diſp.* 1. *Quæſt.* 1. *Punct.* 5.) non eſt illicita communicatio cum notorijs hæreticis: quia vt notat Nauarrus *Manual. Cap.* 27. *N.* 35. multitudo hæreticorum, & neceſſitas, in huiuſmodi locis excuſat. Sed frequenter dubitari poteſt quantum illa communicatio, ſaluo iure diuino aut humano, ſe extendat, quod paucis in particularibus quæſtionibus reſoluemus.

§. I.

AN licitum ſit Catholicis, liberos ſuos cum Dominis hæreticis collocare?

Reſpondeo cum Lugo *de fide Diſp.* 14. *Sect.* 5. *Nu.* 166. quamuis difficulter, poſſe tamen id aliquando permitti, ſi neceſſitas eſſet grauiſſima, licet non extrema, & filius eſſet pubes, & talis, vt probabiliter ſperetur eum in fide perſeueraturum, vel adhuc duret tanta filij cum parentibus communicatio, vt nondum cenſeatur paterna cura aut conſilio deſtitui. Verùm abſque hac cura ac cautela, filium impuberem hæretico Domino tradere, quid aliud eſſet quam agnum lupo committere?

§. II.

AN licitum ſit parentibus Catholicis infantes nutricibus hæretis tradere, quos aliquando ad templa hæreticorum ſecum perducturæ videntur.

Reſpondeo, id illicitum non eſſe, modò ante rationis vſum ad domum paternam reducantur: quia ante illam ętatem non prohibentur, etiam in Anglia, adire templa hæreticorum,

rum, cum non ſit communicatio in ritibus ſacrilegis, quę tantùm exerceri poteſt per actionem humanam, cuius pueri ante vſum rationis non ſunt capaces: ac proinde traditio illa non eſt illicita, dummodò aliud inde incommodum non timeatur; vti cenſet etiam Lugo *de fide Diſp.* 14. *Sect.* 5. §. 5.

§. III.

AN in diebus Feſtis liceat Catholico vti opera hæreticorum, quos equidem nouit alibi laboraturos?

Reſpondeo negatiuè. Quia etiam hæretici obligantur præceptis Eccleſiæ non minus quam Catholici, atqui non licet ſine graui incommodo ab altero poſtulare quod ipſe ſine peccato præſtare non poteſt, vti hic hæreticis contingit. Neque refert quod hæreticus ille ſua ſponte in die feſto ſit alibi operaturus, quia id facturus non eſt ſine peccato, ad quod ego ex parte mea non poſſum illum inducere.

Illicitum tamen non eſt, opus aliquod præbere ſiue hæretico, ſiue Catholico liberé faciendum, quamuis ſuſpicio aliqualis ſit etiam die Feſto vel Dominico in illo opere occupandum; modo ad Feſti violationem nullo modo inducatur, & aliàs eo die fuerit aliquid operaturus. Quia qui ſic opus præbet; mere paſſiuè ſe habet ad illam Feſti violationem: modò non fuerit operantis Dominus aut Superior, cuius eſt procurare vt à ſubdito Feſta obſeruentur: Ita Leſſius *in Poſth. Ver. Hæret. Caſ.* 6.

QVÆSTIO XVIII.

Fidelitas in pactis cum hæreticis.

AN doceant Catholici, pacta merè politica à Pontifice Romano poſſe irritari: aut datam hæreticis fidem non eſſe ſeruandam?

Reſpondeo, Doctores Catholicos ab illa doctrina prorſus abhorrere, quam quidam hæretici per ſummam calumniam ipſis affingere conantur. Homines ſcilicet perfidi omnes de perfidia ſuſpectos habent, vt Sedem Romanam, quam nequeunt veris argumentis impetere, fabricatis in ſuo cerebro calumnijs apud imperitum populum in odium, & inuidiam vocent. Ex aduerſo communem Eccleſiæ Romanæ doctrinam in hoc puncto aperte depromit Molanus *de fide &c. cap.* 14. Vbi diſertè pronunciat, Romani Pontificis auctoritatem nullam eſſe ad deſtructionẽ ſed ad ædificationem, quia autem abſque magna deſtructione non poſſet diſpenſare vt fides publica à Concilio, aut Principe violetur, ideo diſpenſationis eius auctoritas, & poteſtas eo ſe non extendit; neque vllum hactenus extit huius rei exemplum. Eundem Eccleſiæ ſenſum tradit Tannerus *de fide Diſp.* 1. *Quæſt.* 9. *Dub.* 4.

Quam verò ſancte inuiolateque promiſſa, etiam hæreticis, in Eccleſia Romana ſeruentur, probat locupletiſſimum exemplum duorum Imperatorum erga ipſum Lutherum hæreſiarcham, qui litteris ſalui conductus à Maximiliano Imperatore communitus, Auguſtæ coram Caietano Cardinale illęſus comparuit, & receſſit; quamuis ipſe de non diſſeminanda hæreſi datam fidem violauerit: iterumque Vvormatiæ, ob præſtitum à Carolo Cæſare promiſſum, quamuis pœnæ reus, ab omni noxa immunis permanſit.

QVÆSTIO XIX.

Diſputatio cum hæreticis, & eius norma.

QVomodo, & quibus licitum eſt cum hæreticis diſputare?

Reſpondeo cum Tannero *de fide diſp.* 2. *q.* 9. *dub.* 5. opus eſſe cautela, & diſcretione vt cum hæreticis licitè, & fructuosè diſputatio inſtituatur, tam ex parte diſputantis, quam audientium, & modi quo diſputatur.

Nam quoad perſonam Diſputantis, *Cap. Quicumque §. Inhibemus de Hæret. in* 6. Laicis ſub Excommunicatione ferendæ, non latæ ſententiæ, prohibetur de fide diſputare: quod intelligendum eſt non materialiter, ſed formaliter, & ex profeſſo de fide diſputationem inſtituere, iuxta Caietanum *hic Art.* 7. Quinimo Valentia *de fide Diſp.* 1. *Quæſt.* 1. *Punct.* 4. legem illam non immeritò exiſtimat per contrariam conſuetudinem, præſertim in Germania; alijſque ſimilibus locis, abrogatam eſſe. Et ſanè ſi vir doctus, etiam Laicus vbi magna apparet vtilitas, cum hæretico congrediatur, ab omnibus iudicatur à legis traſgreſſione immunis.

At ſi quis rudis, & imperitus cum hæretico formalem diſputationem inſtitueret, grauiter peccaret, ſi per hoc cauſam fidei periculo exponeret, aut occaſionem præberet, ne ipſe aut alij in fide vacillarent. Quamuis negari non poſſit, ex peculiari Dei inſtinctu quandoque viros ſanctos, potius quam doctos, non tam humanæ ſapientiæ verbis, quam vir-

virtute ſpiritus, magno fructu cum hæreticis dimicaſſe, vt notat S. Athanaſius, & S. Hieronymus in vita S. Antonij.

Ex parte verò Audientium, cauendum eſt ne temerè coram ſimplicibus, indoctis, de articulis fidei argumentis in vtramque partē vibratis diſputetur. Quia ſimplicium fides eo ſolet eſſe firmior, quo minus aliquid ei quod credunt oppoſitum audierunt, ac facilius plerumque argumenta veritati contraria, quam eorum ſolutiones percipiunt, niſi quis ſingulari polleat facultate, ea ad eorum captum clarè diſſoluendi, quod in multis non contingit. Excipe tamen rudiores illos, qui ab hæreticis ad defectionem ſolicitantur, coram his enim quandoque neceſſarium eſt de fide diſputare, vt argumenta, quibus labefactari poſſint, diſſoluantur.

In modo diſputandi cum hæreticis peccatur, quando modeſtiæ limites exceduntur, vtendo conuitijs, & verbis mordacibus, quibus dum aduerſarij ſe læſos ſentiunt, vt canes rabidi in clamores aſſurgunt, & contra fidem noſtram magis irritantur. Hinc magna opus eſt moderatione, vt appareat nos non victoriæ; ſed veritatis cupiditate in certamen deſcendere. Qui verò eruditionis laudem, aut plauſum populi diſputando, aut ſcribendo ſectantur, vix vllum operæ ſuæ fructum referre ſolent: *Quia dilexerunt gloriam hominum, magis quam gloriam Dei*. Ioan. 12. v. 43.

Pertinaces autem hæretici, non numero, ſed pondere argumentorum premi debent, illos adſtringendo ad breuem ſyllogiſmi formam, ne aliàs more ſuo extra chorum ſaltent, & ad perarga digrediantur, qui inſtar callidę ferrę prius diſputantē fatigant; quàm ſe retibus includi ſinant. In hanc rem ſyllogiſmus, & dilemmata ad quæ hæretici adigantur in pręcipui fidei controuerſijs, ſuperius formauimus in *parte*. 1. c. 10. à pag. 107.

QVÆSTIO XX.

Educatio Liberornm.

AN licita ſint in coniugijs pacta educandi liberos, partim in hæreſi, partim in Catholica religione.

Reſpondeo, cum Tannero de Matrimon. *Diſp. 8. Quæſt. 4. Dub. 5. Num. 91.* tale pactum per ſe impium, & irritum eſſe. Quia iure diuino tenentur parentes filios ſuos ad verā Religionem informare, cui obligationi nullo pacto renunciare queunt. Poteſt tamen caſus obuenire, quo matrimonium cum perſona hæretica licitum, multumque momenti habiturū videatur ad publicum bonum promouendum, neque tamen à coniuge, v. g. marito, vllo modo obtineri poſſit, vt tota proles in Catholica tantùm religione educetur: Tunc licitum erit hac ratione pactum inſtituere, vt ſcilicet aliquas pars prolis, marito nō impediente ad Catholicam religionem informetur: nihil interim quoad cæteros liberos præiudicando iuri Catholicæ matris, quò matris operam ſuam adhibeat vt Catholica fide imbuantur.

Probatur hæc reſolutio, quia ſi nullum huiuſmodi pactum aut cautio adhibeatur, moraliter certum eſt omnes liberos ex eo matrimonio ſuſcipiendos, ex præualente patris arbitrio, in hæreſi educandos fore; ergo ſi aliqua ſupperat via per ſe non illicita, qua ſaltē aliqui liberi conſeruentur, ea adhibenda eſt: Talis autem via per huiuſmodi pactum obtinetur; Quia cum iuri materno quod cæteros liberos non præiudicet, ſed ſolum patris violentiam ex parte coerceat, non eſt cui tale pactum per ſe, & intrinſecè malum exiſtimetur. Imo quia in tali caſu per ſe malum non apparet, omnino licitè ac prudenter adhibendum erit. Si, vt dixi, connubium illud, & aliquorum liberorum periculum longè maiori bono compenſetur: quamuis hunc caſum vix hactenus alijs Theologi attigerint.

Quæritur ſecundò, An parens Catholicus filium aut filiam in Hæreſi perſiſtentem alere tenetur?

Reſp. Si filius aut filia hæretica egeat alimentis ad vitam ſimpliciter neceſſarijs, ea debere à parēte ſubminiſtrari; hoc enim iure ob hæreſim non priuantur. Si verò de alimentis ad vitam neceſſarijs aliūde eis proſpectum eſt eo quod ex proprio labore, aut induſtria, aut ab alijs amicis ea poſſint obtinere iuxta decentiam ſui ſtatus, non tenetur parens per ſe illis alimenta præbere quamdiu in hæreſi perſiſtunt vti docet *Azor Inſtit. Moral. part. 2. Lib. 2. Cap. 4. Quæſt. 10.*

Quæritur tertiò, An parens poſſit exhæredare filium qui à Catholica Religione defecit?

Reſpondeo affirmatiuè, lege communi. Cauſam enim hanc exhæredandi diſertè adſtruit Iuſtinianus in Authentica, *vt cum*, in his verbis: Si quis de prędictis parētibus orthodoxis conſtitutus, ſenſerit ſuum filium vel liberos non eſſe Catholicæ fidei .... licentiam habeant pro hac maximè cauſa ingratos eos, & ex hæredes inſcribere Teſtamento. Conſentiunt paſſim Doctores, ac fusè *Molina* de iuſtitia, alijque.

QVÆ-

QVÆSTIO XXI.

Vſus Styli veteris.

AN in partibus hæreticorum liceat Catholicis transferre Paſcha, & alia Feſta mobilia, eo quod hæretici vſum ſtyli veteris obſeruari velint.

Ad hanc quæſtionem ſolum reperio *Leſſium* reſpondere in Poſth. Verb. hæreticus Cal. 7. qui reſoluit vbi Kalendarium Romanum Gregorij XIII. receptum eſt, & vſu annorum comprobatum, non poſſe Catholicos Paſcha, & alia mobilia Feſta transferre, eo quod hęretici antiquum Kaelndarium velint ſeruari: quia ſcil. hæretici non poſſunt legem aliam de celebrandis Feſtis talibus temporibus abrogare, ſicut Natalitia Domini transferre, niſi graui periculo vrgeantur.

Sed non poſſum huic reſolutioni cum Leſſio acquieſcere: ſtatuamus enim ab hæreticis occupari Bredam, aut aliam vrbem, vel Prouinciam, vbi Kalendarium Gregorij XIII. cum ſtylo nouo annorum vſu receptum fuit; iamque ea in vrbe publico ritu ex norma ſtyli veteris omnia tam ſacra quam profana peragi ac computari: nulla ſanè ratione poterit ſolidè probari ciuem Catholicum teneri, in obſeruatione Feſti Paſchalis, aut ieiunij quadrageſimalis, à publico iſtius loci computu ac ſtylo recedere, etſi abſque magno familiæ ſuę detrimento id præſtare poſſit: quinimo in partibus hæretico Domino ſubiectis vbi longè pręualet numerus Catholicorum, vti in regno Hiberniæ, & quibuſdam locis Hollandiæ ritu ſtyli veteris paſcha aliaque Feſta celebrantur, Pontifice ſciente, & illum vſum numquam, quod ſciam, hactenus improbante.

QVÆSTIO XXII.

Valor ſponſalium inter Catholicum, & Hæreticam.

AN valida ſint ſponſalia inter Catholicum & hæreticam, & è conuerſo?

Reſpondet *Sanchez* Negatiuè *lib. 7. de Matr. diſp. 72. num. 3.* Quia, inquit, promiſſio illa eſt de re illicita, ac proinde nullam ſponſalium obligationem inducit.

Reſpondeo tamen, cum *Becano de Sacram. cap. 43. q. 36. num. 4.* potius admittendum ſponſalia valida eſſe in Germania, & alijs partibus vbi Catholic. hæreticis admixti degunt. Primò, quia probabile eſt apud varios auctores, Matrimonium ordinario modo Cathol. in illis locis cum hæreticis contractum eſſe licitum: & vt hoc dubium foret, in fauorem matrimonij in re dubia iudicandum eſſet. Ergo non probatur ſponſalia cum hæretica ex illa parte irrita eſſe, adeòque non eſt præcipua ratio in oppoſitum allata.

Secundò, quia tametſi matrimonium illud non eſſet licitum in ratione Sacramenti, poſſunt tamen ſponſalia, quia non continent promiſſionem Sacramenti, ſed tantùm contractus ciuilis, qui poteſt eſſe licitus, & honeſtus. Sicut in veteri Teſtamento, ſponſalia dicebant ordinem ad ſolum contractum ciuilem, illa autem per ſe videntur fuiſſe eiuſdem naturæ cum illis ſponſalibus, quę modo celebrantur. Ergo ſponſalia cum Hęretica inita pro validis haberi debent. Quando autem cenſenda ſint licita, iudicari, id debet ex conditione matrimonij ſecuturi, de quo quando licitum ſit, iam vlterius inquirimus.

QVÆSTIO XXIII.

Matrimonium cum hæretico vt licitum.

AN Matrimonium inter Catholicum ac hęreticam, & contra, licitè contrahatur?

Satis conſtat primò, Matrimonia Catholicorum cum hæreticis, ſi aliud non deſit, poſſe per ſe valida eſſe, quia modò ab Eccleſia Catholica non irritantur.

Conſtat tamen ſecũdò, eiuſmodi Matrimonia in pluribus Eccleſiæ Concilijs ac decretis ſub graui peccato prohibita fuiſſe, propter periculum fidei, quod à coniuge Catholico, & à prole incurritur, vti conſtat ex Concil. Gener. Calcedonenſi Can. 13. Et Concilio Partic. Eliberitano, Laodicenſi, Carthaginenſi 3. Can. 12. & alijs à Pontifice approbatis, apud Sanchez. *de Matr. Diſp. 72 Num. 4.* Quæſtio igitur propoſita tantùm poteſt locum habere de illis partibus vbi Catholici hoc tẽpore viuunt hęreticis permixti: & in hac quæſtione dicidenda maximè variant inter ſe Doctorum ſẽtentię.

Reſpondeo ad quæſtionem cum Sanchez *de Matrim. Lib. 7. Diſp. 72. Nu. 5.* Tirino in Epiſt. 1. ad Cor. *Cap. 7. v. 39.* & præcipuè cum Leſſio in Poſth. Ver. Hęret. *Caſu 23.* In partibus illis Matrimonia Catholicorum cum hęreticis nõ videri illicita, quando hæ conditiones cõcurrunt: *Primò,* vt abſit periculum peruerſionis, & perſona Catholica permittatur liberè viuere in ſua religione. *Secũdo,* vt nõ impediatur ritu Catholico prolem educare. *Tertiò,* vt nõ ſit facile Catholico in ſua religione inuenire cõ-

 iugem.

iugem ſibi parem; & idoneam. *Quartò*, vt hęreticus non ſit denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor. *Quintò*, vt eo loco paſſim ſit conſuetudo ſic contrahendi abſque vllo ſcandalo. Ratio eſt, quia tres primæ conditiones efficiunt vt connubia illa non impediãtur iure diuino, & conſuetudo talis non lædit ius humanũ, quo illa prohibentur, præſertim cum ſummus Pontifex in multis regnis ſciat, & tamen non impediat illam cõſuetudinem vigere. Addit tamen *Leſſius*, non facile ſuadendum, quantum commodè fieri poteſt, vt eiuſmodi connubia cum hæreticis contrahantur Niſi (inquit Tanner. *hic Diſp.8.Quæſt. 4. Dub. 5. Num. 88.*) ſpes ſit moraliter certa de conuerſione coniugis hæretici, aut iudicio prudentium aliud bonum maioris momenti expectetur.

An vrgentibus hæreticis Matrimonium licite contrahatur coram Miniſtro hæretico, poſtquam contractum fuit coram Sacerdote, reſoluitur ſupra *Tract.4. de Matr.Cap.8.§.2.*

Ibidem accuratè tractatur de *Valore* Matrimonij coram Miniſtro aut Magiſtratu hæretico contracti.

QVÆSTIO XXIV.

AN ſi hæreticus promittat conuerſionem, poſſit etiam abſque diſpenſatione Matrimonium contrahi?

Partem negatiuam docet Sanchez *hic Diſp. 72. Num. 4. in fine*. Cum Pontio &c.

Reſpondeo tamen affirmatiuè cum Lugo *de fide Diſp.22. Sect. 2. n. 17.* Em. Sà *Ver. Matrimonium.* Hurtado *hic Diſp.36.§.229.* Et probatur, quia exceptio hæc inuenitur in ipſis Decretis quibus Matrimonia cum hæreticis prohibentur. Nam in Conc. Calcedonenſi *Can. 14.* adduntur hæc verba: *Niſi forte ſpoponderit ſe venire ad orthodoxam fidem*. Et in Cap. *Non Oportet 28.* Quæſt.1. diſertè dicitur, *filias hæreticas poſſe accipi, ſi ſpondeat ſe profeſſuras orthodoxam fidem*. Ergo inhęrendo terminis iuris, poſita tali promiſſione, nõ videtur ea diſpenſatio neceſſaria. Niſi forte alicubi conſuetudo obtineret, vt eo etiã caſu diſpenſatio petatur, nam ex tali conſuetudine cenſeretur prohibitio Matrimonij cũ parte hæretica ad hãc etiã cauſã ampliata.

Exiſtimo tamen cum Lugo, contra Hurt. ſuprà, requiri diſpenſationem, quando ſpes conuerſionis coniugis hæretici non oritur ex *promiſſione*, ſed tantùm ex bona eius indole, aut animo nõ obſtinato etſi Catholicæ coniugi, & proli libertatẽ fidei relinquat. Quia lex ſupra citata ſolũ excipit caſum, quo coniux hæreticus conuerſionem ad fidẽ expreſsè promittit.

QVÆSTIO XXV.

QVid ſi hæreticus non promittat conuerſionem, & adſit aliquod periculum perurſionis coniugis Catholicæ, an tale matrimonium aliquando poſſit aſſe licitum? & eo caſu ſit neceſſaria diſpenſatio?

Reſpondeo ad primum, in vtroque caſu poſſe aliquando contingere aliunde concurrere commoda maximi momenti, quæ compenſent incommoda, & pericula in caſu allata, & reddant illud Matrimonium ad publicum religionis bonum conducibile: Vt ſi ea occaſione concedatur libertas profitendi religionem Catholicam vbi antea erat negata; ſi filij ſperentur Catholicè educandi, aut alia his æquiualentia. Non enim eſt illicitum aliquando ſe exponere periculo peccandi propter aliquod bonum maximi momenti, cum propoſito tamen cum Dei gratia tentationi, & peccato reſiſtendi: cuius exemplum eſt in connubio Eſtheris cum Aſſuero infideli; & confirmatur in facto Iuditthæ, quæ vt populum ſuum ſaluaret, ſe ſuamque caſtitatem periculo expoſuit, vt fatentur plures Interpretes cũ S. Ambroſio Lib.3. de Offic. Cap. 12. *Non expauit* (inquit) *mortis periculum, ſed nec pudoris, quod eſt grauius bonis fœminis*. Ita etiam ſentit Lugo de fide D. 22. S. 2. Num. 22. Diana par. 3. Tract.5. Reſol.269.

Reſpondeo ad ſecundum. In caſu prædictæ reſolutionis petendam eſſe diſpenſationem, vt tollatur prohibitio legis Eccleſiaſticæ. Vbi notat Pontius cum Lugo, & Salas Diſp. 20. de Leg. S. 7. Num. 74. aliquando ex tali connubio poſſe tot, & tanta bona prouenire, vt non ſolum poſſit, ſed etiam debeat diſpenſatio concedi.

QVÆSTIO XXVI.

AN Parochus abſque peccato poſſit aſſiſtere Matrimonio, quod ſine iuſta contrahitur cum perſona hæretica?

Negat *Serrarius* de Matrim. cum Hæret. *Cap.3. Num. 121.* id fieri poſſe abſque peccato, niſi perſona hæretica conuerſionem promittat. Quia exiſtimat Parochum pro hoc cooperari Matrimonio illicito Catholici cum hęretico, ex eo quod eius præſentia reddat habiles ad contrahendum, qui ſine ea poſt Tridentinum habiles non eſſent, ac proinde cum peccent contrahentes, aſſiſtere eorum Matrimonio aliud non eſſe quam eorum peccato cooperari.

Reſpon-

Reſpondeo tamen, Parochum ex cauſa poſſe abſque peccato eiuſmodi aſſiſtentiam præbere. Et probo, contra Serrarium, Parochum per hoc contrahentium peccato non cooperari. Quia ille non aſſiſtit Matrimonio tanquam miniſter, ſed tanquam Teſtis qualificatus vt contractus ille debitè ineatur: ſicut ergo (vt admittit Serrarius) alijs Teſtes abſque peccato tali Matrimonio aſſiſtunt, idem de Parocho admittendum eſt: Tam enim Parochum quam teſtes reddunt contrahentes habiles ad Matrimonium; quia neque Parochus ſine teſtibus, neque teſtes ſine Parocho ſufficerent.

Probatur ſecundò: Quia Parochus in hoc caſu non aſſiſtit actui de ſe malo, ſed quem contrahentes, ſi vellet vna pars conuerti, poſſint licitè & oneſte exercere: atqui, ex principio paſſim recepto, dum peto actum, vel aſſiſto actui alterius, quem poſſet rite præſtare, & ex ſua culpa exercet illicitè, non dico, ergo eius Peccato cooperari, & ſi adſit cauſa petendi illum actum, debeo iudicari à culpa immunis; vt omnes admittunt dum vrgente cauſa petitur mutuum ab vſurario, aut Sacramentum ab Excommunicatio, aut domus meretrici elocatur. Ergo idem de eſſiſtentia Parochi ad nuptias, culpa contrahentium illicitè initas, iudicandum erit. Et ita, cum alijs quos citat, docet *Baſil Pontius* in Append. *Cap. 9. §. 5. Num.* 3 Addo tamen, niſi talis aſſiſtentia aliunde, v. g. ex Superiorum decreto, alicubi prohibeatur.

QUÆSTIO XXVII.

Proclamationes in Templo hæretico.

AN Proclamationes, quæ Matrimonio præmitti debent, fieri poſſint in Templo hæreticorum?

Reſpondeo affirmatiuè, ſi nullum inde Catholicis ſcandalum oriatur: & ita reſoluit *Leſſius* in Auctar. *Ver. Hæret. Caſ.* 24. Quia per has Proclamationes tantùm declaratur contractus Matrimonij futuri inter certas perſonas; Vt ſine illius iniuria, & legitimè celebrentur: ſicut ergo huiuſmodi Proclamationes pro alijs contractibus in Templis hæreticorum legitimè adhibentur, nihil obſtare videtur quo minus ibidem ſine crimine Proclamationes Matrimonij etiam inter Catholicos futuri præmittantur.

Benedictiones Nuptiales.

AN ſi Matrimonium hæretici ſit clandeſtinè contractum validè cum perſona Catholica, vbi non obligat Tridentinum, & coniux Catholicus nolit conſummare ante benedictiones nuptiales, tum liceat Parocho nuptias illas benedicere in fauorem coniugis Catholici?

Reſoluit *Lugo* de fide Diſp. 14. Sect. 5. §. 5. Num. 158. Contra *Sanchez* de Matrim. Lib. 7. Diſp. 3. Num. 13. non apparet rationem ſufficientem, cur Sacerdos in dicto caſu non poſſit præces, & orationes conſuetas ad illos benedicendos adhibere, & coram illis, atque etiam pro illis Miſſę Sacrificium offerre; ſecluſo tamen omni ſcandalo, & alijs præceptis, vel extrinſecis incommodis, quæ facile ex tali actione oriri poſſint. Quia probabile eſt quod pro Excommunicatio tolerato poſſimus offerre Eccleſiaſticas preces, & ipſum Miſſæ Sacrificium, vt etiam docet *Hurtado* de fide Diſp. 76. §. 16.

QUÆSTIO XXVIII.

Infantium BAPTISMVS apud hæreticos.

AN infans qui ad ianuam Eccleſiæ apud hæreticos, aut alios expoſitus inuenitur, poſſit, aut debeat, ſaltem ſub conditione, Baptizari?

Reſpondeo affirmatiuè, contra *Henriquez*, & quoſdam alios niſi apud infantem certum aliquod collati iam baptiſmi Teſtimonium inueniatur: quod verum exiſtimo ſiue infans in vrbe hæretica, ſiue Catholica exponatur. Ratio eſt, quia facile contingit mulierem quæ partum occultè effudit, tantùm ſolicitam eſſe de crimine tegendo, & puero à ſe quam primum amouendo, de pueri autem ſpirituali ſalute eo tempote parum laborare. Cum ergo in re tanti momenti debeat haberi moralis certitudo, infans ſic expoſitus ſub conditione baptizandus erit: idque olim in Concil. Eboracenſi ſtatutum fuiſſe refert Baronius in Anal. Tom. 12. Et ita docet Vaſq; hic *Diſp.* 126. *Num.* 22. & Tannerus de Bapt. *Diſp.* 4. *Quæſt.* 6. *Dub.* 4. *Num.* 112.

QVÆSTIO XXIX.

AN infans quem alter parentum vult tradere Miniſtro hæretico poſt aliquot tantùm menſes baptizandum, poſſit interea à Catholico Sacerdote baptizari?

Reſpondeo affirmatiuè, cum Leſſio *in Auctar Ver. Baptiſmus* 2. Quia alter parentes ius habet vt curet prolem ſuam conſuetudo tempore ritè Baptizari, ne intereà abſque Baptiſmo fortè moritur. Neque refert quod ſciat iuſſu alterius poſt aliquot menſes iterum baptizandum, quia ad Baptiſmum poſtea ſecuturum cenſetur tantùm ſe merè permiſſiuè habere, & propter rationem iam dictam.

QVÆSTIO XXX.

AN ſi paulo poſt paptiſmum Catholicè ſuſceptum, contingat infantem deferri ad miniſtrum hæreticum publicè paptizandum, liceat parentibus id permittere, & de baptiſmo prius collato ſilere?

Reſpondeo, non licere parentibus poſitiuè filium offerre vt rebaptizetur, vel ad hoc vllo modo cooperari: Poteſt tamen fieri vt illicitum non ſit eo caſu ſe tantùm paſſiuè habere, non imponendo alios qui prolem deferunt baptizandum, quando id ſine grauiſſimo damno impediri non poteſt: Neque ad hoc neceſſe eſt priorem baptiſmum manifeſtare, ſed ſufficit indicare ſibi nullo modo placere quod à Miniſtro illo baptizetur. Et ita reſoluit *Card. Lugo* de fide *Diſp.* 14. *Sect.* 5. *§.* 5. *Num* 164. Vbi addit, quando caſus ille præuidetur euenturus, procurandum potius vt infans prius à ſacerdote Catholico non paptizetur. Quia minus malum, videtur Baptiſmum ſuſcipere à ſolo hæretico, quam rebaptizari: ex duobus autem malis minus eſt permittendum, quando vtrumque impediri non poteſt.

QVÆSTIO XXXI.

AN à Sacerdote Catholico licitè baptizentur hæreticorum liberi, quando poſt Baptiſmum parentibus reſtitui debent, cum probabili periculo futuræ peruerſionis?

Negat Suarez *hic Diſp.* 25. *§.* 5. ConincK *Quæſt.* 68. *Art.* 10. *Num.* 81. Quia eadem ratio videtur eſſe in filijs hæreticorum, & infidelium quos doctores paſſim negat baptixandos eſſe, quando cum tali peruerſionis periculo reſtitui debent.

Reſpondeo nihilominus, liberos hæreticorum in prædicto caſu paptizari poſſe: & eam praxim in Germania à viris doctis, & pijs ſæpius obſeruatam fuiſſe docet Layman *Lib.* 5. *Tract.* 2. *cap.* 6. *Num.* 12. Ratio eſt, quia illud periculum peruerſionis non eſt certum, aut propinquum, cum facile fieri poſſit vt infantes illi ante vſum rationis moriantur, & per Baptiſmum ſaluentur: Obſeruant enim nonulli, tertiam partem hominum ante completam ſeprennij ætatem ex hac vita diſcedere.

Ad rationem pro oppoſita ſententia ſuprà allatam, dico, diſparem eſſe rationem de liberis modernorum hæreticorum, ac aliorum infidelium. Quia hæretici Chriſti nomen cultumque non deteſtantur, & plerumque ſpes non exigua eſt fore vt aliquando in fide Catholica inſtituantur, quam facilius recipiunt ſi poſtea intelligant ſe à ſacerdote Catholico Baptizatos fuiſſe.

QVÆSTIO XXXII.

AN liceat Cathlico adire Parochum hæreticum, vt infantem iam Baptizatum eſſe declaret, eiuſque nomen iudicet, ne iterum ab hæretico ad Baptiſmum quæratur.

Reſpondeo cum *Card. Lugo* de fide *Diſp.* 14. *Sect.* 5. *§.* 5. *Num.* 263. hoc ita poſſe fieri vt maneat actio merè politica, dum fit eo tantùm fine, vt conſtet de Baptiſmo, & nomine infantis. Si tamen interueniat aliqua agnitio poteſtatis, aut miniſterij ſpiritualis in Miniſtro hæretico, aut aliquod ſcandalum generet, in illis circumſtantijs actio illa erit Catholico illicita.

De cetero, Quid dicendum de Nuptijs quæ in partibus hæreticorum ſine Parocho, & teſtibus contahuntur, reſoluitur ſuprà Tom. 2. Tract. 4. Cap. 8. §. 4. de Matrimonio, *in fine*.

QVÆSTIO XXXIII.

VTrum licitum ſit Immaculari, aut gradum ſuſcipere in Vniuerſitatibus hæreticorum, vt in Hollandia, Anglia &c.

Reſpondeo, cum Leſſio, Si debeant expreſſè iurare ſe quamdiu in ea Vniuerſitate fuerint nullum dogmatis genus amplexuros niſi quod in ea Vuniuerſitate docetur, illos illicitè hoc facere; quia iſtud continet aliquam profeſſionem falſæ fidei.

Quod ſi hoc nulla ratione iurent, ſed ſolum ſpondeant Profeſſoribus obedientiam, & iurent ſe reliquis Academiæ Statutis obtemperaturos, licitè immatriculantur &c. niſi inter

illas

illas Statuta ſit aliquid iniquum, aut aliàs per ea compelantur ad aliqua quæ fidei, aut iuſtitiæ aduerſantur.

QVÆSTIO XXXIV.

Pœnæ Hæreticorum.

QVas Pœnas iuxta Leges incurrant Hæretici, & quales perſonæ in ordine ad has Pœnas Hæretici cenſeantur?

Reſpondeo, Quoad pœnas Temporales, primò, decernitur illis pęna mortis legibus antiquis Imperatorum, lege, *Quicumque, & Vbicumque*, Cod. de Hæreticis. Quod confirmatur iure Canonico Cap. *Ad abolendam*, Cap. *Excommunicamus* 1. de Hæreticis. 2. Eo ipſo quo exterius hæreſim produnt, amittunt Dominium bonorum ſuorum, Cap. *Cum Secundum leges*, eodem Tit. in 6. Retinent tamen poſſeſſionem, & quaſi vſum fructum, Quare etſi non poſſint ea alienare, non tenentur tamen ſponte ea ad fiſcum deferre. Contractus tamen cum ijs initos in hiſce Regionibus validos reddit Principium benigna permiſſio: 3. Fiunt incapaces publici officij obtinendi, Cap. *quicumque §. Hæretici*, Tit. eodem in 6. 4. Dicunt priuari iuriſdictione temporali, Cap. *abſoluto*, eodem Tit, vbi & plura vide de debito fidelitatis &c.

Quoad pœnas Spirituales, primo, hæretici excomunicantur Cap. *ad abolendam*, & in Bulla Cœnæ, quia etiam comprehenduntur eorum receptatores, & fautores, ſcilicet in negotio hæreſis, vt ſi quis eos defendat, vel abdat, dum propter hæreſim quærantur ab Inquiſitoribus, etſi non ideo receperint quia ſunt hæretici, vt notat *Toletus*. Aliàs licitum eſt ijs fauere, quia v. g. ſunt conſanguinei. Eadem Bulla ligantur Credentes Hæreticorum, quales ſunt qui dicunt ſe credere quod credit alius apertè Hæreticus, licet nullum fidei articulum determinatè diſcredant.

2. Fiunt Irregulares, Cap. *Saluberimum*, cauſa 1 Qu. 7. Cap. *quicumque* Cap. *Statutum* 2. Eodem Titulo in 6. vbi declarantur Irregulares etiam filij, & nepotes vſque ad ſecundum gradum in linea paterna, in linea verò materna tantùm filij; quod tamen intelligendum eſt de filijs natis poſt hæreſim, & quorum Parentes in hæreſi deceſſerint. 3. Priuantur Eccleſiaſtica ſepultura Cap. illo, *quicumque*. Vti & eorum credentes, fautores &c. Quare duplici cauſa non licet Hæreticos ſic ſepelire, & quia ſunt hæretici, & quià Excommunicati.

4. Nullos actus Ordinis licitè exercent, quia Excommunicati. Dixi, licitè, quia poſſunt validè in quibus non eſt opus iuriſdictione, quarè validè conferunt Sacramenta, & Epiſcopus hæreticus validè ordinat, ſicut, & retinet Caracterem. Addidi, in quibus non eſt opus iuriſdictione, quia hoc ipſo quo fiunt hæretici, deſinunt eſſe Eccleſiæ membra, & capita, ac conſequenter amittunt Capitum; ſeu Paſtorum iuriſdictiuam poteſtatem; quamdiu tamen retinent Titulum coloratum, eorum defectum ſupplet Eccleſia, vt alibi diximus.

5. Sunt in habiles ad omnia beneficia, Cap. illo, *quicumque*. 6. Priuantur dignitatibus, honoribus, beneficijs, & officijs, Cap. *vt commiſſi*, eodem Titulo. Probabile tamen eſt hanc pœnam non eſſe ſententiæ latæ, ſed ferendæ, vt indicatur Cap. *vt commiſſi*. 7. Fiunt infames, Cap. *Excommunicauimus*. 1. §. Atque hæc tria valent quoque de eorum autoribus, credentibus, &c. Vltimò adde, eaſdem pœnas infligi Apoſtatis, à fide ſcilicet, qui ſimpliciter dicuntur Apoſtatæ, non ab Ordine, aut Religione. Idem dicendum de eorum fautoribus, &c. Cap. *Contra Chriſtianos*, Eodem Titulo in 6. & Cap. *ad abolendam* citato, & Bulla Cœnæ.

Nota tamen primò, cum communiori ſententia contra *Caietanum*, has pœnas non incurri ab eo qui cum graui peccato hæreſim exterius ſimulat, niſi etiam interius animo, & intellectu hæreſi aſſentiatur. Quia talis propriè, ſimpliciter non eſt hæreticus, adeoque legibus pœnam infligentibus comprehendi non videtur, quia illæ ſunt ſtrictè interpretandæ quamuis ille in foro externo hereticus eſſe præſumeretur.

Nota ſecundò, Non ſufficere hæreſim merè internam, vt pœnæ illæ incurrantur, niſi hęreſis interna aliquo ſigno externo prodatur. Ex hæc communior ſententia Theologorum: quia cenſet Eccleſiam ſaltem iam non intendere pœnas illas tanto rigore ad illos extendere qui formalis hæreſis ſufficiens ſignum non ediderunt nec pertinaciam ſuam exterius alijs manifeſtarunt.

Multò minus formaliter hæretici ſunt, & pœnis dictis obnoxij, qui ab infantia in erroribus adoleſcunt, & vix tenuem percipiunt veræ Eccleſiæ notitiam quę poſſit illis ſcrupulū inijcere; quales de facto plurimos reperiri, & pœnas hæreticorum non incurrere, probat ſolidè *P. Anton. Terillus*, contra *Celladeum*, Part. 2. Pag. 243. Huius Terilli Opus, communi iudicio ſane accuratiſſimum, nimis accerbè

tractare videtur recens Scriptor *Iacobus à S. Dominico* Pag. 159. aſſerens in toto Terilli tractatu de conſcientia, præter falſas ſuppoſitiones, vel eius nouas ad inuentiones, vix quidquam reperiri, quod vel in ſpeciem verum dici poſſit. Sed hæc verba ſunt, non argumenta, quæ maiori ſtudio depromenda fuerunt, ſi voluit ille dictis ſuis fidem facere, & *Terilli* doctrinam labefactare.

Pro Miſſione Caſtrenſi, & Nauali.

QVÆSTIO I.

AN in Militia Tribuni, Capitanei, aut Comiſſarij, ratione ſtipendij dimidiati aut male ſibi perſoluti, poſſint in militum luſtratione tot ficta nomina conſcribere, & inducere, quot ſufficiunt ad ſupplendam ſtipendium quod ipſis à Rege debetur.

Viſa eſt aliquibus praxis illa non illicita: Primò, quia quando conſtat aliquid iuſtè deberi, & non poſſe via iuſtitiæ obtineri, licitum videtur debitum illud alio modo compenſare. Secundò, illi qui Patriam gubernant ſatis norũt has artes per ficta nomina exerceri, neque tamen videntur requirere vt illis remedia apponantur, cenſendi igitur ſunt conniuere, & hanc praxim permittere: & hoc videtur inſinuare *Leſſius* in Poſth. Ver. *Bellum* pag. 150.

Reſpondeo tamen, ob alias rationes praxim illam non eſſe æquitati conſentaneam. Primò, Quia illo modo nequit poni compenſatio ſine fallacia, & falſitate, maiorem numerum militum pro minori exibendo, & affirmando illum actu ſub ſignis luſtrari. Secundò, Ille modus compenſationis ſtipendij adiuncta habet maxima Reſp. detrimenta, ex quibus poſſit patria periclitari, dum falsò ſupponitur in exercitu, aut præſidijs verſari multò maiorem militum numerum, & qui poſſit ſufficere ad iuſtam defenſionem. Tertio, Qui illa officia amplectuntur, ſatis norunt ſibi ſperandam non eſſe integram ſtipendij ſolutionem, nec tamen dubitant eandem cum cęteris conditionem ſponte ſubire. Quartò, Illi Officiales accipiunt Patentes, in quibus continetur ſtipendium ipſis tribuendum *quomodo, & quando* cęteris de exercitu perſoluitur, nequeunt igitur illud ſibi tali modo de iure vindicare, & cum tanto rei communis detrimento.

Ex his patet reſponſio ad primam rationem contrariæ ſententiæ ſupra allatam. Negatur enim licitam eſſe rei debitę compenſationem mediante fraude, & falſitate: & per actionem Reipublicæ adeò pernicioſam: & contra fidelitatem, quam illi promittunt Regi in ſui officij adminiſtratione. Adde, etiam in caſu, quo licitum eſſet ſua debita occultè recuperare incumbere obligationem indicandi debitori ſibi iam ſatisfactum eſſe, ſi forte ſolutio denuò poſtulanda eſſet, Tantùm verò adeſt vt hoc præſtent illi, Officiales, vt potius oblata occaſione pro ſe, aut poſt mortem pro ſuis viduis, exigant iterum pendit reſidua ſtipendia, aut ſibi conferri promotionem aliquam ſtipendijs æquiualentem.

Ad ſecundam rationem: Verum non eſt Gubernatores patriæ conniuere: & hanc praxim vltrò permittere. Quia tales Officiales ad eos delati punirentur, & aliqui puniti fuerunt, & in Ordinem gregatiorum redacti. Quod autem non current in eos adeò ſeuerè inquiri, fit ex eo, quod nolint forte offenſione præbere viris foribus, & neceſſarijs, qui à militia deficerent.

Nota tamen primò, P. Leſſium, loco ſuprà citato, teſtari, Principem Parmenſem Patribus noſtris aliquando reſpondiſſe, non eſſe faciendum ſcrupulum Capitaneis ob 4. aut 5. placas muertas, vt vocant. Sed an eadem ſit mens, & indulgentia modernis Gubernatoribus, non niſi ex ipſis conſtare poteſt.

Nota 2. Vſu in militia recepto Capitaneis concedi locum mortuum pro duobus aut tribus famulis, & vnum pro ſignifero, etſi famulos actu non habeant.

QVÆSTIO II.

QVando milites poſt luſtrum moriuntur aut fugiunt, an ius ad ſtipendium, quod ipſis remanet debitum, deuoluatur ad eorum ducem, an verò ad hæredes?

Reſpondeo, Communi iure deuolui ad hæredes ab inteſtato, ſicut alię actiones, & credita defunctorum, nec apparet ratio quæ ducibus ius ad ſtipendium alienum concedat. Si tamẽ Capitaneus dederit militi pecunias mutuas, poteſt ex ſtipendijs illi à morte aut fuga debitis, tantùm ſibi reſeruare quantum ille conceſſit. Quia cum onera defunctorum tranſeant etiam ad hæredes, debent hi contenti eſſe vt creditor ſibi hac ratione ſatisfaciat.

QVÆSTIO III.

QVando Rex tranſcribit ſūmam pecuniè in ſtipendia militaria, an hoc quod ſupereſt poſt luſtrum, & ſtipendia ſoluta, poſſint ſibi retinere capitaneis aut tribuni, quando ſciunt Commiſſarios, ſibi retenturos ſi illis reddatur.

Reſpondeo negatiuè, ſi alium detinendi Titulum non habeant. Hoc enim tantumdem foret ac ſi quis pecuniam alienam ſibi occuparet, ea tantùm ratione, quod ſi illam non accipiat, ab alio fure ſit præripienda.

QVÆSTIO IV.

AN licitum ſit militare in Bello de cuius iuſtitia miles habet opinionem tantùm probabilem?

Reſpondeo affirmatiuè, & quando aliæ non ſuppetunt rationes, dico ſufficere quod iudicet Principem, qui bellum indicit, vel ſuſtinet, eſſe virum prudentem, & bonæ conſcientiæ, nec ſeduci à prauis conſiliarijs; & è contra aduerſarium non adeò pium, ac prudentem eſſe. Prudenter enim agit miles ſe conformando auctoritati aliorum, quamdiu nihil habet certi quo auctoritas illa elidatur. Ita docet *Diana* pluribus Par. 11. Tr. 5. Reſ. 28. & *Scildere* de principijs Conſcien. Tractat. 2. P. 164.

QVÆRES, Quid dicendum, quando miles de iuſtitia belli poſitiuè dubitat?

Reſpondeo, non licere eo caſu militare, ſi non poſſit dubium illud vincere, vt docet ſuprà Scildere, Diana, & Ariaga Diſput. 16. Sect 5. Num 36. In bello tamen defenſiuo dubitans de iure Regis qui bello impetitur, & qui bona fide Regnum poſſidet, militare poteſt, & dubium deponere, ex principio generali quod in dubio melior ſit conditio bona fide poſſidentis. Et plerumque excuſari poſſunt milites à formali peccato, quod perſuaſi ab alijs, per ignorantiam inuincibilem rationum partis aduerſæ, ad bellum trahantur, vt notat cum alijs *Diana* P. 4. Tr. 4. Reſol. 32. qui addit illos poſſe militare vtrilibet parti, etiam, quando rationes probabiles pro Iuſtitia belli vtrimque habentur.

QVÆSTIO V.

AN in Caſtris poſſit Confeſſarius abſoluere milites in prælio moribundos, etſi non dent aliud ſignum vitę Chriſtianę, quàm quod militent in exercitu Catholico, in quo tamen aliqui hæretici ſunt admixti?

Reſpondeo, tales poſſe abſolui ſub hac conditione, ſi ſis capax abſolutionis. Ita etiam reſoluit *Scildere* de principijs conſcientiæ Tract. 6. P. 724. vbi adducit citatum à Caramuele P. Saillarts in litteris ab ipſo datis Romę 3. Nouembris 1645. Ratio eſt, quia milites illi per profeſſionem fidei Catholicę ſatis indicarunt ſe velle in morte abſolui, & illa voluntas ſufficienter iudicata eſt Cōfeſſario per eos qui ſignificarunt hunc exercitum, in quo militant eſſe Catholicum. Nec refert quod aliqui in illo exercitur ſint hæretici. Quia ſi in exercitu aliquo plerique forent Cathecumeni, & pauci fideles ſiue baptizati, qui non poſſint diſcerni à Cathecumenis, omnes ſub conditione baptizari deberent, vt idem Scildere ſupra admittit.

Sed quid ſi exercitus ſit hęreticus, in quo tamen pauci aliqui ſunt Catholici, an omnes moribundi ſub conditione abſolui debeant?

Reſoluit ibidem Scildere negatiuè. Quia obſtat reuerentia Sacramenti ne ſub conditione conferatur tam multis, quorum pars maxima abſolutè non vult abſolutionem ſibi conferri, quam credunt homini nihil prodeſſe: ſic licet in Ciuitate aliqua dubiū eſſet de paucis indeterminatis an fuerint validè baptizati non ideo omnes vrbis incolæ ſub conditione rebaptizandi forent.

QVÆSTIO VI.

AN licitum ſit Commiſſarijs aliquos pagos capitaneis ac militibus onerare, vt ab alijs pagis, qui ſe redimunt, pecuniam accipiant?

Reſpondeo negatiuè, Nullus enim aſſignari poteſt Titulus honeſtus quo poſſint Commiſſarij cum aliorum grauamine non legitimo illas pecunias extorquere. Tenentur enim illi ex officio ſeruare iuſtitiam diſtributiuam, vt quantum fieri poteſt pagi in quos milites ſunt diſtribuendi æqualiter grauentur: quando autem pagos aliquos accepta pecunia oneri communi ſubducunt, neceſſe eſt reliquos maiori militum numero grauati: quod omnino iniquum eſt, niſi pecuniam illam in ipſorum onere leuando inſumant.

QVÆSTIO VII.

AN, & quomodo militibus, & alijs caſtra iuſta ſequentibus, licita ſit pabulatio in terra non hoſtili.

Reſpon-

Reſpondeo, & dico primò, licitam non eſſe pabulationem in terris amicorum, aut ſubditorum Regis, ſi ſatis pabulis ad caſtra aduehatur, vel poſſit pretio comparari. Quia non videtur miles plus iuris habere ad aliena paſcua quam ad alienum gregem, panem, aut frumentum, quæ nequit in hoc caſu ſibi iuſtè vſurpare: & ita docet Leſſius in poſthumis v. Bellum p. 150.

Dico ſecundò, Si pabulum ſufficiens nõ aduehatur, nec poſſit per inopiam pretio comparari, tunc locum habet doctrina de extrema neceſſitate, in qua cenſeri debent pabula eſſe communia: ſic tamen vt ille qui præ cæteris paſſus fuiſſet enorme damnum facienda ſit compenſatio, ſicut fieri ſolet in rebus alijs magni pretij in extrema neceſſitate acceptis.

Sunt tamen qui exiſtimans ex cõſuetudine communi receptam eſſe militum in Caſtris liberam pabulationem, tanquam onus commune prędiorum, quãdo pro vtilitate Prouincię bellum geritur: Et ęquum eſſe vt diuites quorum ſunt prædia hoc onus ſuſtineant, cum ex prædijs ſuis magna emolumenta alijs temporibus percipiant: *Sicut* thedis, ſericis veſtibus, & alijs quæ in vſus diuitum potiſſimum verſantur, iuſta aliquando vectigalia imponuntur, quæ ipſi præ alijs facile, poſſunt ſuſtinere.

Propter hanc rationem, & conſuetudinem, ſi vere ſubſit, nõ audet Leſſius ſupra, condemnare liberam illam pabulandi facutlatem, ſi à Principe poſitiue permittatur, & pauperibus ſi inde graue damnnm paſſi fuerint, compẽſatio præſtetur. Nam horum aliquos præ alijs enormiter grauare, nec ipſi Principi licitum, cum in oneribus imponendis teneatur ſeruare iuſtitiam diſtributiuam. An autem Principes talem poteſtatem pabulãdi fecerint, facti queſtio eſt. Præſumptio aliqua in oppoſitum eſſe poteſt, quod permittant Magiſtratibus contra huiuſmodi pabulatores poteſtatem ordinariam exercere: nec audeant viri magis probi præſente Domino abſque aliqua compenſatione hanc libertatem ſibi vindicare.

QVÆSTIO VIII.

AN Miſſionario *NAVALI* licitum ſit aliquando in ipſa naui celebrare, etiam dum actu nauigatur?

1 Negant paſſim plurimi quos refert, & ſequitur *Vaſquez Diſp.* 232. *Cap.* 3. *Num.* 4. *Suarez Diſp.* 81. *Sect.* 2. *Bonacina Diſp.* 4. *Quæſt. vlt. puncto* 9. *Gauantus in Rubric. Miſſal. Part.* 1. *Tit.* 20. *alijque*.

Reſpondeo, tamen cum multis & probatis Theologis, id in vtroque caſu propoſito licitum eſſe, quando nõ adeſt morale periculum, ne Calix nauis agitatione affũdatur, quale periculum in nauibus præſertim grãdioribus ſępius abeſſe multorum experientia teſtatur. Cum igitur talis celebratio nullo ſpeciali iure prohibeatur, nulla affertur ſufficiẽs ratio cur occurente cauſa idonea omittit debeat. Cauſas autem idoneas recenſet *Leander de Sacrif. Miſſæ Tract.* 8. *Diſp.* 7. *Quæſt.* 18. Præceptum in Dominicis, & Feſtis audiendi Miſſam: communicandi in Paſchate: accipiendi Viaticum in mortis articulo. Poſſunt & aliæ cauſæ occurrere, nec video cur non poſſit aliquando ſufficere ſingulare deſiderium, & ſolatium vectorum, præſertim in diuturna nauigatione. Hanc ſententiam fusè defendit *Card. Lugo Diſp.* 20. *Sect.* 4. *& Granadus Tract.* 14. *Diſp.* 13. *Num.* 2. *Fagundez Præc.* 1. *Lib.* 3. *cap.* 10. *Hurt. Diſp.* 4. *Diffic.* 6. *Layman de Sacrif. Miſ. cap.* 5. *Num.* 6. *& plures alij*.

Quæritur 2. An liceat in nauigijs aut triremibus ſacram Euchariſtiam permanenter ſeruare? Negant id licere plerique Auctores qui nolunt licitum eſſe in nauibus celebrare, vt *Henriquez lib.* 9. *cap.* 27.

Sed reſpõdeo cum pluribus, id omnino permittit, vbi in nauigio reperitur locus decens, & à turba nautica ſatis ſeparatus in quo S. Hoſtia ſeruari poſſit: quia id minus habet difficultatis quam Miſſę celebratio, quam oſtendimus à probatis Auctoribus admittit, & poteſt aliquando peculiaris vſus, & neceſſitas ægrorum id poſtulare. Et quidem olim nauigantes ſacram Euchariſtiam ſecum deferre cõſueuiſſe refert D. Ambroſius, & Metaphraſtes, vt admittit *Henriquiz* ſupra citatus, nec hodie extat præceptum id prohibens, modò indecentia, & irreuerentia caueatur: idque diſertè tradit *Leander à SS. Sacramento de Sacrif. Miſſæ Tr.* 8. *Diſp.* 7. *Quæſt.* 19. *& Granadus ſupra Num.* 7. *alijque*.

Quæritur 3. An licitum ſit etiam in littore aram erigere, & Miſſam celebrare pro nautis, & nauigantibus, & in Caſtris pro militibus.

Reſpondeo, id licere dummodò habeatur altare portatile, & reliqua ad celebrationem requiſita. Poſſe autem dictis locis celebrari, vt die feſto Miſſa audiatur, docet *Henriquez, Sa, Hurtado, Lugo Alijque*, apud *Leandrum ſupra Quæſt.* 16.

Quæritur 4. An ſi contingat ibi, aut etiam alibi, poſt inceptum Sacrum lumen extingui, nec aliud commodè inueniri, poſſit Sacer-

cerdos ſine lumine Sacrum continuare, & perficere? Negat *Fagundez cap. 22. Num. 19.* niſi extinctum fuerit lumen poſt conſecutionem.

Reſpondeo probabilius videri poſſe Miſſam continuari in prædicto caſu, etiamſi lumen extinctum fuerit poſt Offertorium ante Conſecrationem, quia iam oblata ſunt ea, quæ poſtea erunt conſecranda, nec poteſt tunc ſine aliorum incommodo conſecratio, & Sacrum omittit. Ita *Leander* ſupra, citans pro hac ſententia *Card. Lugo hic Diſp. 20. Num. 77.*

APPENDIX

SVMMARIA

Ad breuem ac practica Directionem Confeſſarij, & Diſpoſitionem Pœnitentis in toto decurſu Confeſſionis Sacramentalis.

§. I.

Obſeruanda Confeſſario in principio, & decurſu Confeſſionis.

PRimò, Impertit pœnitenti hanc benedictionem: *Dominus ſit in corde tuo, & in labijs tuis, vt digne, & contritè confitearis peccata tua, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen.* Poſtea, ſi Pœnitens loqui hærat, animet illum benignè, vt incipiat fidenter ſoli Deo, & ſuo Patri ſpirituali proferre omnia peccata quę memorię occurrunt; & incipientem, ſine cauſa, non facile interrumpat.

Si aduertat Pœnitentem non ſatis poſſe ſe explicare, interroget illum cautè ex pręceptis decalogi, vel de aliquibus peccatis quæ ipſius perſonam maximè concernunt. Quando etiam Pœnitens non ſatis exprimit circumſtantias mutantes ſpeciem v. gr. quod perſona quam carnaliter cognouit fuerit coniungata: vel quādo non exponit numerum grauiorum peccatorum, tenetur Confeſſarius de his Pœnitentem interrogare. Quod ſi ob diuturnitatem temporis, & lapſuum frequentiam nequeat Pœnitent certum peccatorum numerū determinare, vt ſæpe contingit in delectatione morosa prauis deſiderijs, conſuetudine iurandi, interrogar poterit, à quanto tempore eſt confeſſus, & ab illo tempore quoties ſingulis ſeptimanis, aut ſingulis diebus ſolitus fuerit labi in illud peccatum, & ex his quantum fert memori expoſitis, poterit Confeſſarius coniecturam ſufficientem facere de frequentia, & numero lapſuum à poſtrema Confeſſione.

II. Dum Pœnitens narrat ſuperflua, aut ſuas querelas, aut negotia domeſtica, aut res alienas ad propria peccata non pertinentes, Confeſſarius peritè ſermonem diuertat, v. g. dicendum, ſatis intellexi, quid meminiſti circa peccatum detractionis, verba contumelioſa, aut aliud peccatum pro qualitate perſonæ.

III. Si interrogandus ſit in materia luxuriæ, vtendum verbis honeſtis ac pudicis, paulatim à cogitationibus ad verba, à verbis ad actus progrediendo, ne Pœnitentes ex Confeſſario ea peccata diſcant, quæ antea ignorarunt.

IV. Quando aliquid occurit graue, & reprehenſionem dignum, confitentem non ſtatim arguat, nec ſignum præbeat admirationis, antequam confeſſio abſoluatur, nec Pœnitens turbatus, aut tertius reliqua peccata ſileat.

V. Si Pœnitens abſque neceſſitate attingat grauiora aliorum peccata, diſertè illum moneat, vt iſta ſileat, & ſua tantùm peccata exponat.

VI. Si quis confitendo oſtendat ſe habere notitiam alicuius peccati, ex quo imminet graue damnum alicui communitati, caueat confitentem abſoluere, niſi ſtatuat congruo modo efficere, vt res ea reueletur Superioribus, illis quibus incumbit communitatis periculo proſpicere: quærendus tamen eſt modus quod ſic fiat, vt non cedat in perniciem Pœnitentis.

VII. Quando narratur peccatum quod conſtat eſſe reſeruatum, à quo Confeſſarius per ſe nequit abſoluere, monendus eſt Pœnitens vt ibi ſiſtat, donec vel Pœnitens, vel potius ipſe Confeſſarius ad ſuperiorem pro facultate recurrat, tacito tamen Pœnitentis nomine, niſi malit alteri habenti poteſtatem iterum confiteri.

VIII. Quando, ob ſtupiditatem Pœnitentis, non poteſt ab eo extorquere idoneam materiam abſolutionis per interrogationes ordinarias de mendacio, detractione, ira inordinata, diſtractione voluntaria, verbis otioſis &c. Interrogari vlterius poteſt, an ſaltē voluerit aliquid horum commitere, etſi peccatum exter-

num

num non poſuerit. An egerit aliquid contra re morſum ſuæ conſcientiæ,putando, aut dubitando, aliquid eſſe peccatum, quod vere non fuit. An ſaltem ſine cauſa expoſuerit ſe periculo committendi certum aliquod peccatum. Vel, an fuerit cauſa cui alij rem prohibitam fecerint;aut aliquid omiſerint ad quod tenebantur, quod facile in parentibus locum habet, non monendo ſui officij filios, famulos, aut alios ſuæ curæ commiſſos, Quod ſi de nullo etiam horum ſe accuſent iubendi ſũt vt aliquod ſaltem pecccatum exponat quod meminerunt aliquando in totius vitæ decurſu à ſe commiſſum: ac demum monendi, vt quantum fieri poteſt in futurum melius inſtructi ad confeſſionem accedant.

§. II.

Obſeruanda à Confeſſario poſt Confeſſionem.

I. POſtquam Pœnitentis Confeſſionem integram patienter audiuit, iniungat ſalutarem pœnitentiam ante abſolutionem, quamuis etiam ob aliquam cauſam, aut obliuionem, poſt abſolutionem iniungi poſſit. Forma autem integra Abſolutionis ſuperius exprimitur in *Tom. 2. Parte 2. Tract. 3. Cap.* 6. vbi traditur Forma Hæreticos reconciliandi.

II. Quamuis pro ſatisfactione peccatorum quæuis opera bona ſint idonea: illa tamen ad tria potiſſimum capita reducuntur. Nempe ad Ieiunium, Orationem, & Elleemoſynam Ad *Ieiunium* ſpectat quæuis carnis afflictatio, per cilicia, flagella, vigilias, cubationem in Terra, peregrinationem, tolerationem liberam iniuriæ, aut contumeliæ, &c. *Orationis* nomine non ſolum intelligitur vocalis recitatio, ſed etiam mentalis meditatio, lectio ſpiritualis, frequentatio Miſſæ, pſalmodiæ, concionis, aut Sacramenti alicuius perceptio. *Eleemoſyna* comprehendit omnia operra miſericordiæ tam corporalia, quam ſpiritualia, vt curare infirmos, viſitare hoſpitalia, excipere peregrinos, docere ignorantes, corrigere errantes aut peccantes, & id genus alia. Ex his eliget Confeſſarius, pænitentiam pro egrauitate peccati, quæ ſimul ſit Medicinalis, ad curandum animæ morbos, & præcauendum lapſum in futura peccata, verbi gratia, ieiunium lubricis, Eleemoſynam auaris imponendo, habita ratione virium, ſexus, ætatis, & oportunitatis ſui pænitentis. In his imponendis, vti cauendum eſt à nimio rigore quæ à confeſſione deterreat, ita ex altera parte videndum ne declinet ad nimiam lenitatem, aut laxitatem leuia quædam opera pro grauiſſimis delictis imponendo, vt monet Tridentinum *Seſſion.* 14. *Cap.* 8. *de Sacrament. Pœnitent.* Quænam cenſeatur pænitentiam peccato mortali proportionata, diximus de ſupra de ſatisfactione Sacramentali. *Tom. 2. Parte 3. Tract. 3. Cap. 5. in fine*.

III. Expedit aliquando iniungere opera quędam leuiora, quæ grauioribus æquiualent quando ſunt diuturna, vt quotidie dum ſurgit attente cogitare de morte neceſſariò ventura, aut de æternitate pænarum pro vnico mortali, aut terram aliquoties oſculari, aut nudis genibus, aut extenſis brachijs aſſiduò veſperi recitare Orationem Dominicam, aut aliquem pſalmum, aut alias preces, quæ incutiant hororem illius peccati, cui Pænitens eſt obnoxius.

IV. Si Pænitens recuſet Pænitentiam idoneam, aut ſuæ emendationi neceſſariam, neganda eſt ipſi abſolutio, quia per hoc oſtendit ſe ad illam nondum eſſe ſatis diſpoſitum.

V. Nunquam abſoluat à peccatis, ſub aliqua conditione de futuro, vt, ſi dederis talem Eleemoſynam, ſi petieris ab alio veniam, quia talis abſolutio nec licita, nec valida eſt. Quando verò dubitaret confeſſarius an aliquis puer, aut etiam adultus in articulo mortis habeat in præſenti vſum rationis, aut diſpoſitionem requiſitam, poteſt illum abſoluere, retenta ſaltem in mente hac conditione, ſi es capax, ego te abſoluo, &c.

VI. Poteſt aliquando vtiliter abſolutio etiam diſpoſitis ad tẽpus ſuſpendi, prǽſertim cum recidiuis, cum tepidis, cum remanentibus in priori aliqua occaſione peccati, cum retinentibus adhuc bona aliena: imo debet illis differi abſolutio, ſi poſt emendationem, aut reſtitutionem bis; terue promiſſam, Confeſſarium in re graui feſellerint: niſi contingat iam longè aliud, & planè extraordinarium emendationis ſignum ac propoſitum adferri, iuxta ea quæ ſupra tradidimus de abſolutione Sacramentali *Tom. 2. Part. 2. Tract. 2. Cap. 3. & alibi*.

VII. Conſuetudinarius, ſiue qui ſæpius aſſueuit in idem peccatum labi, ſi iam primum tibi confiteatur, & ſincerè aſſerat ſe eſſe contritum, & proponere emendationem, abſolui tunc poterit, neque neceſſe eſt ipſius abſolutionem in futurum differri donec conſtet ſecutam eſſe conſuetudinis emendationẽ. Nec

facit

facit contra hanc praxim Methodus oppoſita falſo fundamento innixa, quod nempe ſincera peccatoris conuerſio non ſoleat eſſe repentina; cui refragatur frequens experientia, de qua alibi.

VIII. Etſi talem Pœnitentem abſoluerit, expedit aliquando ipſi ſuadere, vt pro ea vice ad ſacram ſynaxim non accedat, vt augeat in eo reuerentiam erga illud Sacramentum, & horrorem ſui peccati, & maiorem præparationem in ſequentem confeſſionem.

IX. Valdè conſultum eſt, vt ſigillum confeſſionis ſecurius ſeruetur, de Pœnitentis vitijs, aut etiam virtutibus, nunquam apud alios mentionem facere, ne dum vnum laudat, videatur alium vituperare.

Si debeat de peccato in confeſſione audito conſilium ab alio petere, expedit tantùm generatim proponere, quid agendum foret ſi talis caſus accideret.

X. Si aduertat ſe Pænitentem male abſolutum dimiſiſſe ſiue defectu poteſtatis abſoluendi à certo peccato, ſiue quia malum conſilium dedit, ſiue quia non obligauit ad reſtitutionem in præiudicium tertij, non debet illum poſtea monere, niſi forte prius poſtulet, & obtineat à Pænitente facultatem aliquid ſibi de præterita confeſſione iudicandi. De his plura ſuperius in Tract. 3. Cap. 4. de Sigillo Sacramentali.

§. III.

Modus iuuandi Rudes, & Pueros.

PRimò, Interrogando explorabit, an ſciant myſteria fidei neceſſaria, & præcepta Decalogi, ac Eccleſiæ. Si ignoret, quantum poteſt doceat, vel ad alium inſtructorem dirigat.

II. Dum hærent quaſi muti, & nulla peccata exponunt, interroget primò, quæ ſunt communia ex præceptis Decalogi, aut de mendacio, maledictis, & detractione, & alij ſupra in praxi agendorum in ipſa confeſſione n. 8.

III. Doceat eos breuiter quomodo debeant orare mane ac veſperi, conſcientiam examinare de cogitationibus, verbis, & operibus.

IV. Moneat peccata, quæ occurrunt non eſſe reticenda ex pudore, & Confeſſarium non poſſe de illis loqui, & Confeſſionem non profuturam ſi ſponte peccata occultentur

V. Conetur pueris imprimere horrorem peccati, quia nempe reddit animam turpem, & deformem inſtar dæmonis, gratia vero reddit ſpecioſam inſtar Angeli: 2. Incutiat illis timorem Dei, inſtar ſoli vbique præſentis, & mlas cogitationes videntis, & igne æterno punientis: Sed qui è contra pios, ac probos inſtar parentis amat, & ſtola gloriæ, & dulcedine æterna in cæleſti paradiſo perfundit.

VI. Denique doceat eos, vbi inobedientes parentibus, aut Magiſtris fuerunt, veniam ab illis poſtulare. Quia talia remedia pueris altius inherent.

M O T I V A

Varia.

Diſponentia ad ſummam Peccati Deteſtationem, Contritionem, & vitæ Emendationem.

COnſidera Dei Maieſtatem, potentiam, bonitatem, ac dignitatem infinitam, per Peccatum læſam, ſpretam, & contemptam. Et tamen ſumma benignitate ad nos clamat, *Nolo mortem Peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat.* Quis Rex aut Princeps ſubditum rebellem, & læſæ Maieſtatis reum tam benignè ad veniam admitteret?

Peccatum quippe mortiferum, eſt auerſio à Deo ſummo, æterno, & infinite Bono, ſimulque conuerſio ad Creaturam in ſe vilem, & infinitè à Deo diſtantem, adeoque peccatum ſummum eſt malorum quod homini poteſt accidere.

Peccatum eſt animæ noſtræ lethale Venenum, quod dæmon propinat in patinis aureis, ne illius malitia, & damna ex eo ſecutura nobis appareat.

Peccatum eſt horrenda Catena, & compedes quibus anima conſtricta in barathri profundum pertrahitur.

Peccatum eſt nefaria Proditio, quam homo rebellis machinatur aduerſus legitimum ſuum Regem ac Dominum, quaſi claues ciuitatis, id eſt, animæ ſuæ poſſeſſionem tradens dœmoni hoſti capitaliſſimo.

Peccatum eſt graue Pondus, quod nec cœlum retinere, nec terra poteſt, ſed infra terram

ram ad abyſſum tartari cum peccatore deſcendit.

Peccatum conſtituit nos deſertores Dei,ac Saluatoris noſtri, cui datam in Baptiſmo fidem, & obedientiam per peccatum violamus.

Imo peccatum, teſte Apoſtolo, Filium Dei concludat, & Sanguinem Teſtamenti pollutum ducit, & Spiritui gratiæ contumeliam facit.

Peccatum triſtiſſimo nos Exilio in perpetuum mulctat, dum à patrijs paradiſi ſedibus in profundiſſima inferorum relegat, amiſſa namque Dei gratia, ſimul perit hæreditarium ius regni cæleſtis.

Peccatum eſt fœdiſſima animæ Lepra: nam quemadmodum morbus lepræ corporibus adimit omnem ſpeciem, robur, & vigorem; ita peccatum omni pulchritudine animam priuat, & omne virtutum robur elidit.

Peccatum omnia bonorum operum Merita deſtrui ac diſſipat, quantunmuis vita ſanctiſſime acta, & omni virtutum genere cumulata fuerit: Efficit quoque vt nihil eorum quę agis in ſtatu peccati per ſe conducat ad præmium vitæ æternæ: Ad hæc, priuat nos Communione bonorum operum quæ in commune fiunt ab Eccleſia Catholica dum in illo ſtatu verſamur.

Quid plura animi, & corporis Damna proponam Peccatum ſi inueteratum fuerit, præcipiat animam tanta vi in miſeriarium omnium pelagum, vt iam tradatur in reprobum ſenſum, qui cumulus eſt omnium malorum.

Peccatum ſæpe corpora ſana, & robuſta deijcit, vt tarda fiant, ſegnia, deformia, & inepta honeſtis exercitationibus, vt vitam trahant brutis ſimilimam.

Peccatum potentiſſimos quoſque magnitudine, & honoribus ſæpius exuit; æquiſſimum quippe eſt, vt qui diuinis honoribus tantùm derogarunt, ipſi quoque viciſſim iacturam ſimile faciant; quod Saulis, & tot Regum exemplis Scriptura confirmat.

Peccatum aufert lætitiam cordis, quæ eſt vita hominis, inquit ſapiens: inferit autem angores, ac triſtitiam quæ exſiccat oſſa, itaque vitam inſuauem, ac mortis inſtar facit.

Peccatum ſæpe iuſtò Dei iudicio mortem accelerat, & in viſceribus noſtris, nobis inſcijs, colligit tabem ac perniciem. Ex quo factum eſt, vt plures, male factis ad extremum id exigentibus, morte repentina ſint extincti, atque vltricibus inferorum flammis addicti.

Tanta ſunt Peccati damna; & tanta malitia contra diuinam bonitatem, vt iuſtiſſimum ſit illud dictum S. Anſelmi Archiepiſc. Cantuar. Si hinc peccati horrorem ſine pæna, & inde Inferni dolorem ſine culpa, mihi propoſitum cernerem, neceſſitas autem imponeretur alterutrum deligendi: mallem, inquit, purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quam peccati ſorde pollutus Cælorum regna tenere. *Lib. de Beatitudine cap.* 190. Idem conſtat de Sancto Edmundo Archiepiſc. itidem Cantuarienſi, cuius ea vox erat. Mallem inſilire in rogum ardentiſſimum, quam peccatum vllum ſciens admittere in Deum meum S. Lodouicus Rex Gallorum, ab ineunte ętate hoc ſibi meritò ſemper perſuaſum habeat, potius mori, quam peccare.

Cum peccatum ſit tot rationibus ſupra quam dici, aut credit poſſit deteſtandum, ac reformidandum, extremæ ſanè dementiæ eſt, vel momento temporis, in ſtatu tam periculoſo permanere, hoc eſt in ſeparatione à Deo, in faucibus Dæmonis, in portis Inferni, in medijs malorum immenſorum agminibus, inter mille diſcrimina damnationis æternæ.

Hinc vlterius patet, quam ingens ſit vtilitas confeſſionis, & ſeriæ Pænitentiæ. 1. Quia hæc adfert Remiſſionem omnium peccatorum, etiam grauiſſimorum. 2. Aufert reatum & debitum pænarum æternarum, & ſæpæ pænarum temporalium, quas Deus peccatoribus in hac vita infligit. 3. Cauſat Reuiuiſcentiam omnium bonorum operum, & meritorum, quæ prius in ſtatu gratiæ facta, perſecutum peccatum mortale ſine Pænitentia in perpetuum extincta fuiſſent. 4. Reſtitui conſcientiæ pacem, & ſerenitatem per peccata ablatam, cum magna, & ſæpe valde ſenſibili animi conſolatione. Denique reparat omnia peccati damna ſuperius memorata, & reſtituit ſtatum gratiæ, quod quia ſummum eſt, & nunquam ſatis ęſtimabile hominis bonum, illius vtilitatem ac dignitatem paucis punctis exponam, vt clarius appareat quanti momenti ſit ſtatum illum per Penitentiam acquirere, & acquiſitum inuiolabiliter retinere.

Quanti momenti ſit Status Gratiæ.

STatus gratiæ eſt Pignus vitæ beatæ, & immortalis; quinimo initium ac radix cæleſtis gloriæ.

Gratia illa eſt theſaurus electorum, &

Fons

Fons omnium cœleſtium bonorum.

Gratia artiſſimè hominem Deo deuincit, aſtringit, & vnit, vt quaſi vnus cum Deo efficiatur, vt loquitur Apoſtolus.

Gratia animam conſtituit Chriſti ſponſam, Patris ęterni filiam amantiſſimã & templum auguſtiſſimum Spiritus ſancti.

Gratia Regni æterni participem facit, & (quod conſequens eſt) ſocium, contubernalem, ac fratrem dulciſſimum omnium Sanctorum, & Angelorum.

Gratia ſanctificans liberat animam à culpis quas contraxit, eamque penitus reconciliat Deo.

Gratia Deum homini demeretur, operibuſque noſtris vitam æternam promerendi vim tribuit: ac demum merita omnia peccatis deperdita reſtituit.

Gratia erigit animum vt cuncta caduca deſpiciat, neque extollatur fortuitis, neque frangatur aduerſis, & vt illi vera ſit voluptas, mundi voluntates contemnere.

Gratia virtutes omnes, ac dona Spiritus ſancti menti inferit, & in ſerta cuſtodit.

Denique, quod caput eſt gratia Deum ipſum in hominis Animam hoſpitio recipit, ac conſeruat, quam ſua præſentia conſolatur, quam defendit, quam gubernat, quam dirigit ad cęleſtem patriam, in qua cum dilecto Sponſo paſcitur, in qua triumphat, inqua beatè conquieſcit per omnem æternitatem.

Remedia, & documenta contra ſingula peccata in particulari: Actus varij; & Motiua Contritionis perfectę: Praxis aſſiſtendi ęgris, & moribundis; item cuiuis Proximo in quouis Statu, traduntur infra To.3. circa medium, & finem.

TRACTATVS VLTIMVS.

IDÆA SCIENTIFICA

Theologiæ Vniuerſæ, & Scientiarum illi Annexarum.

Complectens Iuris Canonicis, Iuris Ciuilis Scientiæ Philoſophicæ, Rationalis, & Naturalis cum annexis, Principia; Regulas, Axiomata, Auctores, Originem, Progreſſum, ac Partium ſingularum Ordinem, & Materiam, ac Fori Eccleſiaſtici normam multiplicem: Singula breui methodo expoſita.

CVm hæc principia, Regulæ, Auctores &c. Præſertim Theologiæ, Iuris Canonici, & Ciuilis cum ſcientijs illis ancillantibus, maximi ſint momenti ad Reſolutiones Theologicas in omni genere rite formandas: Atque inſuper plurimum conducat Scientiarum altiorum Studioſum in quauis alia occaſione horum ſingulorum notitiam in promptu habere, ac frequenter recolere. Hinc in illius commodum ſanè ſingulare Tractatum ſequentem non modico ſtudio elaborando exiſtimaui, ne etiam in hoc genere aliquid deſit ad huius Operis complementum.

Primò igitur, declarantur Iuris Canonici Partes omnes, ordo, materia, ac modus ſingulas partes citandi, & in libris citatas, in corpore iuris facile reperiendi, in quo pauci ſatis peritiæ habent. 2. Sequuntur Regulæ iuris Canonici breuiter explicatæ, quę ſunt lucida dictamina, & quaſi medulla vniuerſi iuris, formula breui comprehenſa & facile retinenda, ac proferenda. 3. Adducuntur Auctores varij qui Iuris Canonici materias tractarunt, vt horum notitia, & delectus ad manum habeatur. 4. Simili modo proceditur in declaratione Partium, cibationum, citationum iuris Ciuilis. Cuius & Regulæ deducuntur: & demum Auctores varij proferuntur, qui in ius Ciuile ſcripſerunt. 5. Scientiæ Philoſophicæ, vti & Mathematicæ, origo, progreſſus, partes omnes ac materiæ ob oculos ponuntur. Illius principia, & Axiomata in Scholis recepta exponuntur. Denique annotantur accuratè Auctores varij, qui in omni genere Philoſophiam tam antiquam, quam nouam recenter tractarunt: 6. Deducuntur Theologiæ vniuerſæ Partes, ordo, materiæ, earumque diſtributio iuxta Methodum D. Thomæ paſſim in Scholijs receptam. Subduntur Auctores omnis generis, Operumque notitiam quæ etiam in Theologiæ Controuerſijs recentioribus prodierunt. 7. Exponitur norma, & praxis Fori Eccleſiaſtici præſertim Romani.

Horum ſingula haud dubiè magno ſubſidio erunt illis Miſſionarijs, & alijs librorum copia carentibus, quibus ego potiſſimum ſubuenire ſtudeo. His ſanè, & paſſim alijs, multò facilius eſt has ſcientiarum Regulas, quàm tot

earum Volumina euoluere, vel ex multis hic notatis Auctore ſibi idoneum deligere, quàm Bibliothecas comparare: quorum ſingula in decurſu magis eluceſcent.

CAPVT I.

De Notitia totius Iuris Canonici, eius Partibus, Ordine, Materia, & varij citandi modis.

IVs canonicum originem duxit à primis Eccleſiæ Concilijs, & Decretis; progreſſum habuit ex alijs Patrum, Pontificum, ac variorum Conciliorum placitis, ac ſtatutis in Corpus iuris redactis, & approbatis. Canonicum dicitur à Canonibus, id eſt, Regulis Eccleſiaſticis, quibus conſtat. Continet quinque partes, quæ ſunt, Decretum, Decretales, Sextus Decretalium. Clementinæ, Extrauagantes.

1. *Decretum*, ſeu liber Decretorum continet ſummam iuris antiqui à Gratiano Monacho Benedictino, ex diuerſis Concilijs, & Sanctorum Patrum placitis collecta, vnde paſſim dicitur Decretum Gratiani.

Illud approbauit Eugenius III. circa annum Chriſti 1150. Subdiuiditur in tres partes, prima continet Diſtinctiones 101. ſubdiuiſas in capitula ſeu canones. 2. Continet 36. Cauſa ſubdiuiſas in Quæſtiones, varia capitula continentes. 3. Continet tractatum de conſecratione diuiſum in quinque diſtinctiones, quæ etiam in varia Capitula ſubdiuiduntur.

Porrò *Decretum* iuxta tres illas Partes diuerſimodè citatur. Prima pars citatur per initiũ & numerum diſtinctionis V. G. Capitulo *Clericorum* diſtinct. 5. Secunda pars citatur ſic Capitulo *Nemo* 11. Quæſt. 3. vbi per ly 11. ſubintelligitur cauſa. Tertia pars ſimiliter citatur per Capitula, & numerum diſtinctiones adiecto *ly*, *de conſecratione*, v. g. Capitulo *Epiſcopus* de conſec. Diſt. 4. Huic tertię parti ſubnectuntur canones Pęnitentiales 47. & canones Apoſtolorum 84.

Nota, Secundæ parti Decreti cauſa 33. quęſt. 3. inſeri Tractatum de Pęnitentia, diuiſum in 7. Diſtinctiones, ſubdiuiſas in canones ſeu Capitula, quæ proinde ita v. gr. citantur: Cap. *Lacrymæ*, de Pœnitentia Diſtinct. 1. hunc Tractatum nõ nulli cum VVibaldo referunt ad 3. partem: ſed ex communi, tertia pars Decreti ſolum continet Tractatum de conſecratione.

II. *Decretales* continent litteras Pontificum; ad Quæſtiones, tum in Concilijs, tum extra ſibi factas, decretoriè reſpondentium. Eas in vnum Tomum redegit, & in quintos libros digeſſit ac confirmauit Gregorius IX. ſub Annum Chriſti 1230. Singuli libri diuiduntur in Titulo, & Tituli in capitula, quæ V. G. ſic citantur: Capitulo *Paſtoralis*, de reſcriptis. Porrò ad facilius inueniendum Titulo de quo eſt quæſtio, præfixus eſt vbi index Titulorum ordine Alphabetico nec non index Capitulorum etiam ordine Alphabetico ſubiecto ex verbis initialibus cuiuſque Capituli.

III. *Sextus Decretalium* ſic dictus, quia quinque prioribus poſtmodum additus fuit à Bonifacio VIII. ſub annum Chriſti 1288. Diuiditur in 5. libros ſub ijsdem Titulis vt ſuprà, & eodem modo citatur: nempe per initium Capituli, & Titulum adiecto ly, *in ſexto*, V. Gr. Capitulo *Alma mater*, de ſetentia Excommunicationis in 6.

IV. *Clementinæ*, ſic dictæ, quod contineant conſtitutiones Clementis V. varijs occaſionibus editas, publicatas tamen à Ioanne XXII. ſub annum Chriſti 1317. Diuiditur in 5. libros quorum ſinguli ſuos habent Titulos, & Capitula vt ſuprà: Citantur ſic. Clementina *dudum*, de ſepulturis.

V. *Extrauagantes*, ſic dictæ, quia ſunt extra priores partes, ex quibus vnum corpus Iuris Canonici antea fuerat conflatum. Diuiduntur in duas partes, quarum primo continet XX. Conſtitutiones Ioannis XXII. Quæ citantur hoc modo: Extrauagante, *cum ad ſacroſanctæ* de ſententia Excommunicatiõ. Ioannis XXII. Secunda pars continet alias Extrauagantes in 5. Libros Digeſtas, quæ dicuntur communes, quia à diuerſis Pontificibus ſunt editæ. Citantur hoc modo, Extrauagante *ſuper gentes*, de conſuetudine.

Nota, cum liber 6. Decretalium, Clementinæ, & Extrauagantes omnes ſint Decreta Põtificum, ęque ac quinque illi libri qui ad 2. partem pertinent, & ſimpliciter dicuntur Decretales, ideo à quibusdam totum ius Canonicum diuiditur in 2. partes, nempe in Decretum, & Decretales, ſupradicta omnia comprehendendo ſub Decretalibus, ſed hoc quoad rem in idem redit.

Ad extremum, vt Citationes Iuris Canonicis, & Ciuilis melius inter ſe ducernantur, notandum eſt, quod in Iure Ciuili citentus Inſtituta, Codices, Digeſta, ſiue Pandectæ, & hæc per Grecum, P. Vel duplex, ff.

item Nouellæ, Authenticæ, & Leges Imperatoriæ Iuris autem Canonicis loca citantur his nominibus, Decretum, Decretales, ſextus Decretalium, Clementinæ, Extrauagantes, quæ diuiduntur per Capita, & diſtinctiones, & harum Capitula, addito Capitulo verbo primo, ad illius à cæteris diſtinctionem, vti in prædictis, & infrà ſequentibus de iure ciuili obſeruari poterit.

CAPVT II.

Regulæ Iuris Canonici, earumque breuis Expoſitio, quæ ad Reſolutiones particulares in omni penè materia deſeruiunt.

Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per easdem diſſoluitur. *cap.* 1. *Omnis*. Quia ſublata cauſa tollitur effectus, qui ab illa conſeruatur. Sic nudi conſenſu obligatio contrario conſenſu tollitur. Ex decretalibus *in Lib.* 5. *cap.* 1. Et eſt regula conformis iuri Ciuili *L. Nihil, ff. eodem*. Non habet tamen hoc locum in matrimonio, & quando cederet hoc in præiudicium tertij: iſta enim lex particularis excipit, vti in alijs regulis aliquando contingit.

Dubia in meliorem partem interpretari debemus. *Ex cap.* 2. *Eſtote*. Quia melius eſt de miſericordia argui, quam de ſeueritate. C. alligant 26. quæſt. 7. Et magis expedit falli per bonam opinionem de alio, quàm per malam. *D. Thomas*.

Propter ſcandalum euitandum, veritas non eſt omittenda. Scilicet vbi dici debet. *cap.* 3. *Qui ſcandalizaueris*.

Propter neceſſitatem, illicitum efficitur licitum. *Illicitum* ſcilicet ex aliqua lege poſitiua, non ex natura ſua. *cap.* 4. *quod non eſt*.

Illicitè factum, obligationem non inducit: *cap.* 5. *quod latentur*. Quia facta contra Legem ipſo iure non valent, regulariter loquendo.

Tormenta, indicijs non præcedentibus, inferenda non ſunt. *Cap.* 6. *cum in contemplatione*. Sed nec præiudicat confeſſio in tortura, niſi extra locum torturæ ratificata fuerit, *Lib.* 1. *ff. de Quæſtion.*

Sacrilegus eſt offendens rem, vel perſonam Eccleſiaſticam. *cap.* 7. *quæ multoties*, Nam & res, ſiue bona Eccleſiæ oblata, ſacrata cenſentur.

Qui facit aliter quam debet, facere non dicitur *cap.* 8. *qui ex timore*. Quia ſic factum non eſt legere ratum, ſed nullum.

Ignorantia non excuſat Prælatum in peccatis ſubditorum *cap.* 10. *quamuis*. Scilicet, culpabilis, quia Paſtoris eſt ouibus cauere. *C. ſit. Rector. Diſt.* 43.

Pro ſpirtualibus homagium non præſtatur. 1. Iuramentum fidelitatis. *Cap.* 11. *indignum*. Tale non eſt iuramentum obedientiæ, quod præſtatur Prælatis poſt adeptum beneficium *cap. antique de Priu.*

Beneficium Eccleſiaſticum illicitè, ſine inſtitutione Canonica obtinetur. *In ſexto, cap.* 1. *Beneficium*. Quia in Eccleſiam non datur ingreſſus niſi per oſtium, id eſt, illius prælatum.

Poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit, *cap.* 2. *Poſſeſſor*. Quia in quo quis peccat præmium non meretur: *C. vigilanti Extrau. de Præſcrip.*

Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit: *cap.* 3. *de Poſſ.* quia præſcriptio in poſſeſſione fundatur. Hinc Laicus decimas, & iura ſpiritualia nunquam præſcribit, quia Laici poſſeſſionis illorum ſunt iure incapaces.

Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: *cap.* 4. *peccatum*; quia ſine voluntate reſtituendi Pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari: *cap.* 6. *Nemo*. Quia natura docet non imputandum homini quod non eſt in eius poteſtate.

Priuilegium perſonale perſonam ſequitur & extinguitur cum perſona *cap.* 7. *Priuilegium*. Hinc ad hæredes non tranſit; imo quandoque extinguitur ante perſonam, cum quis abutitur priuilegio: Ex cap. *accedentibus*. Extra de Priuileg.

Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus: *cap.* 8. *ſemel*. Scilicet niſi probetur mutatus, vt in textu. Sicut ſemel bonus præſumitur in poſterum bonus, niſi mutatio probetur: *cap. Vnica. Extrau. de Seruis.*

Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum *cap.* 9. *Ratum*. Quia ex iure duæ fictiones non cadunt circa idem.

Cum ſunt partium iura obſcura, reo fauendum eſt potius quam actori: *cap.* 11. *cum ſunt*. Quia actor impetit, reus ſe defendit, quod eſt fauorabilius: *Inſt. de Inter. li.* 7. *§. commodum*. Item, Nemo præſumitur ligatus, ſiue obnoxius, niſi probetur, cum omnes homines ſint natura liberi *Authentica quibus modis, §. Nunc. Coll.* 7. Vnde & ſequitur illos habere poſſeſſionem ſuæ libertatis, & ius ne ea grauetur, niſi ex cauſa ſat probata. Regula dicta locum non habet in cauſis quibuſdã ex iure fauorabilibus, vt ſi iura ſint obſcura in cauſa matrimonij, libertatis T...

vel dotis, in horum fauorem potius iudicatur: *C. Final. Extra de iudicata.*

In iudicijs non eſt acceptio perſonarum habenda: *cap. 12. in iudicijs.* Quia iudicium requirit æqualitatem, quæ repugnat acceptionis perſonæ vnius præ alia: *S. Thom. 2. 2. Quæſt. 63. Art. 4.* In pœnis tamen imponendis deferendum eſt dignitatis, & perſonæ, *cap. fin. Extra de Trans.*

Ignorantia facti, non iuris excuſat: *cap. 13. ignorantia.* Quia quilibet præſumitur ſcire iura per ſe, vel per ſe alios in foro externo: cum Princeps velit vt lex non obliget ante promulgationem, *cap. in iſtis, Diſtinct. 4.*

Cum quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere: *cap. 14. cum quis.* Scilicet in defenſione, non in alterius prouocatione. Quia in defenſione non præſumitur cognoſci factum alienum.

Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari: *cap. 15. odia.* Si Deus benignus, vt quid Sacerdos eius auſterius vult apparere, *cap. Alligant. 26 Quæſt. 7.*

Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſuram: *cap. 16. decet.* Quia beneficijs nos adiuuari oportet non decipi, *cap. Vnica. Extra. de Commod.* Regula intelligitur de beneficijs realibus, non de perſonalibus, *vt ſuprà cap. Priuileg.*

Indultum à iure beneficium, non eſt alicui auferendum: *cap. 17. indultum.* Intellige ab homine, & ſine cauſæ cognitione, nam alio iure interdum tollitur alterius iuris beneficium.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit: *cap. 18. non firmatur.* Quia ſolum tempus non eſt modus inducendę vel tollendæ obligationis, *L. Oblig. ff. de act. & Oblig.*

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt: *cap. 21. quod ſemel.* Scilicet, ſi non ſit debitè improbatum, ſi ſcienter, & non ſola mente, ſed ſigno externo iudicauit placere, & ſi alterius interſit quod placuit, *ita gloſſa hoc loco.*

Non debet aliquis alterius odio prægrauari *cap. 22. non debet.* Quamuis in quibuſdam caſibus delictum vnius poſſit cauſare defectum ſiue inhabilitatem in alio, vt in eo qui eſt illegitimè natus.

Mora ſua cuilibet nociua eſt: *cap. 25. mora.* Quia qui moratur præſtare quod debet, damnum conſequens illi imputatur.

Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus *cap. 27. ſcienti.* Quia talis non circumuenitur, fallitur, aut decipitur: vt tamen obliget, debet eſſe conſenſus à iure non irritatus.

Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda, *cap. quæ à iure.* Quia talis exorbitatio eſt odioſa, adeoque reſtringenda, *cap. ſanè Extr. de Priuil.*

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: *cap. 29. quod omnes.* Quia alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri *Leg. ſi quis cap. de Inoffic. Teſt.* Intellige, vbi ſinguli habent ius ſeparatum, non vbi determinatio relinquitur penes maiorem partem.

In obſcuris minimum eſt ſequendum: *cap. 30. in obſcuris.* Quia dubitetur, an quis voluerit maximum, veroſimile eſt ſaltem voluiſſe minimum. Idem in iure Ciuili *Vlpianus.*

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit: *cap. 32. non licet.* Quia fauorabilior in iure eſt conditio rei, quam actoris.

Mutare conſilium quis non poteſt, in alterius detrimentum: *cap. 33. mutare* quia alter ſine propria culpa lęderetur. Iuxta alteram Regulam; quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt.

Generi per ſpeciem derogatur: *cap. 34. generi.* Quia ſpecies ſub genere diſtinctius continetur. Ex pari ratione, ſpecies quæ reperitur ſpecialior debet derogare alteri ſpeciei. Vti & indiuidua ſpeciei derogare debent. *Decius in d. l. in toto.*

Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere: *cap. 36. pro poſſeſſ.* Ne quis in alterius detrimentum poſſeſſionem à ſe addicaret, *Lib. qui dolo, ff. Eod. vt in lege Ciuili, infrà.*

Vtile non debet per inutile vitiari: *cap. 37. Vtile.* Quia aliàs actus qui poſſit vtiliter ſubſiſtere, ex leui cauſa annullaretur.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo: *cap. 39. cum quid.* Quia de connexis idem eſt iudicium. Sicut etiam conceſſo aliquo, conceſſa cenſentur omnia ſine quibus illud explicari non poteſt, *cap. præterea, Extrau. de Offic. Deleg.*

Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis: *cap. 42. acceſſorium.* Quia magis dignum trahit ad ſe minus dignum, *cap. quod in dubijs Extr. de Conſecr. Eccl.*

Qui tacet conſentire videtur: *Cap. 43. qui tacet.* Quia ille cuius eſt prohibere, non prohibendo, quando poteſt & debet, videtur approbare, *cap. ſi ſeruus. Diſt. 54.* Differt hæc Regula à ſequenti, quia hæc agit de con-

ſenſu, ſequens de confeſſione criminis obiecti &c.

Is qui tacet non fatetur, ſed nec vtique negare videtur: *cap. is qui*. Quia tacere eſt aliqud medium inter affirmare & negare: ſicut inter album & nigrum, eſt aliquod medium, eſſe fuſcum aut pallidum. Hęc regula deſumpta videtur ex iure ciuili infrà.

Inſpicimus in obſcuris quod vero ſimilius eſt, vel quod plerumque fieri conſueuit *cap. 45. inſpicimus*. Quia vbi ex verbis, aut alijs indicijs non ſatis apparet quid actum ſit, id cenſetur actum eſſe quid plerumque fieri conſueuit, vt in contractibus &c. Hæc etiam Regula traditur in iure ciuili.

Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur: *cap. 47. præſumitur*. Quia ea quæ in facto conſiſtunt poſſunt probabiliter ignorari, niſi factum ſit publicum, vel res ſit quem alter ſcire tenetur, & tunc præſumptio eſt contra illum qui ignorantiam ſuam allegat. Hinc dicitur ignorantia facti, non iuris excuſare: quia notitia iuris publici præſumitur in foro externo, *cap. innotuit de Extr. de Elect.*

Locupletati nemo debet cum alterius iniuria, vel iactura: *cap. 48. locupletari*. Dicitur enim dolo malo facere, qui ex aliena iactura lucrum quærit, *in Lib. naturaliter ff. de cond. Indeb.* Notat tamen hic Gloſſa, Regulam iſtam locum non habere, in vſu capione, & præſcriptione; ne dominia rerum ſint incerta.

In pœnis benignior eſt interpretatio facienda: *cap. 49. in pœnis*. Quia pœnæ ſunt odioſę, *Lib. reſpiciendum, ff. de pœnis*: odioſa autem ſunt reſtringenda, iuxta aliam regulam iuris. Et ideo in pœnis liquida debet eſſe probatio vt incurrantur: proinde in pœnis numquam defertur iuramentum in defectum probatis: *Baldus in Lib. 1. cap. 1. de his*.

Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem; *cap. 50. actus*. Hoc eſt, actus legitimi, qui non recipiunt die vel conditionem, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adiectionem, vt in textu, *& Lib. actus ff. eodem*. Contractus enim primò, & per ſe conditione recipiunt.

Semel Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum: *cap. 51. ſemel*. Intellige, non eſſe transferendum in eadem forma, vt gloſſa hic, nam ad opera pia, vel vrgentia debita, poſſunt calices, & vaſa alia Eccleſiaſtica vendi etiam Laicis, ſacris tamen abdicata, conflata: & minuta, *cap. hoc ius. 10. Quæſt. 2.*

Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum: *cap. 52. non præſtat*. Quia quæ contra ius fiunt, debent regulariter pro infectis haberi: *Lib. non Dubium. cap. de Legibus*. Et ideo actus à iure damnatus non impedit, alium actum validè faciendum.

Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus: *cap. 53. cui licet*. Scilicet, quando id quod eſt minus continetur ſub maiori.

Qui prior eſt tempore, potior eſt iure, *ca. 54. qui prior*. Intellige, cæteris paribus: & ſic in rei venditione prefertur ille cui res primò tradita fuit, non qui prius emit.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & contra: *cad. 55. qui Sentit*. Quia alias melior videretur eſſe conditio negligentis, quam laborantis: *cap. 1. Extrau. de ſepult.*

In re communi potior eſt conditio prohibentis: *cap. 56. in re*. Scilicet, quando res eſt indiuiſa: & ideo ſi habeo fundum tecum communem, & tu velis in eo ædificare domum, ſi ego, id prohibeo, potior eſt mea conditio iudicanda, *vt hic in textu*.

Contra eum qui legem dicere potuit, apertius, eſt interpretatio facienda: *cap. 57. contra eum*. Quia ſibi imputare debet ſi clarius non eſt locutus, & ſi in dubio verba contra eum intelligantur, vt in textu: Et *Lib. in contrahenda, ff. eodem*.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum: *cap. 58. Non eſt*. Quia iuramentum non eſt inſtitutum vt ſit vinculum iniquitatis: *cap. inter cætera 22. Quæſt. 4.*

Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum: *cap. 61. quod ob gratiam*. Intellige, de eo quod conceditur per priuilegium motu proprio Principis, non autem petitione impetrantis: *Gloſſa hic*.

Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit obligat *cap. 62 nullus*. Quia nemo tenetur alterius conſilium ſequi, ſed conſulens relinquit illi deliberationem.

In pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis: *cap. 65. in pari*. Quia duo vincula magis ligant quam vnum: *cap. 1. Extr. de treuga*.

Poteſt quis per alium, quod facere poteſt per ſeipſum: *cap. 68. poteſt* Quia effectus magis eſt inſpiciendus quam modus: *ad Lib. 3. Baldus*. Intellige niſi ad agendum electa fuerit ipſius perſonæ induſtria.

In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari:

uari. *cap. 69. in malis.* Quia fides data, non debet eſſe vinculum iniquitatis, vt ſupra dictum de iuramento.

In alternatiuis, debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri: *cap. in alternatiuis*. Quia in alternatiuis, ſcilicet hoc, vel illud, verificatio fit in vno eorum: *Decius in d. §. vbi.* Intellige in alternatiua dandi vnum vel alterum: In alternatiua verò accipiendi electio eſt accipiendis, & creditoris: *Lib. ſi ita, ff. de contractu Erupt.* In pœnis autem alternatiuis electio eſt rei: *Baldus in Lib. quicumque.*

Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus: *cap. qui ad agendum.* Quia in actione proceditur ad rei acquiſitionem, in exceptione agitur contra alterum ad rei retentionem, retentio autem à iure facilius conditur, quam acquiſitio: *Lib. per retentionem, cap. de vſuris.*

Factum legitimè, retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo inchoari non potuit: *cap. Factum*. Quia in actibus præcipuè ſpectatur initium *Lib. cum filius, §. hæres, ff. de Legat. 2.*

Fruſtra fidem ſibi quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat: *cap. Fruſtra.* Intellige circa idem factum. Quia qui aliquid promiſit, & non præſtat, videtur recedere à conditione ſub qua alter ipſi promiſiſſe cenſetur: *Lib. cum proponas, cap. de Pact.* Locum tamen non habet regula, vbi contrahentium ex iure eſt diſpar conditio, vt ſi contrahas cum pupillo ſine auctoritate tutoris, poteſt ille à contractu reſilire, tu vero illi prſtare teneris: quia talis contractus mutuus in iure dicitur claudicare: *Lib. Iulianus. §. ſi qui.*

Delictum perſonæ, non debet in Eccleſiæ detrimentum redundare: *cap. 76. delictum.* Quia Prælatus delinquendo non repræſentat Eccleſiam, *vt in textu* Intellige, niſi Prelatus delinquant cum conſenſu Capituli Eccleſiæ, *gloſſa hic.*

In argumentum trahi nequeunt, qua propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa: *cap. in argumentum.* Quia deſinente neceſſitate non eſt ſimilitudo in totum: *cap. quod pro remedio, 1. Quæſt. 7.* Vbi tamen recurrit neceſſitas eadem, vel maior, poteſt in argumentum trahi: *gloſſa hic.*

In generali conceſſione non veniunt ea quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, *cap. 81. in generali*. Talia cenſentur eſſe quibus concedens difficulter poteſt carere, vt ſunt inſtrumenta artis. &c. Quia quando talia ſpecialiter non memorantur, cenſentur ſponte omiſſa, *Lib. item §. hoc edictum, ff. de Iniur.*

Qui contra iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere: *cap. 82. Qui contra.* Quia qui ſic mercatus eſt, vel ſciebat prohibitionem iuris, vel eam ignorabat: Si ſciebat, planum eſt quod mercatus ſit mala fide contra ordinem iuris: ſi ignorabat, tunc etiam mala fides præſumitur, quia ignorantia iuris non excuſat in foro externo, ſed bene ignorantia facti: *Lib. ſi Fur. ff. de vſu cap.*

Cum quid vna via prohibeatur ali cui, ad id alia non debet admitti: *cap. 84. cum quid.* Quia intentio legis eſt; quando aliquid prohibet, vt ad illud nullo modo perueniatur. Intellige, niſi res prohibeatur principaliter ne certa via, aut modo obtineatur, tunc poteſt alia via admitti. Sic Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ à iure alligatus, ad aliam non eligitur, ſed bene poſtulatur: *cap. Finali. Extr. de Poſtulat. Prælat.*

CAPVT III.

Auctores in Ius Canonicum.

PAuli Lancelotti, Corpus Iuris Canonici, anno 1587.

Ioannes à Turrecremata, Commentarij in Decretum, vol. duo, anno 1555.

Petri Tholoſani, Opera in ius Canonicum *Petri Alagonæ* compendium.

Andreæ Valleſis, Summarium Decretalium D. Gregorij IX in 4. anno 1645.

Auguſtini Barboſa, de officio, & poteſtate Epiſcopi, in fol. anno 1628. eiuſdem, de Iure Eccleſiaſtico vniuerſo in fol. anno 1634. De Canonicis & dignitatibus, in 4 anno 1634. De Parocho, Canonicis &c. anno 1640. Summa Deciſionum Apoſtolicarum, in folio anno 1646.

Bartholomæi Garanzæ, Ord. Prd. Summa Conciliorum, in 8. anno 1639.

Aſcanij Tamburini, de Iure Abbatum, Tomi 3. anno 1640.

De Iure in omni foro frequentiori, Tomi 7. anno 1623.

Didaci Couarruuiæ, Opera iuris varia, anno 1583

Franciſci Zipæi Belgæ, Ius Pontificium nouum, in 8. anno 1620. Eiuſdem Notitia Iuris Belgici in 4. Conſultat Canonicæ, in fol. Reſponſa, & de Iuriſdict. in fol. Enarratio analytica Iuris Pontificij, in 4. anno 1641.

Caroli à Marſfeld, Caſtra Dei, ſiue praxis Caſuum pro militia, in 4 anno 1642.

Ioannis Antonij Maſſobri, Praxis de concurſu ad Parochias, in 4. anno 1626.

Proſperi Fagnani, Iuris Canonici Opera recentia.

Ioannis a Bokier, Commentaria ad Regulas Cancellariæ, in 4. anno 1621.

Ioannis Franciſci Leonis, Theſaurus fori Eccleſiaſtici, in 4. anno 1605.

Ioannis VVameſij, Conſilia de Iure Pontificio, Louanij, in fol. anno 1643.

Nicolaus Garcia, de Beneficijs, in fol. anno 1618.

Raphaelis de Turri, de Cambijs, in fol. anno 1645.

Oliuerij Beltramini, Deciſiones Rotæ Romanæ, in 4. anno 1623.

Petrus de Marca, de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, in 4. anno 1641.

Saluſti Tiberij à Corneto, Formularium inſtrumentorum, in 8. anno 1626.

Thomas del Bene, de immunitate Eccleſiaſtica, in fol. anno 16,0.

Theſaurus Communium Opinionum in fol. anno 1684.

Concilium Trid. cum declarationibus Cardinalium, ex recognitione. *Ioannis Gallemont* &c. in 4. Ant. anno 1633.

Roberti Bellarmini, Declar. Card. de eodem Concilio Trid.

Synodus Antuerpienſis, in 8. anno 1610.

Synodus Prouincialis Mechilienſis, in 4. anno 1680.

Pauli Layman, Societ. Ieſu, Ius Canonicum illuſtratum Tomis duobus, Dilingæ anno 1673.

CAPVT IV.

De Notitia totius Iuris Ciuilis, eiuſque Partibus, Ordine, Materia, & citandi methodo.

IVs ciuile ſeu Cæſareum à Republica Romana inchoatum fuit, & proceſſu temporum ab Imperatoribus præſertim Iuſtiniano Seniore auctum, & in eundem qui modo exſtat ordinem redactum eſt. & dicitur Corpus Iuris Ciuilis, quatuor partibus conſtat, ſcilicet: Inſtitutis, Digeſtis, Codice, & Authenticis ſeu Nouellis.

Prima pars (quæ dicitur *Inſtituta*) continet quatuor libros inſtitutionum, quæ ſunt velut quædam Iſagoge: ſeu introductio ad ſtudium iuris Ciuilis, ſoletque citari per peragraphos, & Titulos v. g. §. *Singulorum*, inſtitutis de rerum diuiſione.

Secunda (quę dicitur *Digeſta*, ſeu Pandectę) complectitur 50. libro Digeſtorum, quorum 24. Priores vocantur Digeſtum vetus complectens leges antiquiores, in Titulus, & ordinem Digeſtas: 14. Sequentes dicuntur Digeſtum infortiatum, quod aliqui ſic dictum volunt, quia verſatur circa fortuitas Succeſſiones, quæ per mortem, & vltimas voluntates obueniunt, alij aliter: reliqui 12. dicuntur Digeſtum nouum. Digeſta ordinariè ſignificantur per duplex F. cuius ratio communiter adfertur quod à duobus Fridericis Imperatoribus Patre, & Filio collecta ſint. Sępe etiā ſignificantur per magnum D. vt patet ex corpore iuris. Subinde etiam ſignificantur per Litteram Græcam Π. Maiuſculam, quæ eſt initialis vocis Græcæ Pandectæ, id eſt, omnia complectentes. Citantur autem per initium vel numerum Legis addito ly *Digeſtis*, hoc modo: lege iuris (vel Lege 1.) Digeſtis de iuſtitia, & iure. Subinde etiam vtrumque indicatur, nempe initium, & numerus legis hoc modo: lege *Iure* 1. Digeſtis &c. quod ſi lex aliqua ſit Paulo Longior addi ſolet §. legis. Si quando non exprimitur ex qua parte corporis Iuris deſumpta ſit lex, quæ allegetur, cenſetur ſumpta ex Digeſtis.

Tertia pars (ſiue *Codex*) continet 12. Libros legum recentiorum, quibus ſubinde colligantur leges antiquiores Digeſtorū Significatur per Maiuſculam C. citatur eodem modo, quo Digeſta, niſi quod pro ly Digeſtis ponatur ly Codice. V. G. lege *cunctos* (vel lege 1.) Codice de ſumma Trinitate.

Quarta Pars (quę dicitur *authentica* ſeu Nouellę) eſt velut appendix ad codicem continet que Conſtitutiones alias etiam Cæſareas, diuiſas in collationes nouem, quæ quia alijs recentiores, appellatæ ſunt Nouellæ. Vocantur etiam Authenticæ, non quod maioris ſint auctoritatis, quam aliæ leges Codicis, ſed vt diſtinguantur à quodam illarum compendio olim euulgato. Significantur per Maiuſculam A. vel N. Litteras initiales, citantur hoc modo: lege *per occaſionem* A. vel N. de nuptijs. Vel ſic A. vel. N. 22. lege, *per occaſionem*.

Prę̨ter hęc ad calcem Autenticarum in corpore iuris ſubduntur varia extra ordinem. 1. Aliquot edicta Iuſtiniani. 2. Variæ Conſtitutiones poſteriorum Imperatorum 3. Libri aliquot de feudis. 4. Conſtitutiones Friderici II. Imperatoris, & Henrici VII.

Hæc

Hæc omnia eodem ordine in Iuris Ciuilis Corpore continentur. In cuius ſingulas Partes quinam præcipuè Auctores ſcripſerint, ad finem capitis ſequentes declaratur, vt & facile cognoſci, & cum delectu adiri, aut pro rei exigentia comparari poſſint.

CAPVT V.

Regulæ Iuris Ciuilis generaliores, ex corpore Iuris hic in vnum ſelectæ.

CVm hæ Regulæ plurimùm iuuent in omni materiam tam Ciuili quam Thologica per modum principiorum ad formandum Reſolutione particulares, per commodum erit eas hic ſimul, tamquam aliquod Iuris Ciuilis Compendium, in promptu habere, quarum expoſitio paſſim in ipſo iure prolixius reperitur.

Regula eſt, quæ rem breuiter enarrat, non vt ex regula ius ſumatur, ſed ex ipſo iure regulat fiat; Tales ſunt Regulæ ſequentes.

Fæminæ ab omnibus officijs ciuilibus, vel publicis remotæ ſunt. Vt ſunt officium Iudicis, Magiſtratus, vel procuratricis ageret *Vlpianus*. Scilicet ex apicibus iuris: poſſunt enim locum habere in iudicio voluntariæ iurisdictionis, & procurationis pro Monaſterio, & in fauorem pupilli, vel minoris &c. Item ratione iuris hæreditarij, conſuetudinis, & ex priuilegio Princis: *Ita Barthol. hic cum gloſſa.*

Impuberes ob omnibus officijs ciuilibus debent abſtinere. Scilicet, ob iudicij immaturitatem. Idem eſſe de officijs Eccleſiaſticis patet ex *cap. indecorum, &c* poteſt tamen pupillus habere beneficium in Eccleſia, ſed vocem ſiue ſuffragium dare non poteſt, *cap. ex eo, de elect. in 6.*

Eius eſt nolle, qui poteſt & velle: *Vlpianus*. Hoc eſt, illius eſt prohibere, cuius eſt imperare. Quia non cenſetur in aliqua cauſa ſilens, niſi qui poteſt in ea loqui.

Velle non creditur, qui obſequitur voluntati Patris, aut Domini: *Vlpianus*. Quia non præſumitur velle cum libertate in iudicio requiſita, ſed potius ex timore aut amore.

Non vult heres eſſe, qui ad alium transferre voluit hæreditatem: *Vlpianus*. Transferre hic intelligitur de totali addicatione legitimè declarata, vt habet gloſſa.

Iura ſanguinis nullo iure Ciuili dirimi poſſunt: *Pomponius*. Quia ius & vinculum naturę à lege humana non dependet.

Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur: *Vlpianus*. Quia de minimo facilius præſumitur, ſiue in voluntate donandi, ſiue infligendi pœnas.

Secundùm naturam eſt, commoda cuiuſque rei eum ſequi, quem ſequantur incommoda: *Paulus*. Quia à ratione alienum eſt rei eiuſdem alium habere commoda, alium incommoda ſuſtinere, cùm propter ſpem commodi rei incommoda ferantur.

Id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. Per factum etiam ſimplex voluntas intelligitur, nam voluntas eſt animus facti. Excipe hinc, niſi ex cauſa poteſtas publica rem alienam transferat.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur: *In Liberum qui calendas, §. quoties, de Verb. Sign.* Intellige, niſi dies alius, ratione loci, tacitè intelligatur.

Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur: *Paulus*. Quia poſſidet ſaltem ius ad rem legitimè habendam.

Imaginaria venditio non eſt, pretio accedente. Scilicet, quia pretium arguit contractum venditionis.

Cùm tempus in Teſtamento adijcitur, credendum eſt pro hærede adiectum: niſi alia mẽs fuerit teſtatoris. Quia in interpretatione Teſtamenti iura fauent hæredi, & debitori.

Non ſolet doli exceptio nocere his, quibus voluntas teſtatoris non refragatur; Quia, niſi in tali etiam voluntate ſiſteretur, Teſtamenta eſſent nimium litibus obnoxia.

Quoties dubia eſt interpretatio libertatis, ſecundùm libertatem reſpondendum erit. Ideſt, pro libertate.

Non debet cui quod plus eſt licet, quod minus eſt non licere: Quia in maiori minus intelligitur.

In perſonam ſeruilem nulla cadit obligatio, Scilicet ciuilis, ſed benè naturalis.

Quatenus cuiuſque interſit, in facto, non in iure, conſiſtit. *Quatenus*, id eſt, quantum.

Plus cautionis in re eſt, quàm in perſona; *Cautionis*, id eſt, ſecuritatis, rem habere ſibi deuinctam, quàm actionem in perſonam.

Qui poteſt inuitis alienare, multò magis ignorantibus & abſentibus. Quia, niſi alterius conſenſus requiratur, ignorantia, & abſentia eſt impertinens.

Quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere.

Nuptia non concubitus, ſed conſenſus facit.

Nihil tàm naturale eſt, quàm eodẽ genere quodque diſſoluere, quo colligatum eſt. Ideoque verborum obligatio verbis tollitur, nudi

conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſoluitur; Sed non in matrimonio, vel quando hæc ſunt vergentia in præiudicium tertij.

Culpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti: Et pari ratione, medico imperitia imputatur; *Lib. illicitas, §. ſicuti, ff. de Offic. præſidis.*

Quod fit intuitu pietatis dicitur ad facientem pertinere, *Lib. non tantùm, ff. de Appel.*

Nemo, qui condemnare non poteſt, abſoluere poteſt.

Sicut pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debet, ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum perueniſſet.

Furioſi, vel eius, cui bonis interdicitur, nulla voluntas eſt.

In re obſcura melius eſt fauere repetitioni, quàm aduentitio lucro. Scilicet quando agitur damno euitando.

Qui in alterius locum ſuccedunt, iuſtam habent cauſam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur.

Nemo ex his, qui negant ſe debere, prohibetur etiam aliam defenſione vti, niſi lex impediat.

Priuatorum conuentio iuri publico non derogat. Hoc enim potius cenſetur.

Quod à quoquam pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur. Scilicet in foro contentioſo, contrarium eſt in foro conſcientiæ.

Conſilij non fraudulenti nulla obligatio eſt ſed cum dolo actio competit.

Socij mei ſocius, meus ſocius non eſt; ſcilicet in obligatione iuris: ſicut vaſallus vaſalli mei, non dicitur vaſallus meus: *ita gloſſa*.

Quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius rerum eſt, quàm ſi perſeuerātia apparuerit indicium animi fuiſſe. Ideoque in breui reuerſa vxor, nec diuertiſſe videtur.

Culpa caret qui ſcit, ſe prohibere non poteſt. Vnde in iure excuſatur ſeruus, qui Domino opem ferre non potuit.

Non videtur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alteri reſtituere: *Capere* i. occupare vt ſuum.

Nemo plus iuris ad alterum transferre poteſt, quàm ipſe habet.

Nullus videtur dolo facere, qui ſui iure vtitur.

Semper in dubijs benigniora præferenda ſunt: Item. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus iuſtius, quàm tutius eſt, *& paſſim in Lib. 1. benignius, Lib. 1. ſi fuerit &c.*

Bona fides non patitur, vt bis idem exigatur

Hinc, licèt plures obligati ſunt in ſolidum, vno tamen ſoluente, omnes liberantur.

Ex pœnalibus cauſis non ſolet in patrem de pecûlio actio dari; Intelligere: Niſi quatenus factus eſſet locupletior.

Hæredem eiuſdem poteſtatis iuriſque eſſe, cuius fuit defunctus, conſtat. Vtpote quodammodo eadem perſona cum defuncto.

Domum ſuam reficere vnicuique licet, dum non efficiat inuito alteri. In quo ſcilicet ius non habet, vt fit inuitus. Sæpe enim inuito altro licet reficere, v. g. ſynagogam, etſi non liceat ædificare.

Qui ſine dolo malo ad iudicium prouocat, non videtur moram facere; Scilicet, ſatisfaciendi, modò iuſtam cauſam habeat litigandi.

Ea, quæ rarò accidunt, non temerè agendis negotijs computantur; Quia de rarò accidentibus regulariter nulla ratio habetur apud legislatorem.

Inuito beneficium non datur: Item, Nemo creſcere cogitus inuitus. Quia acceptatio eſt conditio ad hoc requiſita, ne iura ſint incerta.

Nemo poteſt gladij poteſtatem ſibi datam, vel cuiuslibet alterius coercitionis ad alium transferre; Quia ad hoc eligitur qualitas talis perſonæ.

Omnia quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt; Scilicet in his, quę plenam cauſę cognitionem deſiderant, non quæ ſemiplenam.

Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei, quem in ſuis hæredibus, cum moritur, habuerit, habituruſue eſſet, ſi vixiſſet.

Quæ in Teſtamento ita ſcripta ſunt, vt intelligi non poſſint proinde ſunt, acſi ſcripta non eſſent.

Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius iniuriam.

Actus legitimi, qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti emancipatio, hęreditatis aditio &c. In totum vitiantur per temporis vel conditionis adiectionem.

Fraudis interpretatio ſemper in Iure Ciuili, non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.

In toto iure generi per ſpeciē derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciē directum eſt; quia hoc eſt magis determinatum.

Quę dubitationis tollēdę cauſa cōtractibus inſeruntur, ius commune non lædunt; Quia voluntas priuata non præiudicat iuri publico.

Donari videtur, quod nullo modo cogente conceditur.

Nouum non eſt, vt quæ ſemel vtiliter conſti-

ſtituta ſunt, durent, licet ille caſu ex titerit, à quo initium capere non potuerunt.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, vbi nulla petitio eſt.

Si librarius in traſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet nihil noceret, quo minus, & reus, & fideiuſſor teneatur.

In ambiguis orationibus maximè ſententia ſpectanda eſt eius, qui eas potuliſſet.

Quoties vtriuſque cauſa lucri ratione vertitur, is præferendus eſt, cuius in lucro cauſa tempore præcedit. Item, qui prior eſt tempore potior eſt iure.

Vbicumque cauſæ cognitio eſt, ibi Præter deſideratur. 1. iudex.

Ferè in omnibus pænalibus iudicijs ætati, & imprudentiæ ſuccuritur.

In eo, quod plus ſit, ſemper ineſt minus. Vt, qui donat vineam, intelligitur etiam donare fructus eius.

In obſcuris inſpici ſolet quod veriſimilis eſt, aut quod plerumque fieri ſolet; Quia conſuetudo eſt interpres ſermonis, vbi alias non datur.

Non videtur conſentire, qui errat *ex l. ſi per errorem.* Quia nemo vult quod ignorat.

Refert ad vniuerſos, quod publicè fit per maiorem partem, *idem in l. quod maior ff. ad Municip.* Quia maior pars repręſentat ſingulos.

Non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt.

Capienda Occaſio eſt, quę Prębet benignius reſponſum. Scil. Occaſio non illicita.

Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt; Quia lex naturæ præualet legi humanæ.

Priuilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ, & ideo quædam ad hęredes traſmittuntur, quæ perſonæ ad hæredes non tranſeunt.

Cum de lucro duorum quæritur, melior eſt cauſa poſſidentis. Item, in pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet. Item, vbi res dubia reperitur, melior eſt conditio poſſidentis *Gl. in C. null. dubium &c.*

Qui dolo deſierit poſſidere, pro poſſidente damnatur, quia pro poſſeſſione dolus eſt. Hoc ex diſpoſitione iuris, ne pateat fraudibus locus.

Bona fides tantùm poſſidenti præſtat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt. Hinc fit, vt rem, quam putat ſuam, etſi dubiè, iuſtè defendat.

Nemo ex ſuo delicto meliorem conditionem ſuam facere poteſt.

Quo contra rationem iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentias.

Qui tacet, non vtique fatetur, ſed tamen verum eſt, eum non negare.

Nemo fraudare videtur eos, qui ſciunt, & contentium: Quia ſibi imputare debent.

Iure naturæ ęquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem *Lib. non hoc ff. de Condict.* Et hinc non tantùm res furtiua, ſed etiam fructus, ex ea percepti, reſtitui debent.

Qui de his & reliquo iure fuſius tractarunt, Scriptores ſelectos ad maiorem notitiam, & delectum hic commode annectemus.

Auctores in ius Ciuile.

IN Corpus iuris Ciuilis, Commentaria ſiue Notas ex antiquioribus ſcripſit *Baldus* anno 1540. vti & *Bartolus*.

Franciſcus Accurtius etiam edidit Corpus iuris cum Commentarijs, anno 1627. *Hugonis Donelli*, Commentario iuris To. 1. anno 1622.

Petrus Rebuffus, in 4. primos libros Pandectarum Titulum Digeſtorum: in conſtitutiones Regias anno 1613.

Auguſtini Barboſa, Luſitani, varij Tractatus iuris vtriuſque anno 1631. plures in ius Canonicum, ſuprà.

Franciſci Zypæi, Belgæ; ius Belgicum; Eiuſdem, Iudex, Magiſtratus, Senator, anno 1633.

Pauli Criſtinæi Mecln, Deciſiones iuris Belgici in 6. partes anno 1661. Eiuſdem, in Leges Municipiales Mechlinienſium Notę dono. 1627.

Antonij Anſelmo Codex Belgicus 1644. item, in Edictum Principijs Alberti, anno 1656.

Andreæ Bouuens, de iure, iuſtitiæque vſu, & abuſu, in 4. anno 1654.

Dauidis Doringi Bibliotheca iuris conſultorum, Tom. 1. anno 1631.

Hippoliti Riminaldi Conſilia, Tom. 4. anno 1609.

Ludouicus de Molina, de Primogenijs Hiſpaniæ, anno 1634.

Petri Belluge ſpeculum Principum, an. 1655.

Nicolai Euerardi Conſilia, & loci communes argumentationum, anno 1577.

Ioachimi Hopperi Inſtitutiones Imperiales anno 1560.

Fernandus Vaſquis, de Succeſſionibus an 1619.

Franciſci Salgado Labyrintus Creditorum, anno 1653.

Valentini Forſteri Hiſtoria iuris Ciuilis Romani anno 1629. alijque.

CA-

CAPVT VI.

Philoſophiæ Vniuerſæ

Origo, Partes, & Ordo Materiæ.

PHiloſophia primùm in Græcia maximè celebris, & in varias Sectas diuiſa fuit. Inter has præcipui nominis fuere Stoici ſub Zenone, Academici ſub Platone, & Peripathetici ſub Ariſtotele. Demùm ſæculo poſt Criſtum decimo, & vndecimo, Philoſophia Ariſtotelica cæteris præualuit, & in Europæ Academijs ſæculo duodecimo paſſim florere cœpit; & in ijs hactenus tot ſæculis principatum tenet. Scola hæc Peripathetica progreſſu temporis diuiſa eſt in Reales, & Nominales, Reales in Thomiſtas, & Scotiſtas, ex opinionum in varijs quæſtionibus diuerſitate Noſtro æuo Doctrinam Peripatheticam multum impugnare cœpit Renatus Carteſius natione Gallus, cum ſuis aſſeclis, de quibus infrà Capit. 8. Hic igitur Philoſophiæ vniuerſæ partes, ordinem, ac materiam ex Ariſtotele in Scholis receptam ſub aſpectum proponemus.

LOGICA exordium ſumit ab Iſagoge Porphyrij, quæ agit præcipuè de Definitione, Diuiſione, & quinque vniuerſalibus in genere, & ſpecie, quæ ſunt: Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

Sequuntur Antepredicamenta, in quibus traduntur decem Prædicamentorum Regulæ, definitiones, Proprietates.

Deinde Poſt prædicamenta, quæ agunt de oppoſitis, vt ſunt: Oppoſita relatiuè, Contraria, Priuantia, & Contradictoria. Adduntur modi Prioris quinque, modi Simul tres, modi Habendi octo.

Libri de Interpretatione de, Nomine, Verbo, Oratione, & Enunciatione.

Libri Priorum, præcipuè de Syllogiſmo, & eius Principijs, Figuris tribus, & ſingularum Figurarum Modis, Conuerſione, ac defectibus Sylogiſmorum.

Libri poſteriorum, qui tractant de Scientia, Demonſtratione, Opinione, Modis per ſe &c.

Poſtremò, Libri Topicorum, & Elenchorum, Analyticorum, de varia ſede Argumentorum, Fallacijs & poteſtatibus Syllogiſmorum.

Hinc tota Logica tractat potiſſimùm, & dirigit tres Mentis operationes, apprehenſionem, iudicium, & diſcurſum.

PHISYCA continet primò, Octo Libros Phyſicorum, vt traditos ab Ariſtotele, de Principijs, Natura, & Arte, de Materia, & orma, de quatuor generibus Cauſarum, de Infinito, Continuo, Loco, Vacuo, Tempore, Motu &c.

Sequuntur Libro de Cœlo, & Mundo; Libri de Ortu ſiue Generatione, Elementis &c. Libri de Meteoris, igneis, aqueis, terreis, aeris: Libri de Anima vegeratiua, ſenſitiua, rationali de quinque ſenſibus, eorumque obiectis.

Subditur apud Ariſtotelem Hiſtoria Animalium, deque eorum partibus, actionibus, mirabilibus, per Capita viginti, & vnum. Hæc pars in Scholis non traditur, continet tamen tractatus ſcitu digniſſimos.

METAPHYSICA conſiderat ſpeculatiuè res vt ab omni materia abſtractas, agitque de Ente, Exiſtentia in ordine ad Deum, & creaturas earumque perſona, ſubſiſtentia, ſuppoſitalitate. Denique tractat Paſſiones Entis, Vnum Verum, Bonum. Cum his Ethicam tradunt aliqui, quam etiam tractauit Ariſtoteles libris Ethicorum, ſiue de moribus.

Curſu ille Philoſophicus in Scholis traditur paſſim per biennium, ſed in Hiſpania, & Italia, tractatu tardiori, totum illi triennium impeditur.

CAPVT VII.

Principia Scientifica.

Et Axiomata Philoſophia vniuerſa de compendium redacta, & elucidata.

VSus, & vtilitas horum Principiorum patet primò, quia ad perfectionem ſcientiæ Theologicæ ſatis conſtat aliquam Philoſophiæ noticiam prærequiri, ideòque hæc dicitur Theologiæ ancillari. 2. Quia hęc Principia plurimum illuſtrant intellectum in materia quauis ad diſcurrendum, diſcernendũ, & rem quamlibet penitùs intelligendum, 3. Quia Principia hæc ſunt veluti medulla quædam vniuerſæ philoſophiæ quæ, ob neruoſam, & dulcidam breuitatem facilè memoria retinetur, recolantur, & in quauis occaſione cum magna doctrinæ commendatione præ-

proferuntur; quod erit illis, quibus hęc ſcribimus, ſingulare ſubſidium. Sunt autem horum ſingula vel ad ipſe Philoſopho tradita, vel in Scholis communi conſenſu recepta, vt infrà in ſingulis iam patebit.

Actiones ſunt ſuppoſitorum. *Ita Ariſtoteles Lib. I. Metaphyſicorum Cap. I.* Senſus maximè receptus, & clarus eſt, Actiones denominatiuè tribui toti compoſito, ſiue indiuiduo, non ſoli parti, quæ actionem efficit. Sic corpore ægro, homo denominatur ægrotare; & anima intelligente, petus dicitur intelligere.

Actus prior, ſiue melior, eſt quam potentia. *Ariſtot. 9. Metaph. cap. 19.* qui exemplum ponit in ſanitate actuali, & poſſibili. Res enim tam phyſicè quàm moraliter tantò æſtimabilior eſt, quantò magis recedit à mera potentia: hinc etiam pluris fit aliquid actu dari, quàm promitti. Verum non eſſet axioma intellectum de potentia ſiue cauſa reſpectu actus, quem elicit: ſic enim motor melior eſt, quàm motus, quem efficit.

Abſtrahentium non eſt mendacium: *Ariſt. 2. Phyſycorum textu 18.* Sic concipimus animal in homine abſtrahendo in conceptu à rationali, & irrationali, quod ne de homine nec affirmamus nec negamus, & ideò non mentimur. Quod & in mortalibus locum habet, dum à rerum quas merè narramus, veritate abſtrahimus.

Omne bonum eſt communicatiuum ſui: *S. Thomas 3 p. q. I. Art I.* qui hinc probat conuenientiam Incarnationis Verbi diuini. Ratio phyſica patet ex inclinatione, qua creaturæ in ſe mutuo agunt, & alias ſibi aſſimilant, vt cùm non poſſunt ſuam ſubſtantiam indiuidualem, ſaltem ſuam ſpeciem cum alijs communicent. Quod etiam in bonitate morali locum habet, per bonorum, & virtutum ſuarum ad alios participationem.

Bonum eſt ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu: *S Thomas I 2. q. 18. art. 4. alijque.* Sic ſanitas omni ex parte optima, mala fit, dicitur ex vnius humoris intemperie: Valet frequenter axioma in materia Theologica, dum actus ex ſe bonus vitiatur vnica circumſtantia, quæ iit mala.

Bonum totius eſt etiam bonum partium: *S. Thomas I. 2. q. 92. Art. I.* Patet hoc tam in genere phyſico, quàm in genere moris. Quia quod totum abſolute perficit, idem etiam perficit ſingulas partes, ideòque hæ naturaliter appetunt bonum totius; quod explicat D. Thomas exemplo manus, quæ ictum à capite, & reliquo corpore propulſat.

Quid eſt, cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati: *Ariſt. 3. Phyſic. t. 30.* Quia cauſans ſiue producens cauſam dat illi potentiam, & vires naturales producendi ſuos effectus, & ſic eſt cauſa ſaltem remota iſtorum effectuum; ſicut ſol producens lumen, eſt cauſa remota caloris à lumine cauſati. Et ſic in genere moris ex eodem principio, mandans alteri patrare homicidium, eſt cauſa moralis iſtius homicidij, ideòque illi in Peccatum imputatur.

Cauſa ſecunda agit in virtute cauſę primę, *ex Ariſt. lib. 7. Metaph. cap. I. D. Thomas, Suarez, &c.* Tum quia cauſæ creatæ agunt per virtutem participatam à cauſa prima, tum quia operantur dependenter ab actuali eius in fluxu in qualibet actione.

Concluſio ſequitur debiliorem partem antecedentis, *Ita Phil. omnes.* Quia concluſio ęqualiter, & per modum vnius dependet à veritate vtriuſque præmiſſæ, ideoque eius veritas non poteſt eſſe certior, aut in ſe firmior quem ſit veritas præmiſſe debilioris: hinc ſi hæc ſit tantùm probabilis, & incerta, concluſio etiam talis erit.

Contrariorum contrariæ ſunt cauſæ, *Ariſt. 4. Meteor, Summ. 2. cap. 3.* Quia cum ſint oppoſita, requirunt oppoſitam, aut diſſimilem virtutem ſui productiuam. Quod intellige de cauſis per ſe, non de cauſis per accidens concurrentibus: neque de cauſis liberis, poteſt enim volitio, & nolitio eiuſdem obiecti, ab eadem voluntate ſucceſſiuè produci.

Contraria contrarijs curantur, *Ariſt. §. I. Problem 48.* Quia contraria ex eodem ſubiecto ſe mutuo expellunt: ideoque morbi frigidi curantur medicamentis calidis, humidi ſiccis, & contra. Quod etiam in vitijs animi locum habet, dum ſuperbię medetur humilitas, & ſic de ceteris.

Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, *Ariſt. I. de Cælo. Tract. 32.* Quia hoc aliquid imperfectionis importaret in effectibus per ſe, & ſecundùm totam ſpeciem: ſcilicet in ordina ad finem à Deo deſtinatum. Et quamuis nobis aliqua ſuperflua per accidens appareant, vt gibbus in homine, aut ſimilia, hæc tamen ipſa conducunt vt cęterorum operum pulchritudo magis appareat.

Non valet argumentum à non diſtributo ad diſtributum, *Phil. omnes*, Quia ſic terminus diſtributus ſiue vniuerſaliter ſumptus in conſequente, non contineretur adæquate in antecedente, ex quo tamen inferri debet.

Quæ eadem ſunt vni tertio ſunt eadem inter

ter ſe *Ariſt.* 6. *Topic. cap.* 1. Quia cum illud tertium ſupponatur eſſe vnum, neceſſariò vnum ſunt alia in ea ratione ſiue prædicato, in quo cum illo tertio identificantur: vt, ſi Animal, & Petrus in enunciando verè identificentur Homini, neceſſarium erit identificari inter ſe, & rectè dici, Petrus eſt Animal. Et in hoc principio euidenti Syllogiſmorum vis, & ratio conſiſtit. Habet etiam locum ſuum in genere moris, vt, qui coniuncti ſunt per charitatem cum Deo, etiam inter ſe per amorem coniugantur.

Entia non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate. Siue, Fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora. In *Ariſt.* 1. *Phyſ. T.* 50. *& de part. Animal. lib.* 3. *cap.* 4. fundatur hoc axioma, qui hoc modo proceſſit contra Antiquos qui plura rerum naturalium principia ſine fundamento poſuerunt: & multum eo pro ſua doctrina, quamuis diuerſa, vtuntur *Nominales* & *Carteſiani* recentius.

Eſſentiæ rerum conſiſtunt in indiuiſibili, *Ita Philoſop.* Quia nullum prædicatum eſſentiale poteſt ab alicuius rei eſſentia detrahi, vel illi addi, ſic vt eadem eſſentia maneat, & hoc ſenſu quæuis eſſentia conſiſtet in indiuiſibili: vt, ſi de homine neges rationale, vel riſibile, deſtruis totam eſſentiam hominis.

Finis eſt cauſa cauſarum, *Ariſt.* 2. *Phyſ.* T. 32. Quia intentio finis obtinendi mouet alias cauſas ad operandum pro fine obtinendo: vt, Roma videnda, mouet ad omnia itineris media.

Forma non generatur, neque materia, ſed compoſitum, *Ariſt.* 7. *Metap. T.* 16. Notant Interpretes cum D. Thoma *lib.* 7 *Met. Lect.* 7. *generari, & fieri* ab Ariſtotele hic ſtrictè omninò ſumi pro termino adæquato generationis, ſcilicet compoſito, latius verò ſumendo, formas etiam dici generari, cuius mentem probant ex eo, quod ſic procedat omne, quod generatur, & fit, conſtat materia, & forma, ergo ſi forma generatur, conſtabit etiam ex materia, & forma, & ſic quæuis alia in infinitum; Vnde infertur de ipſa forma in completa non agi, de hoc plura ex ſequentibus.

Forma dat eſſe rei, *Ariſtot.* 1. *de an.* T. 2. Quia forma materiam ex ſe indifferentem in certa ſpecie completa compoſiti conſtituit. Sic in re morali, actiones ex ſe indifferentes per intentionem agentis accipiunt certam ſpeciem virtutis aut vitij.

Forma prior eſt materia, & compoſito, *Ariſt.* 7 *Metap.* T. 7. Prior, id eſt, perfectior, vt Suarez, alijque, *D. Metap.* 15. *Sect.* 7. *num.* 7.

Formæ eſt mouere, *Ariſt.* 2. *Phyſ. T.* 12. Quia forma eſt principium motus intrinſecũ principale, vt docet D. Thomas *part.* 1. *q.* 77. *Art.* 1. *ad* 4. Et ſi communiter dicitur, formam mouere vt *quo*, ſuppoſitum verò vt *quod*. Motus hic non intelligitur tantùm localis, ſed etiam quęuis productiones affectionum, & diſpoſitionum, quę in ſuppoſito ab intrinſeco fiunt. Hinc etiam eſt aliud axioma Ariſtotelis: Dans formam, dat conſequentia ad formam, Scilicet in radice, virtualiter, vt explicat Suarez *Metap. D.* 16. *Sect.* 7. Porro Ariſtoteles agens de hac forma 2. de Anima Cap. 1. dicit eam per ſe ſubſtantiam eſſe, & entitatem conſtituentem ſpeciem compoſiti. *Dicimus*, inquit, *vnum quoddam genus eorum, quæ ſunt, ſubſtantiam: huius autem aliud quidem ſicut materiam, quod ſecundùm ſe quidem non eſt hoc aliquid: aliud entitatem formæ, & ſpeciem, ſecundùm quam tam dicitur hoc aliquid: tertium quod ex his.* Scilicet compoſitum.

Generatio vnius eſt corruptio alterius, *Ariſt.* 3. *Phyſ.* 73. Scilicet concomitanter, non formaliter, ſicut dum generantur vermes, corpus, ſiue cadauer corrumpitur; Et hinc oſtendit Ariſtoteles, quomodo res naturalis, & mundus poſſit in perpetuum conſeruari.

Poſteriora generatione ſunt priora perfectione, *Ariſtot.* 2. *Phyſ. V.* 66. Quia iuxta aliud axioma, Natura incipit ab imperfectioribus. Sic vir eſt poſterior puero, ſed perfectior; Intellige de effectibus in eodem genere, non diuerſo, nam accidens poſterius eſt generatione ſubſtantiæ, non tamen perfectius.

Grauia, & leuia mouentur à generante, *Ariſtot.* 3. *Phyſ. T.* 29. Quia Generans dat formam, & illa mediante dat grauitatem formæ propriam, & ſic generans non intelligitur mouere actu, ſed in quantum dedit potentiam ſe mouendi, ita Suarez *Met. d.* 13. *Sect.* 7.

Ad habitum à priuatione non datur regreſſus, *Ariſt. in poſt prædicamentis cap. d. oppoſitis.* Hoc eſt, formam iam habitam, & priuatione amiſſam, nemo naturaliter recuperare poteſt; Quia effectus ſemel corruptus, idem numero reproduci nequit, ſed benè idem ſpecie.

Ignoti nulla cupido, *S. Thomas* 1. 2. *qu.* 9. *Art.* 1 Suarez *Metap. Diſp.* 23. *Sect.* 7. Quia nihil volitum niſi quod cognitum, adeò, vt paſſim

ſim ad mittatur, nec quidem per Deum fieri poſſe, vt voluntas aut appetitus ab intrinſeco in rem incognitam feratur.

Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe ſcilicet idem ſecundùm idem: *Ariſtot. & ipſa Natura, Metap. T 9.* Vbi ait: hoc eſſe primum & certiſſimum omnium principiorum, & ad quod omnia reducantur. Et in eo neminem falli poſſe, clarè oſtendit Fonſeca 5. *Met. cap.3.Quæſt.1.*quod cuiuis euidentiſſimum eſt, præter Carteſium.

Infiniti ad finitum non eſt ratio, ſiue proportio, *Ariſt. 3.Phyſ.T.72.* Hinc, quando de infinito eſt ſermo, non valent rationes, & proportiones à finitis deſumptæ, quia ibi conceptus plenè alius formandus eſt; nec mirum, cùm plerique negent infinitum in quantitate aut numero eſſe poſſibile.

Intellectus abſtrahit à materia, *Ita Philoſophi paſſim.* Senſus eſt, intellectum cognoſcere per ſpecies abſtractus à rebus materialibus: itẽ intellectum ſæpe conſiderare tantùm vniuerſalia, & nõ ſingularia, & ſic à ſenſibus differre.

Magis, & minus non variant ſpeciem, *Ariſt. 2. Topic.* Quia magis, & minus non deſignant eſſentiam rei, ſed illius perfectionem accidentalem. Sic idem homo poteſt fieri magis vel minus calidus, non tamen magis vel minus homo; in eſſentialibus omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt paria.

Medium nobilius eſt exremis, *ſic Philoſophi.* Hoc præcipuè in moralibus locum habet: ſic virtus in medio conſiſtit inter exceſſum, & defectum. In phyſicis etiam compoſitum perfectius eſt elementis, ex quibus componitur.

Modus operandi ſequitur modum eſſendi. 2. Modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. 3. Modus prædicandi ſequitur modum eſſendi. *S.Thomas 1.p.Quæſt.12.Art.4.* Et deſumitur ex Ariſtotele varijs locis Senſus horum maximè clarus eſt, Modus operandi, cognoſcendi, & prædicandi conformatur eſſentiæ rei, quæ has operationes circa obiectum elicit nõ verò ipſi obiecto. Sic homo, quia exiſtit modo corporeo, operatur, & cognouit per actiones, & ſpecies deſumptas à materia, ſiue verſetur circa obiecta ſpiritualia, ſiue materialia: & è cõtra Angelus agit per actiones, & ſpecies ſpirituales, etſi verſetur circa obiectũ materiale

Motus eſt cauſa caloris, *Ariſt. 2. Calor T. 42. ex eo D. Th. c.* Intellige de calore, qui ſit in ipſa re mora. Quia per motum corporum ſit ſanguinis, aut ſpirituum commotio, & extentatio & inde calefactio: & hinc, quo corpus manet denſius cæteris, paribus eo manet frigidius.

Quidquid mouetur, ab alio mouetur, *Ariſt. 12 Metaph.T.27.* Ex hoc principio probat Ariſtoteles dari prium Motorem qui eſt Deus hoc modo; quiquid mouetur ſiue ſit ab alia cauſa mouetur, ſaltem accipiendo ab eo ſuum eſſe & virtutem ſui motiuam; atqui, in cauſis non datur proceſſus in infinitum; ergo datur primus motor, ſiue prima cauſa, qui eſt ſupremus omnium, Deus.

Natura determinatur ab vnum, *Ariſt. 2 Met. Tex. 3.* Vbi ait, irrationalem potentiam vnam eſſe vnius: ac proinde per naturam hic intelliguntur agentia neceſſaria, quæ ſunt ad vnum determinata, vt forma aquæ ad producendum frigus: non verò agentia libera, quæ poſſunt ſe determinare ad oppoſita.

Natura non deficit in neceſſarijs, nec abundat in ſuperfluis, *Ariſt. de Anim. T. 45* Locum habet in tota rei ſpecie, non in quolibet ſpeciei indiuiduo: hinc enim monſtra proueniunt, quæ dicuntur indiuidua toti ſpeciei extranea. Hinc etiam deriuatur principium, & documentum morale illud. *Ariſt. 1. de Cal. Tract. 34.* Natura delectatur pauciſſimis.

Ex neceſſario non niſi neceſſarium ſequitur, *Philoſophi paſſim, & explicat Fonſeca Lib. 6. Inſt. cap. 5.* Quod conforme eſt illi, *Ex vero nil niſi verum.* Si enim ex neceſſario per ſe ſequi poſſet contingens, quod poteſt eſſe falſum, hoc ipſo ex vero poſſet ſequi falſum.

Nihil agit indiſtans: *Ex Ariſt. 7. Phyſ. Tract. 9.* Hoc eſt, nulla cauſa producit effectum in loco à ſe diſtanti, niſi agendo prius per ſpatium medium, ſiue actuãdo medium, vt Philoſophi loquũtur. Rationem aſſignet Suarez de Angelis *lib. 4. cap. 3. n. 4.* quia omnia agentia creata ſunt limitatę virtutis, quod ſi poſſint producere effectum ſuũ in aliquam diſtanſtiam, non agendo per medium, poſſent illum producere in quamlibet diſtantiam, cùm per medium nihil virtutis conſumerent, quod tamen repugnat experientię Et ſecundùm hoc axioma admittendum eſt, dum ferrum trahit magnetem diſtantem, aliquid etiam per medium operari.

Nihil agit in ſeipſum: *Ariſt. 8. Phyſ. 4.* Hoc eſt, idem ſecundùm idem ſui non agit in ſeipſum, ſed bene idem ſecundùm vnam partẽ ſui agit in alteram partem; ſic dum aliquis ſe flagellat, manus agit in tergum eiuſdẽ hominis.

Nihil agit vltra ſua & ſpeciem *Philoſophicum S. Tho. communiter* Quia nihil dat alteri id quod ipſum non habet, ſic occulus non poteſt percipere ſonum, nec auditus colores.

Ex nihilo nihil ſit *Ariſtot. 1. Phyſ. textu 34.* Per hoc axioma Ariſtoteles volebat probare, modum fuiſſe ab æterno, cùm nihil præ extiterit, ex quo fieret. Sed ſenſus verus axiomatis

matis eſt, creaturã nihil poſſe efficere ex nullo præſuppoſito ſubiecto. Interim hinc Theologi præclare demonſtrant neceſſariò dari Deum, ſiue cauſam, primam, quia alioquin nihil fuiſſet poſſibile, cùm nihil incipiat à ſeipſo, ſiue producendo ſeipſum.

Opinari & exiſtimare non eſt in nobis: *Ariſtotelis 1. de Anima textu 153.* Hoc eſt, non poſſumus iudicando cuiuis obiecto propoſito aſſentiri aut diſſentire, ſicut poſſumus quidlibet imaginari, ſed tantum ijs, quæ nobis vera vel falſa apparent ſaltem ex motiuo probabili.

Quæ ordine intentionis ſunt priora, poſteriora ſunt ordine executionis: *S. Thomas 1. 2. Quæſt. 1. Artic. 4. in corpore, alijque.* Hoc intelligitur de cauſa finali, nam prius volumus finem quem media, ſed tamẽ media prius exequimur quàm finem obtineamus, ſic, dum intendimus obtinere ſanitatem, tãquam finem, medicinam prius adhibemus, & exequimur.

Poſſibile poſitum in actu nihil implicat: *Ariſtotelis 12. Metap. textu 3.* Hoc eſt, quod eſt in potentia, vt exiſtat, ſi ſupponatur exiſtere, nullum inde ſequitur impoſſibile: vt, ſi ſupponas infinitum actu eſſe poſſibile, nihil implicat illud exiſtere eo modo, quo ſupponitur eſſe poſſibile.

Fruſtra eſt potentia quæ non reducitur in actum; *Ariſtotelis de Cæli textu 32.* Hoc intelligendum eſt præcipuè de cauſis neceſſarijs; fruſtra in illis aſſerimus aliquam potentiam, quã nunquam experimur reduci in aliquem actum ſed locum non habet in cauſis liberis ſic non fruſtra habeo potentiam eundi in Æthiopiã, quamuis illam nunquam exequar: ſic etiam Deus non fruſtra habet potentiam producendi res merè poſſibile, & Syncategorematicè infinitas, quas tamen nunquam producet.

Non datur in rebus proceſſus in infinitum: *S. Thomas 1. par. quæſt. 87. Art. 3. ad 2. Suarez Metap. Diſp. 47. Sect. 11. alijque.* Ratio huius colligitur ex illo, quod ſuprà dictum eſt, *Quidquid mouetur, ab alio mouetur.* Et quia cauſæ creatæ ſunt virtutis limitatæ.

Propter quod vnum quodque eſt tale, & ipſum magis: *Ariſtotelis 1. Poſter. textu 5.* Hoc intelligitur de ijs, quæ ſuſcipiunt magis, & minus, vt, ſunt qualitates, vt, ſi lignum eſt calidum propter ignem, ipſe ignis debet eſſe magis calidus. Et ratio eſt, quia denominatio competit cauſato propter cauſam.

Quidlibet eſt, vel non eſt. *Ex Ariſtotelis 4. Metap. textu 26.* Volunt plerique, hoc eſſe abſolutè primum omnium principium, Suarez tamen *Metap. 3. Sect.* 3. vult prius, & notius eſſe illud, Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Cæterùm Ariſtoteles hoc principium vſurpat, vt probet, inter contradictoria nullum dari medium.

Quidquid recipitur per modum recipientis, recipitur: *Ita cum Philoſophis D. Tomas 1. p. Quæſt. 12. Art. 4.* Ex quo concludit, intellectum per ſe non eſſe capacem ad Deum clarè videndum, quia per ſe non habet proportionem ad talem viſionem. Itaque modus recipientis hic, eſt capacitas, diſpoſitio ſubiecti: & hinc fit, vt idem lumen longè alio; & perfectiori modo recipiatur in ſpeculum, quàm in parietem ſpeculo vicinũ, propter diuerſam vtriuſque recipientis diſpoſitionem.

Quidquid poteſt cauſa prima cum ſecunda, id poteſt ſola cauſa prima: *S. Thoma 1. 2. Quæſt. 51. Art. 4. in Cap. &c.* Hoc axioma maximè intelligi debet de cauſa efficiente, & de effectibus abſolutis, non verò relatiuis, vt ſunt aliqui modi, non enim poteſt à Deo produci vnio ſine ſuis extremis, neque hominis v. g. actiones vitales, & liberæ, modo vitali aut libero à Deo cauſari poſſunt, homine vitaliter non concurrente: quia in his ſingulis inuoluitur hæc repugnantia, eſſe vitalem & non vitalem, liberum & non liberum.

Simile non agit in ſimile *Ariſtotelis 1. de generatione textu 51.* Ratio redditur, quia agens vult aſſimilare ſibi paſſum, ergo ſi illud iam eſt perfectè ſimile, non aget; nam tunc ceſſat finis agendi, qui erat ſibi paſſum aſſimilare. Sic calidum vt quatuor non agit in ſubiectum, quod habet etiam quatuor gradus caloris, ſed penè in illud, quod habet tres gradus. Et in hac ratione fundatur aliud axioma, *Omnis actio eſt à proportione maioris inæqualitatis*: adeoque, vbi omnimoda æqualitas, ibi nulla actio.

Simile ſimili gaudet. Item: ſimilitudo eſt mater amoris: *Ariſtoteles in problemate 52. vel 47.* Sic coruus coruo homo homini, puer puero, lætus læto maximè iungitur. Ratio fundatur in naturali complexione, quæ, cùm varias habet propenſiones, magis fertur in aliam quam ſibi ſimilem inuenit, ſicut quiſque fertur in alia bona quæ naturæ ſuæ magis congruunt, quidlibet enim tendit naturaliter in ſui perfectionem.

Sublata cauſa tollitur effectus: *Ariſtotelis 2. Poſtph. textu 23.* intellige hoc potiſſimum de cauſa immediata, niſi alia cauſa conſeruans effectum immediatè ſuccedat. Sic, ſublato ſole, tollitur eius lumẽ aut calor, niſi ſuccedat immediatè alia cauſa conſeruans, aut cauſa prima ſe ſola conſeruet. In moralibus etiam axioma

ma locum habet: ſic, ſublatis meritis, tollitur gratia, & præmium eorum tantùm intuitu conferendum: ſublata obiecti bonitate cauſante amorem, tollitur etiam amor. Hic notat *D. Thomas*, & *Tpletus*, etiam poſito effectu poni cauſam per certam conſequentiam, nempe quod illius cauſa vel actu ponatur, vel poſita fuerit.

Subſtantia prior eſt accidente & tempore, & ratione, & cognitione: *Ariſtoteli 7. Metap. textu 3.* Prior eſt *Tempore*, quia ſubſtantia poteſt eſſe ſine accidente, non contra, ſaltem naturaliter. Quod ſi aliqua ſubſtantia ſit accidenti coæua, vt ſol ſuo lumini, hoc eſt per accidens ad naturam ſubſtantię. *Ratione* eſt prior, hoc eſt definitione, quia in definitione accidentis ſaltem in communi ponitur ſubſtantia, & vix accidens intelligitur ſine ordine ad illam. Et hinc prior eſt *Cognitione*, quoad ſe, ſiue ex ſua præſtantia: quamuis quoad nos, ſenſus prius deueniunt in cognitionem accidentium.

Supremum infimi eſt vel attingit infimum ſupremi: & infimum ſupremi eſt ſupremum infimi. *Axioma eſt commune Philoſophis teſte Rubio 2. de Angelis Quæſt. 7. Num. 67.* vbi illud pluribus explicat. Patet in omnibus, quæ inter ſe contigua ſunt & quę inter ſe certum ordinem includunt. Sic infimum cœli Saturni eſt ſupremum cœli Iouis, & imfimus ex Angelis, quoad ſubſtantiam, eſt ſupremus, reſpectu Hominis, & Homo, qui eſt infimus creaturarum rationalium, eſt ſupremus, reſpectu ſublunarium, & ab vtriuſque aliquid participat, cum Angelis intelligere, cum brutis ſentire.

Tempus omnia conſumit: *Ex Ariſtotelis 4. Phyſ. textu 117.* vbi ait: illa, que ſemper ſunt, non eſſe, nec contineri in tempore. Hæc locutio intelligenda eſt per ſynecdochen, continens pro contento: non quod ipſum tempus, quod conſiſtit in motu cœli aliquid conſumat, ſed quia hoc ipſo quo res tempore concluduntur, paulatim per ſe & contrariorum agentium violentia conſumuntur.

Totum omne eſt maius ſua parte: *Sic Philoſophi omnes.* Eſt hoc axioma per ſe notum: quia totum includit entitatem vnius partis, & inſuper partes reliquas. Hærent tamen Tyrones quando ſic obijcitur: Si quis haberet digitum inſtar magni trunci, pars illa, quæ eſt digitus, eſſet maior ſuo toto, ſiue illo homine, &c. Sed reſpondetur, digitus ille eſſet maior illo homine, ſpectato ſeorſim abſque digito, ſic conceditur: digitus eſſet maior toto homine ſpectato ſimul cum illo ſuo digito, ſic negatur: ergo & in hoc verum eſt axioma.

Tria ſunt omnia. *Ariſtoteles 1. de Cœlo textu 1.* Numerus Ternarius dicitur perfectiſſimus, quia in eo reperitur ratio principali, medij, & finis. Dicitur etiam *omnia*, hoc ſenſu, quia vt denominatio illa, *omnes*, vel *omnia* poſſit aliquibus conuenire, non ſufficit eſſe vnum vel duo, tunc enim dicimus ambo, non omnes rectè autem dicimus omnes tres. Rectè hoc vſurpatur de Trinitate in diuinis, quia illa eſt omnium inſtar, perfectione, virtute, bonitate, &c.

Natura abhorret à Vacuo *Ariſt. Sect. 8. Problem. 9.* Hoc eſt, corpora contingua diuelli ſe non patiuntur, niſi aliud intercedat quod impediat vacuum. Et hinc per canales erectos in motu anthiliæ ex puteo aqua extrahitur: & ſolles, obducto foramine, diduci ſe non patiuntur. Cauſa vlterior huius horroris refunditur in illud, *Nihil agit indiſtans*, de quo ſupra, quia agens creatum eſt limitatæ virtutis, adeoque debet in corpus proximum ſuam actionem deffundere.

Verum vero non eſt contrarium: *Ita paſſim Philoſophi.* Quod dicitur de *Vero*, accommodatur etiam *Bono* in genere virtutis, hoc modo: *Vna virtus alteri non eſt contraria*. Ratio de *Vero*, eſt, quia omnis veritas noſtra eſt participatio quædam veritatis æternæ, quæ eſt incommutabilis, quod inteligitur etiam de omni veritate reuelata: & hinc etiam omnis definitio Eccleſiæ de veritate, aut falſitate alicuius doctrinæ eſt irreuocabilis.

Violentum nullum eſt perpetuum: *Ariſtotelis 2. de cœlo textu 18.* Quia violentum eſt quod fit ab extrinſeco, paſſo reſiſtente; ideoque ſit contra naturam, cuius vires, cum ſint limitatæ nequeunt violentiæ perpetuæ reſiſtere. Intellige, niſi ab aliqua potentiore cauſa perpetuò conſeruentur, ſicut damnati in inferno in ſtatu violento in æternum permanebunt.

Dato vno abſurdo cętera accidunt: ſcilicet abſurda: *Areſtotelis 1. Phyſ. textu 10.* Quia in ſcientijs poſito vno falſo fundamento, & falſitate pro veritate admiſſa, plures falſitates ſequi neceſſe eſt, vt ſi admittas Filium in diuinis eſſe minorem Patre, cogeris etiam admittere illum non eſſe Deum, ab æterno, &c. Valet etiam in moralibus, vt ſi admittas hominem non eſſe in agendo liberum, admittes etiam non merreri pro virtutibus præmium, neque pro ſceleribus ſupplicium.

Vniuerſale aut nihil eſt, aut poſterius eſt ſingularibus: *Ariſtoteles de animâ, textu 8.* Vbi ait,

ait, Animal vniuerſale aut nihil eſt, apud poſterius: agens enim contra Platonem volentem vniuerſale, qua tale exiſtere à parte rei ante mentis operam: adeòque illud *poſterius* ſignificat, poſt mentis operam, vti exponit Toletus *textu 8. de anima*. Vnde etiam per *nihil*, tantùm intelligit nihil exiſtens ante ſingularia.

Vniuerſalia ſunt æterna, incorruptibilia, & immutabilia. *Eſt Philoſophis commune axioma, etiam apud D. Thomam 1. p. Quæſtion. 16. Art. 7.* Intellige, vniuerſalia eſſe æterna, & immuttabilia obiectiuè, ſiue in ſtatu exiſtentiæ poſſibilis, ſic homo eſſet ſemper vniuerſale, etſi nullus homo indiuiduo vnquam exiſteret: quia illud prædicatum ſpecificum, animal rationale, nullam ab æterno inuoluit contradictionem, ſiue repugnantiam in ordine ad actualem exiſtentiam.

TERMINI

Diſtinctionum Philoſophicarum

Pro alijs etiam Scientijs explicati.

DVplex eſt horum cum præcedentibus vſus, & vtilitas ſingularis. Primò *pro illis; qui ante ſtudium Theologiæ, aut Iuris, operam Philoſophiæ non nauarunt. Qui, ſi cum dialecticæ præceptis, horum ſingula inſtar Compendij ſæpè, & ſtudioſè recolant, nihil ſibi magnopere, quoad communem Philoſophiæ vſum, deeſſe experintur.* Secundò, *pro illis, qui Philoſophiæ à longiori tempore vtcumque ſtuduerunt, vt poſſint ſcientiam illam hoc breui Compendio recolere, & renouare. Et in hunc finem claram in his breuitatem ſectamur, ne ipſarum Diſtinctionum nimia diſtinctio Lectorem magis confundat quàm vtiliter inſtruat.*

(∴)

Abſolutè, & reſpectiuè. Abſolutè ſiue ſimpliciter, & ſecundùm quid. Eſſentialiter, & accidentaliter. Per ſe, & per accidens.

A*bſolutè* dicitur Res talis, quando in ſe habet naturam, vel accidens quod requirit talem denominationem: ſic homo dicitur abſolutè rationalis, & paries dicitur *abſolutè* albus. *Reſpectiuè* vero res dicitur talis, quando non habet in ſe tale quod diximus prędicatum, ſed tantùm ſic denominatur, ſi cum alia re compareatur: ſic vir paruæ ſtaturæ *reſpectiuè* dicitur magnus, ſi comparetur cum puero non verò ſi cum gigante.

Abſolutè aliquando idem eſt quod *ſimpliciter* quando ſine addito, aut limitatione poſt res denominari talis. *Secundum quid* autem res dicitur talis, quando vel ſecundum paruam ſui partem, vel tantùm cum addita parcicula reſtringente talis denominatur. Sic Ethiops non denominatur abſolute albus, ſed benè ſecundum quid, ſcil. dentes: & *Imago* hominis dicitur *homo* ſecundo quid, ſcil. ſecundùm ſolam repræſentationem.

Eſſentialiter dicitur aliquod prædicatum conuenire ſubiecto, ſine quo ſubiectum nec eſſe concipi poteſt, ſiue, quod ingreditur primarium rei conceptum, vt *rationale* reſpectu hominis. Illud autem dicitur *accidentaliter* conuenire, ſine quo res ſaltem concipi poteſt. ſiue, quod non eſt de primario conceptu illius quod in vnaquaque re eſt primum, & radicale fundamentum cæterorum prædicatorumquę in tali re inueniuntur, quo modo etiam viſibile tantum accidentaliter homini conuenit, etſi ſola ratione ab eius eſſentia diſtinguatur.

Per ſe id dicitur conuenire rei, quod ex natura ipſius rei conuenit, ſeu ex principijs intrinſecis. Sic v. gr. homini conueniunt *per ſe* omnia prædicata quæ ipſi ſunt eſſentialia, vel etiam propria quarto modo: & quæ neceſſario comitantur naturam v. g. eſſe natura ſua bipedem. *Per accidens* autem id conuenit rei quod conuenit ei accidentaliter, & non neceſſariò, ſeu quod conuenit ei quaſi caſu, & aliũde. Sic Logicus *per ſe* eſt Philoſophicus, per accidens autem eſt albus, pius, nobilis. *Per ſe* quandoque idem eſt, quod propter ſe, & ex profeſſo. *Per accidens* autem, idem quod propter aliud. Sic Logica *per ſe* agit de operationibus Intellectus, per accidens autem de ſignis, vocibus &c.

Res in actu & potentia. In Actu primo, & in actu ſecundo : In actu exercito, & in actoſignnato ; De potentia Dei ordinaria, & de potentia abſoluta : Adæquate, & inadæquate : Extenſiue, & intenſiuæ : Realiter, & intentionaliter. Poſitiue, & negatiue.

Actu eſſe res dicitur, quando de facto eſt extra ſuas cauſas, id eſt, quando à ſuis cauſis producta eſt vt exiſtat. Potentia, vel in potentia res dicitur eſſe, quę quidem non exiſtit, ſed tamen poteſt exiſtere, ſic Antichriſtus eſt potentia, etiam hodie.

Actus, primus, eſt ipſa potentia v. gr. videndi intelligendi &c. *Actus vero Secundus*, eſt actio elicita à potentia : vnde in actu *Primò* dicitur quis operari quando habet potentiam operandi, in actu verò *Secundo*, qui de facto operatúr. Sic dormiens dicitur videre vel diſcurrere in actu primo, tum verò videre vel diſcurrere in actu ſecundo, quando de facto aliquam viſionem aut argumentationem elicit.

Actus ſignatus dicitur, 1. Quando actus in propoſitione ſignificatur expreſſè, id eſt, quando expreſſis, & ſignantibus verbis dicitur talē actum competere alicui rei: Etiamſi ille actus in propoſitione illa, non exerceatur. *Actus vera exercitus* dicitur quando actus exercetur reipſa, etiamſi expreſſe ſeu ſignanter non dicatur exerceri, v.g. quando dicitur. Petrus eſt doctus : hic doctrina prædicatur de Petro in actu *exercito*, id eſt, actus prædicationis ſeu affirmationis de Petro vere exercetur. Quando verò dicicur de Petro affirmatur vel predicatur doctrina : Tum eſt actus ſignatus ; & doctrina de Petro prædicatur in actu ſignato, id eſt, ſignantibus verbis axprimitur quod actus prædicationis doctrinæ comperat Petro, quæ tamen prædicatio non exercetus in iſta propoſitione.

Sic etaim Superior aut Paſtor ſobrie, & caſte viuens contionatur ſuis *in actu exercito* de ſobrietate, & caſtitate. Quando autem verbis aut ſignis commendat Societatem concionatur de ſobrietate, & Caſtitate *in actu ſignato*.

Per potentiam Dei Ordinariam id dicitur fieri quod poteſt fieri ſecundum legem, & decretū ordinarium. Dei, quod ille ſtatuit ſeruare circa res creatas. Per *Potentiam vero Abſolutam Dei*, id dicitur poſſe fieri, quod abſtrahendo ab omni libero decreto Dei, & à curſu rerum Ordinario, à Deo poteſt fieri. Vnde per abſolutam Dei potentiam dicitur omne id poſſe fieri, quod non inuoluit contradictionem : Sic per potentiam Dei abſolutam, abſque omni ſtudio potes hodie Ariſtotelem doctrina Philoſoſophica ſuperare, non tamen de potentia ordinaria.

Adæquatè ſumitur res quando integrè, & totaliter accipitur. Sic homo adæquatè ſumptus eſt animal rationale. *Inadæquata* verò ſumitur res, quando ſumitur partialiter. Sic homo inadæquate conceptus, eſt animal, eſt phyſice ſolum corpus, vel ſola anima.

Realiter ſeu primò Intentionaliter ſumitur res, quando conſideratur prout eſt à parte rei, & non vt veſtita eſt quaſi extrinſece aliqua Intentione, ſiue conceptu circa eam verſante. *Secundò Intentionaliter* ſumitur res, quando res ſumitur ſimul cum cognitione, & tota ratio cur prędicatum ei conueniat eſt, quia circa rem præceſſit actus intellectus. Sic homo, & animal ſummuntur realiter, ſeu primo Intentionaliter, quando dico : Petrus eſt homo: Leo eſt animal. Sumuntuntur vero: Secundò Intentionaliter quando dico : Homo eſt ſpecies : Animal eſt genus : quia denominationem ſpeciei aut generis habent ratione conceptus generici aut ſpecifici.

Extenſiue, & intenſiue dicuntur potiſſimum de qualitate, aut quantitate : Extenſio enim qualitatis verbi gratia caloris tunc fit quando calor extenditur ac plures partes ſubiecti. Intenſio verò tunc ſit. quando in eadem parte ſubiecti ponuntur plures gradus qualitatis verbi gratia caloris, Gradus autem communiter aſſignantur octo : ita vt qui octo Gradus ver. gr. caloris habet, dicatur habere intenſiſſimum calorem. Sic manus calida vt ſex : eſt intenſiue magis calida quam totum Corpus calidum vt quatuor, ſed tamen extenſiue magis eſt calidum quam illa manus per ſe ſumpta.

Poſitiuè res dicitur aliqua talis, qiando in illa vere reperitur forma denominans. Sic mel dicitur dulce poſitiue, quia dulcedo vere eſt in melle. *Negatiuè* verò aliquid dicitur tale, quando caret ſolum forma contraria. Sic omne id dicitur heſſe dulce negatiue quod nō eſt amarum. Et puer dicitur probus negatiue qui nihil committit improbitatis.

Directè, indirectè: Directè, & reflexè: In recto, & in obliquo. In ſenſu compoſito, & diuiſo: Materialiter, & Formaliter. Specificatiuè, & reduplicatiuè. Formaliter, virtualiter, eminenter, radicaliter.

DIRECTE, id intendi dicitur in quauis actione quod primario,& ratione ſui intenditur. *Indirectè* verò, id quod tantum ratione alterius intenditur,& quaſi per accidēs. Sic Logica directè agit de operationibus intellectus: indirectè vero de ſignis vocibus &c. Item in moralibus, directè dicitur intendere homicidium, qui illud mandat, *indirectè*, qui illius aliquam cauſam ponit. *Directe*, vt opponitur *Reflexe* quando res cognoſcitur primò in ſe, non in alia cognitione de illa habita.

In recto, & in obliquo importari, maximè dicuntur de terminis connotatiuis,& relatiuis. Significari itaque in recto idem eſt quod in enunciatione ſignificari identificatum cum ſubiecto. Illud autem ſignificatur *in Obliquo* quod non ſignificatur identificari cum ſubiecto,ſed tantum eſſe aliquid pertinens ad ſubiectum, vel ad rectum ipſius prædicati. Vt in hoc termino *albus*,ſignificatur res quę eſt alba in recto,albedo verò in obliquo: Hinc in prædicatione qua dico, *paries eſt albus*: identifico rem quæ eſt alba cum pariete, non verò identifico albedinem cum pariete: Vere enim eſt hæc propoſitio: paries eſt res habens albedinem: Falſa autem altera, paries eſt res albedo.

Senſus compoſitus alicuius propoſitionis dicitur, quando fit compoſitio prædicati cum ſubiecto ſecundum ſignificata formalia vtriuſque. Vt cum dico: Logicus eſt Philoſophus, ſcilicet, vt Logica præditus: Item, Iuſtus eſt beatus, ſcil. manens iuſtus. Senſum autem *Diuiſum* tunc habet propoſitio, quando pręd icatum conuenit ſubiecto ratione tantum ſignificari materialis. Vt cum dico: *Album poteſt eſſe nigrum*: hæc enim propoſitio *in ſenſu compoſito* eſt falſa; ſenſus enim compoſitus eſt, album manens album poſſe eſſe nigrum, ſiue albedinem, & nigredinem poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto: In ſenſu autem *Diuiſo* propoſitio illa eſt vera; Tunc enim ſenſus eſt: Album; ſeu id quod eſt album non tamen manens album, poſſe eſſe nigrum.

Materialiter, & Formaliter, varijs modis ſumitur. 1. *Materialiter dicitur* prædicatum conuenire ſubiecto quando conuenit ratione materiæ ſiue ſubiecti. Sic dicitur *album*, v. gr. lac, materialiter, non formaliter dulce. *Formaliter* verò conuenire dicitur, quod conuenit ratione formæ: ſic album formaliter, ſiue vt album, eſt diſgregatiuum viſus. Quæ diſtinctio etiam locū habet quando prędicata ſunt realiter eadem, & tantum ab intelectu concipiuntur per modum materiæ, & formę. Sic in ſenſu *Materiali*, ſiue identico, animal eſt rationale, quia animal & rationale ſunt eadem res. *Formaliter* autem, ſeu in ſenſu formali, animalitas non eſt rationalitas, ſunt enim formalitates diuerſæ in conceptu.

2. *Materialiter* quandoque idem eſt quod identicè, ſeu *ſpecificatiuè*. *Formaliter* autem quandoque idem eſt quod *reduplicatiuè*: quod exprimi ſolet per particulam *quatenus, in quantum, qua talis, &c.* Ita homo formaliter ſeu reduplicatiuè eſt rationalis, quia poſſum reduplicare dicendo, homo quatenus homo, eſt Rationalis. Si autem dicam: homo quatenus homo eſt Phyloſophus, erit falſa propoſitio in ſenſu formali, ſiue reduplicatiuo.

3. *Formaliter, virtualiter, eminenter*, dicuntur de cauſis prout continent perfectionem ſui effectus: Effectum enim, ſeu perfectionem ſui effectus, tunc dicuntur cauſę continere formaliter quando illa entitas effectus quā producunt reperitur in ipſis cauſis. Sic *ignis* dicitur formaliter calidus, quia calorem, quem producit etiam in ſe continent. *Virtualiter* autem dicuntur cauſæ continere effectum, quando poſſunt effectum illū producere, lic. entitas effectus in ipſis cauſis non reperiatur: ſic piper, aut vinum virtualiter dicitur calidum, quia poteſt in homine calorem cauſare, licet vinum actu in ſe calorem non haberet.

Denique *Eminenter* cauſa tunc dicitur continere effectum, quando non æquiualenter tantùm, & virtualiter effectum continet, ſed etiā eſt multo perfectior effectu, ſublatis ſcilicet imperfectionibus quę ſunt in effectu. Sic ſol eminenter eſt calidus, quia & virtutem habet producendi calorem, & eſt calore perfectior. Item Deum eminenter continet creaturarum perfectiones, quia ſublatis imperfectionibus eas in ſe continet vt cauſa perfectiſſima.

4. *Formaliter* ſumitur effectus quando ſpectatur ſecundum ſe: *Radicaliter* autem vel fundamentaliter quando ſpectatur ſecundum cauſam, radicem, vel fundamentum. Sic *Riſibile* ſumptum formaliter eſt proprietas hominis, & a rationali diſtinguitur: Riſibile autem ſumptum radicaliter eſt idem quod rationale. Nam rationalitas eſt cauſa ſiue radix prima riſibilitatis.

5. For-

5. *Formaliter* etiam ſubinde ſignificat idem quod per ſe, ſiue eſſentialiter: Ita vt prædicatum quod dicitur conuenire ſubiecto formaliter, ſit in recto de definitione ſubiecti. Sic homo eſt formaliter animal; vti & rationalis, non verò hoc ſenſu homo eſt formaliter riſibilis, vel albus, quia hæc hominis definitionem aut eſſentiam non ingrediuntur.

CAPVT VIII.

Authores varij, etiam Recentiores in Philoſophiam vniuerſam.

EX ſinguli Scholis, & Nationibus aliquos annoto tam antiquos quam recentiores, qui in Philoſophiam ferè vniuerſam ſcripſerunt, vt huius ſcientiæ ſtudioſus non ignoret aliques celebriores Scriptores, quorum notitiam aut delectum habere, pro ſua vel aliorum inſtitutiones, commodiſſimum experietur.

S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus: in libros de Cœlo, Mundo, & alios in illius Operibus etiam Theologicis paſſim explicatos.

Ioannes Duns Scotum Doctor Subtilis ordinis Seraphici, in Philoſophiam vniuerſam.

Curſus complutenſis PP. Carmelitarum Diſcalceatorum.

AEgidij Romani, Ordinis S. Auguſtini, Philoſophia.

Guilelmi Phylippi Louanii in col. Lilienſi olim Profeſſoris, Philoſophia, in qua modernæ etiam opinione explicantur.

Gulelmi van Sichem Ordinis S Franciſci Philoſophia percommoda, etiam recentiora complectens.

Franciſci Bona Spei Ordinis Carmilitarum calceatorum Curſus Philoſophicus.

Emanuelis Maignan Ordinis Minimorum, Philoſophia noua, ſiue, curſus Phyſicus recentioribus multum inſiſtens.

Honorati Fabri Soc. Ieſu Philoſophia, & maximè Phyſica methodo etiam noua.

Franciſci Suarez Soc. Ieſu, Metaphyſica ampliſſima.

Scripſit etiam in Philoſophiam *Caſimirus Toloſas* Ordinis Capucinorum.

Antonius . Gaudinus, Gallus *Raymundus Mailbet* Gallus *Ioannes à S. Paulo*, Hiſpanus. *Scipio Claromontanus*, Italus.

Cenelmus Dighæus, Anglus in Philoſoph. obſeruationes plurimæ nouæ, & ingenioſæ, & demoſtratio immortalitatis animæ.

Petrus Caſſendus, Gallus, in Philoſophiam exquiſita plurima:

Gemma Friſius ex Acad. Louan. de Cælo, &c.

Libertus Fromondus ex eadem, Meteora, & Ariſtarcus.

N. Fournent Ord. Oratorij in Philoſoph.

Conimbricenſis curſus philoſophiæ Col. Soc. Ieſu, Eman. Goez.

Thomas Caietanus Ordinis Prędic. in Philoſophiam plurima in comment. ad D. Thomam.

Chriſoſtomus Iauellus eiuſdem Ordinis Prædicatorum, Philſophia Rationalis, Naturalis, Moralis.

Nicolaus Calbertus in Gallia Epiſcopus, Philoſophia vetus, & noua nuper edita;

Roderici de Arriaga Hiſpani Lucronenſis Societatis Ieſu, Curſus Philoſophiæ vniuerſæ, editus anno 1632. Ex eadem Soc. ſeq. *Franciſci Ouiedo* Hiſpani Madritenſis Philoſophia vniuerſa, anno 1640. *Bartholomæi Amici* Itali, in vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam diſputationes anno 1649. *Thomæ Comptoni* Angli, Philoſophia vniuerſa in Col. Angl. Leodii, anno 1666. *Balthaſaris Tellez* Luſitani, Vlyſiponem ſumma vniuerſæ Philoſophiæ, anuo 1675. *Coſmæ Alamanni* Mediolanenſis, ſumma Philoſophiæ ex D. Thomæ doctrina, anno 1634. *Franciſci Alphonſi* Hiſpani, Philoſophia vniuerſa anno 1649. *Franciſci Freyre* Luſitani, Philoſophia vniuerſa Tomo vnico, anno 1644. *Alphonſi de Penafiel* Peruani, Curſus Philoſophiæ, anno 1657. *Magini Paſti*, Hiſpani Curſus vniuerſæ Philoſophiæ, anno 1659. *Petri Hurtadi de Mendoza* Hiſpani Commentarii in Philoſopiam vniuerſam, anno 1651. *Ricardus Lyncæus* Galuienſis, Hibernus, Philoſophiam vniuerſam edidit in Hiſpania circa aunum 1630. &c.

Materiæ quædam ſingulares, & raræ *Ferdinandi Caſtrilli* Gaditani Soc. Ieſu, Magia naturalis, anno 1667. Ex eadem *Athanaſij Kircheri* Germani, de Arte magnetica anno 1681. *Georgij Fournier* Galli de arte nauigandi anno 1652. *Ioannis Bapuſtæ Ferrarij* Senenſis, Flora, ſiue, de cultu florum anno 1655. *Matthæi Riccij* Maceratenſis, de Elementis anno 1610. *Nicolaj Cabei* Ferrarienſis, Philoſophia magnetica &c. anno 1650. *Ioannis Euſebij Nirenbergij* Madritenſis, Curioſa Philoſophia, Theſaurus mirabilium Naturæ, de Antipathia, & Sympathia, anno 1658.

RECENTIORES ALII.

RFnatus Carteſius natione Gallus; profeſſione Laicus: ab ineunte ætate Matheſi & Philoſophiæ incubuit, poſtea militiam ſecutus eſt: ſed hac relicta ad ſtudia eſt reuerſus, in quę vt liberius imcumberet; relicta patria, in Hollandiam ad Egmontium venit, ibique viginti quinque annis commoratus eſt. Poſt hæc Pariſios reuerſus, multis, etiam in Aula, in pretio fuit. Sed cum Vrbs tam frequens ſtudiorum otio non faueret, & à Chriſtina Sueciæ Regina multum ſolicitaretur, ad eam in Sueciam profectus eſt: ſed non diu ibi commoratus; in Vrbe regia Sto Kolmij poſt paucos menſe obijt anno 1650. ętatis ſuę anno 54. Corpus eius inde poſtea translatum, & in templo S Genoueuæ Pariſijs ſepultum eſt. Vir erat carteſius multum reſoluti, & ſatis elegantis ingenij: adeò vt varia etiam pridem exoleta, quadam nouitatis ſpecie multum exornauerit. In ſuis Mathematicis paſſim ab omnibus, in Philoſophicis ab aliquibus, in paucis Scholis, & non per omnia, recipiunt: ab illo hi paſſim dicuntur Carteſiani, ſiue Corpuſculatores, vt diſtinguantur, à Peribat heticis, qui Ariſtotelicis principijs potius adhærent: aliquos ex vtraque parte nouos Scriptores mox referemus.

Edidit Carteſius, Meditationes primę Philoſophiæ, & Principia, & Methodos, & Paſſiones animæ: Item, Meditationes Mataphyſicas, & varia Geometrica. Poſt mortem editi ſunt duo Tomi Epiſtolarum: & aliquid additum tractatui eius de Homine.

Diſſidet plurimum Carreſius à doctrina communi inter Peripatheticos, circa prima Philoſophiæ Principia, exiſtimans ſuas Idæas eſſe firmiores. Et in his contra eoſdem ſtatuit demonſtrationem Dei, in eo quod habeamus claram Idęam entis à ſe. Diſcrepat etiam circa naturam, & numerum Elementorum. Circa materiam, & formam tam in animatis, quam inanimatis, quam ſtatuit in varia variorum corpuſculorum diſpoſitione. Circa actionem, & efficientiam nouæ entitatis per cauſas ſecundas. Circa eſſentiam corporis naturalis, quam ponit in extenſione actuali, & penetrabilitatis experte. Circa ſpatia realia ſiue extenſionem Vniuerſi, quam ſtatuit indefinitam. Circa Vacuum, quod aſſerit abſolutè eſſe impoſſibile. Circa qualitates Peripatheticas, quales nullas admittit: nec quantum apparet entitates Modales à Modificatis realiter diſtinctas. Circa Motum corporum, quem ſtatuit de nouo nullum fieri, ſed eundem qui à mundi exordio fuit, corporibus motis communicari. Circa Animatorum ſenſationes, quas vult non in aliis membris fieri, ſed in cerebro, ſiue glandula pineali: plura alia docet prædixis annexa.

Contra Carteſij Principia ſcripſit ex Acad. Louanienſi Profeſſor in Pædagogia Caſtrenſi librum cui titulus, *Carteſius ſeipſum deſtruens.* In Academia Duacena illa paſſim non recipiuntur: vti nec in Academij Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæ. Illa quoque in multis inſectatur *Gaſſendus*, *Moria*, *Sorberius*, & plures alijque infra. Ex Academia Leydenſi vehementer contra illa agit. *Fridericus Spanhemius* Profeſſor in libro, de nouiſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidijs, vbi circa paginam 76. citat plurimos Scriptores, & variarum Academiarum *Decreta* contra illa Principia tanquam in ordine ad Atheiſmum, &c. nimis periculoſa ſic ille fuſius.

Non pauci tamen varia eius Principia in ſuis etiã Scriptis tuentur, & alij varia naturæ Experimenta pro ijs elucidandis operoſe examinant. Eo conducunt *Roberti Boyle* Scriptoris Angli, Paradoxa Chymicophyſica, & Hydroſtica: item, de coloribus, Hiſtoria fluiditatis, & firmitatis, Experimenta phyſico mechanica, &c. Item *Iacobi de Hamel* Tractatus de corporum affectionibus anno 1679. pro doctrina Carteſii poſitiuè varia ſcripſit *Iacobus Rohault* in tractatibus Phyſicis anno 1672. *Guilielmus Philippi*, *Callij*, *Cordemaij*, *Clerſelier*, *Antonius le Grand.*

Sed contra Carteſium porrò ſcripſit *la Grange*, Ordinis Oratorij: & in varijs *P. Honoratus Fabri*. Item *P. Ignatius Gaſto Pardies*, *P. Dinetus*, *P. Stephanus Natalis*, Gallus, in Phyſicam veterem, & nouam. Poſtremò *D. Ludouicus de la Ville* in ſuo Libro gallicè contra Cartheſium, dedicato Archiepiſcopis, & Epiſcopi Galliæ, vbi in Dedicatione adducit Decretum Regis Chriſtianiſſimi in Concilio ſtatus habito Vercellis die 2. Auguſti anno 1675. in quo declarat opiniones Carteſii poſſe deordinationem in Regno cauſare, quam expedit omnino præuenire; ac notum facit vniuerſitati Pariſienſi ſe cupere vt maneat in reſolutione ſuſcepta, & hactenus conſeruata iſtas opiniones non recipiendi. Exhibet inſuper Litteras Regis prohibentis ne Andegaui doceantur aut ſuſtineantur opiniones in principiis Carteſii fundatæ, quibus porrò iniungitur iſtius loci Intendenti vt executioni manus adhibeat: hæc ille fuſius.

Extat

Extat Decretum Romanum ſacræ Congr. Indicis, datum in Palatio Apoſtolico Quirinali anno 1663. in Indice Librorum prohibitorum ſub Alexandro VII. quo decreto prohibentur &c. donec corrigantur varij libri Renati Carteſij, vt de prima Philoſophia, & pluribus alijs eius libris expreſſis in illo Decreto, cuius, & hic exemplar habemus. Sed hæc hactenus abundè pro vtili notitia totius Philoſophiæ etiam modernæ.

CAVPT IX.

Scientiæ Mathematicæ

Partes, *Axiomata*, *Ortbus*, *Auctores*.

PArs ſunt: Geometria ſpeculatiua, & practica. Arithmetica, Algebra, Aſtronomia, Coſmographia, In ſphæram, Aſtrolabium, Optica Catoprica, cylindrica, & Annularia, Architectura militaris, Horologia ſolaria, & alia practica.

Ex Matheſi, quia Philoſophiæ germana eſt, pauca hic Axiomata Geometrica ad aliquam eius notitiam delibandam adijcio.

Quæ eidem ſunt æqualia, & inter ſe æqualia ſunt: *Eſt Euclidis*, *& ſeq.*

Quod vno æqualium maius, aut minus eſt, maius quoque aut minus eſt altero æqualium, & contra.

Si æqualibus addas æqualia, tota erunt æqualia.

Si ab æqualibus demas æqualia, quæ remanebunt erunt æqualia.

Si inæqualibus addas æqualia, tota erunt inæqualia.

Si ab inæqualibus tollantur æqualia, quæ remanent erunt æqualia.

Omnes Anguli recti inter ſe æquales ſunt.

Parallelæ lineæ communi perpendiculo vtuntur.

Duæ rectæ lineæ ſpatium non comprehendunt.

Duæ rectę lineę nequeunt habere ſegmentum commune; & omnes rectæ punctualiter ſe interſecant.

Mathematicus abſtrahit à Materiar.

Indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius.

Quolibet numero ſumi poteſt maior.

Omnis numerus ſeipſum metitur per vnitatem.

Hæc ſufficiant ad guſtum aliquem huius ſcientiæ, quam eius Cultores ex Ioſepho *lib. 1. cap. 3.* tradunt, vt omnium antiquiſſimam originem duxiſſe ex nepotibus Seth, qui cęlorum ordinem, & ſyderum curſus primi obſeruauerint. Ex his autem poſt diluuium emanaſſe ad Aſſyrios, & Chaldæos, poſtea ad Græcos, & præcipuè excultam à *Pythagora* Philoſophorum antiquiſſimo, vti & à *Democrito*, *Platone*, *& Ariſtotele*, & maximè ab *Archimede*, quem humanæ ſubtillitatis Apicem appellant.

Poſt Chriſtum anno 70. *Claudius Ptolomæus* in Aſtronomia ſummus, & admirandus fuit; quem per longam temporum ſeriem ſecuti ſunt alij, ac demum *Euclides*, cuius Scripta nunc præcipuè in Scholis mathematicis traduntur, atque ante illum repertam eſſe admirabilem illam artem quam *Algebram* dicimus ſed ab alijs recenter magis excultam, agnoſcit noſter *Andreas Tacquet*, qui & ipſe in hac Prouincia Flandrobelgica non ita pridem eam Scientiam Scriptis illuſtrauit: vti & *P. Georgius à S. Vincentio*, ac *P. Ægidius Gouenietz*, qui & Romæ Matheſim multis iam annis ſumma cum laude publicè profitetur.

Scriptores quidam alij in Matheſim tam antiquiores, quam recentiores.

Petri Herigonii Curſus Mathematicus in 6. Tomi in 8. Pariſijs anno 1644.

Franciſci à Schoten Exercitationum Mathematicarum Libri 5. in 4. Lugduni Batauorum anno 1657.

Gemma Friſius, Louan de principijs Aſtronomiæ Eiuſdem Coſmographia in 4. Antuerpiæ anno 1584.

Guidi Vbaldi, Problemata Aſtronomica, Venet. anno 1609.

Ioannis de Sacro-boſco Sphera, cum ſcholijs Iunctini, in 4. Antu. anno 1573.

Iſmaelis Bulliardi, Aſtronomia, Philoſophica, Pariſijs anno 1645.

Roberti Flud, Microcoſmus, & vtriuſque Coſmi hiſtoria, anno 1619.

Chriſtophori Clauij Germani ex Societ. IESV Operum Mathematicorum Tomi. 4. an. 1612. Ex eadem Soc. *Andreæ Arzet*. Germani, Clauis Mathematicæ, anno 1675. *Bernardini Ginnari* Itali, Tabulæ perpetuæ horarum ortus, & occaſus ſolis, anno 1617. *Chriſtophori Scheinexi*, Germani, Diſquiſitiones Mathematicę, de Controu. nouis, anno 1611. *Godefridus Franckenius* Prou. Frandro-belgicæ, Problemata optica, anno 1630. *Theodori Moreti* eiuſdem Prouinciæ Antuerp. Propoſitiones Mathematicæ de Celeri, & Tardo, Naturæ, & Armorum, anno 1635. *Hugonis Sempilij*, Scoti,

S.I. de Mathematicis diſciplinis Lib. 12. & Dictionarium Mathematicum, anno 1654. *Ioannis Lanez*, Germani S. I. Inſtitutionum Arithmeticarum Libri 2. anno 1638. *Ioſephi Blancani*, Itali S. J. Diſſertatio de Mathematicarum natura, ſphera mundi, &c. anno 1624. *Mathæi Riccij*, Itali S. J. Coſmographicæ, & Aſtrologicæ perceptiones &c. anno 1610. *Andreæ Taquet* Antuerp. de quo ſupra, in Matheſim ferè vniuerſam opera exquiſitiſſima in 8. *Franciſci Aguilonij* Bruxellenſis Soc. Ieſu, Opticorum Libri 6. Obijt Antuerpiæ anno 1617.

CAPVT X.

Theologiæ Vniuerſæ.

Partes, Ordo, Materiæ, prout in curſu Theologico per ſingulos annos diſtribuuntur.

THeologia prout in Scholis nunc vſurpata primam ferè originem, & ordinem accepit à *Petro Lombardo*, qui dicitur, Magiſter Sententiarum. Fuit hic vir eximie doctus, Vniuerſitatis Pariſienſis decus, & oraculum, natus in Lombardia, inde dictus Petrus Lombardus, & poſtea creatus Epiſcopus Pariſienſis: obijt ibidem Anno 1164. Scripſit, & digeſſit Theologiam in Quatuor Libros Sententiarum, quos varij infra referendi ſuis Commentarijs illuſtrarunt. Sed nemo clarius, & illuſtrius quam *D. Thomas Doctor Angelicus*, qui preterea edidit ſuam ſummam Theologicam, excellenti ordine, & methodo digeſtam in Prima partem, Primam ſecundæ, Secundam ſecundæ, & Tertiam partem, quem ordinem iam paſſim Scholæ ſequuntur. Vixit, & floruit centum circiter annis poſt Lombardum: Obijt 7. Martij anno 1274. ætatis ſuæ anno 50. In Sanctorum numerum relatus à Ioanne 22. anno 1323 & Doctoribus Eccleſiæ adſcriptus à Pio V. anno 1567.

Hoc igitur ordine deductas omnes Theologiæ partes vti iam in Scholis traduntur ſupra reperies *Tom. 2. Par. 1.* per totam.

Ordo Curſu Theologici in ſingulos annos diſtributus.

THeologia Scholaſtica vbi per quadriennium à Duobus profeſſoribus tota traditur.

Primo, Anno dictatur manè, de Deo vno, & trino, & de Angelis. Dictatur à meridie, Iuſtitia, & Iure ab altero profeſſore.

Secundò, anno manè, de Incarnatione. A meridie, de Beatitudine, & Actibus Humanis.

Tertiò, anno manè, de Sacramentis in genere, & tribus primis in ſpecie, Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia. A meridie: de Peccatis, Legibus, & Gratia.

Quarto anno manè, de Pænitentia, Extrema vnctione, Ordine, & Matrimonio A meridie, de Fide, Spe, & Charitate.

Curſus Theologiæ *Moralis* vbi per triennium abſoluitur. Primò anno manè dicturus de Deo, & Religione. A meridie, de Iuſtitia, & Iure.

Secundo anno manè, de Incarnatione, & Actibus humanis. A meridie, de Sacramentis in genere, & de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Extrema vnctione, & Ordine.

Tertiò anno manè, de Peccatis, Legibus, & Gratia. A meridie de Pænitentia, Cenſuris, Matrimonio, Materiam de Fide, Spe, & Charitate tertio anno commodè tradit idem qui Scripturam profitetur.

CAPVT XI.

Auctores in Theologiam Antiqui, & Recentiores.

IN quatuor Libros: Sententiarum Petri Lombardi, de quo ſupra, ſcripſit ex Ordine Predicatorum *D. Thomas*, *Albertus Magnus*, *Guilielmus Durandus*, *Ioannes Capreolus* in libros ſent. 10. 4. &c.

Ex Ordinem S. Franciſci *Ioannes Duns Scotus S. Bonauentura*, *Alexander Menſis*, Petrus Aureolus Card. *Petrus Poſnanienſis* Comm. in libros Sentent. Scoti. *Hugo Cauelli*, in libros Sent. Scoti, Annotationes & Scholia, &c.

Ex Ordine S. Auguſtini *Ægidius Romanus*, *Thomas Arg nina*, *&c.* Ex alij varij, vt *Ioannes Maior*. Doctor Pariſ. ſcripſit in 4. Sentent. anno 1509. *Guilelmus*. Eſtius Doctor Dua-

Duacenus in 4. libros Sent. To. 4. anno 1616. &c.

Theologiam vniuerſam ordine nouo iam in Scholis paſſim recepto ſcripſit pręclarè Diuus Thomas in ſua Summa, de qua Cap. præcedentis Initio. Poſt illum, & in illius Summam ex omnibus Scholis, & Nationibus Theologiam ediderunt plurima, ex quibus hic conor prout occurunt, aliquos notiores adducere. *Thomæ Caietani* Card. Ordinis Predicatorum commentaria in Summam D. Thomæ: Collegij Salmaticenſis in Hiſpaniæ *Petrum Diſcalceatoris* curſus Theologicus: æditus Madriti anno 1631. *Andreæ Diunallij*. Doctor Pariſienſis in D. Thomarum Tomi. 2. anno 1636. *Ioannis Vvigers* Doctor Louanienſis Theologia Vniuerſa anno 1629. *Franciſci Syluij* Doctor Ducenſis Commentarius in D. Thomam anno 1618. *Ioannis Malderi* Epiſcopi Antuerpienſis Opera Theologica in primã partem, 1. ſecundæ &c. anno 1616. *Franciſci Bona Spei* Belgæ ex Ordine Patrum Carmelitarum calceatorem, curſus Theologicus. *Alexander Peſantius* Romanus, commentaria breuia in Summam D. Thommæ *Bartholomei de Medinæ* Ordinis Predicatorum Commentarij Scholaſtici Thomo 2. anno 1618. *Dominici Scoto*. Ordini Prædicatorum opera Theologica, & 4. Sent. anno 1598. *Dominici Bannez* Ordinis Prædicatorum opera Theologica tom. 3. anno 1614. *Gulielmi Herinx* Ordine Sancti Franciſci Epiſcopi Ipreńsis, Summa totius Theologiæ Scholaſticæ, & Moralis, Anno 1660.

Caroli Ioſephi Tricaſſini ex Ordine Patrum Capucinorum, Opera Theologica, cum 80. rationibus potiſſimum ex S Auguſtino pro vera arbitrij libertate. *Eligij Baſſæi* opera Theologica; & *Lud. Caſpenſis* ac *Lud. à Dola* de concurſu Dei, ex eodem Ordine. *Ioannis Driedonis* Louanij Operum Theologicorum Tomi 4. anno 1656. *Ioannis Pauli Nazarij* Ordinis Predicatorum in D. Thomam tomi 4. anno 1621. *Facis Iordani* Opera Theologica tomi 3. Anno 1650. *Petri à Sancto Ioſepho* Idæa Theologiæ ſpeculatiuæ & moralis in 12. anno 1640, *Philippi Gamachæi* D. Sorbon. ſumma Theologica, Pariſijs anno 1627. *Raphaelis Aucrſa* Operam in partes Theologiæ pleraſque.

Mathæus Kelliſonus Angelus Doctor Duacenus in 3. partem D. Thomæ. *Alphonſus Curiel*, Salmaticenſis in D. Thomam. *Gulielmus Mercerus* in Acad. Louanenſi, commentaria in 3. partem D. Thomæ. *Theodorus Smiſing*. ex Ordine S. Franciſci de Deo vno, & trino, Tom. 2. *Ægidius de Præſentatione*, Luſitanus, ex Ordine S. Auguſtini, de Beatitudine corporis Tom. 3.

Thomæ Hurtado Ordinis Prædicatorum, Reſolutiones Morales, & Scholaſticæ. *Ioannis Baptiſtæ Gonet* Ordinis prædicatorum, clypeus Theologiæ Thomiſticæ. *P. Contenſon* eiuſdem Ordinis Theologia recentior. Ex eodem Ordine prædic. in varias Theologię partes ſcripſerunt. *Alexander Sebille* Ant. de libero arbitrio contra Ianſenij Doctrinam. *Didacus Aluarez*, de Auxilijs *Vega*, de iuſtificatione. *D. Antoninus*, Summa; *Mariales*, Bibliotheca Theologica. *Ildephonſus* in D. Thomam Thomi 3. *Bartol. Medinæ* in eundem, alijque.

Theologiæ Moralis, per *Antonium Dianam* Panormitanum Clericum Regulam, Reſolutionem Moralium Partes 12. Tomis 5. in fol. anno 1640. &c. *Emanuelis Rodriquez* ſumma Caſuum conſcientiæ in 4. anno 1614. *Franciſci Bordoni*, Conſilia Regularia in fol. anno 1641. *Henrici de Vilolobos* Hiſpani, Theol. Moralis parte 2. in fol. anno 1640. *Ioannis Caramuel* Hiſpani in Regulam S. Benedicti; eiuſdem Theologiæ Fundamentalis, Moralis, Regularis, Tractatus varij anno 1646. *Laurentij Portel*, Ordinis S. Franciſci Dubia Regularia, & Reſponſiones morales in 8. anno 1634. Ex eodem *Laurentij de Peyrinis*, de Priuilegijs Regularium &c. anno 1643. *Boſco*, de Sacramentis &c. alijque.

Lodouici Mirandæ, Manuale Prælatorum Regularium in fol. an. 1617. *Martini Nauarri* ab Azpilqueta, in 4. Thomi 5. Conſiliorum Manuale Confeſſariorum, &c. anno 1588. &c. *Martini Bonacinæ*, Caſuum conſcientiæ Tractatus abſolutiſſimus in Tomis 2. in fol. anno 1628. &c. *Petri Marchant*. Reſolutiones, & Tribunal conſcientiæ, in fol. anno 1642. *Petri Einsfeldij*, Enchiridion Theologiæ Paſtoralis in 8. anno 1604. *Ruſilij Berſonij* Speculum Epiſcoporum, in 4. anno 1595. *Sylueſtri Prioratis*, Summa, partes 2. in 4. anno 1554. *Stephani à S. Paulo* Ord. Carmelitarum Calceat. Theologia Moralis in 8. anno 1664. *Baſilius Pontius* Ordinis S. Aug. de Matrimonio, & *Martinus* de Sacram. Ordinis.

Theologiam Vniuerſa ea *Societate* in lucem dederunt ſequentes *Franciſcus Suarez* Hiſpanus Granatenſis Tomis 12. non magis amplè quam ſolide, obijt anno 1617 ætatis ferè 70. Societatis initæ 54. *Gabriel Suaſquez* Hiſpanus, Tomis 10. cum cęteris eius operibus

bus; obijt anno 1604. ætatis 55. Theol. docendæ 29. *Adamus Tannerus*, Germanus, Tom. 5. obijt anno 1632. ætatis anno 60. *Rodericus de Arriaga*, Hiſpan. Curſus Theologicus, obijt anno 1667. *Franciſcus Amicus* natione Italus, edidit Curſum Theologicum Tom. 8. obijt anno 1651. ætatis 70. *Thomas Comptonus* Angelus Curſum Theologiæ accuratum edidit in Col. Angl. Leodij Tomis duobus. *Gregorius de Valentia* in Summa vniuerſam D. Thomæ *Iacobus Granadus* in eandem *Ioannes de Salas* Hiſp. in Theol. fere vniuerſam, vti, & *Gaſpar Hurtadus*, & *Franciſcus Ouiedus*, & *Ioannes de Lugo* Card. *Ludouicus Meratius Martinus de Eſparza* Italus, *Luiſius Tarrianus* Hiſp. anno 1635. &c.

Summam Theologiæ Scolaſticæ breuem eadem Soſciet. edidit *Martinus Beccan.* Germanus *Honoratus Fabri*, Gallus. *Chriſtophorus Haunoldus* Germanus. *Ioannes Præpoſitus* Belga Atrebat. magnam partem Theologiæ edidit anno 1634. ætatis 63. *Paulus Sherlogus* Hibernus ſcripſit de ſcientia media. *Petrus VVadingus* etiam Hib. ſcripſit librum de Incarnatione; alterum de Contractibus, *Sfortia Pallauicinus* Card. edidit magnam partem Theologiæ Scholaſticæ, vti, & Dicaſtillo Ital. *Antonius Terillus* Angelus, de Fundamento Theol. Moralis ſine Conſcientia probabile Leodij. *Leonardus de Penafiel* natione Peruanus, origine Hiſpanus, ſcripſit de Deo vno, & trino, Fide, de Incarnatione. *Matthæus de Moya* Quæſtionum moralium ſelectarum Tomos 3. *Thom. Sathuellus* Anglius Analyſim fidei.

Theologia Moralis vniuerſæ Opus abſolutiſſimum ex S. I. edidit *Paulus Layman* Germanus Lib. 5. & *Vincentius*, *Filliucius*, Tomis 2. & *Ioannes de Azor* Inſtitutionum moralium Tomis 3. & *Valerius Reginaldus*, Praxim fori Penitentialis Tomi 2. *Thomas Sánchez* S. I. (non *Ioannes*) de Matrimonio Tomos 3. In præcepta Decalogi Tom. 2. Conſilia moralia To. 2. *Paulus Comitolus* Reſponſa Moralia, & de Contractibus. *Franciſcus Toletus* Card. Summam caſuum conſcientiæ *Ferd. Caſtropalaus* Theologiam moralem admodum accuratam. *Georgius Gobat* Experientias Theologicas, & Quinarium Tractationum Theologicarum. *Hermanus Buſenbau*, medullam Theologiæ moralis.

In prouincia *Flandro Belgica* in varias Theologiæ partes ſcripſit *Leonardus Leſſius* patria Brechtanus in Brabantia, de Iuſtitia, & Iure, & certis virtutibus Cardinalibus de Beatitudine, & Actibus humanis &c. Opuſcula etiam varia de Gratia prædeſtinatione, ſummo Bono, prouidentia Numinis, perfectionibus diuinis &c. Obiit anno 1623. ætatis 69. *Ægidius de Coninck* Belliolanus ſcripſit de Sacramentis & Cenſuris Tomi 2. de Actibus ſupernaturalibus: Fide ſpe, & charitate Libris 4. de Abſolutione moribundi, & eius defenſione. De Deo Trino; & Incarnato, opus poſthumum: Obijt Louanij anno 1633. *Martinus Breſſerus* Boxrellanus, de Conſcientia. *Ludouicus de Schilder* Brugenſis, de principijs formandæ conſcientiæ Tractatus 6. & Sinopſim Theologicam de Sacramentis. Obiit anno 1667. *Franciſcus vander Veken*, Antuerpienſis, de Deo vno, & trino. De ſimplicitate, & libertate Dei. *Ignatius Derkennis* Antuerpianus, de Deo vno, & trino. Poſitiones ſacras de Euchariſtia &c. *Paulinus de Hornes*, Præcipuas controuerſias in forma Theſium deductas. *Cornelius Hazaert* in Theologicis fidei controuerſijs Opera varia. *Michael van Trieſt*, elaborauit Compendium Reſolutionum Antonij Dianæ. *Maximilianus Ledens* de Attritione &c. & *Ægidius Eſtrix* varios Tractatus Theologicus in Controuerſiis modernis. *Iacobus Tirinus*, Antuerpianus; & *Cornelius à Lapide* Bucholdianus, plura huc ſpectantia in Scripturam vniuerſam; & alij in alijs Operibus.

Scriptores in Controuerſijs Theologiæ modernis.

Circa controuerſia Theologiæ modernas ſcripſit in Belgio, de Attritione Tractatus varios *chriſtianus Lupus* & *Franc. Farnacquez* Ordinis S. Auguſtini, vti & de eadem contraſcripſit varijs Tractatibus *Maximilianus Ledens & Ægidius Eſtrix* Soc. JESU. de Methodo remittendi, & retinendi peccata E. D. *Gummarus Huygens* Louanij: Et contra *Franciſcus Carolus Keymakers* in Reſponſione breui &c. De eadem *Franciſci Iacobi*, Quæſtio Theologica, An & quando neganda ſit, aut differenda abſolutio Pęnitenti. De eadem alterius eruditiſſimi *Profeſſoris* liber, cui Titulus Praxis Solida retinendi peccata.

Franciſci Simonis, Status, origo, & ſcopus Reformationis &c. circa adminiſtrationem, & vſum Sacram. Penitentię *Eiusdem*, de Fraudibus Hæreticorum, Pars prima ſecunda, &c *Macarij Hauermans* Ordinis, Præmonſtratenſium, circa Prædicta, Epiſtola Apologetica ac Innocentium XI. Item, Examen libelli, Pentalogus Diaphoricus: & alia Opuſcula

la: nec non Tyrocinium Theologiæ moralis, anno 1675. *Laurentij Neeſens* Theologia moralis Chriſtiana de Sacramentis. Circa obligationem concionem, & Sacrum audiendi in Parœcia propria, Libellus cui Titulus, Obligatio iſta clarè demonſtrata. Huic oppoſitus libellus Exibitio Canonum &c. contra hunc *Chryſtophori Philaleſhis*, iuſta defenſio &c. Poſtea prodiit noua Canonum exibitio, ſtabilita per *Chriſtianum Lupum*: deinde eiuſdem *Chriſt. Phylaletis*, deductio Iuris Paſtoris. Acceſſerunt Analecta Priuilegiorum, & Iurum Regularium, per R.P. Priuilegiatorum profeſſorem.

Nicolaus du Bois, Tractatum edidit in 4°. circa Propoſitiones 45. ad Alexandro VII. prohibitas, earumque Auctores. Motiuum Iuris: Circa obligationem Concionis, & Miſſæ in Parœcia: Circa Monita ſalutaria, & plura alia, ac nouiſſmè de obligatione Sigilli Sacramentalis. *Guilielmus le Maire*, ſtateram Saulis Ex regis

De charitate, libellus, Ignis Fatuus. Contra Libellus, Ignis fatuus extinctus, per *Campianum Florum* anno 1679. *Alberici Vandem Kerckhove*, Theologo Bernardino diſquiſitio de Attritione, amore &c.

Chriſtianus Alathinus, de peccatis Ignorantię, an ea quæ eſt iuris naturæ liberet à peccato, per tres partes ſolidè deductum. Mala fides Auctoris anonymi, per *Danielem Campfordum*. Doctrina mira ac noua &c. per *Vlicum Ionſon*.

Vvilhelmi Sandæi, Confutatio Trium virorum, circa Propoſitiones 65. ad Innocentio XI. prohibitas, earumque Auctores. De his denuò à *Petro Moens*, quiddam editum. *Henrici Noris* Apologia Auguſtiniana. *Brunonis Neuſſer*, Germani, Prodormus velitaris contra vindicijas Auguſtinianas &c. Sunt & alij horum temporum libelli in varijs Controuerſijs editi.

CAPVT XII.

Notitia ſpecialis circa praxim Curiæ Eccleſiaſticæ præſertim Romanæ.

DOctrinæ Theologicæ, ac iuris Canonici plurimùm annexa eſt cognitio *Fori Eccleſiaſtici*, & quomodo diuerſę cauſæ ad diuerſa Tribunalia referri, & in his iudicari debeant. Cum enim Chriſti in toto orbe Vicarius nequeat perſe tot tantarumque cauſarũ diſcuſſionem, & iuditium exercere, varias Romæ conſtiuit Congreg. ſiue Tribunalia ſibi ſubordinata, quorum ſingula de certo genere cauſarum ſententiam ferant, ſua demum auctoritate comprobandam. Horum notitia quanto difficilior eſt, tantò erit hic in vnum collecta commodior,

I. Congregatio *Cardinalium ſanctiſſimæ Inquiſitionis* erecta fuit à Paulo III. per Conſtitut. quæ iucipit, *Licet*, an. 1542. Et eadem denuò teſtituta à Sixto V. conſt. quę incipit, *immenſa*, an. 1587. Et habetur in Tomo 2. Bullarij Laertii Cherubini.

Ad hanc Congregationem pertinet Inquiſitio hęreticę prauitatis, & poteſtas, citandi, procedendi, ſententiandi, & definiendi in omnibus cauſis tam hæreſim manifeſtam, quàm ſchiſmata, apoſtaſiam à fide, magiam, ſortilegia, diuinationes, Sacramentorum abuſus, & quæcumque alia quæ etiam preſumptam hæreſim ſapere videntur concernentibus, non ſolum in Vrbe, ſed etiam in vniuerſo terrarum orbe vbi Chriſtiana viget Religio, ſuper omnes Patrarchas, Primates, &c Sic habet Bulla ſuprą citata. Vnde etiam ad hanc Congregationem defertur examinanda, & cenſuranda, qualitas Doctrinę quæ in quęſtionem vocatur, vti patet ex pluribus eius Decretis etiam recentibus.

Cardinalium in hac Congreg. aſſiſtentium quidquid maior pars decernit validum eſt, perinde ac ſi omnes illic conueniſſent, & maior pars conſenſiſſet. Ita *Barboſa* ex Pii IV. Conſtit. 79. quæ incipit, *Cum nos*, an. 1564. Vbi addit, hanc Congregationem appellationes ab aliis Inquiſitoribus audire, & ſuos Inquiſitores vbi vis locorum deputare.

II. Alia eſt Congregatio *pro Interpretatione Concilij Tridentini*. Hæc erecta fuit primum à Pio IV. conſtitut. 81. Quæ incipit, *Alias nonnullas*, annos 1564. Tomo 2. Bullarij, & deinde reſtituta à Sixto 5. conſtitut. 74 *Immenſa*, an. 1586. in qua iſtius Congregationis munus, & poteſtas his verbis declaratur. Eorum quidem Decreturum, quæ ad fieri dogmata pertinent interpretationẽ nobis ipſis reſeruamus. Cardinalibus verò Pręfectis interpretationi, & executioni Concilii Tridentini, ſi quando in iis quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis iudicijs, alijſque huiuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas, aut difficultas emerſerit, interpretandi facultatem, Nobis ta men conſultis, impertimur.

Hinc Congregationis Concilii Trid. Declarationes ad inſtar legis communis ſolent allegari. Illis etiam plurimum Rota Romana

na de ferre ſolet, nec eas vllo modo in dubium reuocare, vt oſtendit Barboſa in ſua ſumma Apoſtolicarum deciſionum.

Sed hic ad praxim ſpecialiter notandum eſt, iuſſu Vrbani VIII. anno 1631. Congregationem hanc mandaſſe ac præcediſſe, huiuſmodi Declarationibus tam impreſſis, & imprimendis, quam manuſcriptis, nullam fidem eſſe in iudicio, vel extra à quoquam adhibendam, ſed tantum illis quæ in authentica forma, ſolito Sigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munire fuerint. Cuius declarationis verba tranſcripta habet Ant. Diana Reſol. Moral. Part. 5. Tr. 2. Reſol. 96.

III. *Congregatio* altera eſt quæ dicitur, *Sacrorum Rituum*, ad quam referenda ſunt quæ ſpectant diritus, cæremonias, aliaque ad diuinum cultum pertinentia. Hęc erecta fuit à Sixto Quinto in Conſtit. 74. quæ incipit, *Immenſa*, anno 1587. cuius officium, poteſtas, & procedendi modus, ex ſequentibus ipſius Bullæ verbis authenticè exponetur.

Quinque Cardinales delegimus quibus hęc præcipuè cura incumbere debeat, vt veteres Ritus ſacri vbiuis locorum in omnibus Vrbis, Orbiſque Eccleſijs, etiam in Capella noſtra Pontificia: in Miſſis, diuinis Officijs, Sacramentorum adminiſtratione, cæteriſque ad diuinum cultum pertinentibus à quibuſuis perſonis diligenter obſeruentur, Ceremoniæ, ſi exoluerint, reſtituantur, ſi depmauatæ fuerint, reformentur. Libros de ſacris Ritibus, imprimis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment, & ement. Officia diuina de Sanctis Patronis examinent, & Nobis prius conſultis, concedant, diligentem quoq; curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, Feſtorumque dierum ſolemnitatem, vt omnia ritè & rectè, & ex Patrum traditione fiant, &c.

Hæc tamen Congregatio non concedit Litteras remiſſoriales pro formanda inquiſitione ad canonizationem Sanctorum auctoritate Apoſtolica, niſi prius expediantur Litteræ Apoſtolicæ in forma Breuis eidem congregatione directæ, vt notat *Sellius* in ſelectis Canonici *Cap. 1. Num. 77.*

Non ſolet etiam paſſim concedere in Officijs ab ea approbandis Antiphonas, Verſiculos, Reſponſoria, Hymnos, & alia ſimilia propria, præter Lectiones ſecundi Nocturni, vt tradit *Lezana* ex actis Congregationis Rituum.

Neque ſolet approbare aliquas Litanias præter ordinarias impreſſas in Breuiario, & eas quę de Beata Maria recitantur in Eccleſia Lauterana. Idem in ſumma *Quæſtion. Regular. Tom. 3.*

Congregatio Rituum Memoralia non recipit, niſi porrigentes ſint Procuratores habentes mandata, aut litteras legitimas ad tractanda negotia. Singula prædicta in praxi notanda ſunt, vt ſciatur in quibus, & quo modo ad hanc Congregationem recurrere oporteat.

Poſtremò notandum, Decretis, Declarationibus, deciſionibus huius Congregationis fidem in iudicio vel extra non deberi, niſi in authentica forma cum ſigillo, & ſubſignatione Cardinalis Præfecti munitæ fuerint vti ſtatutum eſt iuſſu Vrbani VIII. anno 1632. prout ſuprà de Congreg. pro interpretatione Tridentini.

IV. Accedit his *Congregatio de Propaganda Fide*, quæ conſtat certo numero Cardinalium, Prçlatorum, ac Regularium, primùm erecta à Gregorio XV. per Conſtitutionem, quæ incipit, *Inſcrutabili*, anno 1621. in qua conſtituit 12. Cardinales, & alios Officiales, ac certis redditibus dotauit, vt Congregatio illa intenderet negotijs rebus ac perſonas Miſſionum, & alijs quæ ad Fidei Catholicæ prodagationem conducunt: quorum ſingula in particulari ex ipſa Pontificis Conſtitutione hic breuiter deſcribo.

Nos vt maiori cum vigilantia, cura, & feruore opus proſequi poſſimus, & in poſterum ſucceſſores noſtri non nullorum venerabiliũ Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium peculiari ſolicitudini negotium committendũ diximus, prout tenore præſentium committimus, & demandamus; Volentes vt in vnum Congregati, adhibitis etiam aliquot Romanæ Curiæ Prælatis, & religioſis viris ac Secretario, in Commune conſulant, tanteque rei nobiſcum inuigilent, &c. Quod vt commodius præſtari poſſit, ſemel coram Nobis, ac bis ſaltem in domo. Antiquioris eorum quolibet menſe congregentur, omniaque ac ſingula negotia ad Fidem in vniuerſo mundo prodagandam pertinẽtia cognoſcant & tractent; & grauiora quę in prędicta domo congregati tractauerint; ad Nos referant; alia verò per ſeipſos decidant, & expediant pro eorum prudentia. Miſſionibus omnibus ad prædicandum, & docendum Euangelium, & Catholicam doctrinam ſuperintendat, Miniſtros neceſſarios conſtituant, & mutent. Nos enim tam præmiſſa, quam omnia, & ſingula deſuper neceſſaria, & oportuna agendi, & exequen-

quendi liberam, & amplam poteſtatem Apoſtolica auctoritate præſentium tenore concedimus.

Conſtituit idem Pontifex vt litteræ, & ſcripturæ omnes dictæ Congregationis gratis, & abſque vlla mercede expediantur. Hæc non parum, vbi res poſtulat, ad Miſſionarij inſtructionem conducent.

V. Sunt & alia Tribunalia minus communia, prout eſt *Cancellaria Romana*, quæ maximè verſatur circa Eccleſiaſtica Beneficia, & Officia, quæ à Sede Apoſtolica dependent. Vnde & eorum cauſas audire: inſuper Cameræ Apoſtolicæ iura curare, & exequi conſueuit.

Rota Romana eſt Tribunal ad quod referuntur Quæſtiones difficiliores in negotijs Eccleſiaſticis, & alijs vrbis Romanę, quę in vtramque partem debitè examinantur, & ab Auditoribus Rotæ de illis demum fertur ſententia, quæ paſſim dicitur, Deciſio Rotæ Romanæ. Varias huius Rotæ deſiones inter alios adducit *Barboſa*, *Lezana*, & *Diana* Parte Vndecima ad Tractatus Miſcellaneos in fine.

VI. Pro Foro interno, & quibuſdam facultatibus, & gratijs annexis, Pridem erecta eſt *Pœnitentiaria Romana*, & confirmata à Sixto IV. Paulo III. & Iulio III. in Conſtit. *Rationi congruit*, anno 1558. Præeſt illi Cardinalis qui dicitur, Maior Pœnitentiarius, qui facultates, & gratias elargitur, & ſignat. Alij ibidem Confeſſarij ex diuerſis Nationibus congregati. Abſoluendis pœnitentibus ex quacumque orbis Chriſtiani partibus Romam aduentantibus cum ampla facultate operam aſſiduam præſtant. Praxim & facultates huius Pœnitentiarię accuratè exhibuimus ſuprà *Part. 3. Tract. 4. Cap. 8. §. 5.* Et ex illa Modum procedendi, ac formandi ſupplicationes, & Expeditiones in alijs Tribunalibus facile perſpicies.

Habent & Eccleſiæ particulares ſua Tribunalia, in quibus iudicantur Cauſæ Fori Eccleſiaſtici, vt ſunt variæ quæ pertinent ad matrimonium, diuortia, ſimoniam; vſuras, hæreſim, apoſtaſiam, ſacrilegium, delicta Clericorum, immunitatem Eccleſiaſticam: & ſimiles, quæ referuntur ad Curiam Epiſcopalem. In hoc Tribunali precipuè ſententiam fert ipſe Epiſcopus, & Officialis, cum Secretario, & alijs qui ad hoc iudicium adhibentur. Has cauſas fori Eccle aſtic illicitum eſt Iudici Laico ad ſe pertrahere, ſub grauibus cenſuris, & pœnis in Bulla Cœnæ contentis. Quando tamen deuęnitur ad pœnam ſanguinis, ſolet reus tradit in manus poteſtatis ſęcularis. Sed ex his, cæteriſque hactenus traditis, ante omnia ſolicite diſcamus, quo modo & ipſi ante Tribunal ſupremi Iudicis demum ſecuri compareamus.

Proſecutio.

Huius Ideæ Scientificæ ad cæteras Facultates, & Scientias Controuerſiarum, Interpretum, concionatorum, Aſceticorum, Human. &c. in omni genere.

QVoniam intellexi quam habeatur paſſim grata, opportuna, ac inſtar theſauri aut Bibliothecæ portatilis, prior illa Idæa Scientiæ Theologicæ, Iuridicæ, ac aliarum annexarum, cum Notitia breui Auctorum ſelectiorum in Partes ſingulas. Impellor nunc vlterius vt ex plurimorum voto idem præſtem in exponendis ad communem notitiam cęterarum Facultatum Tractatibus, & Auctoribus qui materias ſingulas in particulari tractarunt. Ingens enim hoc adfert commodum pro vario variorum vſu tam pro Materiarum notitia; quam pro Auctorum in omni genere delectum: qui pro vſu particulari magis accomodati fruſtra diu multumque indagantur, & cum errore ac diſpendio alij, & alij ſæpe comparantur, niſi opportuno delectu ſub vnum aſpectum expoſiti habeantur.

Controuerſiarum Variarum contra Hæreticos Scriptores varij huius præſertim ſæculi.

PAtres ac Scriptores antiquiores contra omnes ferè ſuorum temporum Hæreſes ab exordio Eccleſiæ ordine temporis expoſitos habes in huius Operis Tomo 1. circa finem. Recentiores aliquos in omni ferè materia hic proponemus.

Robertus Bellarminus Card. ex Soc. Ieſu ſcripſit Tomos complures, de Controuerſijs Chriſtianæ Fidei, aduerſus huius temporis Hęreticos, opus ſane ampliſſimum, & toti Eccleſiæ vtiliſſimum.

Thomas Stapletonus Anglus, Doctor Duacenus ſcripſit de principijs fidei, contra VVittachetum, pro auctoritate Eccleſiaſt. & alia plurima ac vtiliſſima Tom. 5. in fol. comprehenſa.

Io-

Iodocus Coccius, eddit Controuerſiarum Tom. 2. in fol. anno 1601.

Zacharias Bouerius edidit demonſtrationem veræ fidei Tom. 2. in fol. & conſultationem orthodoxam in 8.

Antonius Peres, Authentica Euangelij Fides in 4. anno 1626.

Arnoldus Meshonium; Hiſt. Anabaptiſtica in 4. anno 1617.

Bunderus à Gandauo, de diſſidio Hæreticorum, in 8. anno 1590.

Cuneri Petri D. Louan. Controuerſiæ, in 8. anno 1583.

Franciſcus Agricola, Propugnaculum Fidei: de primatu S. Petri, de verbo Dei ſcripto, & non ſcripto &c. in 8. an. 1477.

Franciſcus Halier, Defenſio Eccleſiaſticæ hierarchiæ, in 4. anno 1632.

Franciſcus Sonnius Demonſtratio Religionis Chriſtianæ in fol. an. 1562.

Franciſcus Syluius D. Duacenus, de Præcipuis Controuerſijs Fidei, in 4. an. 1638.

Gregorius Ederus, Malleus Hæreticorum in 8. an. 1581.

Guilielmus Lindanus D. L. Panoplia Euangelica in folio. Chriſtomachia Caluiniſtica &c. in 8. anno. 1584.

Guilielmus Reginaldus, Caluino Turciſmus in 8. an. 1597.

Henricus VIII. Rex Angliæ, ante lapſum in Hæreſim, Aſſertio ſeptem Sacramentorum contra Lutherum.

Henricus Sedulius, Præſcriptiones aduerſus Hæreſes, in 4. an. 1606.

Iacobus Hamelius, de Religionibus diuerſis non admittendis, in 8. an. 1589.

Ioannes Lenſeus, de perſecutione piorum, de Officio Chriſtiani in perſecutione contra falſos patriotas, de Purgat orio, Satisfactione &c. in 8. an. 1578.

Ioannes Malderus Epiſcopus Antuerpienſis, Antiſynodica, ſiue Aduerſiones in Synodum Dordracenam in Hollandia, in 8. an. 1620.

Lucas VVadingus Hib. Min. Apologerticus.

Michael Nauclerus, de Monarchia diuina Eccleſiaſtica, & ſæculari Chriſtiana, in folio Tom. 2.

Nicolaus Sanderus, de Schiſmate Angelicano, de viſibilia Monarchia, de Sede Apoſtolica &c. an. 1610.

Odouardi VVeſtioni, Sanctuariam iuris Pontificij, in 8. an. 1613.

Petrus Calatinus, de arcanis Catholicæ veritatis, in fol. an. 1612.

Salamonis Theodati, pacificatorium diffecti Belgij, in 8. an. 1613.

Thomas Zoulus, de ſignis Eccleſiæ, Tomis 3. an. 1592.

Ex Soc. Ieſu inter plurimos Martinus Becanus, Manuale controuerſiarum in 4. Et Compendium manualis controuerſiarum in 16. aliaque an. 1625.

Franciſcus Coſterus Meclinienſis, Enchiridion controuerſiarum præcipuarum. Et Apologia pro Enchiridio contra Franc. Gommarum Caluiniſtam in 8. an. 1604.

Carolus Scribanius, Bruxelenſis, Orthodoxe Fidei controueſa, de ſcriptura, Traditionibus, Iudice Controuerſiarum, Inuocatione Sanctorum, miraculis, &c. in 8. an. 1622.

Adamus Contzen, de vnione, & ſynodo Euangelicorum, de vera, & falſa pace Germaniæ, defenſio Bellarmini de gratia, &c. in 8. an. 1618.

Antonius Poſſeuinus, Atheiſmi Hæreticorum huius temporis refutati &c. in 8. anno 1586.

Edmundus Campianus, Anglus, Rationes decem, Fidei Catholicæ Academicis Angliæ, in 12. an. 1631.

Franciſcus Turrianus, defenſio pro Canonibus Apoſtolicis, de Eccleſia, & Ordinationibus Miniſtrorum, de Euchariſtia, defenſio locorum Scripturæ, & primatus ſancti Petri ſuprà Concilium, &c. in 4. & 8. an. 1580.

Gregorij à Valentia, Controuerſiæ, in folio an. 1610.

Henricus Fitz Simon, Gib. Britonomachia Miniſtrorum, in 4. an. 1614.

Heriberdus Roſuueydus, Vltraiectinus, de fide Hæreticis ſeruanda, Lex Talionis contrà Cauſa bonum, Syllabus male Fidei Capellaniæ, Elixir Caluiniſtarum &c. in 8. anno 1621.

Iacobi Gordoni, Controuerſiarum Epitome in 4. anno. 1612.

Iacobus Gretſerus, Defenſio Controuerſiarum Bellarmini Tom. 2. in folio, & alia plurima.

Ioannes Bagotius, Apologeticus fidei, in fol. an. 1645.

Ioannes Duræus, pro Rationibus Campiani contra VVitacherum, in 8. an. 1582.

Leonardus Leſſius, Flandro-Belga, Diſput. Apologetica da Poteſtate Pontificis Romani in 4. conſultatio fidei capeſſendæ, de Antichriſto &c. in 8. an. 1614.

Maximilianus Sandæus, Demonſtratio ad Con-

Controuerſias Hollandicas prodroma Hydrus Hollandicus &c. in 8. an. 1619.

Nicolaus Serrarius, Trihæreſium, Minerual pro Trihæreſio, de Lutheri Magiſtro, Lutheroturcicæ Orationes, &c. in 8. Anno 1604.

Cornelius Hazaret, Aldenardenſis, de Inuocatione Sanctorum, Flandrice, de Cæremonijs Miſſæ &c. de extrema Vnctione, de Purgatorio, de Reliquijs, peregrinationibus, Euchariſtia, confeſſione auriculari, cultu imaginum, de ieiunio Eccleſiaſtico, eiuſque ceremonijs, &c. præter alios Tractatus plurimos contra variorum Miniſtrorum impugnationes, & errores.

Petrus Cottonus, Gallus, Gallicè de Miſſæ Sacrificio, Apologetia pro Matre Dei, Epiſtola Apologica pro fide Catholica, de modo agendi cum Hæretici, defenſio Concilij Trid. Epitome Controuerſiarum, & alia plurima circa annum 1618.

Petrus Caniſius, Belga. Neomagenſis, edidit Summam doctrinæ Chriſtianæ, Commentaria de verbi Dei corruptellis, & plura alia contra ſui temporis in Germania hæreticos circa an. 1571.

Nicolaus Romæus, Brugenſis, Clauini effiges centum coloribus ad viuum expreſſa, de Prædeſtinatione, & iuſtificatione, item Caluini confeſſio ex eculeo, Ant. in folio an. 1623.

Præter alios Tractatus plurimos vbique editos contra variorum Hæreticorum impugnationes, & errores.

Interpretes in Sacram Scripturam.

IN Scriptura ferè totam ex Antiquioribus ſcripſit, Rabanus Maurus Anſelmus Laudunenſi, Hugo Card. Strabus Nicolaus Liranus, Dionyſius Carthuſianus, D. Thomas in Epiſt. Pauli, Iob, eiusdem Catena, poſtillæ in Geneſim &c.

Alphonſus Toſtatus, Tomis 14. in fol. anno 1596.

Cornelius Ianſenius, Gandienſis Epiſc. To. 3. in fol. an. 1613. Antuerpiæ.

Franciſcus Lucas, Tom. 4. in fol. an. 1606. Antuerpiæ.

Guilielmus Eſtius, Doct. Duacenus, Annot. & Commentaria in Scripturam, &c. in fol. an. 1229. Duaci &c.

Iunillus, in totam Scripturam, breuiter in 12.

Thomas Caietanus, in omnes Epiſtolas Canonicas, Acta Apoſtolorum, Quatuor Euangeliſtas, &c.

Hugonis de S. Charo, in Nouum, & Vetus Teſtamentum, Tomi 8. in fol. an. 1621. Sunt & alij in varias Scripturæ partes ex omnibus Scholis, & Nationibus tam Antiqui, quam recentiores innumeri.

Ex Societate qui in pleraſque Scripturæ partes ſcripſerunt aliquos recenſeo.

Cornelius à Lapide, Belga Bucholdianus, obijt Romæ anno 1637. ætatis ſuæ ſupra ſeptuageſimum, ſcripſit Commentaria copioſe in vniuerſam ferè Scripturã Antuerpię apud Nutium, & Meurſium, & alibi ſæpius recuſa.

Iacobus Tirinus, Antuerpienſis, ſcripſit Commentarium in totam Scriptura Veteris ac Noui Teſtamenti, &c. Tomis 3. in fol. Ant. 1632.

Ioannes Mariana, Scholia Breuia in Vetus, & Nouum Teſtamentum.

Andreæ Pinti, Sacræ Scripturæ Selecta.

Antonij de Eſcobar, & Mendoza, Vetus & Nouum Teſtamentum Commentarij illuſtratum.

Emanuel Sà, Notationes in totam Scripturam.

Henrici Marcelli, Theologia diuinæ Scripturæ.

Iacobi Bonfrerij, Onomaſticon locorum Sacræ Scripturæ: & Pentateuchus, Moyſis Commentario illuſtratus, & in Euangelia.

Ioannis Euſebij Nierembergij, de Origine Sacræ Scripturæ: Stromata Sacræ Scripturæ.

Ioannis Stephani Menochij, Breuis explicatio ſenſus literalis, totius S. Scripturæ.

Martini Antonij del Rio, de difficilioribus S. Scripturæ locis, Tomi 3. item Adagialia veteris Teſtamenti.

Nicolaus Seratij, Prologomena Biblica, &c. In Lib. Machab. de Epiſtolis B. Pauli. Item de S. Paulo, & proditore Iuda.

Benedicti Pererij, in Geneſim, commentariorum. Tom. 4. & de Bededictionibus Patriarcharum Lib. 1. &c.

Io: Baptiſta Villalpandus. Tom. 2. & 3. in Ezechielem, accurate de templo, & apparatu vrbis Hieroſolymæ tractat.

Ioannis de Pineda, Salomon Prçuius, ſeu de rebus Regis Salomonis Lib. 9 & in Eccleſiaſt. Tom. 2.

Balthaſaris Corderij, Catena Græcorum Patrum Tom. 3. Item Symbola Græcorum Pp. Tom. 2.

Dio-

Dionyſij Petauij, Paraphraſis omnium Pſalmorum Græcis verſibus cum interpretatione Latina.

Ioannis Lorini, Commentaria in omnes pſalmos Tomis 3.

Roberti Card. Bellarmini, in omnes Pſalmos Commentarius.

Thomæ le Blanc, Commentarius ampliſſimus in omnes pſalmos, Tom. 5. & ſeorſim in pſalmum 22.

Ferdinandi Quirini de Salazar, Expoſito in Prouerbia Salamonis Tom. 2.

Io: Maldonati, Commentarius in Cantica, & Sapientiam, in Eccleſiaſtem, in omnes Prophetas maiores, & Baruch.

Octauiani de Tuſo, in Eccleſiaſticum commentaria in capita 18.

Adami Contzen, commentaria, in quibus ſenſus litteralis aduerſus omnes infideles vindicatur, ad Romanos, ad Corinthios, ad Galathas.

Alphonſi Salmeronis, in vniuerſam Euangelicam Hiſt.

Sebaſtiani Barradij, itinerarium filiorum Iſrael ex Ægypto in terram promiſſionis. Item Commentariorum in Concordiam, & Hiſtoriam Euangelicam, Tom. 4.

Scriptores aliqui Hiſtoriæ Sacræ ſiue Eccleſiaſticæ.

CÆſar Baronius. Congregat. Oratorij Cardinalis ſcripſit præclarè Hiſtoriam Eccleſiaſticam vniuerſam ab aduentu Domini ad annum circiter 1200. Tom. 12. comprehenſam.

Henricus Spondanus, continuauit annales Baronij Tom. 2. & eiuſdem Baronij Epitomen Item Annales à mundi creatione ad reparationem in fol.

Florimondus Remondus, de Ortu & Progreſſu hæreſeos huius ſeculi.

Giberti Genebrardi, Chronologia, in folio an. 1600.

Laurentius Surius, de vitis Sanctorum, Tom. 12. in fol. an. 1618.

Sozomeni, Hiſtoria Eccleſiaſtica in Folio.

Thomas Cantipratanus, Miraculorum, & exemplorum Lib. duo.

Ex Societ. Ieſu, Acta Sanctorum diffuſè elaborauit Bolandus, Henſchenius, Papebrochius vſque ad Maium incluſiuè, Tom. 13.

Cornelius Hazart, ſcripſit Flandrice Hiſtoriam Eccleſiaſticam præcedentis, & preſentis ſeculi in Aſia, America, Africa, & Europa, Tom. 5.

Dioniſii, Petauij, Breuiarium Hiſtoricum Nicephori Conſtantinopolitani: Opus de doctrina temporum aduerſus Scaligerum Tom. 2. Vranologium, & variarum diſſertationum, Lib. 8. Rationarium temporum, ſiue Synopſis Hiſtoriæ ab orbe conditio, vſque ad annum 1626.

Heriberti Roſuueydi, hiſt. Eccleſiaſtica à Chriſto ad Vrbanum VIII.

Iacobi Gualterij, Tabula Chronographica ſtatus Eccleſiæ à Chriſto nato ad an. 1614.

Iacobi Gordoni Leſmoræi, Opus Chronologicum rerum memorabilium à mundi exordio ad noſtra vſque tempora, &c.

Iacobi Gretſeri, Commentariolus de Imperatorum Regum, ac Principium Chriſtianorum in Sedem Apoſtolicam munificentia.

Iacob Galliani, Annalium Eccleſiaſticorum Veteris Teſtamenti Tom. 6. & Epitome eorumd. annalium.

Ignatij Bomplani, Hiſtoria Chriſtianarum rerum ab ortu Chriſti.

Nicolai Talon, Hiſtoria Sacra, quæ in Pentateuche continetur. Hiſtoria Sacra totius Veteris Teſtamenti, Hiſtoria Sacra Noui Teſtamenti.

Philippi Bebij, ſuccincta Cronologia ex Bellarmino, & Baronio ab initio mundi vſque ad an. 1628.

Thomæ Stephenſionij, Hiſt. ſacra ab orbe conditio vſque ad Chriſti aduentum.

Verbi diuini Concionatores in Dominicas, Feſta, &c.

DIonyſius Cartuſianus, in Dominicas Tom. 1. in fol.

Didacus de la Vega, Conciones Dominicales totius anni, Tom. 1. ſuper feſta, & quadrageſimales ſuper Euangelium, & ſuper Pſalmos Pœnitentiales in 8.

Elias à S. Thereſia. de Purgatorio, Tom. 2. in fol. an. 1638.

Euſebij Emiſſeni, homiliæ in Euangelia Dominicalia, & Quadrageſimalia, in 8.

Hieronymus de la Nuza, Diſcurſus Euangelici, opus in duo volumina diſtinctum, in 4. Eiuſdem quinque Tomi in Euangelia, in folio.

Iacobus Marchantius, hortus Paſtorum, in folio.

Ioannes de Carthagena, Homiliarum Tom. 3. in 4.

Lu-

Ludouicus Granatenſius, Concionum de tempore Tom. 4. in 8.

Ex Societ. Ieſu. Alphonſi Salmeronis Sermones in parabolas Euangelicas totius anni.

Alphonſi Sanctij, Conciones per totum annum.

Claudij Texier, Conciones per Aduentum, & ſuper Dominicas.

Franciſci Aguadi, Exhortationes variæ: Sermones de Aduentu, & Quadrageſima: de feſtis Chriſti, & Deiparæ.

Guilielmi Stanihurſtij, theſaurus concionum, & de paſſione.

Franciſci Labatæ, Apparatus concionatorum Tom. 3. &c.

Henrici Engelgraue, Flandrob. Lux Euangelica in omnes Dominicas per annum. Cœleſte pantheon, in feſta Sanct. cœleſte empyreum, in feſta per an. Tom. 2.

Iacobi Lobbetij, Quæſtiones in Euangelia Dominicorum, & Feſtorum per an. conciones quadrageſimales, eiuſdem.

Ioannes Buſæus, edidit Eccleſiaſtis ad materiam vtiliſſima, Viridarium Chriſtianarum virtutum. Panarion aduerſus vitia. De ſtatibus hominum.

Ioannes Euſebij Nierembergij, Homiliæ catenatæ ex vetuſtis patribus. Doctor Euangelicus. Hieromeliſſa bibliotheca.

Barnabæ Kearnæi Hiberni, Hæliotropium, ſiue conciones in Euangelia per Annum.

Ioannis Oſorij, concionum Tom. 4.

Ioannis Pauli Oliua, concionum habitarum coram varijs ſummis Pontificibus, Tom. 4. &c.

Ioannis Rho, conciones ſuper Exameton, concionum quadrageſimalium Tom. 3. Orationum ſacrarum ſuprà Script. Tom. 2.

Ioannis Suffren, Conciones in Dominicas totius anni. Teſtamentum Patriarchæ Iacob.

Iulij Mazarini, Diſcurſus 100. in Pſalmum Miſerere. Diſcurſuum ſupra Gloria Patri, Tom. 1. Coloſſus Babylonicus, Tom. 2. Sermones ſuper Sermone Domini in Monte. Praxis Concionandi, omnia Italicè.

Nicolai Cauſſini, Diſcurſus 24. ſuper myſteria Aduentus.

Petri Caniſij, Notę in Euangelia Dominicarum, & Feſtorum. Conciones in Dominicas Aduentus, & Natalem Domini, germanicè.

Petri Cottoni, ſermonis de præcipuis fidei myſterijs, & in præcipuos dies feſtos totius anni gallicè: & ex gallico latinè translati.

Aſcetici ſelecti in omni genere materiæ.

Thomæ à Kempis, de Imitatione Chriſti, libellus planè eximius.

Alberti Magni, Paradiſus Animæ: & de adhærendo Deo, in 12. & 8. Antuerpiæ anno 1602.

Aloyſius Nauarinus, de delitijs diuini Amoris, in 12. anno 1641.

Andreæ Capellæ, Meditationum, partes 3. in 8. anno 1607.

Antonij Molinę, Inſtructio Sacerdotum in 8. anno 1618.

S. Bonauenturæ, ſpeculum diſciplinæ, & perfectionis Religioſæ, in 12. anno 1591.

Didacus Stella, De contemptu mundi, in 8. anno 1585.

Dyoniſius Carthuſianus, De 4. Nouiſſimis: & varia eiuſdem opuſcula ſpiritualia, in 8. & poſtea in 12. Coloniæ anno 1611.

Franciſci de ſales, Introductio ad vitam deuotam, in 12. & poſtea illius Opera omnia in fol. edita anno 1637.

Ioannis à Ieſu Maiæ Carmelitæ, Opera omnia ſpiritualia in fol. Coloniæ Anno 1622.

Ioannis Malderi Epiſcop. Ant. Meditationes Theologicæ, in 8. Antuerpiæ anno 1630.

Ludouici Bloſij, Igniarium diuini Amoris, aliaque plura, in 8. Antuerpiæ Anno 1635.

Ludouici Granatenſis, Exertitia, & alia opuſcula ſpiritualia, de deuotione, Oratione, ieiunio, Eleemoſyna, Euchariſtia, item eiuſdem, ſpeculum vitæ humanæ, paradiſus precum &c. in fol. Colonię anno 1626.

Ex Societate Ieſu, paucos ex notioribus in ſingulis materijs annotato S. Ignatij, Exercitia ſpiritualia: eorumque Directorium per P. Ludou. de palma, alioſque plurimos.

Roberti Bellarmini Cardinalis Opera, De Aſcenſione mentis in Deum, de ęterna felicitate Sanctorum, de gemitu columbæ, ſiue bono lachrymarum, de verbis Domini in cruce, de Officio Principis Chriſtiani, de Arte bene moriendi, admonitio ad Nepotem de Officio Epiſcopi.

Alphonſi Rodriquez, Exertitium de Perfectione, & virtutibus Chriſtianis ac Religioſis per omnia opus abſolutiſſimum Tom. 3. comprehenſum.

Bernardi Roſignoli, Diſciplina Chriſtianę per-

perfectionis, de actionibus virtutum, ſtimulus virtutum, &c.

Caroli Scribani Flandro-Belgæ, Philoſophus Chriſtianus, Amor diuinus, Medicus Religioſus, Superior Religioſus, Adoleſcens Prodigus, eiuſdemque Meditationes, infra.

Chriſtiani Mayer, Enchiridion Induſtriacum pro ſingulis actionibus quotidianis in 8.

Guilielmi Stanihurſti, Quotidiana Chriſtiani teſſera, Regio mortis, veteris hominis Metamorphoſis, Inferorum ergaſtulum, &c.

Hieronymi Plati, De Bono ſtatus Religioſi, opus abſolutiſſimum, Libri 3. in 4.

Iacobi Aluarez de Paz, De vita ſpirituali eiuſque perfectione, aliaque huc pertinentia fusè Libri 5.

Iacobi Lobbetij, Opera moralia complura in Tomos 7. diſtributa.

Ioannes Euſebij Nierembergij, De arte voluntatis, de adoratione in ſpiritu & veritate, Manuale Principum, de diſcrimine inter temporale, & æternum, aliaque plurima diffusè deducta.

Leonardi Leſſij, de ſtatu vitæ deligendo, de 50 Nominibus ſiue atributis Dei, de bono ſtatus eorum qui vouent Caſtitatem in ſeculo, &c.

Ludouici de Ponte, Dux ſpiritualis, de Chriſtiani hominis Perfectione in quouis ſtatu, &c.

Nicolai Cauſſini, Aula ſancta, Diarium Chriſtianum, Angelus pacis, Imperium rationis ſuper Paſſiones.

Nicolai Lancitij, Opera ſpiritualia varia Tomi 2.

Roberti Sotuelli Angli, Solatium Catholicorum in vinculis pro fide exiſtentium, Regulæ bonæ vitæ, Triumphu mortis, Lacrymę Magdalenæ, &c.

Vhomæ de Blanch, Idea perfecta Religioſorum, Bonus diues, & bonus pauper, Directio Coniugatorum, Viduarum, bonus Scholaſticus, & alia plura.

Meditationum Scriptores ex præcipuis. Caroli Scribani, Meditationum ſacrorum Tomi duo cum iconibus in 8. pro omni ſtatu conducentes.

Chriſtophori Mayer, Diarium Meditationum, ſiue Meditationes diſtributæ in ſingulos anni dies Tom. 2. in 8. vel 12.

Eduardi Haruæi, Meditationes in ſingulos dies per annum, Anglicè.

Ioannis Buſæi, Enchiridion Meditationum in omnes Dominicas, & in omnia Feſta anni, libellus in 12. commodiſſimus.

Nicolai Auancini, Meditationes in ſingulos anni dies per puncta breuia, & admodum energetica, in 12.

Pauli de Barrij Meditationes in ſingulos anni dies de vita Chriſti, & Sanctorum.

Lodouici de Ponte, Meditationum ſumma breuis, & accurata.

Vincentij Bruni Meditationes de vita, & Paſſione Domini: in 7. Feſta D. Virginis, & in Euangelia Dominicarum per annum. Sunt & alij in vario genere Aſcetici plurimi, ſed hi ad notitiam & delectum ſufficient.

Scriptores Controuerſiarum fidei, Dogmata ab Eccleſia damnata, eorumque Auctores, & Concilia in quibus ſingula damnantur, reperiuntur in huius Operis Tomo 2. in fine.

Libri Anglicè editi in præcipuis Materijs varii generis.

PRo ſingulari commodo illorum qui in tribus Regnis hæreſi infectis, & alibi hoc tantum idiomate vtuntur, ne vllos libros difficilius quam tale ſcire & adipiſci valent, hic in vario genere varios præſertim ex Socitate quo facilius aſſequi potui annectendos iudicaui. Non enim ignoro quantum ex talium librorum notitia vſuque Fides, ac Pietas ſincera propagari, & conſeruari ſoleat.

Edmundus Campianus edidit Anglicè, Rationes decem in cauſa Fidei Academicis Anglicè, in 8. quæ ſepius impreſſæ.

Robertus Perſonius, Directorium hominis Chriſtiani, vulgo, Reſolutiones Perſonis prodiit pridem Louanij, Duaci nec non Audomari anno 1585. Item, de tribus Angliæ conuerſiones, Audomari, anno 1604. in 8. & alia plurima.

Eduardus Mico edidit Ephemeridem piarum Meditationum in ſingulis annis die, Londini in 8. an. 1669.

Eduardus VVorslæus, Religio formata Ratione Proteſtantica, Religio ſine Principiis contra Doct. Stillingfletum &c. Antuerpiæ apud Knobarium, in 4. anno 1668. & 1672.

Antonius HosKinus, contra Iuramentum fidelitatis Catholicis Anglię propoſitum Epitome Chriſtianæ perfectionis.

Thomas à Kempis, Anglice translatus, Audomari, an. 1612.

Eduardus Coffinus, tranſtulit anglicè lib. Rob. Bellarmini de Arte bene mouendi, Audomari in 8. an. 1622.

Eduar-

Eduardus Dauſonus, Practica meditandi Methodus, Audomari 12. anno 1614.

Franciſcus VValſingamus, Diſquiſitiones de rebus ad Religionem pertinentibus: Et de ſua ad Fidem Catholicam conuerſione, Audomari in 4. anno 1674.

Franciſcus Gougus, tranſtulit Anglicè Roberti Bellarmini librum, de Aſcenſione mentis in Deum, Londini in 8. anno 1614.

Guilielmus Bathæus Hibernus, edidit Anglicè Inſtitut. Methodicam de pręcipuis Chriſtianæ fidei myſterijs. Idem auctor eſt libri celeberrimi, Ianua Linguarum.

Petrus Talbotus, Archiep. Dublinenſis in Hib. de natura Fidei, & Hæreſis Ant. an. 1657. Politicorum Cathechiſmus, ibid. de nullitate Eccleſiæ Anglicanæ Proteſtanticæ, &c. Bruxellis an. 1658.

Guilielmus Malonius Hibernus, edidit Anglicè Replicam contra reſponſionem Vsheri pro Antiquitate dogmatum Fidei Romanæ, Duaci in 4. an. 1608.

Guilielmus VVrightus, tranſtulit Anglicè, Libellum P. Leonardi Leſſij, Quæ Fides, & Religio capeſſenda. Et plura ex Controuerſijs Iac. Gordoni, & Martini Becani, Audomari in 8. an. 1614.

Henricus Fitſimon Hibernus, ſcripſit Anglicè, Conſolatoriam ad afflictos Catholicos. Tract. de Miſſa: & Lib. 2. contra Riderium Miniſtrum in Hib. an. 1612.

Henricus Garnetus, ſcripſit, de Chriſtiana renouatione, alioſque Tract. ſacros.

Henricus Harcottus, Epitome Hiſt. gentis Anglorum Ven. Bede, Londini an. 1658.

Henricus Morus, Manuale Meditationum P. Thomæ Villacaſtini Audomari, ann. 1618. Tranſtulit etiam opus præſtantiſſimum P. Hieronymi Plati de Bono ſtatus Religioſi, Rothomagi, an. 1622.

Iacobus Munfordus, Admonitio pro Viuis vt orent pro defunctis, Audomari in 22. anno 1641. Quæſtio Quæſtionum, ſiue, de Iudice Controuerſiarum Fidei, Gandaui in 4. anno 1658.

Io: Falconerius, Vita B. V. Vita B. Annæ, Vita S. V. Teneſredæ, & S. Catherinæ Sueciæ, &c. Audomari, in 18. an. 1635.

Io: Floydus, Deus & Rex contra Nouatores Audomari, an. 1620. Verbum conſolationis ad Catholicos ibid. in 4. an. 1623. Summa totalis de ſalute in Romana Eccleſia, contra N. apoſtatam. Audomari in 4. an. 1639. aliaque. Tranſtulit etiam Anglicè, Meditationes S. Auguſt. ibid. & Antonij Molinæ lib. de Sacrific. Miſſę, ibid. in 6.

Io: Perſeus ſiue, Ficherus, Tract. de Fide Londini ann. 1600. & Audomari auctior in 8. ann. 1614. aliaque.

Ioannes Spenſerus, de Sacra Scripturæ perperam ab hęreticis huius temporis intellecta, Antuerpiæ in 8. anno 1655. Quæſita 36. Miniſtris hæreticis in Anglia propoſita in 8. Itē, Aut Deus aut nihil, contra Atheos, Londini in 8.

Laurentius Anterdonus, Funiculus triplex, quo Fidei capita demonſtrantur ex Sciptura, Patribus, & ipſorum Proteſtantium expoſitione, Audomari in 4. anno 1654. Progenies, ſiue, origo Catholicorum, & Proteſtantium quoad antiquitatem Rothomagi, in 4. anno 1625.

Laurentius VVortinthonus, tranſtulit Anglicè, Medit. P. Franciſci Coſteri de vita, & paſſione Chriſti, Duaci, anno 1616.

Michael VValpolus, Tractatus de ſubiectione Principium Deo, & Eccleſiæ. Et, Admonitio ad Catholicos Angliæ circa Edictum Iacobi Regis, Audomari in 4. an. 1610. Tranſtulit Anglicè libros Boetij de conſolatione Philoſophiæ Londini in 8. an. 1609. Et vitam S. Ignatij ex Hiſpanico, Audomari in 12. an. 1617. & 1620.

Richardus Ashbæus, de felici, & infelici ſtatu animarum in Purgatorio, & modo eas iuuandi, Londini in 8. an. 1663.

Richardus Gibbonus, vertit Anglicè ex Hiſpan. Regulam bene viuendi Ludouici Granatenſis, in 8. Et ex Latino Compendium Meditat. Vincentij Bruni, in 8. &c.

Syluelter Noritius, edidi Anglicè. Antidotum Controuerſiarum contra Sectarios, Audomari an. 1618. Et, Ducem Fidei contra Sectarios, Londini in 4. an. 1621.

Thomas Fhricus, vertit Anglicè, Hiſt. Lauretanam P. Horatij Turſellini, Audomari in 8. an. 1618.

Thomas VVortintonus, Anchora doctrinę Chriſtianæ, Tom. 2. Et, Annot. ad Vetus Teſtamentum, Duaci an. 1609.

Thomas VVhtfeldius, Meditationes de ſignis veræ Eccleſiæ Chriſtianæ, Londini in 8. an. 1655.

Notandum, aliquos ex his Scriptoribus tantùm per litteras initiales aut aliter nomen ſuum in libris expreſſiſſe.

Oratores & Poetæ varij ex præcipuis Antiquis, & Modernis in vario genere.

HOs quoque prioribus apponendos indicaui pro commodo ſingulare, & delictu Virorum

Apoſtolicorum, qui iſtorum notitiam (dum vſus occurrit) in promptu non habent.

Marci Tulli Ciceronis orationum Volumina tria, eiuſdem libri de officijs, de amicitia, & de ſenectute.

Quinti Curtij Hiſtoria Alexandri Magni, item, Liuij Hiſtoriæ.

P. Cauſſini S.I. Palatium Eloquentiæ. Nouus Candidatus Rhetoricæ Auctore Franciſco Pomey: Ant. Mureti Orationes.

P. Petauij, Orationes variæ ac præſtantes.

Quintiliani declamationes oratoriæ.

P. Perpiniani Orationes.

Rhetorica Hautini.

Annæi Senecæ actiones oratoriæ, eiuſdem libri de Ira, de Conſolatione, de Clementia.

P. Oſorius, de gloria.

POETÆ, Publij Virgilij Maronis, Æneidos Libri 12. Ecologa, &c.

Publij Ouidij Naſonis, Metamorphoſis heroicè: libri Triſtium, Epiſt. Heroidum, de Ponto, &c. Elegiace.

Claudianus de Raptu Proſerpinæ, & varijs alijs.

Horatij Flacci, Odæ & Satyræ.

Annæi Senecæ, Tragediæ.

Iuuenalis, Satyræ.

Tibullus Catullus, Propertius antiqui ſcripſerunt Elegias valdè ſingulares.

Gaſpar Barlæus, ſcripſit Heroica varia, Item Elegiaca ſacra, & prophana, & Miſcellanea.

Iacobus VVallius, S.I. Frandro-Belga ſcripſit paraphraſes Horatianas, & Oliuampacis, & lyrica, &c.

Sidronius Hoſchius, ibidem S.I. Elegas &c.

Guilielmus Beccanus ibidem Idyllia &c.

Renatus Rapinus, Gallus recens, de cultu hortorum & Eclogæ.

P. Lotichij, Elegiæ, & Eclogæ.

Ruæus, ſcripſit tragedias, & panegires.

Tragediæ Patrum ſelectæ extant in duobus Tomulis.

Hermannus Hugo, S.I. Pia deſideria, paruo libello carmine eleganti.

Conſtantij Pulcharelli, Carminum varij generis, & materiæ Libri 5.

Carolus VVarnæus, de raptu Maureſane S. Ignatij, heroicè in 8.

Epigrammatum P. Boulogonij Libri 3.

Epigrammata Ioannis Oennis Angli.

Epigrammatum Bidermanni, S.I. libellus.

Barclai, Heinſij &c. Poematum ſingularium libelli varij

Andreæ Fruſij S.I. Epigrammata in Hæreticos: Plures alij in vario genere.

INDEX RERVM,

Tomi Secundi huius Operis, Ordine Alphabetico, & per Paginas notatus.

A

ABſolutio Sacramentalis quas conditiones requirat. Pag. 198
Abſolutione in negatione externa fidei. 350
Ad abſoluendum quę iuriſdictio, quæ approbatio requiſita. 206 209
Abſolutionis impedimenta per reſeruationem, cenſuram &c. 210
Abſolutio conſuetudinarij, an, & quomodo diferenda. 236
Abſoluendi variæ Facultates in Miſſionibus, & extra Miſſiones. 220
Abſolutionis forma integra exprimitur, etiam à cenſuris. 250
Abſoluendi & reconciliandi Hæreticos praxis, & Profeſſio fidei. 249
Abſtinentia à cibis vetitis inter hæreticos reſolutiones variæ. 351
Aduocatus, & Iudex quid poſſit in opinione probabili. 116
Æquiuocatio in fide. 342
Affinitas vide Matrimonium. 289
P. Antonij Terilli Opus ſolidiſſimum non rectè tractatum. 357
Approbatio Confeſſarij, qualis requiratur. 209.
Eius formula. ibid.
Quid ſit approbatio negetur Sacerdoti Regulari manifeſtè idoneo. ibid.
Quid de approbato in vna Diœceſi, quod alias in quibus non eſt approbatus. ibid.
An ab Ordinario abſolutè approbatus, poſſit à ſucceſſore reuocari ad nouum examen, aut approbatio ſuſpendi. 170
Apoſtaſia qualis cenſeatur reſeruata. 214
Aſylum, Priuilegium fori, & Canonis *Tract. I. Cap. 5.* 177
Attẽtio interna an neceſſaria vt ſatisfiat pręcepto de Horis canonicis. 143
V. Horæ Canonicæ.
De Attritione concepta ex metu Gehennæ, ſtatus controuerſiæ, & Scriptores vtriuſque partis. 156
an Attritio poſſit excludere voluntatem peccandi, & eſſe actus bonus &c. ibid.
an Actus omnis bonus, aut non malus debeat

eſſe ex motiuo charitatis. 159
An tutius ſit in hoc affirmatiuam docere. ibid.
Oſtenditur Attritionem prædictam ſine amore Dei ſufficere in Sacramento pænitentiæ. 160
Qui id docent malè dicuntur inimici Charitatis. 163
De Attrione decretum Alexandri V. ibid.
Auctores in Theologiam. 390
Auctores in ius Canonicum. 387
Auctores in ius Ciuile. ibid.
Auctores in Philoſophiam. ibid.
Auctores in cæteras Facultates. 365

B

Baptiſmi materia, forma, vnitas. 252
Quid de aqua, alio corpore permixta, accidentaliter tranſmutata, &c. ibid.
Aquæ quantitas requiſita. ibid.
An Hæretici nunc conuerſi debeant ſub conditione rebaptizari: & de Baptiſmo occulto prolis Anabaptiſtæ. ibid.
Diſpoſitio adulti ſuſcipientis Baptiſmum. ib.
Quis & qualis Miniſter Baptiſmi. 354
An rebaptizandus infant quem obſtetrix dixit ſe in neceſſitate baptizaſſe. ibid.
An poſſit infans ante partum baptizari. 254
An Patrini munus in Baptiſmo quæ requirantur. 259
An Catholicus poſſit admittere Patrinum hæreticum. ibid.
An infans à Catholico poſſit tradi baptizandus Miniſtro hęretico, aut nomen eius libro inſcribendum, & caſus alij. ibid.
Belli iuſtitia, ſi probabilis, ſi dubia, an liceat militare. 358
Beneficia Eccleſiaſtica quoad collationem validam, licitam, amiſſionem, permutationem, &c. 177
Reſignatio Beneficij, & ſub anere Penſionis, &c. 179
Beneficiatorum, & aliorum Eccleſ. Immunitates. 176
Beneficiati quando obligentur ad Horas. 268
Beneficium à Patrono hæretico. 268
Blaſphemia quid ſit, quomodo committatur. 197
Quæ eius pœnæ. ibid.
Bona ab hæretici iniquè poſſeſſa quomodo emi poſſint. ibid.
Bulla Cœnæ, & caſus illius. 216. 303.

C

Caſus reſeruati Epiſcopis ſinguli explicantur. 313
Caſus omnes Pontificij recenſentur. 216
Charitatis in Deum actus quando obligent. 196
Charitatis erga Proximum actus interni, & externi. 195
Canonicatus E. Beneficium.
Caſtrenſis Miſſionis caſus varii. 388
De cenſuris in genere & ſpecie. 394
Cenſura à quo poſſit ferri, & quomodo. ibid.
Abſolutio à Cenſuris. 216
De Cibis prohibitis, inter hæreticos caſus varij. 351
Communionis Pręceptum, & communio Paſchalis. 263
De Communione quotidiana &c. Decretum modernum. 264
Circumſtantiæ quomodo in confeſſione exponendæ. 229
Concioni an teneantur Parochiani intereſſe in Eccleſia Parochialis Dominicis ac feſtis. 166
Item Miſſæ. 167
Confeſſioni Paſchali an ſatisfiat apud Regulares. 226
Confeſſionis Preceptum. ibid.
Confeſſionis annuæ tempus. ibid.
Quomodo hęreticus Conuerſus horum omiſſionem exponet. ibid.
Ad quid poſtea teneatur qui confeſſus eſt mortalia tantum confusè genericè. ibid.
Quomodo ſpecies & circumſtantiæ, quomodo numerus ex præcepto exponendus. 229. ſeqq.
Quomodo actus mere interni. ibid.
An & Quomodo exponi debeant peccata dubia poſitiuè. 233
Dubia negatiuè an neceſſario exponenda. ibid.
Confeſſio abſentis, vel incarcerati per litteras. 233
Quid de Confeſſione præſentis in ſcripto tradita, ob magnam verecundiam eam voce exprimendi.
Confeſſio quibus modis fiat inualida, quomodo iteranda, quando abſolutio differenda. 236. & ſeq.
De Sigillo Confeſſionis quomodo, & quando obliget. 237
In Confeſſione penitentia qualis imponenda V. Satisfactio. 242

Con-

Confeſſarij & Pœnitentis directiones practica, ibidem.
Confirmationis materia, forma, effectus ſubiectum capax. 257
Quis eius Miniſter. ibid.
An aliquando Abbas. ibid.
Quæ confirmationis cæremoniæ. ibid.
Quanta obligatio Epiſcoporum eam conferendi. ibid. in fine.
Conſenſus voluntatis qualis ad mortale, & veniale requiſitus. 114
Conſcientiæ formandæ nimia *Laxitas*, & contra, nimius *Rigor* quam ſit noxius, deducitur Tom. II. Part. II. initio. 103
Conſcientia perplexa, & ſcrupuloſa. 108
Quomodo Conſcientiæ dubitanti faueat poſſeſſio. 109
Conſcientiæ practicè certæ ſecuritas. 117
Conſcientia dubia, probabilis. 109. & ſeq.
Contractus quid, & quomodo ſit validus aut licitus. 325
Contractus Donationis, Promiſſionis, Mutui, &c. 323

D

Decimæ Eccleſiaſticæ. Tract. I. Cap. V. 180
Decretum nouum Innoc. XI. contra 65. Propoſitiones totum inſertum. 124
Decretum vtrumqne Alexandri VII. 121
Defectus varij ex quibus oritur irregularitas. 280
Decretum Alexandri VII. de Attritione. 164
Pro Debito tantum probabili an liceat ſibi compenſare. 338
Declaratio. Vide Luxuria. 322
Deliberatio intellectus qualis requiſitus ad mortale, & veniale. 114
Denuntiatio ſollicitantis in Confeſſ. 234
Depoſitum, depoſitarius. ibid.
Deſiderare, aut precari à Deo alterius mortem aut morbum an vnquam licitum. 143
Detractio. 347
Quando Detractor à reſtitutione excuſetur. 338
Diſpenſationem praxis ex Pœnitentiaria Romana. 292
Diſpenſatio. Vide Facultas.
Diſpenſatio cum Hæreticis vt licita. 379
Diuinatio. Vide Superſtitio. 194
Diſponentia ad ſummam peccati deteſtationem &c. 290
Dolor. Vide Attritio.
Donatio quomodo valida. 325
In Dubio circa legem. 110
Circa debitum, ſolutionem, &c. 111
Dubium à probabili quomodo diſtinguendum. 116
Peccata negatiuè Dubia an neceſſariò in Confeſſione exponenda. 233
Duellum, quomodo interdictum. 318. ſeq.
Dux militum, luſtratio cum fictis nominibus, pabulatio, &c. Tract. 6. in fine.

E

Ebrietatem in alio procurare an licitum, ad euitandum malum aliquod maximum. 149
Emptio, venditio quando licita, aut illicita. 325
Quando ſit ſimoniaca. 329
Epiſcoporum Caſus reſeruati. 212
Singulorum Expoſitio. 213
Aliquorum in Miſſionibus facultates peculiares. 220
Epiſcoporum poteſtas circa caſus Pontificios. 219
In Euchariſtiæ Conſecratione quid ſtatuatur vi verborum: quomodo Chriſtus totus in toto: quomodo accidentia ſine ſubiecto maneant, deſinant: 258
Materia & forma Euchariſtiæ, & intentio Sacerdotis. ibid.
Miniſter Euchariſtiæ quis ordinarius, quis in Miſſionibus 260
quomodo adminiſtranda. ibid.
An reus habeat Aſylum ſi confugiat ad portantem Euchariſtiam publicè, vel etiam priuatim. ibid.
Diſpoſitio requiſita in ſuſcipiente Euchariſtiam, quod anima. ibid. ſeq.
Quoad corpus, & ieiunium. 261
An Laicus in periculo Hoſtiæ ab Hæreticis rapiendæ, poſſit eam non ieiunus ſumere, aut cum ea aufugere, aut in periculo mortis ſibi miniſtrare. 263
Sacrificium Miſſæ. 265
Præceptum ſumendi Euchariſtiam quando detur. 263
Modum ad Viaticum ritè diſponendi, vide in fine operis.
Excommunicationes Pontifici reſeruatæ in Bulla Cœnæ, & alibi referuntur. 216 &c.
Extrema vnctio. Vide Vnctio. 276. &c.

F

FAcultates Miſſionum, pro Epiſcopis. 220
Pro Vicarijs, & ſuperioribus Regularium, & alijs miſſionarijs. 221. &c.
Facultates Ordinariç aliquorum Regularium explicatæ. 322
Item, extraordinariæ. ibid.
Facultates Paſtorales variæ. 176
Feſtorum obſeruatio, etiam inter Hæreticos quæſtiones variæ. 103
Feſtum an grauiter violet Herus qui efficit vt 4. vel 5. famuli ſinguli ſucceſſiuè per vnam horam in feſto laborent. 331
An homo in fide dubius pro Hçretico habendus. 341
Profeſſio fidei externa quando requiratur. 341.
Interogato de fide, ſilentium quando licitum. 342
Quando reſtrictio, aut æquiuocatio. ibid.
Qui Fidem exterius tantum ex metu negauit, an poſſit à quouis Confeſſario abſolui. 350
Filiorum obligatio varia erga parentes, etiam Hæreticos. 316
Fori Eccleſiaſtici & Romani praxis. Tract. vlt. in fine.
Furtum quid, quomodo, & quando committatur. 322
Per Furta modica ſumma notabilis quomodo obliget ad reſtitutionem. 146
Furtum in neceſſitate non extrema, an licitum. 147

G

GAudium de alterius morte aut malo quando, & quale peccatum. 143
Gratia Sacramentalis an & quando ex opere operato conferatur. 202
Gratiam Sacramenta an cauſent phyſicè an moraliter. ibid.
an Gratia maior conferatur magis diſpoſitis ibid.
Grauitas peccati quibus modis debeat diſcerni. 114
Gratiæ ſtatus quanti ſit momenti, Tract. VI. in fine.
Gula, Vide, Ebrietas.

H

HÆres ad quæ teneatur &c. Vide, Teſtamentum.
Homicidium, mutilatio. 318
Hæreticos Eccleſiç reconciliandi praxis, & forma integra. 349
Hæreſis quænam reſeruetur. 219
Inter Hæreticos vſus carnium vt Catholico licitus. 242
Hæreticorum Templa, Conciones, Prçces frequentare an & quando licitum. 343
Item, officium æditui, aut organiſtç in templis hærericorum. 344
Bona ab Hereticis iniuſtè poſſeſſa quomodo poſſint emi. ibid.
Ab Hæretico Patrono an poſſit accipi Beneficium Eccleſiaſticum, & an pretium illi dari. ibid.
Quid agendum Catholico qui bona Eccleſiaſtica ab hæreticis emit aut hæreditate accepit. ibid.
Hæreticorum Libri quomodo poſſint legi, retineri, imprimi, vendi. &c. 345
De illis Caſus nouem ſingulares reſoluuntur. ibid. & ſeqq.
Quid de Heretico occulto, qui à nullo poteſtatem habente, abſolutionem obtinere poteſt. ibid.
Cum Hæreticis comunicatio, caſus varij. 351
Cum Hæreticis fidelitas in pactis vt ſeruanda. 352
Cum Hæreticis diſputatio an licita, & eius norma. ibid.
De educatione liberorum partim in hæreſi, partim in Religione Catholica an pactum poſſit eſſe licitum. 354
De relapſis in hæreſim. 342
Styli veteris vſus inter hçreticos qualiter licitus. 354
Sponſalia matrimonium Catholici cum Hçreticis, Parochi aſſiſtentia, Proclamationes, Benedictiones nuptiales, reſolutiones variç deducuntur. 355
Hçreticorum pœnç quas per leges incurrunt 356
Homicidium quid, & quando licitum. 228
Quale Homicidium Epiſcopo reſeruatur. 213
Horæ Canonicæ an requirant attentionem internam. 143
ad Horas qui & quantum teneatur. ibid.

Quo-

Quomodo ab ijs excuſet infirmitas, carentia Breuiarij, periculum ab Hæreticis, occupatio, diſpenſatio. 269
Quid de commutatione Officij, interruptione tempore, pronuntiatione externa, diſtractione, euagatione. ibid.
Quomodo, & quantum ad Horas teneantur Beneficiarij: & qua via poſſit illis condonari fructuum reſtitutio. ibid.

I

IEiunium Eccleſiaſticum, quomodo obliget quænam excuſent, &c. 331
Quando obliget inter hæreticos, reſolutiones particulares. 359
Ignorantia inuincibilis quomodo excuſet. 106
Ignorantia vincibilis. 108
Qui ignoranter intulit graue damnum quomodo ad reſtitutionem teneatur. 338
Incendium quale ſit Epiſcopo reſeruatum. 213
Impedimenta matrimonij. Vide Matrimonium.
Indulgentia quid & vnde proueniat. 242
Quomodo ſint validæ: quomodo expirent: quomodo obtineantur. 242. & 243
Quas concedere poſſit Epiſcopus. idid.
An ceſſent conceſſæ alicui Templo, ſi hoc diruto, aut ab hæreticis occupato, aliud Sacellum templi loco aſſumatur. 243
Indulgentiæ variæ Miſſionibus propriæ. 249
Indulgentiæ pro Catecheſi. ibid.
De Indulgentijs Iubilæi reſolutiones variæ. 249
De Indulgentijs abrogatis Decretum Innoc. XI. 247
Inceſtus quomodo reſeruatus. 214
Iniuria. Vide Reſtitutio, Contractus &c.
Intentio. Vide Sacramentum in communi.
Iudex quando teneatur ad reſtitutionem. 338
Iudex an licitè iudicet ex Sententia tantum probabili. 116
Iubilæum. Vide Indulgentiæ.
Irregularitates ſingulæ explicatæ. 269
Interrogatus de Sacerdotio. 344
Quomodo de Irregularitates Ordinum ſuſceptionem, aut exercitium impediant. 310
De Iuſtitia, & Iure. 315
Iuramentum quid, & quid eius obligatio. 306
Iuramentum redeundi ad carcerem iniuſtum. 307
Perſonæ quæ ad iuramentum in iudicio admittuntur.
Iuriſdictio ad abſolutionem Sacramentalem requiſita, ordinaria, delegata &c. 206
Quam Iuriſdictionem habeant Miſſionari Regulares in partibus Hæreticorum ad Baptiſmum, Matrimonium &c. 208
Iuris Can. Regulæ, ordo, auctores, & materia ibid.
Iuris Ciuillis, ordo auctores, & regulæ. ibid.

L

LEx Vide Præceptum, Conſcientia dubia, &c.
Legis, & præcepti in genere obligatio varia, 112
Legis iuſtitia, & interpretatio. ibid.
Legis acceptatio, abrogatio, finis. 111
Libri hæreticorum quomodo prohibiti. 344
Quomodo poſſint legi, vendi, retineri, reſolutiones variæ particulares. ibid.
Libelli famoſi qui ſint: eorum Scriptores, lectores &c. quas pœnas incurrant, qui prodeunt ſine Auctoris nomine. 390
Luxuria, quotuplex. ibid.
Quomodo per eam peccetur directè, indirectè &c. 322
An Luxuriam ſaltem venialem committat qui exercet copulam coniugalem ſola cauſa ſedendæ libidinis. 145
An etiam ſola cauſa delectationis. ibid.
Pro Luxuriæ materia, ac tentatione Inſtructio practica. 322

M

MAleficium quomodo liceat tollere. 305
Matrimonium quid ſit, duæ eius materia, forma, Miniſter. 285
Ætas ad Matrimonium requiſita, denunciatio, benedictio. ibid.
Coniugatorum obligationes variæ. 287
An Matrimonium contractum coram Sacerdote, poſſit rurſus contrahi coram Miniſtro hæretico. ibid.
In die Nuptiarum an differenda abſolutio ſponſi conſuetudinarij tunc confitentis. 183
De varijs Impedimentis matrimonij, reſolutiones. 387
Matrimonium inualidè contractum quomodo poſſit reualidari. 389
De Matrimonijs quæ in partibus Hæreticorum ſine Parocho aut Teſtibus contrahuntur, reſolutiones. ibid.
Qua forma diſpenſationes pro Matrimonio ex Romana Pœnitentiaria &c. peti & concedi ſolent. 291. &c.

De Matrimonio Catholicorum cum Hæreticis reſolutiones variæ. 372
Medicorum obligatio. 116. 117
Meritorius actus an debeat eſſe ex motiuo charitatis beneuolæ in Deum. 300
De ijs quæ ex Metu fiunt quomodo reſoluendum. 153
Metus qui excuſet violationem præcepti poſitiui, negatiui &c. ibid.
Miles quando, & vbi militare poſſit. 306
Militum ſtipendia, luſtratio, pabulatio, &c. ibid.
Miniſter Sacramenti, Vide Sacramentum.
Miſſàm an teneantur Parochiani audire Feſtis ac Dominicis in Eccleſia Parochiali. 167
Item Concionem. 165
Quando teneatur Sacerdos Miſſam celebrare. 166
An, & quando id liceat bis, aut ſæpius eodem die, etiam Feriato.
An operto capite, an ſine miniſtro, an cingulo non benedicto, &c. ibid.
Quo tempore liceat celebrare pro dando viatico, aut ex priuilegio. ibid.
An liceat dare Laico particulam hoſtiæ maioris, aut ablutionem ex Calice. ibid.
Quid ſi araneus incidit in calicem conſecratum. 167
Quid ſi abſit Hæreticus. ibid.
Miſſa Stipendium quale, quantum, quoties, &c. liceat accipere. An magis poſſit Miſſa Sacerdotis magis deuoti. ibid.
Mortem alterius optare quomodo licitum. 143
Mutilatio, quid pro ea reſtituendum. 318
Mutuum, & Mutuatarius. 326

N

IN Nauali prælio an licitum militibus incenſo puluere in mare deſilire. 144
Naualis Miſſionis caſus varij. ibid.
Neceſſitas qualis obliget ex ſuperfluis proximo ſubuenire. 144
An ſatisfiat tunc præbendo mutuum. ibid.
Nuptiæ. Vide Matrimonium.
Nuptiæ Catholicorum cum Hæreticis. 361
Notitia totius iuris Ciuilis &c. ibid.

O

OBedientia debita filiorum erga parentes. 318
Obſeruantia vana ex verbis, aſtris, & ſigni varijs. 314
Opinio probabilis, & quomodo liceat eam ſequi. 116
Quomodo à dubio diſtinguitur. ibid.
Opinio minus probabilis quomodo ſequenda. ibid.
Obiectiones contra Opinionem probabilem diſſoluuntur. 121. & ſeq.
Quid poſſit in probabili Iudex: Aduocatus, Medicus, &c. 116
Regulæ oro eius delectu. 120
Quomodo opinio probabilis fieri poſſit improbabilis. 121
Sententiæ ab Alexandro VII. improbatæ anno 1665 &c. ibid. ſeq.
Contra impugnatores opinionis probabilis quoad vſum, ſententia communis defenditur. 128. &c.
Vnius Auctoris aſſertio an poſſit ſufficere ad opinionis probabilitatem. 138
Qui, & quales impugnatores probabilitatis. 137
De probabilitate variarum Opinionum quæ referuntur in particulari. 128. &c.
Ordines ſeptem numerantur, 4. minores, 3. maiores. 277
Quæ ſit Ordinis materia, & forma. ibid.
Quid de Ordine dubiè collato. 279
Vt Ordo ritè, licitè conferatur, quænam requiruntur. ibid. &c.
An aliquis ordinari poſſit ſolo titulo deputationis ad certam Miſſionem. ibid.
Quomodo pro Miſſionibus diſpenſari poſſit in tempore, ætate, interſtitijs. 217
Facultates Miſſionum. 27. 28.
Singulorum Ordinum ſcientia, ritus officia, priuilegia exprimuntur. 177
Quomodo Ordines per Irregularitatem &c. impediantur. 282
An poſſit Epiſcopus cõſecrari ſine trium Epiſcoporum aſſiſtentia, ſaltem ex Pontificis diſpenſatione. 177
Quid ſi contingeret id ignoranter fieri ſine diſpenſatione. 281
Oſcula inter coniugatos, ſponſos, aut ex vrbanitate. 322

P

PApa, vide Pontifex.
Philoſophia vniuerſa &c. ibid.
Principia ſcientifica. ibid.
Parentum obligatio erga liberos. 317
De parentibus compellentibus aut retrahentibus à Religione. 318
Paſtorale munus, perſona, priuilegia. 173. &c.
An poſſint eſſe duo Paſtores in vna Eccleſia parochiali. ibid.

Quid de Paræcia retinenda cum Epiſcopatu Titulari, vel officio Suffraganei. ibid.
An diſpenſare poſſit Epiſcopus vt obtineatur Eccleſia parochialis ante annum 25. ibid.
De Concurſu, & examine ad Parochi munus. 174.
De profeſſione fidei ad illud requiſita. ibid.
De Reſidentia quando Paræcia eſt tenuis, aut habet duas Eccleſias vnitas. ibid.
Quæ cauſa à reſidendo excuſent. ibid.
Priuilegia, & poteſtas Parochi circa Diſpenſationem in Feſtis, Ieiunijs & aliæ eius prerogatiuæ. 176
Parochiani quoad frequentationem Eccleſiæ parochialis. 167
Patrini in Baptiſmo perſona, & munus. 242
Pæna hæreticorum. Vide Hæreticus.
Peccatum quid, & quotuplex. 300
Peccati ſtatus quam horrendus ex varijs motiuis.
Pro peccatis ſingulis Remedia &c. to. 3. in fine
Pollutio ſiue mollities. 322
Ad Pęnitentiam diſponendi praxis deducitur ibid.
Pœnitentia quid ſit, & quotuplex. 274
Quomodo dolor ex motiuo charitatis iuſtincet extra Sacramentum. ibid.
Quomodo, & quæ Attritio ſufficiat in Sacramento Pœnitentiæ. ibid.
Poteſt aliquando ſufficiens dolor, & diſpoſitio ad abſolutionem reperiri in Relapſis, & Conſuetudinarijs. 276
Soluuntur argumenta quędam Recentiorum. ibid.
Pænæ variæ Hereticorum, & quomodo intelligendæ.
Philoſophiæ axiomata, ordo, & auctores, Tr. vlt.
Quid Præceptum, & Peccatum, & quotuplex. 297.
Præceptum agendi ſingula ex charitate non datur. 155
Præceptum quid ſit, & quotuplex. 348
Violatio eius indirecta. 113
De primo Præcepto Decalogi, vbi de Superſtitione, maleficio, &c. 303. & ſeqq.
De Secundo Præcepto, blaſphemia. 305
Preceptum de Iuramento. 306
Præceptum de Voto. 308.
De tertio Præcepto, & Feſtorum obſeruatione, & ieiunio Eccleſiaſtico. 310. & ſeq.
De quarto Præcepto, & obligatione Parentum ac Liberorum. 316. & ſeq.
Quintum Præceptum, de Homicidio, Mutilatione, &c. 316
Sextum Præceptum, non Machaberis, quomodo contra illud peccetur. 320.
Reliqua Præcepta de Furto, Rapina &c. 323
Principia practica ad reſolutiones conſcientiæ. 103. ſeq.
Priuilegia Regularium. Vide Regulares, infra. 184
Probabilitas in adminiſtratione Sacramentorum. 119
Vide Opinio.
Promiſſio quomodo obliget. 325

R

Rapina, furtum. 323
Raptus peccatum quando Epiſcopo reſeruatus. 222
Regulariſ varia priuilegis, & facultates. 223
Pænę impugnantium Regularium priuilegia. 171
Quid poſſint in Miſſionibus quod Paſtoralia. 206
Regulæ iuris Canonicis explicatæ. 392
Rugulæ iuris Ciuilis. 395
Regularium Nouitiatus. 186
Regularium Profeſſio. 189
Regularium vota paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ. 191 &c.
Regulæ indicis Tridentini. 348
Caſus à quibus Regulares per priuil. non abſoluant. 224
Caſus quos Regularium ſuperiores poſſunt reſeruare. ibid.
Ad Religioſum ſtatum compellentes, aut ab eo retrahentes quomodo peccent. 317
Remedia contra peccata ſingula in particulari. Vide Tract. V. in fine.
Reſeruati caſus adducuntur. 216. & ſeq.
Reſtitutio quid ſit.
Quomodo cooperantes, ad eam obligantur. ib.
Reſtituere quid debeat poſſeſſor aut damnificator bonæ aut malæ fidei. 334
Qualiter reſtituendum pro homicidio, ſtupro, adulterio læſione famæ. 335
Quænam excuſent à reſtitutione ex parte creditoris, debitoris, &c. 339
Reſtrictio mentalis quomodo licita 139.
Reſtrictio pure mentalis Auctoribus Societatis falsò attribuitur. ibid.
Recuſentur alii pro ea Auctores. ibid.
Calumnia de Miſſionarijs Chinenſibus in hoc genere reijcitur. 140
Reus, & teſtis non legitimè interrogatus, an Teneatur reſpondere ad mentem Iudicis ib.
Romana Tribunalia varia exponuntur. Tract. vlt. in fine. 393
Romana Rota, Cancellaria &c. ibid.

Quis

S

QVis debeat eſſe materia, & forma Sacramentorum in communi. 198
Eſt à Chriſto quoad ſubſtantiam determiuata. 199
Earum coexiſtentia. ibid.
De Miniſtri, & Suſcipientis intentione ad valorem Sacramentorum neceſſaria. ibid.
Non requiritur ad valorem fidei, aut probitas Miniſtri. 203
Effectus varij Sacramentorum. ibid.
Gratiam non cauſant phyſicè, ſed moraliter. ib
Satisfactio quid, qualis. 240
Satisfactio eſt pars pœnitentiæ: requirit opus aliquomodo pœnale, & liberum. ibid.
Qualis pœnitentia imponenda pro mortali: qualis hæretico conuerſo. 241
Vide, Indulgentia.
Scientiæ Mathematicæ Idæa. 399
Simonia quid, & quotuplex, quomodo, & quando comittatur in rebus, & functionibus ſacris, & beneficijs Eccleſiaſticis, &c. 329. & ſeq.
Quid de pacto conferendi temporale pro ſpirituali ex gratitudine. 145
Simoniacis quæ penę conſtitutę, & reſolutiones particulares. 330
Sodomia qualis cenſetur reſeruata. 213
Sigillum confeſſionis vt obligat in ſufragio priuato, & gratuito. 152
Sponſalia quid ſint, & quid ad ea requiratur 284
Quomodo Sponſalia diſſoluantur. ibid. ſeq.
Superſtitio quid, & quomodo committatur. 303

T

TActus impudici. Vid. Luxuria.
Tractatus vlt. idęa ſcientifica Theologiæ vniuerſæ. 360
Teſtamentum quid, quotuplex, quid requiratur vt ſit validum. 331
Quinam poſſint teſtari. ibid.
Teſtamenti Executor, & Forma quæ ſit. 332
An perdito Teſtamento, aut alio inſtrumento neceſſario, licitum ſit priuatim aliud ſimile conficere. 149
Teſtes in iudicio quando ad reſtitutionem obligentur, aut teſtari teneantur. 339
Theologi moderni de contemptu Patrum male accuſati. 230
Quam illi in multis vtiles. ibid.
Theologiæ vniuerſæ Idæa. Tract. vlt. 390
Timor gehennæ an excludere poſſit voluntatem peccandi. 155
An Timor ille ſufficiat in Sacramento. 160
Timor an excuſet à peccato opus ex eo factum. 113

V

VAgi vbique forum ſortiuntur. 204
Venditio, emptio. 327
Veneficium ſiue maleficium quomodo tollere liceat. 350
Veniale à mortali quomodo diſcernendum 114.
Extremæ Vnctionis materia, & forma. 276
Quibus, quando, & à quo conferenda. 277
In Vniuerſitate hęretica: qualiter licitum immatriculari aut promoueri. 393
Votum quid ſit: eius obligatio, diſpenſatio: quæ vota Pontifex. 308
Cum Voto ſimplici caſtitatis contrahens Matrimonium, an peccet in prima tantum debiti petitione. 148
Vſura quid ſit, quomodo committatur. 327
Vſurarij pœnæ. ibid.

FINIS.